7
16 4
20

9
6 M E
11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-16-G-20

ALBERTI
KRANTZII,
RERVM GERMANICA-
rum hiſtorici clariſs. Regnorum A-
quilonarium, Daniæ, Sueciæ,
Noruagiæ, Chronica.

Quibus gentium origo vetuſtiſſima, & Oſtrogothorum, Wiſigothorum, Longobardorum atq; Normannorum, antiquitus inde profectorum, res in Italia, Hiſpania, Gallia, & Sicilia geſta, præter domeſticam hiſtoriam narrantur.

Acceſſit, ſupplementi cuiuſdam inſtar, Dithmarſici belli hiſtoria, Chriſtiano Cilicio Cimbro autore.

Item Iacobi Ziegleri Schondia, id eſt regionum & populorum Septentrionalium, ad Krantzianam hiſtoriam perutilis deſcriptio.

Cum præfatione ad illuſtriſſimum Principem LVDOVICVM Ducem Wirtenbergenſem, Ioan. Wolfij I. C.

Addito INDICE *locupletiſſimo.*

Bibliotheca Soc. Sect: Coll: dom Soc.

FRANCOFVRTI AD MOENVM

Apud hæredes Andreæ Wecheli.

M. D. LXXXIII.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO LVDOVICO DVCI WIRTENBERGENSI ET Teck, &c. Comiti in Mumpelgart, Domino ſuo clementiſſimo.

Hęc præfatio delenda est iuxta Indicē expurgat.

IN HOC noſtro conſilio, quod de Crantzio, optimo hiſtorico, iterum in lucem edēdo cepimus, viſum fuit de hiſtoriæ vtilitate & præſtantia pauca præfari, antequam de authore noſtro dicerem quid me impuliſſet, vt eum de nouo in publicum emitterem: non quòd laudem hiſtoria deſideraret, aut obſcurum eſſet, quantum dignitate grauitateque rebus omnibus excellat: ſed [illegible] de profeſſione videretur. Dicam igitur [illegible] eius ſummas partes perſequar, ſine omni ornamento: tum quòd alij ante me eidem copiosè atque ornatè perfecerint: tum quòd, quæ [illegible] hiſtoria præſtet, ſine verbis ſit quotidiano vſu notum hominibus atque teſtatum. Quæ enim eſt aut ætas, aut pars, aut occupatio vitæ noſtræ, in qua non illuſtris aliquis vſus hiſtoriæ eluceat? aut quis homo vnquam ita hebes atq; rudis fuit, vt quod eſt in cõmunibus ſenſibus infixum, non viderit ſine aliorum inſtitutione, quantum ad vitam agendam antecelleret hiſtoria? Eam quum Cicero dixit teſtem eſſe temporum, nuntiam vetuſtatis, vitam memoriæ, lucem veritatis, vitæ magiſtram: colligauit vna in ſententia omnia commoda, quæ ex hiſtoria in vitam humanam fluunt: neque potuit rem celeberrimam honeſtiori teſtimonio ornare. Nam quum ſingula, quæ de hiſtoria Cicero prædicat, laude non ſatis affici poßint, quid cēſeri debet, quum vniuerſa inter ſe coniuncta atque connexa, in vnum conflaxerunt? De Orat.

Et primum quidem quanti ad decus & laudem interſit, temporum notationes, & veterum ſeculorũ memoriam tenere, tum ille ipſe alio libro expreßit, quum ſcribit, ſemper eſſe pueros, qui neſciant, quid antequam nati ſint acciderit: tum Plato multò clarius Græcorum exemplo commonſtrat, quibus vt ſemper pueris fuit magni probri loco ignoratio veteris memoriæ ab Aegyptio ſacerdote obiecta. Deinde quantum illud ſit quod ſcribit, viuere in hiſtorijs hominum & rerum geſtarum memorias, inde perſpicuum eſt, quòd nullam vnquã ætatem barbaries ita afflixit, Cic. in Orat. In Tim.

(:) ij

aut oppreſſit, vt vel ſuperiorum temporũ monimenta ludibrio haberet, vel res à ſe geſtas nollet literis mandatas, poſteritati propagari: quibus, quum ex corpore exceſſiſſet, memoria & recordatione nominis apud poſteros viueret. Poſtea quid eſt præſtabilius, quàm quod tradit, res omnes, etſi veras, tamen hiſtoria quodam nouo quaſi lumine colluſtrari? Quod fit exemplorum prolatione, & commemoratione antiquitatis: quæ duo (vt alio loco traditum eſt) ſumma delectatione & authoritatem afferunt orationi, & fidem. Etſi verò dubitari non poteſt, quin illa omnia magnum momentum habeant ad ſplendorem, tamen in poſtremo, quum vult vitæ magiſtram eſſe hiſtoriam, videtur vna in re omnes laudes poſuiſſe, & nouo præconio ſuperiora vicisse. Sed eſt profectò, vt Cicero ſcribit, neque vllum extat hominum ſtudium, quod hiſtoriæ non poſſint aut excitare quum iacet, aut inflammare & augere, quum exarſit, aut in via inter præcipites vitæ noſtræ lapſus continere, aut ad ſi ugem & mediocritatem reuocare, quum in vllam partem exceſſit, & (vt vno verbo omnia complectar) cuius non ſit hiſtoria ſumma moderatrix & omnium conſiliorum author? [illegible] exempl[illegible] capiatur, quid faciendum, quid fugiendum: quid turpe, quid honeſtum: quid ſcitè, cautè, quid inſcitè, imprudenter & temere: quid ignauiter & remiſſe, quid fortiter fiat: quæ ſit præſtantiſſima ratio regendi populi, ducendi exercitus, moderandæ rei domeſticæ, gubernandæ Reip. inſtituendæ & ornandæ totius vitæ.

Nam quum duplex ſit hominum occupatio, quam alij ad diuini & cœleſtis numinis cognitionem & cultum, alij ad huius vitæ curas applicant, nulla certè vtriuſque pars eſt, à qua hiſtoriæ rectè abeſſe poſſint: & quæ nō ſine hiſtoria, aut in tenebris & obſcura nocte iaceat, aut omnino vacillet. Religione cōſtat animos multò magis obligari, quum exempla legũt mirabilium oſtentorum, quæ tum Chriſtus tum Apoſtoli præclarè fecerunt: aut vident, pietatem, ad quam ipſi ſeſe cōtulerunt, hiſtoriarum veritate & conſenſione teſtatam, ſanctiſſimarum animarum effuſione, & mille aliis grauiſſimis teſtimoniis firmatam eſſe: aut perpendunt, quantum & ipſorum maiores, quoties à puro Dei cultu diſceſſionem fecerunt, & Iudæi atq; alij, qui contrariam religionem coluerunt, Deo authori ſupplicium dederunt. In reliquo humanæ vitæ curſu & ſollicitudine, ſiue togam ſiue bellum conſecteris, eſt tibi ad vtrumque in hiſtorijs non ſolùm ſcopus defixus, ad quem omnia conſilia intendas atque dirigas: ſed ducunt etiam tanquam manu, aliorum exemplis: quum animum ad militiam adieciſti, quomodo exercitum conficere, ducere, alere, tueri, ſubleuare quum premitur: quomodo hoſtem ludere, in fraudem impellere, & vel clàm vel vi atq; impreſſione euertere: quid hoſti credere, quid non confidere: quid amicis, quid inimicis, quid ambobus præſtare conueniat: quid loco, quid commodè, quid intempeſtiuè & incommodè fiat: & in his omnibus, ne à virtute & recta conſcientia tranſuerſum vnguem, priuato aut affectu & odio, aut commodo dimouearis: & vt præcipuè ad fidem ſeruandam omni cura atque cogitatione incumbas.

Procop. & Cuſpi. in vita Arcad. & Hon.

Legimus ſuperiori ætate Aetium Romanum, & meminimus noſtra Collignium Gallũ, duo clariſſima Reip. & belli lumina, crudeliter extinctos eſſe, pari quidem vitæ exitu, ſed diſſimili merito: quòd ille contra virtutem ſub amicitiæ ſpecie cum Bonifacio per fraudem agere: hic verò nimiùm fidere non debuiſſet. Neque

Colli-

Collignius, vir religioni & virtuti deditus, recordaretur, odia inueterata nullis
inductus nec iuramentis ita poſſe ex animo exhauriri, aut obliterari, quin quum po-
teſtas vlciſcendi eſſet, in memoriam redirent: præſertim illis, quibus, (vt Lyſander
dicebat) iuramētis vt pueri aſtragalis, ludere non eſt inſolitum. Sicut verò in bella
ita etiam in togam hiſtoria fructus ſuos proſeminauit, neque vllum eſt tempus pa-
cis aut ocij, cui hiſtoria non ſeruiat: ſiue in authoritate aulæ, ſiue in Rep. ſiue domi
in tuis parietibus incluſus, vitam degas: & ſiue te alij, ſiue tu alios in iure & pote-
ſtate poßideas. Nam quum te in Imperio aut publico aut domeſtico Deus colloca-
uit, ſunt in hiſtorijs normæ, ſunt præſcriptiones, ad quas diligentißimè perpendes
momenta omnium conſiliorum: quando aſtringes habenas: quando laxamenta da-
bis: quo modo reges, tum vt in officio cōtineas, tum, ne nimium premas: & ſumma-
tim, vt te amēt, non oderint, quicquid iniquus tradat Machiauelus: aut ſi in odiū In libro de
incurras, quomodo ad beneuolētiam traduces, aut ita conſtringes, ne obeſſe poßint. principe c. 17.
In quibus omnibus hiſtoriæ exemplorum commemoratione ita te inſtruent, vt co-
gites debere tibi proram atque puppim eſſe, defendendæ iuſtitiæ, ſeruandæ fidei, &
fugiendæ crudelitatis. Sin te aliorū poteſtati fortuna ſubiecit, docent hiſtoriæ quod
ſit tuum officium: quas operas, quam fidem in dominum aut Rempublicam impen-
dere, quid omnibus præſtare, quomodo in dominorum gratiam influere, & eorum
offenſiones auertere aut refugere debeas. Et præſertim quum te in aulicam vitam
dedidiſti, diſces ex ijſdem, qualem te ſis omnibus in lubrica illa & perdifficili atq;
incerta vitæ ratione præbiturus: vt ſine magno caſu, aut prolapſione in illa inſiſtas.

Primùm vt virtutem omni ſtudio conſecteris, eum conſcientia optimæ mentis:
deinde vt nihil intermittas, quod domini tui commodo ſine ſcelere fieri poteſt: cu-
ius gratiam tibi optimis quibuſq; rationibus parare & colligere debes: tum vt cum
viris bonis, quos aula habet, firmam & conſtantem amicitiam exerceas, nullo pri-
uato, ſed publico commodo ſuſceptam atque conſtitutam: neque vllum virum bo-
num contra ius & meritum lædas, memor iſtius,

Quod quiſque fecit patitur, autorem ſcelus Sen. in Herc.
Repetit, ſuóque premitur exemplo nocens.

Poſtremò vt non ſolùm multa, quæ tua pietate corrigi non poſſunt, dißimulan-
ter, ſed etiam iniurias interdum, quum res feret, non grauatè patiaris, eámque hi-
laritatem præ te feras, ac ſi beneficio affectus eſſes. Qua de re multæ ſunt in hiſto-
rijs & aliæ artes ſparſæ, multa exempla propoſita, quomodo multa dißimulare, &
rectè, fortiter & prudenter non tantùm improborum laqueos omnibus coloribus
& pigmentis ſuſtinere, ſed etiam ex illis te exuere, & nouas plagas contra aduer-
ſarios texere poßis: & interdum, quum leonina locum non habet, vulpinam (quod
per virtutem fieri poteſt) ſumere, vt eſt Lyſandri literis proditum. Quæ omnia Plut. in Lyſandro.
in hiſtorijs multorum exemplorum appoſitione illuſtrantur, ex quibus perſpici po-
teſt, quid imitari, quod proſperè cecidit, quid prætermittere, quod alijs fuit cala-
mitoſum, expediat.

Neque hoc tantùm in aulam conuenit, ſed in totius ciuilis & humanæ vitæ
curſu homines hiſtorijs à vitijs abſtracti, magis quàm nulla alia re ad colēdam vir-
tutem impelluntur: quum in animos exempla eorum infunduntur, qui vel pro vir-

tute mercedem, vel pro flagitijs pœnam retulerunt: deinde ad omnes caſus optima conſilia ex iiſdem petuntur. Nam quum tria ſint, quæ hominibus & virtutum incitamenta & conſilia ſuppeditant: nos ipſi, quum longo rerum vſu & applicata ad negotia ratione prudentiam collegimus: viri ſenes, quorum videtur ætate & rerum multarum animaduerſione excellentior & perfectior eſſe ſapientia: poſtremò hiſtoria, in qua ſunt omnium diuerſis in locis, temporibus, ſeculis, in vnum collecta, rerum exitu animaduerſæ atque notatæ experientiæ: quum, inquam, iſtis tribus virtutis & optimorum conſiliorum ſemina contineantur, nullum certè eſt hiſtoria expeditius, certius, & ad permouendos hominum lib. 1. *animos efficacius. Quæ ipſi noſtro periculo & iactura vidimus, etſi (vt Polybius ait) plus ponderis habere & maiores in animos impreſſiones facere videntur, tamen nec vnus omnia, nec eodem loco aut tempore obſeruat: nec quiſquam eſt aut ea ætate, aut robore, aut rerum & locorum vſu, vt in ſe omnia periclitari poſſit: aut ea ſtoliditate, vt cupiat. De ſenibus eſt eadem ratio: qui non omnes exitus, vt euenient, animo proſpiciunt, aut coniectura aſſequuntur, neque rerum omnium vſum ſubierunt: neque ſemper impetus animi regunt: Eſt igitur in duobus quidem iſtis aliquid, ſed nequaquam in iſtis ſunt omnia, vt in hiſtoria: in qua nullum eſt periculum, quod ſubeas, non vnius, ſed omnium penè rerum exitus: omnium hominum prudentia: non illa incerta aut coniecturis ſubnixa, ſed alienis mille periculis conteſtata, & firmata prudentiſſimorum hominum delectu: in qua, paucis impenſis, nullis laboribus, nullo periculo aſſequi potes, quod olim Lycurgus, Solon, Vlyſſes & alij magna contentione & longis itineribus elaborarunt vt conſequerentur. Adeò illuſtris & præclara res eſt hiſtoria, quæ tantos in humanam vitam fructus infundit, neque vllum hominum genus aut officium præterit, cui non iucundiſſimam vtilitatem impertiat: ſiue ſint religione & Dei cultu, ſiue huius vitæ negotiis diſtenti: ſiue militiam, ſiue quietam in pace & ocio vitam conſectentur: ſiue in aulis vel rebuſpublic. vel domeſticarum rerum tractatione aut imperent, aut pareant: ſiue in affectam ætatem ingreſſi ſint.*

Nam & pueris fructum afferre videtur hiſtoria, non quidem quum ipſi legunt: (quod per ætatem non poſſunt) ſed quum hiſtoriæ lumen præferunt, & ſuperioris ætatis exempla parentibus præmonſtrant, quantum curæ & ſtudij maiores noſtri poſuerunt in deligendis præceptoribus, in quorum diſciplinam liberos traderent. Eſt enim ab omni hominum memoria ad nos ducta conſuetudo, vt principum & magnorum hominum liberi magna cura atque diligentia in optimorum manu educarentur ſummarum artium nutrimentis, non ſub centauris, vt De principe cap. 8. *Machiauelus turpiter mentitur: Sic Alexander Ariſtoteli, Pericles Anaxagoræ, Dion Syracuſius Platoni, Ageſilaus Xenophonti, M. Aurel. Ant. Frontoni, Theod. Imperator Arſenio, Gratianus Cæſar Auſonio, Traianus Plutarcho & alij aliis grauiſſimis & ſanctiſſimis viris fuerunt in inſtitutionem traditi & commendati, vt à pueritia ſtatim ad virtutem erudirentur: quæ poſtea* Plut. in Alex. & in Orat. de fort. & virt. Alex. *cum ætate ad vitam honeſtiſſimè agendam adoleſceret. Quid iſthæc inſtitutio commodi pepererit, Alexander præclarum ſpecimen de ſeſe puer dedit: qui quum*

oratores

oratores regis Perſarum abſente patre hoſpitio accepiſſet, quum ad varios ſermones delapſi eſſent, nihil vnquam puerile de hortis penſilibus aut aureo arbuſto, ſed omnia magna percunctatus eſſe dicitur, quo loco eorum Imperium, quantis copiis inſtructum eſſet: quid Rex, quem in acie locum caperet: quo itinere ad eos breuiſſimè iretur: vt hoſpites pueri ſermone perculſi, exclamarent, Perſarum quidem regem opulentum, ſed hunc puerum eſſe magnum regem. Quod quum hodie adhuc parentes legent, niſi eos beluina barbaries aut iniquiſſimi Machiaueli diſciplina occupauit, fieri non poteſt, quin etiam ad primam ætatem inſignis vtilitas redundet ex hiſtoriis.

Vtinam autem multi legerent, non tantùm plebeij ſed principes & reges: & veterum veſtigia hiſtoriis cognoſcendis perſequerentur. Sicut Scipio Africanus, ſine Inſtitutione Cyri, quam Xenophon literis mandauit, nunquam fuit: Alexander Magnus ſine Homero ſomnum non cepit: quòd ille Cyri, hic Achillis exemplum frequenti imitatione in ſe transferre conniteretur. Alcibiades ludimagiſtro, quòd Homeri Iliadam non haberet, colaphum impegit, quòd illius exiſtimatione ſine hiſtoriis nemo eruditus eſſet. Iulius Cæſar, quum res ab Alexandro præclare præſtitas legiſſet, collachrymaſſe dicitur, quòd ea ætate, qua Alexander in ſuam ditionem totum terrarum orbem ſubiunxerat, nihil ipſe præſtitiſſet: tanta vis eſt hiſtoriæ in animis hominum promouendis. Imperator Pub. Ant. Tacit. Hiſtoricum Tacitum patrem nominauit, & tanto fuit amore & veneratione complexus, vt libros illius in omnibus bibliothecis collocari iuberet: & certis hominibus daret negotium deſcribendi eos decies in ſingulos annos: ne aliquando (vt accidit) excellentis hiſtorici monimenta à luce & vſu hominum peregrinarentur. Carolus Quintus nunquam in viam aut quietem ſeſe dedit, ſine Comminæo, authore certè ad aulica negotia & ſtrategemata cognoſcenda perneceſſario: licet apud multos in proditionis ſuſpicionem vocetur. Poſſem multos alios commemorare, qui quum eſſent in celſiſſima dignitatis ſede poſiti, ſtudium ſuum ad hiſtorias conuerterunt. Poſſem etiam hiſtoriæ laudes pluribus verbis & argumentis perſequi: niſi (vt ab initio dixi) tum ab aliis præclarè factum eſſet: tum ita liquido conſtaret, vt laus omnis in clariſſima hiſtoriæ luce ſuperuacanea eſſe videatur. Quid enim verborum laudatione opus eſt ad eam rem, qua nullum ſtudium, nullum negotium, nullum officium, nulla hominum conditio, nulla ætas, nulla dignitas vacare poteſt? quæ in ocio ſuauitatem, in negotio commodum præſtat? quæ animos ad virtutem impellit, à flagitiis abducit? quæ nobis maiorum, & noſtram poſteris memoriam cuſtodit atque retinet? & breuiter, ſine qua nemo vnquam magnus in communi vita extitit? Nolo igitur de re clariſſima pluribus verbis diſſerere: ſed me ad meum munus penſumque reuocabo, & (quod initiò promiſi) exponam de noſtro authore, quid in hiſtoriis præſtiterit: & cur eum dignum iudicauerim, vt de nouo typis Wecheli induſtria & diligentia excellentis Typographi (quod ante triennium Pariſiis cum illo egi) in publicum proferrem.

Plut. in Alex. — Plut. in Alcib. — Plut. in apoph. — Cuſpin. in eius vita. — Parad. in Annal. Burg. lib. 3. — Meyer. lib. 17. — Oliuier de la marche lib. 2.

Quum ſit hiſtoria tantus tamq; excellens theſaurus, non arbitror eſſe aliquem qui dubitet, quin & omnes ſumptus, qui in hiſtoriis ponuntur, optimè ſint collocati: & illi præcipuè, qui conſeruandis authoribus tribuuntur, quorum laboribus & mo-

nimentis conſignatæ hiſtoriæ ad nos peruenerunt: præſertim quum patriã, aut ali-
as res magnas, ſuis literis illuſtrarunt, & ita poſteris prodiderunt vt ne vnquam re-
rum narrationes, aut ſuis affectibus infuſcarent, aut obruerent commentitiis fabu-
lis. Quod idem ſe CrantZius noſter præſtitiſſe videatur, nemo fortaßis quæret, cur
interſit eius libros in hominum memoria retineri. Videtur autem ad illud de Cran-
tZio cognoſcendum, duplex poſita eſſe via: vna, quum illius hiſtoriæ cum aliis, quæ
de eadem re ſunt editæ, conferuntur & iudicantur: altera, quum animaduertimus
qualem ſe quiſque in vita exhibuerit, quod deinde ad rerum etiam aliarum iudi-
cium transferimus & applicamus. Sunt enim in cuiuſque vita notæ quædam im-
preſſæ, atque inſcriptæ, teſtes interni animi, quibus ducimur ad ea intelligenda,
quæ intus latent. Etſi igitur Crantzius vtroque modo dignitatẽ ſuam & exiſti-
mationẽ defendit: tamẽ quum accidere non poßit, vt hoc loco omnes eius hiſtoriæ
excutiantur, & ad alios ſcriptores iudicẽtur, & nos id prolixè diligenterq́; ſimus
præſtituri in noſtro ἐλεγκτικῷ ſcripto, quod in CrantZium & alios Saxonicarum
rerum ſcriptores præ manibus habemus: viſum eſt in poſteriorem viam ingredi, &
breuiſſimè tanquã in tabula, ante oculos proponere, qualem ſeſe in tota vita præ-
buerit: quibus ſtudijs, moribus, occupationibus ætatem traduxerit: vt coniectu-
ram inde capiant, quid à tali viro expectent.

Natus eſt CrantZius Hamburgæ, Germaniæ maritima vrbe, vbi primùm li-
beraliter ad ſtudia humanitatis inſtitutus, quum deinde multas prouincias propter
literas peragraſſet, tantam eruditionem eſt aſſecutus, quantam homini in ea ætate
ingenium & diligentia afferre potuit: qua non ſolùm in hominũ exiſtimationem
dimanauit, ſed etiam circa annum 1490. ad gradũ Doctoris in Theologia & Ca-
nonicis ſcriptis euectus eſt. Domum reuerſus, quum vitã Deo & patriæ dicaſſet,
primùm decreta eſt illi in collegio publica ſacrarum literarum interpretatio: dein-
de in Decanum Eccleſiæ, communi omnium voluntate deligitur. In quo officio ita
ſe geßit, vt viuens ſeipſum honeſtißimæ vitæ regulam atque normam exhiberet,
mortuus ingens deſiderium relinqueret: vt ex publico monumẽto videre eſt, quod
in ſummi templi cœmiterio collegæ poſuerunt, quo eum ſpectabilem, egregium, exi-
mium, facundißimum, doctißimum, morum ac virtutum ſpecimen & exemplar,
patriæ decus nominant, & alijs plurimis teſtimonijs cohoneſtant. Applicauit ani-
mum primùm ad Theologiam, cui ſe totum conſecrauit: deinde ad hiſtoriarum ſtu-
dia: quæ quum omnia, magna aßiduitate euoluiſſet, & intelligeret Septentriona-
lium regionũ hiſtorias aut planè abeſſe à literis Latinis, aut particulatim ita com-
memorari, vt nec caput nec pedes haberent: cœpit in eam rem quanta animi con-
tentione potuit, diligenter aßidueq́; incumbere, vt ex tenebris obſcuritatis patri-
am & vicinas ditiones ereptas in lucem reſtitueret, & reges, principes, duces, reſq́;
præſtitas immortali memoria celebraret. Itaq; quum totam oram maritimam &
inſulas vicinas, partim ipſe perluſtraſſet, partim ex locis quæ adire nõ potuit, ſubſi-
dia collegiſſet: contulit omnia in vnum, quicquid in publicis monimentis, ſcriptis,
literis, priuilegijs, libris, diplomatis, annalibus eccleſiarũ, regum & vrbium erat:
quod poſtea magno iudicio in ordinẽ redigebat, & diuerſis libris explicabat. Nam
quod exiſtimaret, orituram confuſionem, ſi res de religione & ciuilibus negotijs ſuſ-

ceptas

ceptas: deinde omnia quæ diuerſis locis acta geſtáque eſſent, vno in libro commiſceret, totam hiſtoriam ita partitus eſt, vt religionis hiſtoriam vt plurimùm peculiariter traderet: reliqua omnia in tres alios libros diſtribueret.

Et in religionis quidem hiſtoria, egit de duodecim Saxoniæ epiſcopis: quando, & quorum principum aut hominũ adiumento cœpiſſent, vbi ſacerdotia ſua tenuiſſent, quomodo ad ſplendorem creuiſſent, quid præclarè eſſet ab illis perfectum. Et librum qui iſta complecteretur, voluit Metropolim inſcribi à patria ſua Hamburga, quæ olim eius ditionis in religione, Metropolitana fuiſſet. Ciuilia in libris tribus, Saxonia, Wandalia & Dania docuit: & in his Wandalos, Saxones, Danos, Suecos, Gothos, Wiſigothos, Oſtrogothos, Noruagos (etſi obſtrepere videtur Goropius) Normannos, Longobardos, Roxanos, Roxilanos, Roxos ſiue Ruſſos, Sauromatas ſiue Sarmatas, Moſchos, Liuones, Letuanos, Pruſſos, Polonos, Bohœmos, Marcomannos, Herulos, Eheldos, Lẽbuſos, Stoderanos, Winulos, Tolenzos, Rhetarios, Wilſos, Lutitios, Circipanos, Kiſsinos, Recipanos, Lingones, Wernauos, Obotritos, Polabos, Wagrienſes, Ranos ſiue Rugianos, Pomeranos, Dalmatas, Hiſtrios &c. aliorúmque populorum, gentium, regum, principum, ducum, & familiarum origines, migrationes, res geſtas, virtutes, vitia, cõſilia, ſtrategemata, confectiones præliorum, opportunitates locorum, temporum viciſsitudines, facta dictáque excellentium virorum, regionum, montium, ciuitatum ſitus, naturam, aërem, fluminum curſus, maris ſinus ac portus: qui homines, quæ ingenia, qui mores, gentium aliarum vicinitates, ciuitates, gubernacula, ciues, diſciplinas, leges, obſidiones, oppugnationes, caſtra, caſtrorum formas: prælia bellorumq́; euentus: non quidem omnia de omnibus, ſed quædam diligentius, quædam vt inter ſcribendum occurrebant: omnia tamen tanta fide, diligentia & induſtria deſcripſit, vt poſteris nihil feciſſe reliquum videri poſsit. In quo eum etiam adiuuit optimorum librorum copia, quibus tum adhuc monaſteria abundabant: nunc quum illa euerſa ſunt, metuo ne res etiam libraria poſt aliquot annos magnam ſit paſſura iacturam.

In Gotho Danica.

Optimi enim libri hactenus in monaſteriis tanquam in tuto & tranquillo portu conquieuerunt. Inde eiecti, cùm nullum receptum aut perfugium habeant, quid aliud minantur, niſi omnium doctrinarũ & artium exilium? Quantò rectius viri principes, qui veterem religionẽ, à Pontificiis deformatam correxerunt, aut monaſteria religioni & ſcholis integra reliquiſſent, aut poſtquam illa diſiecerunt, veteres bibliothecas in alium locum tranſpoſuiſſent, & de cœnobiorũ impenſis quotannis auxiſſent? Fuit ea res olim imperatoribus & regibus non ſolùm curæ, ſed etiam ſingulari voluptati: vt & publicæ bibliothecæ conſtitutæ, & ædem libris optimis refertæ eſſent. Imp. Vlp. Traianus bibliothecã regiis impẽſis, magnifico apparatu, inſtruxit, & de ſuo nomine Vlpiam appellari voluit: in qua Senatuſcõſulta deſcripta, elephantinis libris, geſta principum, linteis conſeruabantur. Eumenes Attali filius, magnis ſumptibus, ſupra ducenta millia librorum & conquiri & in hœdinas pelles deſcribi iuſsit: vnde Pergamenis à loco nomen conſtitutum fuit: Alexandrina bibliotheca ſeptingenta millia librorũ: Sammonici Sereni, cuius Gordianum iuniorem diſcipulũ teſtamento hæredem ſcripſit, ſexaginta & duo millia: Cæſarienſis triginta & duo millia: Conſtantinopolitana centum & viginti millia

Volater. lib. 23 anthrop.
Fla. Vop. in vita D. Aureliani.
Alex. ab Alex. lib. 2. c. 30.
Ant. Marcel. lib. 22.
Iul. Cap. in vita Gord.
Zonaras Annal. tom. 3. in vita Baſilii.

cotinuit: vt nihil dicam de Antiochena, Hipponenſi, & alijs, quæ omnes maximo omnium literarũ damno interierunt. Hodie paucæ ſunt reſiduæ: Vaticana Romæ, Marciana Venetijs, Regia Pariſiis ad S. Victorem, & in arce Fontaine belleau, *Florentina, Fuldẽſis, Erphordienſis, Viennenſis, & noua celeberrima (quæ omnes doctos ad præclaram ſpem erexit) Bauarica Monaci: quæ partim tenues veterum librorum reliquias ad nos propagauerunt: partim, quod hoc tempore reſiduum fuit, in vnum colligunt, & poſteris ad ſempiternam gloriam vtilitatémque ſeruant. His igitur & alijs (nam tum plures erant) præcipuè autem vetuſtiſſimo libro, qui tempore Henrici 4. ad Liemarum archiepiſcopum Hamburgenſem ante annos 400. ſcriptus fuit, & Hãburgi adhuc hodie reſeruatur, adiutus Crantzius ſcripſit illos libros, quos ſuprà quid continerent, diximus: magna diligentia, incredibili fide, excellenti induſtria: quibus & patriam & Germaniam ornauit, & totum orbem terrarum recreauit iucunditate & cognitione illarum rerum, quæ nullis vnquam literis illuſtratæ fuerunt.*

Porrò ſicut Crantzius noſter Theologiæ ſtudium cum hiſtorijs coniunxit, & in vtroque diligentem aſſiduamq; operam collocauit: ſic etiam quotidie dedit operam, vt & animi religionem & hiſtoriarum exempla honeſtiſſimis actionibus exprimeret, & vitam ſanctiſſimã ageret. Cuius rei & ipſe in omnibus libris multa præclara indicia ſparſit, & alij poſt obitũ eius honorifica teſtimonia dederũt. Nec ſeipſum tantùm à vitijs abſtraxit: ſed quòd ſemel omnibus ſceleribus bellũ indixiſſet, & ſciret ſui muneris eſſe, vt etiam alios ad frugem reuocaret: nihil in libris, nihil viua voce prætermiſit, quod in illo fuit, quin omnes ſtatus & officij cõmoneret, & non ſolùm ab errorib. religionis, ſed etiã à communis vitæ flagitijs dehortaretur. In Sax. lib. 2. cap. 32. & lib. 11. cap. 35. Wandal. lib. 8. c. 2. & lib. 13. cap. 5. Metrop. lib. 1. cap. 24. & lib. 8. cap. 12. *Itaque à Pontifice exorſus, cœpit in eo & omnibus, qui ſunt religioni dediti & conſecrati, impuras libidines, ſuperbiam, luxum & impudentiam execrari: deinde etiam, vt erat acutiſſimo & religioſo animo, quum vidiſſet magnam partem de Dei cultu ſuperſtitionibus obligatam & conſtrictam eſſe, & veterem veram religionem in tenebras incidiſſe, publicè Romam & eius pontificem, vt authores huius mali criminabatur, & optabat vt de toto religionis & vitæ eorum negotio per concilium cognoſceretur. Dolebat ſanctiſſimo viro non ſolùm vitam eorum, quibus religionis confeſſio mandata erat, nefarijs ſceleribus inquinari, ſed ſerpere etiam in religionem maximos errores. Ideo de illis euertendis plurimùm laborabat: Sed quod tandem videret papæ authoritatem, quouſque proceſſiſſet, & diffideret, ne vnus homo tanto negotio par eſſet, de ſeipſo ſpem abiecit, & optauit, vt omnes docti viri coniunctis ſtudijs papam in ordinem redigerent. Idem dixit, quum paulò ante mortem, infirmus, Lutheri propoſitiones de indulgentijs vidiſſet, Lutherum in bonam cauſam ingreſſum eſſe, ſed vnius homuncionis vires nihil valere ad tantam pontificis potentiam infringendam, quæ nimiùm inualuiſſet. Et lectis & approbatis propoſitionibus Lutheri, exclamaſſe fertur,* Frater, frater abi in cellam, & dic, Miſerere mei Deus.

Sax. lib. 11. cap. 1. Wand. lib. 8. c. 43. & lib. 12. cap. 26. *Nec ſolùm Eccleſiæ vitia, ſed etiam Imperij redarguit. Vt nihil dicam de alijs, Ludouicum Bauarum, quòd vili nimis pretio accepto, ciuitatibus potentiſſimis Italiæ libertatẽ vendidiſſet: & Carolum IIII. Imperatorem, quòd publica vectigalia,*

galia, quibus Rom. Imperium florebat, turpi exemplo, magna communis rei iactura, tantùm extollendi ad dignitatem imperatoriam filij Wenceſlai ignauiſſimi cauſa, in electores abalienaſſet, imperioque eorum recipiendorum omnem ſpem præcidiſſet, liberè inſectatur: quaſi aquilam plumis, quæ pauca erãt reſiduæ, planè diſpoliaſſet. In publicis comitijs multa vituperat: quod paucas horas in magnis & neceſſarijs rebus collocent: reliquum tempus (quod erat grauiſſimis conſilijs impertiendum) inutiliter conuiuijs ferè traducant: & res de quibus coiuerant, quaſi tum nullum vacuum tempus negotia ſuppeditaſſent, in alium annum reijciant, nouáque ex veteribus comitia proſeminẽt. Viros equeſtri familia natos diuerſis locis monuit, quid ſit eorum officij atque muneris, quid ab illis expectetur: & auocat à ſceleribus ad virtutis ſtudium. Et quia intelligebat, partim luxuria, partim deſidia in eiuſmodi vitia delapſos eſſe, quòd vel luxuria & incredibili opum effuſione (quaſi ad teſtandam nobilitatem attineret) diffluerent, vel nullis negotiis diſtinerentur: primùm ad frugalitatem, quæ (teſte Cicerone) três virtutes, fortitudinẽ, iuſtitiam & prudentiam complexa eſt, reuocat: deinde ad res agendas ſuſcipiendáque negotia cohortatur. Quòd verò patria lege Wandalorum temere niterentur, quæ iubet, id quod noctu furatus fueris, manè in hoſpites effundere, quaſi honeſtum eſſet furtis operam dare: docet in Euangelio longè aliam legem traditam eſſe, Ne furtum facias: quæ & ſit à legum omnium authore Deo profecta, & ex natura ducta, & plus valeat ad humanæ vitæ tranquillitatem. Wand. lib. 11 cap. 7. Wand. lib. 2. ca. 7. lib. 4. Tuſc. quæſt. 3. Wand. lib. 4. cap. 13.

Atque vtinam hæc Crantzij admonitio ad multorum etiam hodie aures perueniat, qui virtutem inuerſo ordine, non in factis, ſed opinione, quam de nobilitatis propagatione animis imprudenter comprehenderunt, conſiſtere ſomniant. Ita enim ſplendorem familiæ, non ſemine maiorum, ſed virtute propria penderent, & dignos ſe præberent familia, ex qua naſcendi initium habuerunt, & locum ſuum maiori dignitate atque ſplendore tutarentur. Alioquin qui omnem gloriam in maiorum opinione collocant, neque ad res illuſtres aut vitæ honeſtatem (quibus primùm parta eſt nobilitas) animum appellunt, quid Senecæ reſpondebunt? apud quem Lycius non dubitat eloqui,

Non vetera patriæ iura poſſideo, domus In Herc. fur.
Ignauus hæres: nobiles non ſunt mihi
Aui, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara virtus. Qui genus iactat ſuum,
Aliena iactat.--

Quid Homero? quum dicit,

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται, Odyſſ. 2.
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Quid Plutarcho? quum ait à venatoribus ſingulari ſtudio elaborari, non vt natos ex generoſis, ſed vt generoſos canes habeant? Quid Lycurgo clariſſimo & vetuſtate & prudentiâ legiſlatori? quem ferunt catulos duos, vnum ex domeſticis, alterũ ex venaticis, diuerſis parentib. ſuſceptos, eduxiſſe, atque hunc domi relictum gulæ aſſueſeciſſe, alterum ſecum trahens ad venationem exercuiſſe: indéque produxiſſe eos in concionem; & poſitis ſpinis piſcium & gulæ irritamentis, emiſiſſe ſi- Quem citat Hotomann. in Francogall. cap. 6. Plut. in apoph.

mul leporem. Vbi quum vterque conſueta petiſſet, & cepiſſet alter lepor ē, ſubieciſſetq; oculis, quantum diſciplina ad meliora vel deteriora valeret, exclamaſſe, Nec nobis igitur, ciues, natalium apud vulgus celebrata claritas, nec quòd ſtirps Herculis ſumus, proderit, niſi ſectemur ea, quib. mortalium omnium ille nobiliſſimus & perfectiſſimus euaſit: & per omnem vitam honeſta & diſcamus & exerceamus: quaſi Lycurgo non naſcendi modus, ſed expreſſio virtutum, quibus veteres præluxerunt, nobilitatem aleret.

Sunt (fateor) in nobilitate multa præclara, animi excellentis magnitudo & præſtantia, iuſtitiæ ſingularis amor, ſuſcepta à natura in dominos conſtans beneuolentia, teſtata, quum opus eſt, ſanguinis effuſione: voluntas ab omni aſſentatione aliena. Quarum rerum ſemina à parentibus in illos ſparſa, ſi omnes excolerent & ad frugem efferrent, quid aut illis eſſe illuſtrius, aut Reip. fructuoſius accidere poſſet? His rebus veteres florebant, à quib. illi initium acceperunt familiæ: quum non inertia aut luxu, ſed equeſtribus ſtudijs, armorum tractatione, & iuſtis legibus homines exercerentur: & ita inoleuiſſet conſuetudo, vt nouus quiſque ex delectu Germaniæ ad pacis & belli tempora, in vrbe ſanctiſſimè erudiretur: reliqui octo, qui domi erant, impenſas & ſumptus ſuppeditarent. Quum via eo modo conſtituta & ad virtutem munita eſſet in Germania, prodibant quotidie tanquam ex equo Troiano, veteres illi heroes, ſumma prudētia, multa liberali doctrina, belli gerendi ſcientia, conſilio & virtute præſtantiſſimi homines, ordinis equeſtris authores, qui in toga, virtute rempub. conſilijs ſuis ornabant: in armis, fortiſſimo præſtantiſſimoq; animo & belli ducendi intelligentia enitebant. Nec inficiari poſſum, quin tum nomen Germaniæ ad maiorem gloriam & dignitatē floreſceret, & plus eſſet iuſtitiæ & authoritatis in aulis, & Repub. quàm quum rerum poteſtas, vel illis qui ſola pecuniarum copia, nulla generis vel virtutis vmbra, nobilitatis ſplendorem affectant, vel aliis aulicis aſſentatoribus, viris non bonis fuit tradita.

Sub Henrico I. circa annum Domini 930.

Nec à principum conſiliarijs deinde Crantzius abſtinere potuit, ne cuiuſquam gratiam conſectatus eſſe videretur. De quibus multa queritur: quòd ſuas rationes publicis commodis anteponant, lites inter principes ferant, ius in omnes partes, in quas commodum eſt, inflectant. Vtinam verò noſtra ætate iſta immania vitia non latius fuiſſent diffuſa & amplificata. Videmus enim multos infectos aulico fumo, quos non tantùm ſuperioris turpitudinis non piget, ſed præterea immoderatos animi affectus nimium laxant: & pernicioſè ſibi imperāt, omnia aſſentari ad principum non voluntatem modò, ſed etiam vultum & nutum: nihil eloqui, quod ſit è re aut dignitate imperij: cuiuſcunq; rei ſermo inciderit, aut ſi de iure quæritur, hiſtorias & leges præter rem adducunt, & ad dominorum ſenſum interpretantur: aut quum pugnant, pigmento & fuco molliunt: & quærunt cibum ex flamma, id eſt, iniuſtis rebus ementita iuris ſubſidia. Sicut noſtro ſeculo quidā non dubitauit contra omnem pudorē profiteri, iure eſſe conſtitutum, vt princeps indicta cauſa, quum illi commodum eſſet, occupandi & abalienādi ſubditorum poſſeſſiones poteſtatem haberet: neque dixit tantùm impudentiſſimus homo, ſed etiā in publicis monimentis diſſipauit, & omnes qui diſſentirent, mendaciſſimè auſus eſt mendacij arguere. Quid quod alium hiſtoricum aſſentatorem nuper non puduit, publico libro ante

Wandal. lib. 11. cap. 40.

Cominæus lib. 3. Angel. l. itē ſi verberatum §. j. ff. de rei vend. & in l. 3. §. ſi is pro quo. ff. quod quiſq; iur. & in l. 2. C. de quadr. præſcrip. Bal. l. reſcripta 7. n. 13. C. de pc. imp. off. Dec. cōſ. 191. n. 2. cōſ. 198. n. 4. cōſ. 262 n. 12. conſil. 269. n. 7.

omnium

omnium oculos propoſito, ſpargere, regna poſteris neceſſariò legẽ & iure ſucceßio- «
nis non deberi: ne prodeſſe, quòd maiorũ virtute acquiſita primùm, & ab ijſdem «
longa annorum ſerie poſſeſſa ſint atque adminiſtrata: nec fas eſſe, vt quum adem- «
pta fuerunt, bello repetantur. Cauſam eſſe, quòd Deus non ſolùm de gente in gen- «
tem, ſed & de ſtirpe in ſtirpem, regna transferat, propter peccata hominũ, & alias «
cauſas: quibus aliter videatur, nulla cauſa, ſed meris ſomnijs impelli. Siccine igitur «
ſpoliationum & vexationum culpam nõn laudare modò, ſed & impiè defendere,
& in fata conijcere impunè licet? Eiuſmodi viris ferè confertæ ſunt nunc aulæ:
qui quum ſunt ſemel aſperſi aulica fuligine, nullo pudore aut verecundia in officio
continentur, quin omnes voces in dominorum nutum emittant, neque aut ius aut
fidem reſpiciant. Probos verò excipio: in quos nullum aulæ contagium ſerpere po-
teſt, quin liberè, quod verum & iuſtum eſt, ſine aſſentatione pronuncient, & ta-
les ſeſe gerant, vt nihil à probi viri officio alienum feciſſe videantur. Qualis olim
Papinianus erat: & quales adhuc hodie tum alibi, tum in aulis reperiuntur ad
quos Crantzij reprehenſio nihil attinet. Poſtremò etiam plebeijs ſingulis, quid eos
facere conueniret, præſcripſit, & viua voce tradidit: totusq; in hoc vnum reſpe-
xit, vt quiſque officio, cui illum Deus præfeciſſet, ſatisfaceret.

Sic igitur non ſolùm libris ſcribendis, ſed etiam vitæ honeſtate, & commonen-
dis obiurgandisq; alijs ætatem ſuam traduxit, vt viciſſim omnem reprehenſionem
eouſque effugerit. Nam quòd quædã minuta in libris eius noui ſuperſtitioſi homi-
nes cauillantur, neq; ratione faciunt, nec ſi vincerent, poſſent vllã labem laudatiſ-
ſimæ exiſtimationi Crantzij aſpergere. Primùm vellẽt plus eſſe in illius verbis or-
namẽti & elegãtiæ. Sed facilè occurritur, de Crantzij ſermone nihil habere quod
querantur, qui omnia verbis Latinis mediocriter puris expreſſerit: quòd nõ maio-
rem eloquentiam ad hiſtoriam attulerit, partim per illius temporis culpam ſtetiſſe,
partim quòd ipſi Crantzio ad conſilium, quod habebat, eloquentiæ nihil opus eſſe
videretur, qui non ad voluptatem auriũ, ſed ad veritatem & poſteritatis memo-
riã ſcriberet. Recitat Cicero, quàm exiliter & nudè res Latinas primi authores,
ſine omni verborum exornatione deſcripſerint: quod quum illis honeſtum eſſet, non
video cur Crantzio probro eſſe debeat. Eſt in hiſtoria illud inſitum, vt quouis mo- In præfat. Rom. hiſt.
do ſcripta (vt Pomp. Lætus ait) delectationem pariat, & lectorẽ plus rebus quàm
verborum illecebris afficiat. Si igitur eloquentiam in authore noſtro deſideras, fe-
cit exemplo veterum Romanorum: fecit in ea re, quæ in vera narratione, non in
ornamentis eſt poſita: in qua ſatis eſt, vt intelligatur quod dicitur. Si plus vrgeas,
dicam latiniſsimũ videri, ſi ad alios reſpicias, qui eodem tempore de hiſtorijs edi-
derunt. Spectauit hoc vnum, vt res ab hominũ cognitione & luce remotas verbis
Latinis & perſpicuis non illuſtraret, ſed, vt eſſent, ita percenſeret: quod in hiſtorijs
ſummis laudibus efferri debet: & idem ſi hodie fieret, melius conſuleretur poſteri-
tati. Nam quæ nunc ferè hiſtoriæ ſcribuntur, ſunt illæ quidem optimis verbis ad Peucerus in præf. Carion.
elegantiam ſcriptæ, ſed ita affectibus deformatæ, ita mendacijs aſperſæ. vt autho-
res (exemplo ſit Surius, quem alij Scurram dicunt) melius operam collocaſſent, ſi
ſine verborum luminibus res tractaſſent: ſicut olim Monachi fecerunt: quibus il-
lud vnum ſtudio atque curæ erat, vt res veras ſine ornatu poſteris relinquerent.

Deinde aliud obijciunt, non fuiſſe theologi, rerũ in regnis & bellis geſtarum hiſtoriam ſcribere, à quibus abfuerit, & quarum (vt à mundo abiunctus) videtur non magna intelligentia fuiſſe præditus. Verum illud quidem eſſet de rebus quæ illo viuo accidiſſent: & ſi politici (ad quos ſpectare videbatur) officium facerent, neque plus ſtudij quærendis opibus, quàm ſcribẽdis hiſtorijs tribuiſſent. Sed quum illi ab officio diſcedant, cur propter tot rerum geſtarũ iucundiſsimam memoriam, non etiam theologo haberemus gratias? De alijs, quæ ante ætatem Crantzij contigerunt, non intelligo, quid colligendis alienis hiſtorijs, plus politicus erudito theologo præſtitiſſet. Quòd poſtremò de gentium originibus Crantzium accuſarunt, quaſi non ſemper ſcopum ad quem cõtendebat, attigerit: id verò mihi perexiguum crimen eſſe videtur. Primùm, ſunt in veterum libris de ea re ita tenues cõiecturæ, non expreſſæ, ſed adumbratæ, vt meo iudicio, plurimùm deſipiat, qui ſibi in Germaniæ populis certam originum ſcientiam arrogat. Deinde ſunt origines perpetuis peregrinationibus, coloniarum multitudine & frequentia, bellis, incurſionibus, Germanorum ſcriptorum inopia & negligentia, ita confuſæ & implicatæ, vt vix eſſe credam, qui vlli Germaniæ genti poſsit perſpicuam lucem afferre.

Tentarunt noſtra ætate rem grauiſſimã maximis difficultatibus obſtructam, Rhenanus, Althamerus, Wilichius, Philippus & ex eo Peucerus, Beccanus, Lazius, Frenicus, Celtes, Peutingerus, Birkheymerus, & alij plurimi præſtãtiſsimi veterum geographorũ & hiſtoricorum doctrina homines: quid ſint aſſecuti, iudicent alij: certũ eſt abijſſe in tot opiniones & coniecturas, quot authores ſcripſerunt. Et qui aliter accidere poſſet in tanta veterum ſcriptorum varietate & corruptela, ex quibus illi coniecturas traxerunt? Scripſit Cæſar, Strabo, Plinius, Ptolemæus, Tacitus & alij: quiſq; vt tum erat cõſtituta Germania, quum ille vitam duceret. Quòd igitur alij in alia loca cõmigraſſent, neceſſe fuit, in populis collocandis naſci varietatem atq; diſſenſionẽ. Deinde nemo eorũ qui res noſtras ante D CCC. annos literis conſignarunt, vniuerſam Germaniam aut ipſe obiuit, aut in aliũ peritum geographicũ incidit, qui obijſſet. Poſtea quum Græci & Latini in nominibus Germanorum, verborũ ſonos imitari non poſſent, perſpicuum eſt, quomodo omnia vocabula peruerterint, quæ ſono vicina erant, confuderint, diſtincta coniunxerint, connexa in diuerſas partes diſtraxerint. Et poſtremò in illas ipſas deprauatas locorum & gentiũ traditiones, nouæ corruptelæ irrepſerũt per librariorũ negligentiã: qui quum in peregrinas & duras voces incidiſſent, vel imperitia, vel quòd ad ſuauiorem ſonũ emollire vellent, ex Germanicis parũ abfuit quin Arabica facerent.

Quum igitur gentium illarum origines partim obliuio inobſcurauerit, partim ſcriptorũ & peregrinationũ culpa peruerterit, & tota obſcuriſſimæ rei explicatio in coniecturis conſiſtat: quis Crantzio aut alijs vitio vertet, ſi non ſemper ſcopum, ad quem animũ & diligentiã direxerant, aſſequantur in re obſcura, incerta, difficili, non valde neceſſaria: quæ non poteſt ad tenue elimari, ſed ſatis eſt, ſi cõiecturis probabiliter ad opinionẽ explicetur? Quorſum enim attinet, de re tã leui in viros bene meritos debacchari, & cõtumelioſe de eorũ exiſtimatione decerpere? Thraſonica ſunt vocabula, Fingit, mentitur, cõminiſcitur, toto cœlo errat, turpiter hallucinatur, & ſimilia, indigna viris literatis: nec apta quæ in bonos viros, propter

minu-

minutum errorem iaciantur. Sed ita hodie in conſuetudinem venit, vt putemus, nullã viam eſſe influendi in hominum exiſtimationẽ, quàm ſi eos, qui ante nos ſcripſerunt, conuitijs & verborum aculeis configamus. Horatio non mentitur, ſed quandoque bonus dormitat Homerus: *quòd exemplũ viris doctis ad imitationem propoſitũ eſſe debet. Nihil enim eſt à viro ad humanitatẽ inſtituto alienius, quàm rodere mortuos, vellicare bene meritos, ex fabulis hiſtorias, & ex comœdijs tragœdias texere, & de re exigua, & in qua tum alij, tum ille ipſe qui reprehẽdit, in errore verſantur: quod poſtremum alio loco copiosè probabimus. Deſinant igitur optimũ virum contra meritũ cõuitijs inſectari, ne dum loquuntur quæ volunt, audiãt quæ non volũt. Nobis ſatis ſit, ab eorũ calumnijs vindicaſſe Crantzium, & vniuerſo mundo palàm feciſſe, quãtus vir Crantzius extiterit, quantum cõmodi in humanam vitã inuexerit: quantã lucem ſeptentrionalibus hiſtorijs accenderit, quàm ſanctè vixerit, quàm immeritò ſit à cauillatoribus reprehenſus.*

Quæ quum ita habeant, ſi quis nunc interroget, cur eius libros de nouo iuſſerim in lucem proferri: etſi cauſa eſt in toto ſermonis curſu explicata, neque quiſquam ita rudis eſt, quin intelligat, tamen vt omnibus ſatisfiat, dicam ordine: Primùm quòd hiſtorias contineant. Quum enim hiſtoriæ tot fructus hominibus ſubminiſtrent, videor librum ſatis cõmendaſſe, ſi dicam, de hiſtorijs, id eſt, omnibus totius humani generis commodis ſcriptum eſſe. Deinde quòd illa complectantur, quæ vel à cæteris ſunt intermiſſa, vel fabuloſe peruerſa, vel ſparſim in multis libris diſsipata. Et præterea quòd author omnes leges hiſtoriarum ſanctè obſeruaſſe videatur: de induſtria nihil ſit mentitus, vir & vita & religione & fide grauiſsimus, nec ſolùm nihil mentitus, ſed commentitias etiam fabulas, quibus iſtarum gentium hiſtorias Saxo & alij veteres aſperſerant, reſecuerit: nihil conticuerit, quod ſcire potuit: ſine ſuſpicione gratiæ ſcripſerit, (quam enim gratiam colligeret, quum omnes ſtatus de vitijs obiurget?) ſine etiã ſimultatis ſuſpicione hiſtoriam cõfecerit, quum nullius odij in toto libro vlla ſignificatio extet, niſi iſtius, quod in peccata & errores hominũ habuit. Poſtea quòd magnã partem Germaniæ & Europæ ſine Krantzij lectione in ignoratione & tenebris iacere neceſſe eſſet. Et poſtremò, quòd ſint in illis paſsim acutæ cõcinnæq; ſentẽtiæ magna cum dignitate explicatæ, quib. ſine hiſtoriarũ exẽplis, vita hominis inſtitui & de ſcelerib. ad virtutẽ trãsferri poſſet.

Sic igitur ſpero inſtituti mei rationem omnibus probatum iri, nec futurum aliquem, cui diſpliceat. Sed quia in Crãtzio multa ſunt loca, tum nominibus tum ſitu peregrina atque ignota, viſum mihi fuit, vt omnia certa atque explicata eſſent, quoddam doctiſsimi viri Iacobi Zigleri Bauari ſcriptum de Schondia, Gronlandia, Iſlandia, Hethlandia, Farenſi inſula, Laponia, Norduegia, Suecia, Bothnia Oſtrobothnia, Gothia, & Finlandia, appendicis loco ſubiungere: in quo ſunt loca iſtarum gentiũ & nominata, & ad geographicas rationes dimenſa atq; deſcripta. In quo non ſolùm nihil ab officio alienum, mea opinione feci: ſed gratiam apud ſtudioſum lectorem iniuiſſe videor. Sicut etiam, quòd Dithmarſici belli hiſtoriam appoſui, vt quod in illis locis geſtum & diligentiſsimè deſcriptum eſt: & quia tota ditio nuper in regis Danorum poteſtatem venit,

ETSI *verò (ſicut ſcripſi) in optimã ſpem venio, futurũ, vt nemo vel in autho-*

rem vel in me conuitiis inuadat: tamen quia hodie nihil tam ſanctum aut continuum in lucem exire poteſt, quin in reprehenſionem & hominum procacitatem incurrat: omnino authori & mihi defenſorem parandum eſſe duxi, in cuius patrocinio, tanquam in tranquillo portu conquieſceremus. Ad quam rem illuſtriſsime atque excellentiſsime Princeps domine clementiſsime, quum ad omnes Germaniæ principes animum circumtuliſſem, ſimulac in C.T. incidi, viſa mihi eſt memoriæ tuæ recordatio incredibilem ſtimulum in animum defixiſſe. Memini enim, quum puer eſſes in optimorum præceptorum diſciplinam traditus, ad quantã ſpem omniũ animos erexiſſes: qui ex multis virtutibus, quæ in te clariſsimum lumen emittebãt, diuinabant, in quem virum eſſes euaſurus. Et quidem quum multa præclara viderent, quæ natura in te vberrimè effudiſſet, optimam indolem, ſummum ingenij acumen, mirabilem prudentiã ſimulq́; animaduerterent quantum teipſum ad optimarum artium ſtudia extimulaſſes: non erat difficile, ab Alexandri Magni exemplo (quod natura in te ad viuũ expreſſerat) colligere, qualis eſſes in grandiori ætate futurus, quum illa omnia cum annis adoleuiſſent. Quod nunc iudicium euentu comprobatum eſſe in hac virili tua ætate cernimus: etſi viciſti etiam ſpem, quæ de te expectabatur. Præclarum eſt in viro principe. ſi literas Latinas, ſi initia liberalium artium didicerit. Tu non modò Latinis, ſed Græcis, Italicis & Gallicis es perpolitus & excultus: magnarum autem artium nulla eſt, quam non deguſtaris. Fecit igitur ſuperioris ætatis tuæ memoria, & eorum quæ tum inchoata erant, nunc ad ſummam ætatem creuerunt, admiratio, vt cogitarem, me librum in nullius fidem iuſtius dediturum eſſe, quàm in tuam, qui & pro ampliſsima imperij poteſtate, qua inter principes excellis, tueri me meumq́; authorẽ poſſes: & pro doctrina incredibiliq́; humanitate clementer eſſes facturus. Quam gratiam quum multis ante me tribuiſſes, non metuebã quin mihi in eodem negotio exhiberes: eoq́; magis, quòd liber quem tibi offero, de hiſtorijs ſit ſcriptus: quibus te ſciebam non ſolùm magnopere oblectari (vt nullum ocium tranſmitteres, quod non in illis cognoſcendis collocares, & in eo veteres reges imitareris) ſed etiam elaborare, vt earum fructus & exempla de antiquorum heroum illuſtribus ſtudijs & geſtis in te transferres. Permanauit iam ea fama per Germaniam, vna omnium voce, vno ſermone celebrata, quãtum ſtudium poſt ſummarum artium doctrinam hiſtoriamq́; cognitionem, in vita honeſtiſsimè agenda colloces, teq́; ipſum ad veteres regum & imperatorum imagines in virtute, equeſtribus exercitijs alijsq́; dignis viro principe ſtudijs reuoces. Quod tantam de te expectationem commouit, vt omnium lætitiæ, omniumq́; ſpes de ſalute Germaniæ in te ſint defixæ atque poſitæ. Quò etiam illud non parùm facit, quòd vident te eorum hominum conſuetudine & conſilijs atque officijs in gubernatione vti, qui non tantùm à maioribus illuſtrem laudem & gloriam acceperunt, ſed ipſi etiam virtute, doctrina, prudentia, integritate, fortitudine, bellicisq́; artibus ad immortalem poſteritatis memoriam pepererunt & cumularunt. Quales ex alijs multis ſunt, quos obſeruantiæ & honoris cauſa nomino, illuſtris heros ac dominus Dominus Henricus Comes ac Dominus in Caſtell. Eraſmus à Venningen, Jacobus à Hoheneck, Balthaſarus à Karpffen, Johannes Burkhardus & Johannes Wolfgangus ab Anueill, fratres, aliq́; complures, antiquiſsima

tiquiſſima nobilitate, admirabili doctrina diligentíque ſtudio omnium virtutum excellentes homines: quorum te, vt grauiſſimorum hominum, & conſuetudo oblectat, & conſilia atque officia in regendo populo ſubleuant. Debui igitur etiam iſto nomine tibi tuam fortunam tua virtute partam gratulari: & præterea, quòd nuper in matrimonium tibi Illuſtriſſimam virginem Vrſulam Dorotheam, natam ex antiquiſſima familia marchionum Badenſium, Illuſtriſſimi principis ac domini, Domini Caroli, Marchionis Badenſis, &c. vnicum ſanctiſſimæ pietatis, ſummæ pudicitiæ & præſtantiſſimæ formæ exemplum, copulaſſes: quod diuinitus, admirabili virtutum in ambobus conſenſione, magno vtriuſque ditionis emolumento contractum. quum tibi multi alij gratulaturi eſſent, facere non debui, quin ego etiam ſummiſſimam meam voluntatem libri huius nuncupatione tibi teſtificarer: quum hoc tempore de alijs meis ſtudijs, nihil ita elaboratum eſſet, vt lucem aſpiceret.

Itaque iſtis omnibus nominibus, Illuſtriſſime princeps, & Clementiſſime domine, tibi tuæq; poteſtati authoris Crantzij libros, etſi de peregrinis gentibus ſcriptos, tamen tibi etiam propter animi magnitudinem (qui nullis locorum finibus terminatur) debitos, commendo & conſecro, oróque humillimè vt nos ambos aduerſus omnes calumnias inuidorum clementiſſime in tuam gratiam recipias, & præſertim hanc nuncupationem meæ in te ſummiſſimæ obſeruantiæ & ſeruitutis teſtem eſſe patiaris. Faxit Deus, vt in curſu illarum virtutum, quæ hactenus clariſſimè ex te eluxerunt, cum illuſtriſſima ſponſa, deinde coniuge futura, feliciſſimè longiſſiméque dulciſſima pace & tranquillitate, ſanctiſſima religione, puróque Dei cultu, firmiſſima valetudine, omnibúſque fortunis florere poſſis: donec tandem poſt Neſtoream proſperrimè decurſam exactamque ætatem in cœlum commigres. Ex Mundelsheim. Anno Domini 1575.

T. Illuſtriſſ. Celſitudinis
deditiſſimus,

Iohannes Wolff. I. V. L.
Illuſtriſſimorum Principum Philippi Ludouici Palatini, & Marchionis Caroli Badenſis conſiliarius.

REGVM DANIAE, QVI A KRANTZIO COMMEMORANTVR, SERIE AL-
phabetica enumeratio, ſic tamen, vt ſucceſſionis etiam ordo demonſtretur.

Ord.	Nom.		Lib.	Cap.
85	*Abel*		7	22
50	*Bior*		2	eo.
48	*Broderus*		eo.	17
46	*Buthlus*		eo.	15
94	*Chriſtiernus*		8	27
86	*Chriſtophorus*	*I.*	7	23
89	*Chriſtophorus*	*II.*	eo.	28
93	*Chriſtophorus*	*III.*	8	22
1	*Dan*	*I.*	1	2
20	*Dan*	*II.*	eo.	23
23	*Dan*	*III.*	eo.	26
44	*Emundus*		2	13
34	*Ericus*	*I.*	eo.	2
59	*Ericus*	*II.*	4	12
60	*Ericus*	*III.*	eo.	13
75	*Ericus*	*IIII.*	5	1
77	*Ericus*	*V.*	eo.	14
78	*Ericus*	*VI*	eo.	21
84	*Ericus*	*VI.*	7	21
87	*Ericus*	*VIII.*	eo.	24
88	*Ericus*	*IX.*	eo.	25
92	*Ericus*	*X.*	8	1
16	*Fengo*		1	19
24	*Fridleuus*	*I.*	eo.	27
27	*Fridleuus*	*II.*	eo.	34
9	*Froto*	*I.*	eo.	10
22	*Froto*	*II.*	eo.	25
25	*Froto*	*III.*	eo.	28
28	*Froto*	*IIII.*	eo.	35
32	*Froto*	*V.*	eo.	40
62	*Froto*	*VI.*	4	15
52	*Gormo*	*I.*	2	24
63	*Gormo*	*II.*	4	16
65	*Gormo*	*III.*	eo.	18
53	*Gotoricus*		eo.	2
5	*Gram*		1	6
7	*Gutorinus*		eo.	8
8	*Haddingus*		eo.	9
10	*Haldanus*	*I.*	eo.	13
33	*Haldanus*	*II.*	2	1
40	*Haldanus*	*III.*	eo.	9
31	*Haraldus*	*I.*	1	39
35	*Haraldus*	*II.*	2	2
41	*Haraldus*	*III.*	eo.	10
51	*Haraldus*	*IIII.*	eo.	23
64	*Haraldus*	*V.*	4	17
66	*Haraldus*	*VI.*	eo.	19
73	*Haraldus*	*VII.*	eo.	34
12	*Helgo*		1	15
55	*Henningus*		4	4
42	*Hetha fœmina*		2	11
26	*Hiarni*		1	33
14	*Hotherus*		eo.	17
21	*Hucletus*		eo.	24
2	*Humblus*		eo.	3
47	*Iarmericus*		2	16
29	*Ingellus*		1	37
95	*Ioannes*		8	39
61	*Kanutus*	*I.*	4	14
68	*Kanutus*	*II.*	eo.	25
69	*Kanutus*	*III.*	eo.	30
80	*Kanutus*	*IIII.*	5	36
82	*Kanutus*	*V.*	7	1
70	*Knuto*		4	30
3	*Lotherus*		1	4
71	*Magnus*		4	31
91	*Margareta Waldemari*		7	41
76	*Nicolaus*		5	6
30	*Olauus*	*I.*	1	38
54	*Olauus*	*II.*	4	3
74	*Olauus*	*III.*	eo.	44
43	*Olo*		2	12
57	*Regnerus*		4	6
11	*Roe*		1	14
13	*Rolfo*		eo.	16
15	*Roricus*		eo.	18
4	*Skioldus*		eo.	5
38	*Sigarus*		2	6
37	*Siwaldus*	*I.*	eo.	5
39	*Siwaldus*	*II.*	eo.	7
45	*Siwardus*	*I.*	eo.	14
56	*Siwardus*	*II.*	4	5
58	*Siwardus*	*III.*	eo.	11
49	*Snio*		2	19
67	*Sueno*	*I.*	4	22
72	*Sueno*	*II.*	eo.	32
79	*Sueno*	*III.*	5	24
6	*Suibdagerus*		1	7
19	*Vffo*		eo.	22
36	*Vnguinus*		2.	4
81	*Waldemarus*	*I.*	6	1
83	*Waldemarus*	*II.*	7	13
90	*Waldemarus*	*III.*	eo.	32
18	*Wermundus*		1	21
17	*Wikletus*		eo.	20

REGVM LONGOBARDORVM
nomina, libr. III. contenta.

Ordo	Nomina	Cap.	Ordo	Nomina	Cap.
15	Adoaldus	20		XXX. Duces militum	11
10	Adonius	3	4	Heldehock	1
1	Agelmundus	1	23	Iunipertus	30
14	Agilulphus	15	3	Labe	1
11	Albuinus	4	2	Lamiſſus	1
13	Antharis	13	24	Luitpertus	31
16	Arioaldus	21	25	Luitprandus I.	31
19	Aripertus	24	29	Luitprandus II.	34
31	Aiſtulphus	37	22	Partharis	29
27	Arithpertus	32	30	Rachiſius	36
28	Aſprandus	33	26	Raimbertus	31
12	Clephes	10	18	Rodoaldus	23
6	Daphaon	2	17	Rotaris	22
32	Deſyderius	41	7	Tanto	22
5	Godehock	1	8	Wacon	2
31	Grimoaldus	26	9	Walcarius	1
20	Gundipertus	25			

ALBERTI KRANTZII HAMBVRGENSIS CHRONOGRAPHI, HISTORIÆ RERVM GESTARVM REGNI DANIÆ ET LONGOBARDORVM.

PRÆFATIO.

GERMANIÆ magnæ, omnes qui Coſmographiam ſcriptitarunt, Græci & Latini, annumerauere tria Aquilonis regna, Daniam, Sueciam, Noruagiam, olim multis veterum incõperta. Nam quid gentium vltra Albim fluuium habitet, Straboni, qui ſub Auguſto ſcripſit, ignotum (vt fatetur) fuit. Cornelius Tacitus, qui ſub Flauijs principib. (hoc eſt Veſpaſianis, patre ac filijs) ſcribens, ad Traianum vſque peruenit, elegantiſſimum de ſitu Germaniæ ac Germanorum moribus edidit librum, plenum laudibus eius gẽtis, manifeſta deſcriptione cõplexus Aquilonis prouincias, intra limitem Germaniæ. Vbi poſt Suecones, à nobis Suecos, à popularibus Suedos appellatos, attigit Sitones: *Hic*, inquit, *Sueciæ fines*. Non modò Germaniam, ſed etiam Sueciam illuc producens, quòd mare hoc noſtrum Orientale aliàs Germanicum, aliàs Sueticum, illa conſueuit ætate appellari. Secutus Plinius Secundus, Naturalis autor hiſtoriæ, eadem ferè ſcribens ætate (hoc eſt vſque ad Traianum) à Seuone monte, Riphæis iugis non humiliore, Germaniæ facit principium, quem ad Cimbrorum vſque promontorium (quod Germani ſua lingua *Scaghen* appellant) ingentem facere ſinum dicit, qui & ab illo, & à Pomponio Mela Codanus vocatur, magnis refertus inſulis: quarum clariſſima Scandinauia, inquit, eſt (nos Scaniam vocamus) incompertæ magnitudinis. Nam quum ea ſit magna pars Danici regni, contigua eſt alijs duobus Aquilonis regnis, Sueciæ atq; Noruagiæ, montibus & fluminibus, & interdum quibuſdam maris finibus diſterminata. Hanc inſulam magnam, quæ tria (vt diximus) Boreæ regna complexa eſt, Baltiam idem Plinius tradidit appellari à Xenophonte Lampſaceno, vnde mari contiguum traxiſſe vocabulum credi debet, vt Balticum vocaretur. Ptolemæus autem Alexãdrinus, qui ſub Adriano ſcripſit Imperatore, inſulas quæ ſupra Cherſoneſum Cimbricam (quæ nunc Iutia dicitur) ſitæ ſunt, haud dubiè ſicut Germaniæ oppoſitas, ita conſociatas natione vult intelligi, quarum ille quoque maximam vocat Scandiam, nos (vt dixi) Scaniam. Cuius ſeptentrionalia Leuoni, hoc eſt Fenni, occidentalia Chedui, hoc eſt Noruagij, orientalia Phanonę & Phireſi, hoc eſt Suenones & Gothi (nam ea eſt gens vna) meridionalia Datæ & Dantiones, hoc eſt Dani, tenent. Mirum, ea ætate apud Romanos & Græcos eſſe incompertam Græcorum patriam, cum quibus tam crebra, magna & diuturna geſſere bella. Sed erat ea tempeſtate necdum tam magnum Gothorum

Tria Aquilonis regna.

Lib. 4. c. 13.

Mare Balticum.

Iutia inſula.

nomen, quàm poſtea effulſit ſub Honorio Imperatore, quando vniuerſam Italiam & ipſam vrbem Romam peruaſerunt, ipſasq́; diu Gallias & Hiſpanias inter manus lacerauerunt. Nimirum ex hoc mundi angulo gens illa prodijt infracta, cœlum ſum rigidum teſtata, quæ magnam mundi partem diu tenuit infeſtam, & Romanũ imperium magnis laboribus implicuit, & multas inde prouincias armis occupauit, (quod ſuo loco plenius dicemus infrà) cuius eſt pars Gothia. Nunc verò, quia oculis & auribus noſtris, qui ad littus Germanici maris agimus, res omnis penè ſubiecta eſt, certius inde aliquid tradere poſſumus, quàm qui de longinquo conſpexere. Quod pace dixerim diligentiſſimorum hominum, qui vni huic negocio, perſcrutandi terrarum orbis, præcipuam curam impenderunt. Operæprecium viſum eſt vniuſcuiuſq; regni res ſeponere, vt ſuum cuique decus reſpondeat, diuiſimq́; recognoſcatur, quid rerum Dania, quid Suecia, (quæ & Gothia) quidve Noruagia peregerit. Nam regnum Longobardorum in Italia (quam Galliam veteres Itali dixere Ciſalpinam) conſtitutum, Danorum gloria eſt Scania egreſſorum: Gothorum autem decus ſubegiſſe Italiam, vaſtaſſe vrbem Romam, diu regnum in Italia, diu in Gallijs & Hiſpanijs tenuiſſe. Noruagij verò proprium ſibi vendicarunt, maritima Franciæ de ſuo nomine dixiſſe Normanniam: inde in mediterranea Italiam vſque penetraſſe, ac in Apulia Calabriaq́; primò ducatũ, & in Sicilia comitatum, poſtea nobile regnũ in vtraq; Sicilia (quod in hunc vſq; diem durat) fundaſſe. Quanquam ætate noſtra Siciliam inſularem rex teneat Hiſpaniæ, reliquã verò (quę Metropolitanum regnum dicitur) Frãcorum regi ac Ferdinandi poſteris magnum luctamen excitaſſe, nunc tamen ad poſteritatem regis Ferdinandi (qui patrem habuit Alfonſum regem Arragoniæ) rediſſe, iterũ verò Francis paruiſſe cernamus. Sed hæc atq; alia his conſentanea ſuo loco referemus, nunc iſta in primordio attigiſſe paucis cõtenti. Horum autem regnorum præclara res memoraturi, in primis iſtarum regionum terminos debemus explicare, vt certius dicenda, locis atque temporibus coaptentur: à Dania, quæ vt vetuſtior, ita nobilior, nunc quoq; ſummam rerum tenet, facientes principium. Nam illuſtriſſimus rex Ioannes nunc vno tenet imperio tria regna, Sueciam, quæ tamen illi diu defierat, armis anno ſuperiori recuperans.

Gothi vnde prodierint.

Longobardi Dani fuerunt.

CAP. I.

Daniæ partes.

IGITVR Dania tota penè inſularis, multis cõſtat partibus, maris faucibus intercepta. Prima eſt oriẽtalis, & eius potiſſima pars eſt Scania, archiepiſcopatu Lundẽſi dignata, quæ magnitudine ſua & opibus facilè ſuperat reliquas regni prouincias. Occidua pars regni Iutia eſt: Cherſoneſum Cimbricã Ptolemæus appellauit. Ea verò quaſi lingua procurrit inter duo maria longè in Boream, quo modo Italia in Auſtrũ. Nam Iutia ab Auſtro habet Eydoram fluuium, qui ortus in profundiſſimo ſaltu Iſernho, (is littora maris occupat à Traiena flumine in lacũ Sliam) decurrensq́; ad occiduum, in mare exit Britannicũ, Friſios (qui ab olim Danici iuris ſunt) dirimens à Tietmarſis, limes perinde Daniæ atq; Holſatiæ. Iutia autem à Ptolemæo, vt diximus, appellata eſt Cherſoneſus, quòd peninſula ſit tribus terminis mari pulſata, ſolo quarto adhærens continenti, ita tamen vt ſit flumine dirempta. Itinere ſex (vt aiunt) dierum procurrit in aquilonem, vrbibus aliquot inſignita ad vtrunq; mare. Nam ſuperũ, Balticum, inferum illi eſt Britãnicum. Hæc regio varia olim fortuna, à vetuſtiſſima memoria Saxonibus habitata eſt, quibus pulſis Dani occupauere. Sed ętate Corn. Taciti & Ptolemęi, Cimbri regionẽ tenuerunt: vnde illi apud memoratos autores nomen remãſit, vt Cherſoneſus Cimbrica diceretur. Quæ verò Cimbrorũ gens fuerit, alio in loco congruentius explicabitur. Nunc hoc dixiſſe ſufficiat, Iutiam eſſe, quam illi autores dixere Cimbricam. Põponius Mela Inuernam appellauit, incultam (vt aſſerit) frugibus, ſed pecori commodiſſimam, quòd multa inde millia pecorum per ſingulos annos venũ mittantur in terras longinquas. Niſi fortè Inuernam quis acceperit, eã quæ nunc Hybernia eſt, ab illo vocitari. Hæc duo, Scania atq; Iutia, extrema, ſed totius Danici regni præcipua ſunt mẽbra, quibus interceptæ ſunt inſulæ multæ. Quarũ locupletiſſima Sialandia, quam nunc Selãdiam appellamus, multis vrbibus & arcibus, regia potiſſimùm manſione inſignis. Ibi Roſchildia, olim

Iutia inſula deſcriptio.

potens

potens & munita ciuitas, eccleſijs decorata & regum monumentis, nunc autem ad tenuitatem perducta, quòd viſum eſt regibus non expedire regno, ciues ſiſos vrbiũ munitionib. inſoleſcere. Lõgitudinem habet biduani itineris, latitudo ferè æqualis, habetq; ab occidua parte Iutiam: à boreali & deſerta eſt fretum Noruagiæ: à meridie autem Wandalicũ ſinum, cum aliquot inſulis minoribus: ab ortu reſpicit Scaniam, quam diximus habere metropolim Lundinam, olim ciuitatem nõ paruam, nunc ad vilitatem vaſtati oppidi redactam. A Selandia in Scaniam traiectus multi, breuiſſimus in Helſingborg, qui oculis ſubmittit vtrũq; regnum. Scania igitur eſt pulcherrima Daniæ prouincia, armata viris, opulẽtia, frugibus, diues mercibus, eccleſijs plena, & nũc halecum captura locuples & inſignis, duplici magnitudine ad Sialandiam. Hæc eſt vltima pars Daniæ ad orientẽ. Nam quæ ſuprà ſunt inſulæ, ſæpe mutarũt imperia, nunc Danis, nunc Suecis obſecutæ. Vndiq; mari cingitur hæc Scania, præter vnũ terræ brachium, quod porrigitur in Boream, verſum tamen ad orientem, quo Sueciæ iungitur: ſed intercedũt profundi ſaltus, aſperrimæq; rupes, per quas à Scania in Gothiam (quæ pars eſt Sueciæ) iter agitur tam difficile, vt dubites, vtrum ſit leuius, marino diſcrimine terreſtrem vitare laborem, an iſtud illi præponere. Hic ergo Gothi habitãt vſq; ad Biram, vrbem olim Indicam. Deinde longis terrarũ ſpacijs regnant Suenones: de quibus ſuo loco. In ſinu autẽ maris, quem Codanũ à veterib. appellari diximus, quindecim numerantur inſulæ, quarum potiſſima Fionia, inde Falſtera, Lalandia, & cæteræ non tam inſigni nomine, præter vnam quam diximus Selandiam, cæterarũ reginam, quippe quæ regiam tenet ſeſſionem, & perinde caput cẽſetur regni. In eodem autem ſinu verſus meridiem, ſub littoribus Wandalorũ tres ſunt inſulæ præcipuæ, olim Wandalorum genti adſcriptæ, nunc pulſis retro in mediterranea Wandalis, & linguã mutarũt & mores. Prima ab occidua parte eſt Cimbria, vetus retinens nomen totius vicinæ prouinciæ, quamuis imperiti corrupto vocabulo Imbriã aut Fimbriam ſolent appellare. Hæc eſt oppoſita olim Wagris, nunc Holſatis, qui pulſis Wandalis, eam quoq; regionis partem tenent, & ideo inſula illorũ non Iutiæ cenſetur. Huic proxima eſt in orientem, quæ Pola dicitur, Obotritis olim, nunc Magnopolenſibus obiecta, quæ pro ſui paruitate non ſolet in numerum referri. Hãc ſequitur eodem tractu Rugia, ad Panim flumẽ collocata, iam olim inſignis, vt totius Wandalicæ nationis caput haberetur. Vnde etiam ſunt egreſſi Rugij, qui Pannonias occuparũt, Odoacre rege eiuſdem nationis tranſeunte in Italiam: à quo reuertente, quum regnum ſuum firmaſſet in Italia, retro pulſi ſunt Rugij memorati. Sed ea in noſtra Wandalia plenius explicuimus. Hæc inſula ſola ex tribus, ſuorum principum vetus recognoſcit imperium, non mutans dominos, licet linguã cum ſuis principib. immutauerit. Saxonicã enim linguam omnes ſequũtur. Tertia in orientem verſa Sambia, nunc Pruſſis annumeratur, quorum ditione regitur, pontificem ſuum habens cui paret, de ordine Teutonicorum. Ibi nunc (ſicut olim) colligunt calculum mari eiectum, quem ſuccinum Romani vocant: olim, teſte Plinio atq; Cornelio, inuentores gleſſum dixere. A Scania verò in orientem inſulæ ſunt multæ, quæ ſæpe mutauerunt ditionem. Ibi Gothlandia, nunc Danicæ coronæ, olim Sueticæ ſubiecta: ibi Bornholm, cum nonnullis alijs. Nicolaus Germanus, Ptolemæi renouator, & (ſi rectum fateri volumus) illuſtrator, iſtas inſulas ſubiecit oculis: ſed expreſſius tamen inde referunt, qui nauigãt hoc mare negociatores, quàm in breui tabella potuit depingi. Hæc de Dania paucis in præfatione attacta ſint ſatis. Nunc antiquitates renouaturi rerũ geſtarum, ordinem narratione complectamur, Saxonem virum Sialãdicum, mira diligentia ſuæ gentis antiquitates perſcribentẽ, ſequentes autorem: cuius diligenti verborũ curæ parere, indagandæ veritatis credere promptum eſt vigilantiam extitiſſe.

Selandiæ longitudo. — *Inſula maris Codani.* — *Lib. 1. c. 36.* — *Succinum.* — *Saxo Sialãdicus chronographus.*

CAP. 2.

DANIAM primus tenuiſſe regno Dan indigena memoratur, multis antè ſeculis quàm Chriſtus mundi ſalus in mundo naſceretur: factaque ſupputatione, antiquius hoc regnum Romano reperietur. Antè enim quàm Romulus lupã matrem ſugeret, Dan in ſua Dania, de eius nomine ſic appellata regnum tenuit. Dan, inquit Saxo, & Angul, à quibus Danorum cœpit origo, patre Humblo procreati, non ſolùm conditores gentis noſtræ, verùm etiam rectores fuere. Hi licet fauentibus pa-

triæ votis,regni dominio potirentur,rerumq́; ſummã,ob egregię fortitudinis merita,aſſentientibus ciuium ſuffragiis,obtinerent,regij tamen nominis expertes degebant:quòd nomen illud incompertũ genti diu haberetur.Ex quibus,inquit,Angul(à quo gentis Anglię principia manaſſe memoriæ proditum eſt)nomẽ ſuæ prouinciæ cui præerat,aptandũ curauit.Libuit in primordio,autoris quem ſequimur, verba repetere.

Saxo labitur.

Sed hîc circumſpectionẽ tuã Saxo requiro,qui arbitraris ab Angul Angliam dictam Britannicam.Nimis longa eſt anticipatio huius nominis. Anni ſupra mille interceſſerunt ex hoc die,in tempus illud, quo inſula iſta inſignis quam dicis,primùm Albion,inde Britãnia,nouiſſimè Anglia dicta eſt,ab Anglis Saxonibus,qui nomen ſuum genti intulerunt . Sic teſtantur omnes qui de Anglia ſcripſerunt.Et quib.armis potuit illa tempeſtate vir Danus ad hoc pertingere,vt Angliam gubernaret,& de ſuo nomine diceret: præcipuè quũ rerum primordia ſemper ſint tenera?Sed eſto,potuerit:quis neſcit diu Britanniam appellatam inſulam,quum illam intraret Iulius Cæſar? deinde Claudius Imperator, qui filium ex ea appellauit Britannicum:& poſt illum Seuerus,qui etiam ibi furiit?nouiſſimè Cõſtantius,Magni Conſtantini pater,eodem loco mortuus & funeratus in Eboraco eſt?& hoc nomen ſuum vſq; ad Anglos Saxones,ſub Imperatore Martiano(teſte Beda)Anglicos inuectos tenuiſſe, vt ſemper Britones dicerentur? tum verò Anglos Saxones ſuum illi vocabulum indidiſſe,vt exinde Anglia diceretur?

Dania à Dã nomẽ habet.

Potuit Angul iſte,ſi ita vis,parti Iutiæ quæ hodie quoque Angla dicitur, ſuum reliquiſſe nomen:ſed Britanniam ille non mutauit.Cęterùm Dan genti & regno nomen ſuum intendit, vt ex eo Dania dicatur:quo modo ante illum Ægyptus ſuæ prouinciæ nomen reliquit,& Latinus in Italia,& Romulus vrbi Romæ ſuum vocabulũ inſcripſit.A Dan ergo (vt fert antiquitas) regum Danicorum ſtemmata,ceu quodam deriuato principio, ſplẽdido ſucceſſionis ordine profluxerũt. Nec alia de rebus ab illo geſtis memoriæ mandata leguntur:quòd antiquitas nõ eam literis impendit culturam,quę noſtris temporibus ad bonum modum effloruit.

CAP. 3.

Danorũ in rege legendo mos.

HVMBLVS & Lotherus filij fuere Dan,ex Grytha ſummæ inter Teutones dignitatis matrona, ſuſcepti. Lecturi regem veteres, affixis humo ſaxis inſiſtere,ſuffragiaq́; promere conſueuerunt,ſubiectorum lapidum firmitate facti conſtantiam ominantes.Quo ritu Humblus decedẽte patre,nouo patriæ beneficio rex creatus,

Lotherus fratrẽ regno exuit.

ſequẽtis fortunæ malignitate,ex rege priuatus euaſit. Bello ſiquidẽ à Lothero fratre captus,regni depoſitione ſpiritum mercatus eſt. Quàm ſimilem Romano,huius regni conſtitutio nanciſcitur originem!Sed ibi

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri:

hîc autẽ modeſtiori exitu regno cedẽs frater germano,priuatus vixit.Hæc.n.ſola victo ſalutis conditio ferebatur.Ita fraternis iniurijs imperiũ abdicare coactus,documentum hominib. præbuit,vt plus ſplẽdoris,ita minus ſecuritatis aulis quàm tugurijs ineſſe.Cæterùm iniuriæ tam patiẽs fuit,vt honoris damno tanquã beneficio gratulari crederentur:ſagaciter(vt puto) regiæ conditionis habitum contemplatus, ſecuriorq́; factus perinde ſub fraternorum obſeruantia oculorum.Qui ſi regni ambitum in fratre deprehẽdiſſet,ilico morti deſtinatus,vt à Romulo Remus,extitiſſet.

CAP. 4.

LOTHERVS autem depulſo fratre, regnum ſortitus,non tam tolerabilem regem egit quàm militem : vt prorſus inſolentia ac ſcelere regnũ auſpicari videretur. Siquidem optimum quemq; vita aut opibus ſpoliare, patriamq́; bonis ciuibus vacuefacere,probitatis loco duxit,regni æmulos ratus,quos nobilitate pares habuerat. Nec diu ſcelerum impunitas valuit.Nam patriæ conſpiratione perimitur: eadẽ ſpiritum eripiente,quæ vitam cum regno contuliſſet.Nec eſt quòd huius gentis in ea parte ferocitatem inſectemur,quando eſt ſimile moribus apud Romanos. Iam, vt putabatur,optimis legibus inſtituta repub. regnabant Caius Caligula, Domitius

Lotherus ob tyrãnidẽ interficitur.

Nero,ac Domitianus,monſtra inter bonos principes deputanda: ſub quorum imperio ita laborabat innocentia,vt probri loco eſſe pium haberetur.Non hæc de illis à nobis excogitata ſunt crimina,ſed ab illorum hiſtoricis ſedulò decãtata.Quò minus ſuggillent Itali huius gentis (vt ipſi dicere conſueuerunt)barbariem:quando in eorum ſplendidiſſimis rebus,talium regum mores tolerare cogebantur.

SKIOL-

CAP. 5.

Skiolds adoleſcētia forte factum.

SKIOLDVS huius filius, naturam ab ipſo, non mores ſortitus, per ſummam tenerioris ætatis induſtriam, cuncta paternæ contagionis veſtigia ingenui erroris deuio præteribat. Igitur vt à paternis vitijs prudenter deſciuit, ita auitis virtutibus fœliciter reſpondit, remotiorem pariter ac præſtantiorem hæreditarij moris portionē amplexus. Huius adoleſcentia inter paternos venatores immanis beluæ ſubactione inſignis extitit, mirandoq́; rei euentu futuræ eius fortitudinis habitum ominata eſt. Nam quum à tutoribus fortè, quorum ſummo ſtudio educebatur, inſpectandæ venationis (vt fit) licentiam impetraſſet, obuium ſibi inſolitæ granditatis vrſum, telo vacuus, cingulo, cuius vſum habebat, religandum curauit, necandumq́ue comitibus præbuit. Ferunt, ingenui roboris nobilitatem feras beſtias in homine deprehendere, illi parere, ceruiceſq́; ſubmittere, quas erigunt in degeneres. Quindecim annos natus, inuſitato corporis incremento, perfectiſſimum humani roboris ſpecimen præferebat. Tantaq́; indolis eius experimenta fuere, vt ab ipſo cęteri Danorum reges communi quodam vocabulo Skioldungi nuncuparentur. Præcurrebat igitur Skioldus virium complementum animi maturitate, conflictuſq́; geſſit, quorum vix ſpectator ob teneritudinem ætatis eſſe poterat. In quo annorū virtutiſq́; procurſu, ob Abuldam puellam (quam ſummæ pulchritudinis intuitu coniugem poſtulabat) cum Scato Alemanniæ ſatrapa, eiuſdem puellæ competitore, Teutonum Danorumq́ue exercitu inſpectante, ex prouocatione dimicauit: interfectoque eo Alemannorum gentem, perinde ac ducis ſui interitu debellatam, tributaria ditione perdomuit. Hic non armis modò, verùm ex patriæ charitate conſpicuus extitit. Siquidē impias leges abrogauit, ſalutares tulit, & quicquid ad emendandum patriæ ſtatum attinuit, ſumma diligentia præſtitit: ſed & ditionem patris improbitate amiſſam, ſua virtute recuperauit. Proceres non ſolùm domeſticis ſtipendijs colebat, ſed etiam ſpolijs ex hoſte quæſitis: affirmare ſolitus, pecuniam ad milites, gloriam ad ducem pertinere. Puellam, cuius amore conflixerat, (ſolebant enim duello aut nuptiarum præmia, aut bellorum compendia veteres Dani quærere) acerrimo nuptiarum æmulo, quem (vt diximus) ſtrauit, in pugnæ præmium recepit, eamq́ue ſibi matrimonio copulauit: ex qua paruo pòſt tempore Gram filium ſuſcepit, & vſq; in ſenilem fœliciter regnans prouectus ætatem, fœlicibus auſpicijs filium regni reliquit ſucceſſorem.

Riualē ob amicā certamen.

Regia virtutes.

CAP. 6.

Gram rex celeberrimus.

GRAM filius excedente patre regnum accepit. Cuius mirifica indoles iam tum ſub patre ita paternas virtutes redoluit, vt prorſus per earū veſtigia ante annos decurrere videretur. Corporis animiq́; præſtantiſſimis dotibus præditam adoleſcentiam ad ſummum gloriæ ſtatum prouexit: tantumq́ue magnitudini eius à poſteris tributum eſt, vt in vetuſtiſſimis Danorum carminibus ipſius vocabulo regia nobilitas cenſeatur. Quicquid ad acuendas firmandaſq́; vires attinet, acerrima ingenij exercitatione tractabat. A gladiatoribus vitandi inferendiq́; ictus conſuetudinem, ſtudioſo exercitij genere cōtrahebat. Educatoris ſui Roari filiam, coæuam ſibi collactaneamq́ue, quò maiorem incunabulis gratiam referret, vxorem aſciuit, quam poſtea Beſſo cuidam, quòd eius ſtrenua opera ſæpe vſus fuerat, mercedis loco coniugem tribuit, quum ipſe Suecorum regis filiam magno prælio quæſitam, recepiſſet vxorem. Quod in Suecia exequemur: ſed & duellum eius cum Gothorū præfecto eo loci commemorabitur. Hunc pater vltimæ iam ætatis, ob res egregiè geſtas imperij conſortio donauit, regniq́ue ſummam cum ſanguine ſuo communicare, quam in occiduo vitæ ſtatu ſine participe gerere, cùm vtilius tum etiam cōmodius duxit. Sed Ringo ſplendido Sialandię loco natus, quum alterum ex his imperio intempeſtiuum, alterum iam virum curſu defunctum putaret, infirmam vtriuſque cauſatus ætatem, nouarum variarumq́; rerum ſtudio maiorem Danorum partem ſollicitat, hunc puerilis, illum ſenilis anni deliramento regiæ poteſtati inhabilē proteſtando. Sed ab his bello obtritus, documento hominibus fuit, nullam ætatis partē virtuti incongruam exiſtimare debere. Alia quoq; complura Gram regis facinora fuere. Aduerſus enim Simblū Phinnorum regē bellum profeſſus, ad aſpectum filię eius Signes, depoſitis armis, amicus ex hoſte euaſit. Sed tū bello Noruagico implicatus, puellæ pauliſper oblitus, quū audiſſet alteri tradendā, exarſit: atq; in nuptiarū

Lib. 1. c. 18.

Ringo nouas res moliens opprimitur.

Saxonia lib. 1. c. 2.

locum perueniens, quũ omnia luxu feruerent, crapulaq́ꝫ grauati conuiuæ viderentur, oppreſſis qui aderant, puellã abduxit. Bello demũ Noruagico, quod in Suibdagerum geſſit, oppreſſus interijt. Cœpitq́ꝫ tũ primùm Dania alienæ parere poteſtati.

CAP. 7.

Suibdagerus Daniã victo rege occupat.

SVIBDAGERVS rex Noruagiæ, victo Gram rege Danorũ Sueonumq́ꝫ, (nam & hoc regnum oppreſſo rege illius, Gram Danus tenebat) primus omnium regum Aquilonis, trium moderator factus eſt regnorũ, decus hoc gẽti ſuæ inferens, quod nulli regum ante ſe contigiſſet, vt vno imperio tria regna coniungeret, regis Danorum filiam, cuius amore flagrabat, à patre diu negatam, ſed iam bello quæſitam, cũ regno accepit vxorem. Ea aſſiduis lacrymis pulſabat maritum, vt fratribus ſuis regno exulantibus regem placaret. Diu tamen fruſtra conata, quòd non tutũ ſibi putaret, regni hæredes paternis amicis coniungere, ex qua re promptum ſibi bellum oriri nõ fruſtra auguratus eſt: peruincit tamen fœminea aſſiduitas lamẽtis & blandimentis, vt alterum ex fratribus Gutorinum, moribus (vt videbatur) mitiorem, ab exilio reuocaret, fratre apud exteros minarum pleno, diutius commorante. Nam ardentis animi fortis adoleſcens, paterni ſanguinis vltionem ſemper in corde, creber in ore reuoluebat. Nec illum fefellit animi propoſitum. Nam diu foris militãs, atq; ſe armis exercẽs, robur magnum, ac ſocietatem multorũ nobilium, gratiamq́ꝫ principum ſibi plurimam conciliauit. Verſus enim in orientem, quum ſibi piratas intima ſocietate deuinxiſſet, Curetum tyranno bellum intulit: ſed inde victus aufugit. Conuerſusq́ꝫ in Helleſpõtum, (vt Saxo tradit) Handuanum eius regem, apud Dunam vrbem bello pertentat. Helleſpontum autem quem dicat, non ſatis cõpertum habemus. Nam in traiectum ex Europa in Aſiam, nauigando pertingere non potuit, niſi magna mundi parte circumita: & erat ea nauigatio nõdum Danis pertentata, qua multis pòſt ſeculis Normanni ex mari Britannico in Mediterraneum penetrantes, Conſtantinopolim vſq; deuenere: quod in Noruagia dicemus. Sed nos in hac antiquitatum cõmemoratione, Saxonem, ſuæ gentis hiſtoriam ab vltima memoria retexentem, ſecuti, rem illam in medio relinquere cõpellimur. Quid enim poſſumus in tanta vetuſtate aliud cõmemorare, quàm quod apud autorem comperimus? Tradit enim memoratus ſcriptor, Haddingũ, Gram regis filium, paternæ necis vltorem, tum apud Dunam vrbem depugnantem, inſigni vſum ingenio, ad vrbem expugnandam. Nam quum altiſſimis vallis ſublimibuſq; muris oppugnationem fruſtra pertentaſſet, hirundinum in domicilijs vrbis nidificantium, per aucupij periros, magnam capi fecit multitudinem, ſubligauitq́ue captis fungos igne accenſos, volucreſq; dum nidos repeterent, magnum vrbi incendium intuliſſe. Quo dum reſtinguendo ciues incumberent, captam vrbis portam, & perinde vniuerſam ciuitatem, regem deinde ſuæ poteſtatis factum, auro mulctatũ, vita donauit. Inde Sueciam reuerſus, multo vndecunque milite contracto, Suibdagerum regem, apud Gothlandiam ingenti claſſe obuium, pugna adortus oppreſſit, vindicemq́ue paternæ necis peregit.

Saxonis error.

Vrbis capiẽdæ mirũ artificium.

CAP. 8.

Gutorinus, rex tributarius.

GVTORINVS interea, Gram regis filius, Haddingi frater, Daniam ſub tributo regi Noruagiæ penſo regebat, quòd (vt diximus) germanæ ſororis, quæ coniugem tenebat memoratum Suibdagerum, lacrymis & precibus vix impetrabat. Hic primis adoleſcentiæ temporibus, fœliciſſimis naturæ incrementis, ſummã virilis ætatis perfectionem ſortitus, omiſſo voluptatum ſtudio, continua armorum meditatione flagrabat, ſed inuiderunt ei tempora. Trium enim regnorũ viribus velut oppreſſus tenebatur, vt non ſe cõmoueret, quin Suibdagerus mox perſentiret. Omnẽ autem peragendæ vltionis ſpem in fratrem collocabat, qui & potuit, & voluit, & magnificè impleuit (vt diximus) paterni ſanguinis vindictam. Hic autem Gutorinus quomodo finierit, naturæ fragilitate in fata conceſſerit, an tyranni armis, nonnihil aduerſus eum ſuſpicantis oppreſſus interierit, incompertum habemus. Ante tamen Suibdagerum Haddingus victor, cum exilio patriam, cum militia regnum permutauit. Quia oppreſſo (vt dictum eſt) hoſte, non ſolùm exterorum manubijs, verùm etiam paternæ fraternæq́ꝫ vindictæ trophæis ad eminentem claritatis gradum prouectus, exilium regno compenſauit, cui patriam non antè repetere quàm regere contigit, iam antè fratre deficiente.

Haddingus paternã necem vltus, patriam recepit.

HAD-

CAP. 9.

Haddingus patrem & filiũ hoſtes conficit.

HADDINGVS & ipſe Gram regis filius, fratri ſuccedit in Dania, Sueciam verò ab occiſo hoſte ſuſcepit. Noruagiam autem Haſmũdus Suibdageri filius, velut paternũ & hæreditarium regnum defendit. Aduerſus quem primum poſt ſuſceptum regnum ortum eſt bellum, quòd ille quoque vindicandi ſui patris feruore in arma ruebat. Occurrit illi Haddingus, & primùm Erico filio, pòſt patre Haſmundo peremptis, filium & nepotem auo iungebat, trium vnus oppreſſor. Sed Vffo alius Haſmundi filius, Sueciam tutari diffiſus, exercitum in Daniam trãſportauit, ibiq; graſſatus, impunè coegit Haddingum copias ſuas, Suecia relicta, in Daniam reducere. Reuerſus in Daniam Haddingus comperit, effracto ærario theſaurũ ſuum compilatum, cuſtodemq; ob negligentiam conſumit ſuſpendio, edicens, ſi quis furtiuarum rerum quidquam referret, honorato ſe loco habiturum. Credidit cõſciorum quidam, ac retulit ablata, quem cuſtodiæ præfecit, honore auctum, vt erat pollicitus.

Fures ipſi ſe produnt.

Cæteri conſciorum, cernentes furti ſocium honoratum à rege, etiam ipſi cum impunitate præmia ſperantes, ſeſe prodidere, referentes quæ abſtulerunt. Omnes honore affectos aliquãdiu habuit, ſed inde merita mercede donauit ſtultos homines, qui ſceleris ſui præmia ſperauere. Longo deinde bello amiſſam Sueciam recuperare conatus, toto luſtro fruſtra laborabat. Poſt lõgam inediam diramq; famem bello magno victus, vix cum paucis profugit in Helſingiam, ibique monſtruoſam beluam fertur occurrentẽ peremiſſe, nec inde aduerſis caruiſſe, donec diuos, quorum monſtrũ ſuſtuliſſet, cæſis hoſtijs complacaret. Vffo autem Sueciæ rex edixit, filiam ſe illi daturum, qui Haddingum ſuſtuliſſet. Multi fruſtra tentauere. Euocatũ per inſidias cogitauit opprimere: ſed ille cõpertus eluſit. Res nouiſſimè in apertum prælium exiuit, quo oppreſſus eſt Vffo. Ceterùm quum perſentiret gentis à ſe auerſos animos, regnum quod ipſe tenere non poterat, ſuum fecit beneficium, permittens Hundingo, Vffonis germano, Sueciæ ditionem. Sed illi intra patriæ viſcera tumultus exortus eſt.

Saxonia libro 1. cap. 3.

Nam Toſſo quidam, ignobili Iutiæ loco ortus, quum ſcelere & audacia inclaruiſſet, nec tamen ſuis armis fidebat oppugnare regem, incurſionibus vexauit Saxoniam, eiuſq; ducem Sifridum, pacis cupidum, in eas conditiones ſibi conciliauit, vt belli ſocietatem aduerſus Haddingum Danorum regem ſecum iniret. Diu reluctantem, ſed alijs nullis conditionibus dimiſſum, perpulit inuitum arma coniungere: quibus in Iutiam collatis, occurrentem regem terreſtri militia vicit, ita vt vix fuga ſibi conſuleret. Sed breui recuperatis viribus regreſſus, fugauit victorem, iam auxilia etiam de Britannia mutuãtem. Sed vbi nec ſic par eſſe regi potuit, ex prouocatione duellum obtulit.

Haddingus duello victor.

Recuſare rex poterat ob imparitatem conditionis, ſed indecorum ſibi ratus cuiuſquam arma vitare, deſcẽdit in campũ, prouocatoremque extinxit ſuperatum. Hac quoq; parte victor, interiore malo domeſticis inſidijs excipitur. Nam filia Vluilda, inferioris ſe fortunæ viro denuptam indoluit, crebrius marito inſuſurrans, vt oppreſſo rege patre regnum arriperet. Non erat contenta, regis ſe filiam & eſſe & dici, reginam ſe voluit appellari.

Filia patri inſidiata necatur.

Congeminabat queſtus & lacrymas in aures mariti, adiunxit blandimenta: peruincit tãdem, vt operas maritus polliceretur. Vocat filia patrem in conuiuium, ſtructis clàm inſidijs, quibus opprimeretur. Sed ille ſomnio monitus, vt inde caueret, non timeret inſidias, armatum militem in præſidio collocabat. Venitur in triclinium: filia patrem fallaci ſpecie comiter excipit, vt vino ſepultum trãſmittat in æternum ſomnũ. Vbi adeſſe vidit paratas rex inſidias, dat ſignum ſuis. Emergẽtibus in manu gladius erat: vertitur dolus in caput autorum, filia cum genero trucidatur. Interea Hundingus Sueciæ rex falsò famam accepit de oppreſſo Haddingo, amiciſſimo ſibi rege, (quippe cuius munere regnum teneret) facturus amico inferias; ipſe ſibi de falſo rumore verum parauit exitium, demerſus in dolio cerealis liquoris, quod erat in medio, dum ebrius incautuſq; ſaltaret in conuiuio, de more vetuſtatis, in exequendis inferijs.

Suecia libro 1. cap. 16.

Haddingus autem, pietatis officio audiens regem perijſſe, iam vitę faſtidio, non deſerturus amicum, *Informis lethi nodum trabe nectit ab alta*, volũtario exitu, ſed non regio more finiens vitam.

CAP. 10.

Frotonis ſtrategemata & doli.

FROTO filius regnum accepit paternum, qui per varios caſus & fortia facta promeruit, vt optimus rex, patriæ pater & haberetur & eſſet. Principia bellorum

apud Curetes Orientis populos auſpicatus: cuius regem Dornonem, vrbe munita
ſe continentem, quum ad pugnam elicere non poſſet, dolo ſtatuit circumuenire:
ſecum reputans, quod militaris habet ſententia, *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?*
Ceſſit igitur caſtris, fugam ſimulans: ſed antè ſcrobibus tectis caſtrorum locum im-
pleuit. Egreſſi Curetes ad caſtrorũ ſpolia, dum prædæ imminent, à ſuperuenienti-
bus Danis occupantur. Neque armis tueri, neque poterãt pugnam capeſſere. Op-
In Ruſſos dolus. preſſi igitur victoriam dedere regi. Proxima ad Ruſſos militia regi. Trano rex erat
gentis: quem bello adortus, terra marique oppugnauit. Primùm tamen miſit, qui
clàm Ruſſorum nauigia perforata, nauigatiotti redderent inutilia. Nam foros ſtipi-
te, quem deſoris facilè eijcerent, impleuere. Irritatos in pugnam Ruſſos ad naues
elicuere: illi dolo non proſpicui, citò feruntur ad naues. Dani circumfunduntur ra-
tibus ſuis, eijcientes qui ſoris eminebat ſtipitem, vt laxatis ſoris acciperent vndam.
Ibi gemina Ruſſis exoritur pugna: nam & aduerſus hoſtes illis pugnandum, & in
vndam, quæ mergendis incubuerat, erat laborandum. Facilem ea res Danis victo-
Ruſſi ob legatos violatos oppreſſi. riam fecit. Victor Froto redit in patriam. Dumq; oratores exigendi à Ruſſis tributi
imperati gratia mitteret, inſoliti imperij populus onere turbatus, in legatos mittit
manus, eosque peremit crudeliter. Froto eius rei accepto nuncio, arma parat, bel-
lumq; infert in Ruſſiam. Eotola vrbs erat gentis inſignis: eam obſidione cingit. Et
quoniam amnis decurrens vrbem natura munierat, multis de eo factis deriuatio-
nibus, vt vadabilis eſſet, ingenio naturam ſuperauit, vrbemq; cepit. Inde mouit in
Paltiſcam non minorẽ vrbem, quam omnibus circumſpectis, quum illam vi cape-
re diffideret, conuertit in dolos. Simulat morbum: inde fama diſpergit mortuum,
milesq; ſimulato luctu tumulum regi componit. Iam ciuitas credula, timorem po-
ſuit cum cuſtodia, nihil expectans, niſi vt obſidione ſoluta, miles abiret in fuga la-
ceſſendus. Vbi nihil timetur, remiſſaque omnis ab intus cuſtodia vrbis, totis viribus
exercitus incumbit, muros capit, portas reſerat, breuique momento vrbem ſuæ fa-
cit poteſtatis.

CAP. II. ANDVANVS erat iiſdem regionibus princeps, qui vrbe fiſus natura & arte mu-
nitiſſima, minas omnes contemſit Danorum: & ne ſuperioris Haddingi ingenio
fraus ſtrueretur, cuius eſſet recens memoria, omnes hirundinũ nidos iubet deijci.
Frotonis audax ingenium. Sed Froto ab ingenio ſuo non receſſit. Siquidem muliebri veſte ab ancillis mutua-
ta (audax facinus) vrbem ingreditur: veniſſe ſe, ait, decepto circumſedente exercitu,
vt vrbi venale quid inferret, abituram quandocunque libitum eſſet. Creditum eſt:
fidemq; fecit imberbis vultus, & vox in fœminam fracta. Speculatur noctu, ſuiſque
ſignum mittit, vbi & quando irrumpant. Ita ſecuram vrbem, admoto milite capit:
ipſe intus occurrens, ex opportunitate ſuis adfuit. Ea capta, modeſtè ſe gerebat in
victos. Quippe regis affinitatem ambiens, filiam eius coniugem accepit, regnúm-
que libertati permiſit. Dum autem rex ſoris bella gerit, intus domique graue ſuſti-
net detrimentum. Nam altera ſororum regi Sueciæ nubit Regnero, illumque regno
pulſum reuehit. Altera Vbboni nobili viro nupta Danico, perſuadet, regnum inua-
Frotoni ſorores negotium faceſſunt. dat abſentis germani. Hæc audiens Froto, bella deſerit Orientis, reductoque exer-
citu, ſorori Sueciæ incubanti bella mouet. Illa nihil territa virago, nouo marito ani-
mos deeſſe non patitur: ipſa armatur, primoque prælio fratrem cogit retrocedere.
Nox quæ interceſſit, fratrem cum germana improuisè coniunxit. Nam vterq; par-
uis nauigiis ſpeculandi gratia egreditur: ita concurrunt. Rogat germanam agnitam
rex Froto, quid nocturnis inuigilet inſidijs. Illa refert: Idem mihi quod tibi in re bel-
lica licuit. Tu iniuſtior, qui germanam, priuſquam abires, liberam circumſpiciendo
thoro eſſe iuſſiſti. Circumſpexi: inueni in quo & tibi & mihi conſultum arbitrabe-
re. Tam iuſtæ obiurgationi non habens quid obijceret, poſtera luce vocato Regne-
ro pacem firmat. Nauigans in Daniam, ſororium, quem procuratorem reliquit, re-
gem inuenit: bellum paratur. Sed nõ erat is Vbbonis apparatus, qui Frotonem ſuſ-
tineret: itaque captus ad regem perducitur. Vbi intellexit germanæ opera & in-
ſtinctu rem tentatam, ignouit ſororio: tantiſper tamen vltus eſt præſumptionem,
vt thoro eius abſtractam germanam, Scoto Scotorum principi (à quo gens nomen
ſeruauit) eandem collocarit: triplici munere functus in vno. Nam & vltionem vin-
dica-

dicauit,& germanam ablegauit,& amicum pridem nouo cõiugio fecit deuinctiorem. Sed inquieta mulier regionem mutauit, nõ animum. Nam viro ſine fine ſuggeſſit, vt oppugnato fratre Daniam inuaderet. Suaſit aſſiduè: ſed vbi non perſuaſit, odium vertit in maritum, precio conducens qui nocte quieſcentem opprimerent. Innotuit res per pediſſequam. Rex armatus cubat. Rogatus ab vxore quid ſibi vellet in thoro lorica, libitum eſſe reſpondit: venientes autem ad ſcelus conductos obtruncat. Vxorem inde diligentius tenet aſſeruatam. Interea Froto non contentus Orientis imperio, occiduas quoque partes adnauigans, Friſiam bello tentat. Wicho Friſiorum princeps claſſe occurrit: pugna conſeritur, iaculis res agitur. Iubet Froto ſuos lenius rariusq; iaculari, donec conſumptis telis inanem ſe præbeat hoſtis. Wicho, Danorum ſegnitiem à timore & pacis cupidine ortam arbitratus, grauius vrget: at aſſumptis telis hoſtem ſenſit inſurgere. Pellitur Friſius, fugamque capeſſit. Froto terram ingreſſus, prædam agit opulentam, reuerſusq; in mare, claſſem hoſtium incendio conſumit. Mox grauiorem orſus expeditionem, in Britanniam mouit, expoſitisq; copijs præliabundus ingreditur. Occurrentem cum exercitu, collatis ſignis fundit regem, fugatque: & quocunque victor incedit, prædam agit opulentam. Ducendum deinde putauit in ducem Scotorum Melkuicum, quem accepit iam ad arma progreſſum occurrere, audiuitque Britannorum regem recuperatis viribus ſe inſequi, communicato cum Scotis conſilio, vt hoſtem interciperent.

Frotonis ſoror inquieti animi fœmina.

CAP. 12.

Frotonis de hoſte ſuperando conſilium.

FROTO ſentiens impeditum exercitum lentius procedere, ſegniusq; pugnaturum, quòd onera illi forent impedimento, iubet prædam abijcere, vt expeditè pugnam vtrinque ineant inuicem: ſiquidem victoribus maiora in manibus futura, victis nihil horum prodeſſe, quinimo victoriæ impedimenta quæ ferrent, haberi. Erant inter proceres, qui auaritiæ ſtimulis incitati, regis imperium grauiter tulere, auſi etiam orationem inferre contrariam, eam animi puſillanimitatem nequaquam hoſtibus prodendam, quaſi formident, ſed forti animo, victoriæ prœmia, nouæ victoriæ præferenda. Vicit tamen regis ſententia. Nam abiectis ſarcinis, ſparſiſque per viam oneribus,& hoſtem legendo impedire, ſeque exoneratos expedire cœperunt. Superueniunt Britanni, prędamq; pridem amiſſam cupidè relegũt, magis rei intenti quàm hoſti inſequendo. Rex gentis, auaritiam ſuorum increpãs, abijcere iubet onera, abijcere futuræ impedimenta victoriæ, ſparſa ab hoſte in fraudẽ interpretatur. Sed contumaces imperio regis Britanni, ſinum onerant. Hæc ſunt, inquiunt, quorum gratia militamus: hæc penetralibus noſtris abducta, in agris reperta, non reducemus? Et ſimul cum dicto aurum legunt, tam auidè vt gramina cũ terra pariter abrumpant. Fit certamen legentibus: in obliuione eſſe incipiunt hoſtes armati. Froto interea ſyluam præteriens quæ Scotiam Britanniamq; dirimit, iubet expediri arma, hoſtibusq; obuiam ire. Vix Scoti armatum hoſtem contemplantur, & iam numerum recenſentes ſuorum, hoſtiliq; conferẽtes, quum nec arma ſua Danorum armaturæ vlla ex parte conferre poſſent, non expectandum rati, fugam ineunt. Froto paucis inſequitur. Ibi obuium excepit Scotum germanæ maritũ, ab vltimis terræ finibus auxilia ferentem affini, cui inſectationem gentis permiſit: ipſe conuerſo agmine mouit in Britannos. Prouenit quod vterq; rex præuiderat. Nam Britanni præda onuſti, quam nollent amittere, in fugam pluſquam in pugnã proſpiciunt. Certamine non magno vincuntur ab expeditis onerati: fugam inire præda nõ patitur: igitur victi,& prædam amiſere cum vita & libertate. Pœnituit tum Britannos regi ſuo non paruiſſe cõtumaciter, Danosq; rectũ regis ſui conſilium honeſtabat. Londoniam regni metropolin petit: ſed eam inexpugnabilem ratus, ingeniũ vertit ad inſidias. Nam vt in Ruſſis, ſic hoc quoq; loco ſemel expertã fœliciter fraudem iterum intentauit. Morbo primùm, inde morte ſimulata, tumulus regi componitur. Exercitus miſſo nuncio deditionem offert vrbis præfecto Dalemanno, ita vt ex ſua gente ducem quem delegerint, accipiant. Gauiſus ille, nihil ſubeſſe fraudis ratus, portas pãdit, deditos in vrbem accipit, magnam illis obijciens nobilium multitudinem, ex quibus ducem deligant. Illi deliberandum in ſequentem lucem dixere. Sed ea nocte præfectus opprimitur, falsò dediti regem ſuum

Froto ad regnũ redit.

oſtendunt, vrbem diripiunt. Victores in Daniam reuehuntur. Ibi Froto rex ab amico quodam in conuiuium accipitur: varij (vt fit) ſermones ſeruntur, iactat quiſque à ſe magnificè geſta. Inuentus eſt qui per ebrietatem regi duellum offert. Ille mox accipit, egreſſuſque conuiuio prouocantem ſternit. Alius commilitionis necem vlturus, idem prælium ſubit: additur & ille ſocio: rex redit in conuiuium. Dum autem Regnero Sueciæ regi bellum infert, in ipſo apparatu, vel militari labore contracto morbo, nunc non ſimulata, at vera morte vitam finiuit.

Moritur.

CAP. 13. HALDANVS, Roe, & Scatus huic filij fuere: quibus virtute ac natali iure paribus, æqua regnandi inceſſit cupiditas: imperij occupandi quiſque curam accepit, fraternus ex his nimium reſpectus à ſcelere auertit: Quem enim nimia ſui charitas ceperit aliena deſerit: nec ſibi quiſquam ambitioſè atque alijs amicè conſulere poteſt: verumque id quod relatum eſt in carmine,

Nulla fides regni ſocijs.—

Haldanus fratribus caſis regnū occupat.

Horum ergo motu, maior Haldanus, Roe & Scato fratribus interfectis naturam ſcelere polluit, regnum parricidio inuaſit. Et ne vllum crudelitatis exemplum omitteret, comprehenſos eorum fautores, prius vinculorū pœna coercuit, mox ſuſpendio comſumſit. Cuius ex eo fortuna maximè fuit admirabilis, quòd licet omnium temporum momenta ad exercendam atrocitatem contuliſſet, ſenectute tamen, non ferro vitam finiuit. Quod ipſi mirum & inſolitum credetur Satyrico,

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni. Vt illi placuit.

CAP. 14. ROE & Helgonem hic filios reliquit. A Roe Roſchildia condita memoratur: quā poſtmodum Sueno, furcatæ barbæ cognomento clarus, ciuibus auxit, magnitudine propagauit. Breui hic anguſtoque corpore fertur exitiſſe: Helgonē maior proceritas illuſtrauit. Helgo igitur diuiſo cum fratre natu maiore regno, maris poſſeſſionem ſortitus, regem Wandaliæ Scalcum, maritimis copijs laceſſitum oppreſſit, Wandaliamque redegit in prouinciam. Sed ad Roe regem reuertamur, qui a Sueciæ rege bello laceſſitus arma corripuit: hoſtibus occurrit duobus prælijs fortiſſimè dimicans, æquatis viribus abſceſſit: ſed tertio congreſſus funditur. Non tamen paſſus diutius videre victorem, fortiter dimicans cadit, regnum fratri relinquens, qui hactenus maris tantùm gerebat imperium, piraticæ inſiſtens, quæ tum iuſta credebatur militia. Equidem terram filijs hominum datam eſſe in prædam ſunt arbitrati, vt tantum quis haberet, quantum armis occuparet.

Saxonia libro 1. cap. 4.

CAP. 15. HELGO fraterni regni ſucceſſor & necis vltor emerſit. Hic licet ferocioris eſſet ingenij, luxuria tamen ſæuitiam æquabat: adeò proiectus in venerem, vt ambiguæ æſtimationis eſſet, tyrannide magis an libidine exarſerit. Apud inſulam Thore, ex virgine quam compreſſit, filiam accepit, cui poſtmodum Vrſæ aptauit vocabulum. Hundingum Saxoniæ regis filium, apud Stadium oppidum prælio vicit, eundémque ex prouocatione adortus, duello ſtrauit: ob quod Hundingi interemptor vocatus, victoriæ decus cognomine vſurpauit. Iutiæ Saxonibus ereptæ ius procurationémque Heſce, Eyr & Lerduci commiſit. Qua in re penſitandum, quo iure Iutia antè Saxonum fuerit. Legimus quidem apud Ptolemæum, Cornelium ac Plinium, Cimbros tenuiſſe Cherſoneſum Cimbricam (quæ nunc Iutia dicta eſt) peninſulam, quæ ab Auſtro procurrit in mare, vndique circumflua mari, præterquam ab Auſtrali parte, vbi Eydora fluuius eam dirimit ab Holſatia: quæ ſemper Saxoniæ fuit reputata. Hoc illi tum nomen erat, quum Cimbri, potentiſſima olim natio, ſumptis armis Italiam peteret, Thraciam inuaderet, Romanis occurreret, aliquot Romanorum exercitus ad internecionem cæderet: ad vltimum à C. Mario Romano duce repreſſa vinceretur: Augſto deinde Cæſari dona mitteret, amicitiam eius promerita. Videri poteſt ſimile veri, vt multarum regionū nomina ætas longa mutauit, qui in ſua gente dicti ſunt Saxones, Wandali, vel Iutæ (res enim in ambiguo eſt quæ gens fuerit) apud Romanos Cimbri, hoc eſt (veteri Gallorum lingua) latrones dicerentur. Hæc per tranſitum annotare placuit, vt per occaſionem inueſtigent poſteri, ſi ad pleniorem rei indaginem poterunt peruenire. Nobis quoque ea de re habēdus eſt ſermo diligētior in Saxonia atq; Wandalia. Nunc cœptū exequamur.

Helgonis tyrannis & libido.

Iutia an Saxonum olim fuerit.

Inceſtum Helgonis à coniuge procuratum.

Quum ad inſulam Thore piraticam Helgo reflexiſſet, ſtuprata, nedum amiſſæ virginitatis mœrore depoſito, turpi commento nefariam ſtupri vltionē excogitauit. Siquidem filiam nubilis ætatis de induſtria regijs oculis ſubiecit, quum ſuam eſſe ignoraret, non dubia quòd regiæ parere libidini cogeretur. Qui licet inſidioſæ voluptatis illecebris corpus polluiſſet, animi tamen integritatem exuiſſe credendus non eſt, quum ei promptiſſimam erroris excuſationem ignorantia afferret. Stolidam, quæ filiæ pudicitiam, vt ſuam vlciſceretur, proſtituit, nec ſanguinis vllam habuit rationem, dummodo inceſti reum faceret ſuum violatorem. Magnum & inexpiabile ſcelus, ſi non fauſta proles magna parte culpam deterſiſſet. Siquidem genitus ex Vrſa Rolfo, ortus ſui infamiam conſpicuis probitatis operibus redemit. Comperto autem quòd Hotbrodus, Sueciæ rex, fratrem prælio ſuperaſſet, & oppreſſiſſet, iuſta commotus iracundia in vltionem exarſit, filium Rolfonem Letrica arce concluſit. Ea tum regibus certiſſima fuit munitio. Hæredis ſaluti conſultum, vtcunq; ſuam fortunam tractaſſet. Deinde præſides ab Hotbrodo victore Daniæ immiſſos, vt externo patriam dominio liberaret, miſſis per oppida ſatellitibus, cæde ſubegit: ipſum quoque Sueciæ regem cum omnibus copijs nauali prælio deleuit, nec ſolùm fratris, ſed etiam patris iniuriam, plenis vltionis armis penſauit. Perinde vtriuſque regni gubernacula, victo occiſoq; rege eius, per omnem vitam tenuit, deſpicabiliq; lege Sueciam penſitauit. Et quanquam victoriam ſuam per mare, per terras latè circumtuliſſet, tamen ſuperioris flagitij ruborem de cōpreſſa per ignorantiam filia, abolere non potuit. Patriam penateſq; peroſus, repetito Oriente, ignobili morte deceſſit. Ferunt nonnulli, quòd exprobratæ ſibi turpitudinis ruborem non ferens, ſuper diſtrictum gladium incumbendo, voluntaria morte ſe conſumpſerit. Vide quid hominem ingenuum ad ruborem, deſperationemque prouexit.

Helgonis mors.

CAP. 16.

ROLFO filius in regno ſuccedit, vir corporis & animi dotibus inſignis, quòd ſtaturæ magnitudinem pari virtutis habitu commendaret. Matrem eius Atiſlus, Sueciæ regis filius, iam Danis ſubiectus, patre victo, vt patriam liberaret, aſciuit cōiugem. Sed mores putidos peroſa mariti, animum ab illo ſtatim auertit, filioq; Danorum regi nuncium fecit, qui & illam in Daniam reduceret, theſaurumque perinde ac ſibi debitum, quòd Sueciæ imperaret, per ingenium abduceret. Quam rem in Suecia latius explicabimus. Agnerus ex primoribus vnus, Rutā regis germanam meruit vxorē. Conuiuio per regium luxum apparato, pugiles intererant: ortoq; laſciuiore ioco, oſſa inuicem volant: ſed quum per errorem, ſeuerioris cuiuſdam viri Biarbonis capiti impactum os, & vulnus & contumeliam irrogaſſet, impatiens iræ, iacientis caput corripiens, obuertit frontem in terga, rixaque cum tumultu ingraueſcit. Sponſus interueniens, graui increpatione obiurgat Biarbonem, quòd conuiuium turbaſſet. Et quum ille virium fiducia durius obiurganti reſponderet, prouocatio fit inuicem in duellum: ibiq; vidit Agnerus, ſponſaliorum lætitiam verti in mœſtitudinem. Sed Biarbo præcipuis fortitudinis operibus emeruit, vt in tantum regi commendaretur, quòd victor victi ſponſam mereretur. Fortiterq; impenſa opera, talem ſe vlterius gerebat, vt regem affinitatis ſuæ non pœniteret. Quippe per illum rebellātem Sueciæ regem Atiſlum & vicit & oppreſſit, regij ſanguinis iuuenem, impoſito tributi nomine cenſu, Sueciæ præfecit: & quò fidior illi eſſet, ſororem illi Sculdam coniugem dedit: quæ res exitio regi fuit. Nam ambitioſa mulier, non ferens ſubiecta cenſeri germano, quotidianis lacrymis viro inſtitit vt rebellionem ordiretur, perficeretq;. Quam in Suecia quia explicuimus, hoc loco tranſibimus. Inter ſtipatores regij lateris erat Wigo quidā dicaciſſimus, qui dicacitatis ſuæ, quòd regem eximiè exhilaraſſet, armillam auream præmium meruiſſet. Ea indutus dextra, ſiniſtram à tergo retorſit. Rogatus quid ſibi vellet nouus incenſus, reſpondit, erubeſcere ſiniſtram, quòd in conſpectu ditatæ germanæ prodire non auderet. Cuius comitate verbi promeruit & alteram. Qua accepta, iureiurando firmauit, ſi ſe regi ſuo ſuperſtitem fortuna faceret, quacunque iniuria rex periret, ſe promiſit vltorem. Idque magnificè peregit, quum oppreſſo per Sueciæ præfectum regi ſolus ſupereſſet, gladio quem à victore acceperat in argu-

Lib. 1. c. 19.
In nuptiis coorta ſeditio.

Lib. 1. c. 20.

mentum futuri commilitij, mox verſo, in tradentem transfixit eundem. Quod ipſum in Suecia quoq; noſtra ſumus executi. Clarum ac ſemper memorabilem virum, qui voto fortiter expleto, mortem ſponte complexus, per aſtantes miniſtros diſcerptus, menſas tyranni ſanguine maculauit. Sed tamen Daniæ regnum, occiſo rege, neq; extante qui fortiter tueretur, tunc in Sueonum iura conceſſit, variante fortuna, & de magnis imperijs ferociter ludente.

CAP. 17.

Maleficorũ ars diuinitati tribuitur.

HOTHERVS Atiſli frater, poſt Hiartuarum vtriuſque regni ſumit gubernacula. Huic primum de nuptijs certamen fuit cum Baldero ſemideo, vt veteres putauere: nam inſignis maleficiorũ vſus opinionem illi diuinitus ingerebat. Sed huius certaminis decurſum & exitum inter Sueticas hiſtorias commemorare, rectius iudicaui, quæ propria ſunt huic Daniæ regno, ſola attingens hoc loco. Erat ea tempeſtate Helgo Haltgiæ rex, (pars ea eſt Noruagici regni) qui filiam Cuſonis Finnorũ regis ſpecie præſtantem, vxorem percuperet. Legationis interpoſito officio intentauit illam ſibi deſponderi. Sed pater reiecta legatione, contemptibilem duxit generum, qui non ſua voce, aut fortibus factis (vt tum mos erat) coniugem quæreret. Erat reuera linguæ impeditioris, vt ſermonem non modò apud exteros, ſed etiam inter ſuos miſcere refugeret. Hotherus autem Daniæ ac Sueciæ rex, quum multis rebus præſtaret, etiam facundia fuit ſingularis. Is quum eſſet Helgoni amiciſſimus, ſuſcepit pro ipſo legationem, armata nihilominus claſſe Noruagiam petens, vt ſi verbis non impetraret, armis exprimeret. Quumq; pro Helgone per ſummã eloquij ſuauitatem egiſſet, refert Cuſo pater, mentem filiæ cõſulendam, ne quid contra nolentẽ paterna videretur ſeueritate præſumptum. Accerſitamq;, an proco allubeſceret percũctatus, annuens, Helgoni nuptias pollicetur. Ita fœliciter legatione functus, amico optatas conciliauit nuptias. Diuturno inde implicitus bello cum Baldero, varia certauit fortuna, nũc victor, nunc victus. Ad extremũ tamẽ hoſtem opprimens, optatis potitus nuptijs, etiam ſoceri ſui perẽpti pœnas magnificẽ à peremptoribus exigit. Nouiſſimo autem prælio, quod cum Boo Balderi germano geſſit, magnis rerum indicijs ſe proſpiciens periturum, vocatis in concionem maioribus, non dubijs coniecturæ vijs ſe vitam finiturum prædixit: orat deinde, filium ſuum Roricum regno pręficiant, ne ius hoc ad externas ignotasq; familias improborum trãsfundatur, plus voluptatis ſe ex filij ſucceſſione, quam amaritudinis ex propinqua morte percepturũ teſtatus. Quo à proceribus impetrato, pugna cum Boo congreſſus, occiditur. Nec iocunda Boo victoria fuit. Quippe tam grauiter affectus acie exceſſit, vt ſcuto exceptus, atq; à peditibus viciſſim ſubeuntibus domum relatus, poſtridie vulnerum dolore conſumeretur. Cuius corpus magnifico funeris apparatu, ſuus Rutenus tumulauit exercitus, nomine eius inſignem extruens collem, ne tanti viri monimenta à poſterorum memoria citius dilaberentur.

Victoria victori exitiabilis.

CAP. 18.

RORICVS Hotheri filius Daniæ ſceptris ſuccedit. Sed Curetes atq; Sueones, Hotheri morte compẽrta, tributariæ ſortis onere excuſſo, ſeſe ad libertatem rediſſe ſunt arbitrati. Wandali quoq;, quibus iuga tributorum Danica inuexit corona, defectionis audaciam præſumpſere. Tot circumuentus rebellantium populorum tumultibus, conſilium ſumit ex tempore, cæterorum diſſimulans pertinaciam, vnam in gentem Wandalorum arma vertit, vt per partes reuocaret in integrum, quod totum ſimul reformare non poterat. Itaque in eam mouens gentem, quum videret hoſtes partim aperta fronte in aciem prodire, partim in inſidijs collocari, eandem formam inſecutus, claſſem libero mari inuexit: nõnullam tamen partem opportunis locis ad irruptionem in tempore faciendam collocauit. Præcipites Wandali, qui in inſidijs fuere, ante tempus erumpunt, exceptiq; à Danis, ad internecionem cæduntur. Exercitus autem qui in aperto tendebat, ignarus ſuas iam copias oppreſſas, miratur quid Roricum detineat, vt non in aciem deducat. Animus auctus, quòd hoſtilem interpretaretur timorem, adnauigat Danorum exercitui, pugnamq; ingerit. Attamen præueniens quidam ex Wandalorum turma: Licet, inquit, compendio rem tantam peragere. Ego me de meorum principum voluntate in hanc ſortem offero duello. Si vicero, tributorum vobis immunitas proueniat: at ſi vincar, vt antè ſoluendis cõſtringamini. Muſſitant Dani, nihil ſibi victoria cede-

Dani aduerſus Wãdalos.

re.

re,præter id quod iam tenuere:dedecoroſum tamen habitum eſt pugnæ ſortem recuſare. Iuuentus eſt vir animo quàm viribus maior, qui circumſpicienti regi ſuo, Quid, inquit, victori promittitur? At rex, vt manu geſſit,ſenas nexili nodo cohærentes armillas victori proponit. Ille refert, Pulchram,inquit,victoriæ mercedem, aut dedecoroſam (quæ fortibus morte grauior eſt) vitæ conditionem reportabit. Attamen patriæ impendere vitam, quam donauit, etiam ſine mercede, pulchrum cenſeri debet. Hæc dicens, in campum deſcendit, & pugnam iniens ſuperatur. Alium victor dari popoſcit. Cunctantibus Danis, ille in ſuorum caſtra lætus inuehitur. Sufficere poterat fortè, patriæ libertatem meruiſſe: at inſolentia viri, maius aliquid molita, Danis cœpit inſultare, quòd neminem arbitraretur in pugnam exiturum, fortiſſimo eorum pugile proſtrato. Mouit exprobratio virum in exercitu Danico præcipuum Vbbonem. Non ſinam,inquit,dedecus hoc inuri genti noſtrę, vt nemo auſit in duellum prodire. Sed tuum erit ô rex,præmia vincenti decernere, quò alacrius in pugnam prodierit. Vidiſti, inquit rex, armillas iam antè præmio decretas. Quid erit, ait ille, ſi te rei pœniteat,tuaque dona in alium conferas? Quò certior ſis, inquit rex, en præmia tua. Et proiecit, vt manu caperet. Quumque nauium intercapedinem vis iacientis minimè ſuperaret, excepit vnda donum proiectum. Tum Vbbo, Etiam nunc alacrior pugnam ineo,quando tua rex perſpecta liberalitate, ipſe non mercennarius pugil, ſed ſpontaneus conſpicior. Et hoc dicens deſilit in campum: circumfunditur turba ſpectatrix. Ibi Wandalus, prius victor, occubuit cum conſorte: credo procurante fortuna, ne alter alterius exitio gloriam voluptatemque perciperet.

Duello geminū bellū dirimitur.

Pugiles ambo cadunt.

Ea tempeſtate viri primarij Horvvendillus ac Fengo, fratres, Iutiæ præfecti, patris loco ſurrogati ſunt. Horvvendillus autem præcipua vir audacia, tantum gloriæ bellicis laudibus conquiſiuit, vt regis germanam coniugio mereretur. Inuidens fraternis profectibus Fengo, quum virtute æquare non poſſet germanū, conſilia vertit ad fraudem: & intercepto fratre, peremit illum, vxore eius ſibi deuincta. Filium illa habuit prioris mariti ſanguine Ambletum, adoleſcentem ingenio acrem, ſed nulla re magis tutū quàm inſania ſimulata. Nam patruus illum è vita ſuſtuliſſet, ſi non contemptum illi ſimulatus furor ingeneraſſet. Obſeruabat adoleſcentem patruus oculis curioſis,& multis per occaſionem ingeſtis tentamentis,experiri voluit,ſi ſaperet.Sed ingenium acre omnem deluſit obſeruantiam. Erat inter proximos pręfecto, qui operam pertentandi polliceretur per abſentiam Fengonis. Nam ſi quid ineſſet prudentię,tum apud matrem abſente patrono quereretur adoleſcens. Itaque recondidit ſe obſeruator in triclinio, quo vteretur matris Ambleti ſecretiſſimo. Nam ſi quid inter matrē ac filium colloquij futurum eſſet,ibi haberetur. Stratum lecti ſuperinduxit deliteſcenti ſibi curioſus exquirenti: nec illū fefellit ſuſpicio. Siquidem ingreſſus ad matrem Ambletus, durius obiurgat, quòd cruentis fraterni occiſoris manibus ſe pateretur amplecti. Illa ſtultitiam pueritiamque obiectat nato. Tum ille expanſis brachijs, quaſi volaturus,lectum conſcendit,galli cãtum imitatur:& inter agendum,exerto gladio latus deſodit latentis,quem pedibus ſub lectulo deprendit. Ilico ſectum in fruſta igni applicuit,coctumq; ſuibus proijcit quò potuit ſecretius. Inde regreſſus ad matrem, docet quid ſibi velit ſtultitiæ ſimulatio: quòd aliàs ſe tutum ſub tyranno non putaret. Reuerſus Fengo amicū oculis requirit, auditurus quid eo abſente comperiſſet. Vbi non aderat, rogat vbinā ſit. Ambletus omnes pręueniens, Sues,inquit,illum exederunt. Videbatur inſanię plenum reſponſum, & erat verum. Ablegauit priuignum, data opera, vt perimeret: nam id famulis vt curarent iniunxit. Ille autem miro ingenio ſub perſona inſanientis,prudentiſſimis illuſit, vertitq; fraudem in autores. Longam huius fabulam Saxo texuit, de Anglorum regis filia,quam meruit vxorem:eaque repudiata, Scotorum reginam,forma & prudentia præſtantem,miris ambagibus meruerit:eaque traducta,redierit in patriam. Sed rebus ſerijs, anilibus nænijs ſimiles narrationes inſerere,conſilium non fuit. Reuerſus in patriam Ambletus, hoc peregit, vt regia,cum rege & optimatibus, per occaſionem conuiuij concremata, vltionem ſumeret paternæ necis. Populoque per ſummam prudentiam facti ſui reddens rationem,perſua-

Cap. 19.

Fēgo fratre cæſo coniugem & regnum inuadit.

Inſania prudens ſimulatio.

ſit, vt non ſolùm in eo conquieſcerent, ſed victorem meritis laudibus attollerent.

CAP.20. WICLETVS inde ſucceſſit Daniæ ſceptris, Rorico de medio facto. Is Ambleti matrem viduam iam regiis opibus exuerat, filiumque Ambletum in concilio procerum ſemper accuſabat, quòd is Letrarum rege contempto (locus is erat, quem qui teneret, ſummum apud Danos imperium gerebat) Iutiæ regnum occupaſſet. Sed Ambletus vincens in bono malum, obſequiis & muneribus regem placare, ſumma animi moderatione conatus eſt: peruincere autem non potuit indignati regis animum, quòd nomini & rerum geſtarum gloriæ non tam inuideret, quam ſuo capiti timeret: quòd ſe contempto, Danorum proceres Ambletum regem haberent. Ita querelæ in conuitia, & illa in rixam exierunt: inde ex contētione in apertum bellum eſt peruentum, collatiſque viribus, rurſus Ambletus regem conuertit in fugam. Sed ille Scaniæ præfectum exautorauit, quòd non ſatis conſtanter ſe geſſiſſet: reparatiſq; viribus, rurſus Ambleto bellum denunciat. Iam quietis erat Ambletus, poſt longum militię laborem, cupidiſſimus. Quid faceret? Vrgebat ab alterius parte ignominia recuſati diſcriminis, & poterat inferre nolenti: ab altera verò commouerat deſide:atę quietis magna expectatio. Sed peruicit in viro militari bellici ſplendoris reſpectus: itaque bellum denuncianti ſe refert occurſurum. Vxorius iam erat, tanta illi viciſſitudine amoris connexus, vt magis illius viduitatem, quàm ſui diſcriminis periculum penſitaret. Illa muliebriter in maritum conuerſa, Ego inquit, mi coniunx, quem per maria ſecuta ſum, etiam pugnantem non deſeram: idem mihi qui tibi vitæ futurus eſt exitus. Credidit ille, & hoc animo in prælia mouit. Non aberat longè coniunx magnificè pollicita, quum prælium ageretur. Sed tum conſertis viribus Ambletus cecidit. Egregia coniux, oblita promiſſi, fœminea fide in amplexus victoris volitabat. Hic Ambleti exitus fuit: qui ſi parem naturæ ac fortunæ indulgentiam fuiſſet expertus, æquaſſet fulgore ſuperos, Herculea virtutibus opera tranſcēdiſſet. Wicletum, tranquillam ac diutinam regni procurationem emenſum, tandem morbus abſumpſit.

Ambleti de rege victoria, deinde mors.

CAP.21. WERMVNDVS illi filius hæres extitit, ſceptrique poſt patrem moderator. Hic prolixis tranquillitatis ociis, fœliciſſima temporum quiete decurſis, diutinam domeſticæ pacis conſtantiam inconcuſſa rex ſecuritate tractabat. Sed hanc temporum ſuorum fœlicitatem diu coniunx fuſcauerat. Adeo nihil eſt ab omni parte beatum. Iam in ſenium vergens, filium accepit Vffonem, corporis mole citò grandeſcentem, ſed tam hebete ſenſu, tamque lingua pigritante, vt diu plumbeus ſtipes haberetur. Sed in eo homine tam inſignis facta eſt rerū morumq; conuerſio, quanta vnquam in vllo mortalium potuit eſſe maxima: vt ex ignauiſſimo fortiſſimus, ex ſtolido prudentiſſimus, ex muto diſertiſſimus euaderet. Dum adhuc adoleſcentiā ageret ſub imprudentiæ titulo, ſplendidiſſimi viri Frowini, quam Iutiæ præfecerat, filiam vxorem illi deſpondit: vt optimi ſoceri præſidio, & florentiſſimorum iuuenum, filiorum eius, opera tutius regnaret. Illatum eſt Iutiæ bellum ab rege Sueciæ: quo in prælio ex prouocatione pugnans Frowinus, cadit. Toto perinde agmine victor lætus in ſua redit. Poſt ea infeſto redit exercitu, & ab rege Wermundo exceptus, forti prælio retro pellitur. Ibi pręcipua centurionis virtus eluxit: quam rem in Suecia peregimus, Frowini filij paternę necis vindictam in ea Suecia peregerunt, regi ſuo perinde facti commendatiores. Quumq; per ætatem Wermundus oculis eſſet captus, ſuperbam legationem Saxoniæ regis accepit, trium optionem proponi Danorum regi ab ſuo principe: aut regno cedat, per ætatem & cæcitatem inutilis, Saxonibusq; iura permittat imperij: aut ſi illud grauius videatur, filium opponat Saxonum regis filio ex prouocatione pugnaturo: cui ceſſerit victoria, ſceptra illi vtriuſque regni permittātur. Tertium eſſe, ſi priora detrectet, vt totis agminibus pugnaturus, prælium hac voce expectet denunciatum. Indignationem extorſit regi tam ſuperba legatio: modeſtius agendum cum eo quem fracta ætas oculis cepiſſet. Ne tamē vſquequaque Danorum regem viribus defectum arbitrarentur, ſi illorum regi pugna cordi eſſet, illum ſe duello excepturum. Ad quod legati per contemptū reſpondere, compertū ſibi eſſe, regē ſuum non cęco congreſſurum.

VVermūdi regis Vſſo filius bardus.

Lib.1.cap.22.

Saxonia libro 1.cap.6.

ludi-

ludibrium enim, non prælium videri: æquius eſſe, vtriuſque regis pignoribus decertare. Stupefactis qui aderant proceribus, Vffo regis filius indignatione plenus, à patre loquendi veniam depoſcit. Rogat rex, quis ſit qui loquendi flagitet arbitriũ. Qui aſtitere, filium eſſe regis teſtantur. Tum pater ductis ab alto ſuſpiriis, ſatis ſibi, ait, oneris eſſe cæcitatem ſuam, vt non etiam aſtantium riſu excipiatur: quid ſibi velit ludibrium tranſuerſi per irriſionẽ reſponſi? Illi quàm ſanctè affirmant, Vffonem eſſe qui poſtulet. Fari iubet. Tum ille: Quandoquidem Saxonicus faſtus ſuperba legatione Daniæ regnum infeſtat, ſcire illos par ſit, eſſe regi filium, qui non modò regiæ ſoboli occurrat, ſed etiam aſſumpto ex ſuis fortiſſimo, geminis vnus duellum offerat. Riſere legati, vt erant faſtu pleni. Sed ille riſum eorum in lacrymas affirmat exiturum. Quid multa? pugnæ locus tempúſque inſtituitur. Stupor affecit adſtantes, inſuetam virtutem ore facundo ſonuiſſe ex illo, qui hactenus ſocors & elinguis haberetur. Abeuntibus legatis, pater propius aſſiſtere iubet filium, manibus exploraturus quod oculis non licuit, ſi verè ſit filius quem dixere. Vbi grãdia membra manibus circumtrectauit, fidem affirmantibus eſſe filium cœpit habere. Quid eſt, inquit, dulciſſime, tam te diu elinguem præſtitiſſe? & cur tantam animo virtutem condidiſti? Qua verò fretus fiducia, duos vnus in pugnam deuouiſti? Ad ea filius: Quamdiu pater, te ſenſibus vigentem, & viribus regem ſuſpeximus, paterna defenſione contentus in te conquieui: vbi verò ætatis defectionem hoſtes ludibrio vertunt, tempus eſſe ratus ſum proloquendi, teque parentem ab iniuria ſuperborum Saxonum immunem prȩſtandi. Quòd duos vnus prouocaui, detergere volui maculam huic noſtræ nationi nuper iniectam, quòd duo in Suecia leuiri Atiſlum regem pugna congreſſum oppreſſere: quam culpam non aliter putaui detergendam, quam ſi duobus ego vnus depugnem. Collaudatum filium, iubet eum pugnam armis exercere. Sed non facile fuit arma inuenire, quȩ tam grandibus membris aptarentur: nam pectus magnitudine loricarum nexus explicuit. Multis reiectis, quum paterna quoque imparia viderentur, iubet ex læuo latere diſcindi, fibuláque reſarciri: non magnum iudicans, ſi pars clypeo contecta armis vacet. Gladius exquiritur illis aptandus digitis. Quem pater in ſecretiſſimis habuerat enſis, exquiritur: filio traditur: illo, aut nullo vnquã alio victor futurus putabatur. Enſes quidem alij in manibus Vffonis diſtricti ventilatiq;, ſola vibratione confracti periere͂. Rogat an hũc quoq; aliorum exemplo probare debeat. Tum mœſtus pater: Si hunc confregeris, non eſt alius illi par viribus, in quo depugnes. Igitur ex condicto locus petitur, quem fluuius Eydora, vtriuſq; ditionis, Danicæ atq; Saxonicæ limes, ita totum complectitur, vt inſulã faciat. Pons inſtruitur, per quem ſit aditus pugnaturis. Procedit Saxonũ regis filius, comitatus athleta inſtructiſſimo: ſolus Vffo opponitur. Pater Wermundus etſi oculis captus, non tamen abeſſe patitur certamini: locum ſibi iubet inſtrui in ponte, vt auribus hauriat quod oculis cernere non poterat, Ita ſe aptauit præcipitio: vt ſi quid triſte de filio renunciaretur, vnum cum illo exitũ ſortiretur, ſponte deſiliens in ſubiectum amnem. Procedunt in pugnam. Vffo viciſſim prouocat vtrũque. Tu, inquit, qui regio ſtemmate glorĭaris, prior manum cõfer, generis dignitatem factis fortibus exequere: contende. Quin potius tu, quẽ ex tot millibus delegit dominus, præſumptam virium tuarũ audaciam exere: oſtende ſi quid in te virtutis. Accedit ille propius, priorque gladium diſtringit: ſed non diu cunctatur Vffo, caput inſtantis, altius enſe ſublato, medium diſſecuit. Pater enſis ſui ſonitum agnoſcere teſtatus, rogat quo ictu hoſtem affecerit. Quum proſtratum audiſſet, ſpem capit, iam pugna exæquata. Inde verò regis filiũ hoſtem ſuperſtitem aggreſſus, facilè proturbat. Quo audito, pater in lætitiam ſoluitur, victorem filium lætus amplectitur: diéſque ſuos in pace componens, quieuit cum patri' us ſuis.

Vffonis vocem & animum indignatio dedit.

Vffo duello aduerſus duos victor.

Cap. 22.

Saxonibus tributũ impoſitum.

Vffo filius patri ſuccedit in ſceptra: primum hoc atque magnum decus referens, vt viuo patre, hoſte victo, Saxoniam coegerit ad tributa. Hic Lector attende, manifeſtum antiquitatis teſtimonium: quia pugna ad Eydoram commiſſa refertur, Holſatiam, quæ ab illo flumine ſumit principium, ſemper Saxoniæ fuiſſe annumeratam, tanto ante natum Chriſtum tempore. Igitur victo iam Saxonum regis filio cum conſorte, Vffo patri iam adhuc viuenti non ſucceſſit, ſed acceſſit, vbi

competit ſenex diu antè abſconditam in filio virtutem eluxiſſe. Pugna igitur peracta, Saxonibus pudore mœſtis, pugilumque funus ſumma cum acerbitate ruboris ducentibus, Vffonem Dani iocundis excepere tripudiis. Quieuit tum Atiſlanæ cædis deputata à multis infamia, quòd vnum duo ſtrauiſſent: nam Saxonum opprobriis obſcurata demum ceſſauit. Ita Saxoniæ regnum ad Danos tranſlatum poſt patrem Vffo regendum ſuſcepit vtriuſq; imperij moderator effectus, qui per adoleſcentiam ne vni quidem futurus videbatur idoneus. Cuius ſequẽtes actus, vetuſtatis initio, ſolennem fefellere notitiam. Sed credi poteſt glorioſos eorum progreſſus extitiſſe, quorum tam plena laudis principia fuerunt. Tam breui factorum eius proſecutione animaduerti poteſt, quot illuſtrium illius gentis virorum ſplendorem ſcriptorum penuria laudi memoriæque ſubtraxerit. Quòd ſi Danicam regionem fortuna Latino quondam ſermone donaſſet, innumera Danicorum operum volumina tenerentur. Hæc ſunt Saxonis noſtri verba: quaſi non potuerit patria lingua clariſſimarum rerum ſplendor ad poſteritatem mitti. Non hoc tam deplorātum ſilentium Latini ſermonis inopia, ſed hominum illius temporis incuria fecit, qui fortiter agere quàm doctè ſcribere malebant.

Scriptorum penuria apud Danos olim.

CAP. 23. *Dan II. ſuperbus & prodigus.*

DAN filius Vffoni patri in regno ſubſtituitur: qui quum transfuſis in exteros præliis, trophæorum frequentia rerum dominium amplificaſſet propagaſſetque, partum gloriæ fulgorem tetro ſuperbiæ ſqualore fuſcauit: ita à clariſſimi patris honeſtate degenerans, vt quum ille cæteris moderatione præſtiterit, hic cæteros faſtuoſa tumidus elatione contempſerit. Sed & paterna bona, vel quæ ipſe exterarum gentium manubiis pepererat, flagitiis diſiiciebat: opes, quæ regio ſplendori ſeruire debuerant, voracibus ſumptuum impenſis tribuens. Sic nonnunquam à maioribus ſuis ſimilia portentorum pignora deſciſcunt. Quantum autem temporis regnauerit, quid rerũ apud externos geſſerit, quibus etiam monimentis tempora illius ſint illuſtrata, vno pariter ſilentio iacent conſepulta ſcriptorum (vt queſti ſumus) incuria. Quanquam multa præclara ab eius generis hominibus expectari non poſſint, quorum mens ſuperbia tumens cæcutit, venter autem omnem in ſe rerum curam trāſponit. Perdere magna poſſunt ventris animalia, quod in Sardanapalo Aſſyriorum nouiſſimo rege claruit, erigere parua, aut ſuſtinere ſine detrimento magna non poſſunt.

CAP. 24. *Hucletus.*

HVCLETVS deinde ad ſceptra peruenit, incertum quo genere ortus. Ita malignitas temporum clarorum interdum originem virorum abſcondit. Leuis tamen iactura de ignorato principio, prauior eſt obſcuratio rerum geſtarum. Nihil enim poſteritati relictum eſt de huius viri præclaris factis, niſi quòd Sueciæ tyrannos Homethum & Hogrinum maritimo fertur ſuperaſſe conflictu. Cæterę ſepeliuit obliuio: magis autem ſcriptorum raritas & iniuria res tantas præteriuit. Quis enim poterit arbitrari, tanto rerum tumultu, quæ proximis gerebantur ætatibus, tranquilla fuiſſe huius regis tempora? Sed quæ tradita non ſunt à maioribus, poſteri diuinando conſequi non valemus, damna rerum talium maioribus imputantes.

Suecia lib.1. capit.36.

CAP. 25. *Froto II.*

FROTO ſecundus poſt illum ad regnum peruenit, cognomento Vegetus, qui ipſam cognominis ſui ſpeciem corporis animique firmitate teſtatus, denis Noruagiæ ducibus bello conſumptis, inſulam quæ ex eo poſtmodum nomen obtinuit, ipſum poſtremò regem inuaſurus acceſſit. Frogerus hic erat gemina admodum ſorte conſpicuus, quòd non minus armis quàm opibus illuſtris regiam dignitatem athletico decoraret officio, tantumque gymnicis palmis, quantũ dignitatis ornamentis polleret. Hic (vt ferunt) ab immortalibus diis beneficium præſtare rogatis, muneris loco dicitur tenuiſſe, non poſſe ſuperari, niſi ab illo, qui pugnæ tempore ſubiectum pedibus eius puluerem manu conuellere potuiſſet. Maiorum fuere præſtigię, quæ etiam hodie ſunt in vſu apud magas aniculas. Res factu non poſſibilis videbatur, & ideo inſuperabilis ferebatur, vt erat ſuperſtitione ſacrilega regio tota ea tempeſtate redundans. Quem Froto Daniæ rex tanta a ſuperis firmitate donatum comperiens duelli poſtulatione ſollicitat, deorum indulgentiam fallacia

Froto aduerſarium magno vſu fretum callidè ludificatur.

fallacia tentaturus. Primùm ergo imperitiæ ſimulatione, dimicationis ab ipſo aduerſario documentum efflagitat, quum eum uſu experientiaque ſciret præcellere. Ille hoſtem profeſſioni ſuæ non ſolùm cedere, ſed etiam ſupplicare gauiſus, ſapere eum aſſeruit, ſenili induſtriæ iuuenilem animum ſubiiciendo: quòd ei facies cicatricibus vacua, fronsque nullis armorũ veſtigiis exarata, tenuem huius rei notitiam extare teſtetur. Itaque è diuerſo bina quadratæ formæ ſpacia, cubitalibus figurata lateribus, humi denotat, à locorum uſu documenti initium orditurus. Quibus deſcriptis, aſſignatam ſibi vterque partem complectitur. Tum Frogerum Froto arma ſecum ac locum permutare iubet. Nec difficilis admiſſio fuit. Frogerum ſiquidem hoſtilium nitor concitabat armorũ, quòd Froto præditum auro capulũ, loricámque pari ſpecie radiãtem, ſed & caſſidem in eundem modum eximio comptam fulgore geſtaret. Igitur Froto loci quo Frogerus exceſſerat, puluere correpto, omen ſibi victoriæ datum exiſtimauit. Nec augurio eluſus, continuò Frogerum occidit: tam paruo vaframento maximam fortitudinis gloriam aſſecutus, quippe, quod nullius antè viribus licuit, aſtutia præſtitit. Hæc ſunt noſtri Saxonis ſuper hac re teſtimonia ad verbũ reddita. Quæ libuit hoc præſertim loco inſerere, quòd in Noruagia verbis aliis eandem rem inſinuauimus, vt Lector varietate ſermonis aliquantiſper recreetur, cui liberum eſt de rebus iudicium.

DAN tertius, Frotoni ſubrogatur in regno, filius, anne aliquis magna de ſtirpe nepotum regiorum, incertum nobis eſt: quòd nihil ea de re in literas miſſum eſt. Cæterùm quia tenera ætate ad regnum peruenit, annum agens vitæ duodecimũ, Frotonis filium credere par eſt. Nam ſi proceribus deligendi regis liberum manſiſſet arbitrium, non duodennem puerum, ſed virum nobilitate, armis, prudentia præſtantem delegiſſent. Huius ętatem quum Saxones contemptui haberent, inſolenti legatione bellum ſibi parauerunt. Siquidem miſſis nunciis, Danorum regem, aut in aciem deſcendere, aut tributa pendere iuſſerunt. Superbiæ plenum mandatum. Sed huic legationi tanta à Danis alacritate occurſum eſt, vt ad militiam ſpontaneè concurrerent, quibus imperari, vt pugnarent, vix poterat. Contemptum regis ſuæ gentis vindicaturi, Albim fluuium nauigiis impleuere Dani: vt iunctis ex lateraribus, velut ponte facto, rapidiſſimus alioquin fluuius tranſiretur. Danorum iuuentus qua alacritate bellum ſuſceperat, peregit. Nam Saxones in pugnam congreſſi, fortiſſimè dimicantes adegerunt, vt victi manus darent, ſubiectionem promitterent, tributis adigerentur. Ita factum eſt, vt qui per inſolentiam quieſcere non poterant, alienum exciperent imperium, ſeruitutis ſuæ damna, præmium reportantes ſuperbæquã fecerant legationis. Cætera huius regis fortia facta ſepeliuit obliuio: quòd nihil in literas relatum accepimus.

CAP. 36. *Dan III. Saxonis libro 1. cap. 7.* *Saxones Danis tributarij.*

FRIDLEVVS cognomento Celer, poſt Dan peruenit ad regnũ: quo tempore Hallãdiæ princeps Danis fœderatus Noruagiã infeſtabat. Principatus ille ad coronã Daniæ ab initio vſque in hunc diẽ pertinuit, ſed ea tẽpeſtate ſe à ſuo rege diuelli ſatius putabat. Quamdiu autẽ Danorũ fœdere fretus Noruagiã impugnabat, fœlicibus augebatur ſucceſſibus. Quippe prouinciã, quæ etiã puellas nutriebat pugnatrices, primùm infeſtã, deinde ſubiectã cœpit habere: tum verſus in ſuperbiã Danorũ amicitiã poſthabere cœpit. Ex ſimultate odiũ, ex illo apertũ oritur bellum. Tantis vtrinque viribus, tantiſque odiis concurſum eſt, vt die integro extractum prælium, vires vtriuſque agminis ita conſcidit, vt incertum, quo loco victoria conſtiterit, haberetur. Nox prelium diremit. Tum verò nonnulli ſe ex Hallandiæ principis parte ſubduxere, pugnã futuræ lucis extimeſcentes. Qua reddita, quum Fridleuus Danorum rex, recenſitis ſuorũ ordinibus prioris pugnæ ſortem miſeraretur, duci-bus aduerſi agminis duellum offert, pari numero capitum congreſſuris. Illi non detrectant. Venitur in locum pugnæ metatum. Ibi Danorum rex inuicta fortitudine ſtrauit aduerſarios. Erat in eis, qui ferro inuiolabilis haberetur: hunc capuli nodiſque repetitis ictibus per multos contudit labores. Eo victor prælio Hyberniam inſtructa claſſe bello petit, Duflinamque vrbem regionis primariam, quia armis capere difficillimum videbatur, ad Haddingianum vertitur ingenium. Nam captis hirundinibus, quæ ſub tecta vrbis nidificaſſent, ignem alis ſubligat, remiſſiſque in

CAP. 37. *Fridleuus pugnantiũ ſtragem miſeratus, duello congreditur.* *Suprà c. 5.*

tecta incendium ſuſcitat:cui reſtinguendo dum ciues laborant, faciliorem oppugnandæ vrbi viam inſtrauit,vrbemque expugnauit. Inde cõuerſus in Britanniam, populationi inſiſtit.Sed rex gentis contracto exercitu populantibus occurrit. Graue prælium conſeritur: cadunt vtrinque plurimi. Fridleuus ſuorum agmen comminutum,hoſtiumque per dies ſingulos cernens adaugeri (quod neceſſe fuit) fugam meditatur.Quam vt tutò faciat,extincta ſuorum corpora roboribus inclinata velut in aciem diſponit,pugnaturorum ſpeciem præferentes.Interim ipſe cum ſuis ſe recipit in naues, eluſis hoſtibus: qui vbi propius acceſſere, vident in conſpectu ſtantes, qui neque pugnare neque fugere potuerunt. Fridleuus in patriam reuerſus,non diu remanſit inter mortales,iam mortuis deputatus.

Cap.28.
Froto III.

Froto tertius hunc filius puer ſeptennis regno inſequitur. Ad tutores ergo rerum gerendarum cura prouenit. Weſtmarus & Colo germani, inter regni proceres nobilitate & rerũ geſtarũ gloria præſtantes, regiæ educationi adminiſtrationiq; regni præficiuntur.Sed alter ex his filiorũ numero præſtabat: duodecim enim filiis inſolentiſſimis iuuenibus ſtipabatur: qui cuncta ſibi licere, pro paternæ autoritatis excellentia arbitrati, multos oppreſſere, multaque per regnum innouauere. Alter Colo vxorem habebat fœminam prudentiſſimam,vt quæ lingua ſimul & ingenio multos pręſtãtes exuperabat viros. Regis germana Gunwara ſimili tutorum cura educata,nubiles annos demorabatur. Prima aulicorum cura fuit regem ſermonibus inclinare,vt circumſpiciat tori ſociam aulæ decus,ſuorum quoque rationem commodorum habentes: quòd elegantius familia veſtiri ſolet, vbi reginæ miſcetur imperium. Arma enim reges, dominas verò munditiem veſtium accurare, rectum ſolet iudicari. Diu rex iuuenis reluctatur, incommoda commemorans quæ ab re vxoria proficiſcuntur.Sed illi non quieſcunt, Gotwaram præcipua prudentia fœminam ſubmittentes, quæ regi perſuadet animum vxoriæ rei præparare. Non deſtitit fœmina,donec peruinceret. Quando,inquit, violenti incumbitis, vnde ergo nobilitate & opibus parem accipiemus? Compertum habuere omnes, Hunnorum regem potentiſſimum filiam egregiæ pulchritudinis educare,de qua regi ſuggerunt. Sed ille rurſus ad ingenium recuſandi connubij, paternum ſe aiebat conſilium tenuiſſe, non expedire regibus longinquas expetere nuptias: melius in regione nota notos aduocare contubernales. Illi viciſſim regi, Hunnorũ potentiã opponunt,quantũ inde decus Danis ſit acceſſurũ,ſi viribus Danorũ accedat Hunnorũ per cõnubia ſocietas. Quando,inquit,vehementer vrgetis, cedo:ſed qui dedere conſiliũ, æquũ eſt vt obeant legationis officium. Weſtmarus & Colo fratres cum Gotwara legationi parantur. Nec enim erat recuſare liberum obtẽtu ætatis,aut alia quauis ratione. Profecti longo itinere regem adeunt.Excepti conuiuio de more gentis,priuſquam legationis exponerent mandata, ibi progreſſa in mediũ regis filia,aduenas comiter cõſalutat. Feruẽtibusq; cõuiuiis, vbi cum animis corpora concaluere,audet per iocum Weſtmarus puellæ animũ verbis licentioribus pertentare,ſi potentis Danorũ regis coniugio animum dignabitur inclinare. Illa refert,ſe ex parentis in omni re pendere conſilio, quod illi complacitum ſit, non in ea modò,ſed omni prorſus re ſedulò facturam: attamen nulla fama viri præcurrente,neq; fortia eius facta prædicante,durum videri non ſibi modò, ſed cũctis regiis virginibus, illi animum inclinare,quem nulla res præclarè geſta illuſtrauerit. Gotwara ſermoni accedit,muliebriter blandita: opes regni,regis indolem,patrum claritatem,magnificis cœpit verbis attollere: paulatimq; duram virginis mentem ſermo permolliuit. Legati interea ad regem ingreſſi mandata promunt,promiſſionibus minas inſerunt: vt habet gentis barbaries cognatum. Rex Hunnorum mirari ſe ait,ſi negotium ineundæ affinitatis minis intẽtetur, ab amica poſtulatione propius impetrandum,modeſtius apud maioris potentię reges agendum, quàm vt terroribus exprimatur quod ſocietati poſtulatur impendi: ſe tamen interritum perſtare,ſi libeat Danorũ regi arma prius ſua quàm connubia experiri. Sed in hac re nihil pręſtantius,quàm puellę votum perſcrutari. Aduocatur filia iam Gotwaræ ſermonibus permollita, parenti permittit arbitrium: ſi tamen illi complaceat, non ſe abhorrere à Frotonis connubio, cuius præclaras dotes multas prædicauerint.

Qua regibus cõnubia feliciora.

Preces armata.

Parat

Parat pater longi itineris commeatus, & aſſumpto pro dignitate comitatu, filiam deducit futuro & iam dilecto genero. Excipitur regali faſtu. Nuptiæ inſtruuntur ad vtriuſque regis dignitatem: quibus peractis, in ſua ſe lętus rex Hunnorũ recepit.

CAP. 29.

SED in Dania ſub iuuene rege, tanta procerum creuit inſolentia, vt nihil vbiq; tutum ſecurumq; haberetur, quod cuiuſquam libidini complacuiſſet. Stupratę virgines, polluta matrimonia, vexati ciues, abalienati exteri. Primi in his flagitiis ac facinoribus Weſtmari filij, qui venalia in regno cuncta fecere. Ad vltimum, ne regiũ torum maior natu ex fatribus impollutum reliquit. Creuit aucta rumore infamia: ſed nouiſſimùm (vt fieri ſolet) regem attigit. Ita tamen regi inhęrebat adulter, vt nihil ſuſpicaretur. Auſus etiam regis germanam poſcere coniugem: quod idem multi ex iuuentute nobilium fecere. Sed iſte contractis omnibus qui puellam depoſcerent, quũ à rege ſuper his nutum accepiſſet, vniuerſos peremit: quò ſibi certiorem aditum ſtrueret ad eam ducendam. Nihil rex ea re motus, ęquè ſibi deuinctum habuit tori ſui temeratorem. Qui per inſolentiam ſuam ita regem tenebat incluſum, vt nemo, niſi dato precio, per illũ admitteretur. Ita vnus omnẽ regni ſubuerit iuſtitiã. Vẽdidit cauſas, diſtribuit matrimonia, & nihil in vniuerſis agebatur niſi per illũ.

Nimia & nequam hominum potẽtia.

CAP. 30.

SVB hoc rerum ſtatu adnauigabat Ericus quidam ex Noruagia, qui hoc regi ſuo præſtitit, vt ſpecularetur Frotonis curiam, regi ſuo renunciaturus, ſi (quod cupierat) bellum inferre Danię expediret. Vir erat prudentia ſingulari, & eloquio dulci, qui primũ certamen cum memorato adultero Weſtmari maiori filio, cui Grepp nomen, tentauit per arma Ericum eiicere. At victus eſt ab Erico. Tentauit verbis prudentiam refellere: ſuperatus eſt. Et prouenit res per multam Erici induſtriam ac fortitudinem, vt in tantum regi Frotoni inuiſceraretur, quòd primus in concilio, primus in rerum adminiſtratione, deinde Ericus haberetur. Purgauit regiam malis conſilus: quos aliter eiicere non potuit, armis expulit, oblatoque duello omnium victor cõſtitit. Ita Weſtmarum ſenem, ita filios eius ſubmouit. Ipſe quoque rex aliquando à ſuis inflammatus, Erico ſe opponens, non caruit periculis: ſemper ab Erico ſeruatus, etiam tum quum hoſtili in ſe rex animo eſſet. Eóque res deducta eſt, vt Froto pudore nimino, quòd ab externo vinceretur, inuiſam vitã finire vellet aquis: ab Erico periculis eripitur. Denique eò res peruenit, vt primus omnium apud regem Ericus haberetur. Germanam illi coniugem deſpõdit, & centurionatum, imò omnis militiæ principatum impoſuit. Reginam, ob admiſſum adulterij flagitium, etſi culpam remiſiſſet, indignam tamen toro ſuo iudicauit. Tum Erici conſilio, ne (quod cogitauit) inhonoratam abiiceret, patríque remitteret, Rollero Erici germano permittit habendam. Erico mandatum imponit, vt Gotari Noruagiæ regis filiam ſibi vxorem aſciſceret: quod & factum eſt. Cuius rei ordinem quia in Noruagia peregimus, hîc tranſimus. Wandali deinde Daniam infeſtant. Ericus acceptis ꝓ rei neceſſitate nauigiis, & induſtria & virtute peragit, vt facilè illos pœnituerit irruptionis. Reliquam autem belli molem in eam gentem, quia in Wandalia plenius ſumus executi, iſthuc lectorem remittimus. Froto autem rex pacem nactus temporum, reformandorum in regno morum curæ viriliter incubuit: leges ſanciuit, quæ bello ac pace optimum regni ſtatum facerent ac confimarent. De omnibus enim tulit ſanctiones.

Erici Noruagi incõparabiles virtutes.

Regina adultera alteri datur vxor.

Lib. 1. c. 13.

Lib. 1. cap. 14. & ſeq.

CAP. 21.

MAGNVM deinde bellum Daniæ ab Hũnorum rege exoritur. Totius Orientis viribus toto biennio bellũ apparatur. Froto quoque ex Noruagia atq; Wãdalia vires adauxit: Ericumq; præmittit cum parte claſſis ſpeculatũ, quid apud hoſtes ageretur. Ibi leuia conſerta ſunt prælia: omen tamen futuræ victoriæ Ericus referebat. Angebat Hũnorũ regẽ filiæ contẽptus, quòd reginali deſtituta nomine citeriori viro denupſiſſet. Qua ex re & Ruſſorum arma ſibi deuinxit, totumq; robur vicinorũ principũ in Daniam concitabat. Nauib. impoſiti Daniã mouent. Sed fortè non expectandum ratus in regno ſuo, ſuis ſuorumq; auxiliis communitus, obuiã vadit hoſtibus. Cõſeritur pugna naualis, multa millia vbique cadunt: ſed maior clades in Orientalibus. Itaq; retro pulſi redeũt in amnes è mari: ſtabantque in anchoris, hoſtem expectantes. Sed erat Frotoni ab Erico conſiliũ trahendi bellum in longum, vt quò plures ſtarent in hoſtili agmine, maiori citius inedia laborarent. Vbi verò hoſtium

incurſatione in aciem prodire compellitur, renouato rurſus prælio innumeram Orientalium multitudinem Dani concidunt, adeò vt cadauerum denſitate innauigabiles fluuij ſtarent. Inſignis iſta Danorum victoria, & quæ maximis rebus debeat annumerari, quòd totius vires Orientis ingenio magis quàm armis ſtrauit. Terribilem illam Romano Imperio Hunnorũ manum primus Froto cõtudit. Nec minori nũc ſtrage cæſi ſunt à Danis Hũni, quàm poſt annos quadringẽtos in campis Catalaunicis Galliarum à Gothis. Sed hæc ſuo tempore atq; loco in Suecia noſtra explicabũtur. Froto autem magno bello victor Orientis, Noruagiam quoque rebellantem miſit ſub leges. Inde tranquilla tempora vitę nactus, patriam compoſuit, furibus infeſtiſſimus: quos tãto inſecutus eſt odio, tamque atrocibus pœnis repreſſit, vt anno integro appenſæ armillæ publico itinere remanerent, audente nemine cõtingere quod exquiſitiſſima pœna vendicaſſet. Septennio deinde iocundiſſimum vitæ tempus emẽſus, filium Aluonem, Ophirámq; filiam ſuſcepit. Sed filius immaturo funere ſubtractus, ad pubertatem non peruenit. Cæterùm audiens mare Britannicum piratis infeſtum, arma vertit in Occidentem, illum quoq; victoris, vt Orientem infeſtaturus. Britanniã innumera claſſe inuadit. Rex gentis cernens virib. ſe longè minorem, deditionem offert, tributa penſurum promittit, ac omnia obſequiorum genera egregiè blanditus deſpondet. Inuitat præterea regem, vt nauibus exiens, cum quanta velit manu cõuiuio excipiendus. Subeſſe ratus inſidias Froto, mittit ſpeculatum quoſdam, qui deprehendunt armatum agmen ſyluis inſidere, atris tentoriis (quò tutius lateret) obtectum. Quod vbi renunciatum eſt, parat & ille occultam manum noctu egreſſam, quæ opportunis locis deliteſcens, ad litui ſonũ erũperet, ſuis auxilio futura. Rex Britannus preces ingeminat, dignetur excipi conuiuio, ac refici cum ſuorum manu. Pater Froto egreſſus, ac fixis per littora tẽtoriis, aulæa circumpendent. Feruent regali cũcta paratu, dolium in medio mero plenũ. Miniſtri & veſte & munditia ſplẽdidi, aurea circumtulere pocula. Danis è mari cupidè lapſis, dulcior inceſſit ebrietas: indigenę parcius poti. Vbi Danos crapula & vino madidos conſpexere, paulatim dilapſi, arma parant. Non deerant tamen Frotoni peruigiles viri, qui cuncta Britannorum geſta diligentioribus oculis ſecuti, vbi arma parari vident, dãt lituo ſignum. Emergunt tecti Danorum milites, & occurrentes arma miſcent. Funduntur Britanni: præda inde ducta eſt opulenta. Tum rex ſua reuocans agmina, cecinit receptui.

Danorũ cõtra Hunnos victoria maxima.

Britanni Frotoni ſuo malo inſidiantur.

CAP. 32. Hoc eſt illud tempus, quo, vt Romanæ ferunt hiſtoriæ, C. Iulius Cæſar Galliarum pręſes, Britanniam quoq; non ſine periculo inuaſit: nec aliud peregit, quàm vt leuibus præliis terram pulſaret, luſtrans magis inſulam, quàm ſubigens. Claudius autem Cæſar ab Auguſto quartus, validioribus armis illam inuadens, prouinciam fecit vſq; ad Saxonum tẽpora, ſub Martiano Rom. Imperatore. Quod in noſtra Saxonia plenius agemus. Sed Froto rex relicta Britannia, Hyberniam pulſat. Ea gens opum expers duram egit vitam, perinde bello terribilior: quippe cuius ferrum non aurum tẽtetur. Nam & in fugam verſi pugnant, cuſpidibus atque mucronib. in tergum relatis: quo fit, vt non pauciores fundant in fuga, quàm concidant ſtantes in acie. Tamen tum à Frotone victi cum Cepo rege, & quũ germanus eius tributa polliceretur, in iura Danorum venerũt. Quo deinde regno ſubacto, quũ ſatis occidenti datum videretur, in patriã reuerſus, tranquilla pace fruitur per annos ferè triginta. Nam tempus hoc erat, quo vera pax de cœlo deſcendit, ſub Auguſto Cęſare, iam Chriſto domino terras inuiſente, vt extrema Aquilonis regio eius perſentiret pace longæua præſentiam, in cuius manu ſunt omnia iura regnorum. Sed Froto interim ab ætate feſſus, tantam operum tranquillitatem conſecutus eſt, vt impunè aurum, tentamenti gratia, anno integro ſepi inhæreret. Erat matrona magicæ conſcia, quæ filium hortatur aurũ diripere, impunitatem ex vicina regis morte aut magico ſuffragio pollicita. Incitabat iuuenem matronę peririę fiducia, & quamuis ſupplicij ferocitas deterreret, præualuit tamen ab arte impunitas ſperata. Aurum tulit, nec potuit clàm eſſe factum, quod tam multorum oculis obſeruaretur. Præmittit rex, qui matrem cum filio abſtractam, ad pœnam raperent. Egreſſus & ipſe rex, tardante licet ſenecta, audaciam facinoris, inſigni ſupplicio compenſaturus venit. Fœmina ad

Lib. 1. cap. 10.

Chriſti naſcentis tempora.

artes ſuas cõuerſa, filium vertit in vitulum, ſeq́; bouem oculis præſtigio deluſis ingerebat. Rex miraculo captus deſcendit, propius monſtro venturus, humi conſedit. Bos toruo vultu incurrens altero ex cornibus intẽto regem fodit in latere: quo vulnere exanimatus ſenex illum habuit ex tot victoriis exitum. Corpus exanime ſollicitè triẽnio aſſeruatum, ne mors quidẽ tanto tempore eſt audita, vt in fide continerent populos, qui ad nuncium mortis protinus imperio defeciſſent.

Magica præſtigia.

CAP. 33.

Hiarni vt ad regnum peruenerit.

HIARNI homo mediocris fortunæ, ſed ſingularis ingenij, inaudito more peruenit ad regnum. Siquidem incredibilis amor in ſuum Frotonem adegit proceres de regno conſulturos, vt decernerent, illum fore regem, qui cæteros honore defuncti regis nemini impenſo præcurreret. Certabant enim vniuerſi cumulare defuncti gloriam. Ille quidẽ commemoratione rerum geſtarum diis immortalib. mortuum æquabat. Alius iuſtitiam eius attollens templo etiam honorandum putauit. Hiarni verò vir induſtrius poetices in patria lingua peritiſſimus, epitaphio condito regis memoriam apud poſteros putauit perennandam. Itaq; edito carmine, quũ recitaretur, adeò omnibus complacuit in eo, vt omnes honoris impenſo ſuperaſſe diceretur. Mox illi corona regni cum regio nomine defertur. Hoc verò carmẽ Saxo noſter Latinè reddens in eam formam quæ ſequitur, transfudit.

Frotonem Dani, quem longum viuere vellent
Per ſua defunctum rura tulere diu:
Principis hoc ſummi tumulatum ceſpite corpus,
Æthere ſub liquido nuda recondit humus:

Hoc epitaphium à Danis regno compenſatum eſt, imperiiq́; pondus paucarum literarum donatum eſt contextui. Tam exili impẽdio ingens præmium ſtetit. Diuus quidem Iulius ante hæc tempora, victoriarum ſuarum toto orbe editarum, ſcriptorem illuſtratoremq́; municipio donare cõtentus fuit. Sciat Saxo quis iſte fuerit ſcriptor: nos rerum geſtarum ab Iulio non alium teſtẽ habemus quàm illum ipſum qui geſſerat. Nam Commentarios quos tenemus, edidit inter agẽdum. Sed ne Africanus quidem, in rependendis operum ſuorum monimentis, munificẽtia ſua Danos æquauit. Illic.n. elucubrati voluminis merces auro ſimplici ſtetit: hîc regni ſceptrũ incondita verſuum paucitas miniſtrauit. Ennius hic erat, quem Africanus & ſtatua viuentem, & defunctum inſigni ſepultura decorauit. Sed regnum, quod immenſus populi amor donauit, iuſti reſpect⁹ hęredis abſtulit, qđ in ſequẽti Fridleuo dicetur.

Ennius poeta quo munere donatus.

CAP. 34.

Fridleuus II. regnũ paternũ recipere parat.

FRIDLEVVS auitum referens nomen Frotonis filius, apud Ruſſos ex victoria patris gerebat imperium: quem & proceres cum populo viuere neſciebãt, arbitrati, tam longinquã ac diuturnam peregrinationem nullã ſpem ferre ſuperextantis. Haldanus erat Erici filius, quẽ Froto pater Sueciæ præfecerat. Is à Noruagiæ ducibus preſſus, nullum certius putauit profugium, quàm vt Fridleuum adiret Ruſſiæ principem, qui & poſſet & deberet paternum beneficium in filio cõſeruare. Hunc igitur in Ruſſiam profectus ſupplex adit, docetq́; quo in ſtatu res ſua ſit: quòd Sueciam, quam ob multa merita eius pater Froto ſuo parenti contuliſſet Erico, nunc iam Noruagij inuaderent, nullumq́; ſibi ex Dania auxilium ſperari, quòd Froto rebus humanis exceſſiſſet. Vbi parentis mortem audit, exiliuit, quærens, ſi iam vitam obiiſſet, quis regni ſtatus eſſet. Ille refert, hominem ſordidæ originis vnius epitaphij merito coronam tenuiſſe. Igitur Fridleuus Ruſſiæ rebus pro tempore compoſitis amici cauſam ſuſcepit agendam, & exercitum educens vno nauigationis tenore, primùm Suecię reddit Haldanum, pulſis hoſtibus. Inde Daniam adit, paternum regnum iure ac lege ſuſcepturus. Ad præſentiam veri hęredis moti proceres, regnũ pridem delatum Hiarni dimittendum, Fridleuo tradendum decernunt. Refriguit charitas honorati regis in poeta, vt viuum eius exemplar contemplantur: iam ſatis præmij conſecutum arbitrantes, quòd honorem regium tamdiu tuliſſet. Sed quàm difficulter aſcenditur in culmen, tam illibenter apprehenſum dimittitur. Itaque Hiarni armis tueri ſe parat, & minas Fridleui & decreta procerum vno tenore contemnens. Armantur in inuicem, ac congrediuntur. Victa pars Hiarni fuga ſibi conſulit. Renouato bello rurſus concurrunt, non diſſimilis priori exitus. Igitur viribus diffiſus, ad ingenium conuertitur, inſidiis regem perempturus. Vbi in

Hiarni prælio victus, tandem duello cadit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

obliuionem veniſſe creditus eſt, mutat habitum, ora detorquet, famulitio ſe regis inſerit, ſalis coctorem profeſſus: nouiſſimus cubabat, ne internoſceretur. Ante omnia verò lauandi corporis operã fugitabat, ne à quouis noſceretur. Animaduerſũ, quòd corpus nudare vereretur: igitur cogunt poſita veſte nudari. Ibi primùm corpus cicatricib. diſciſſum apparuit. Vultum inde diligentius intuentur. Agnoſcitur Hiarni, regiq́ue detegitur. Age, rex inquit, improbe latro, ſi me ad tua vota teneres, quo genere mortis abſumeres? Duello, inquit ille. At Fridleuus: Id tibi genus pugnæ denuncio. Sumptis igitur veſtib. & armis, conſeruntur. Ibi cadit Hiarni, hoc ſecũ referens mortis decus, quòd regia manu caderet. Interea regẽ adoriũtur proceres, coniugio ſibi conſulat, deq́; regni eogiter hæredibus. Ille refert infauſtas generi ſuo nuptias, quantos parenti eius labores creauerint, meminiſſe maiores, ſe quoq; auditu comperiſſe: proinde cœlibatus multis incommodis regem ac regnum eximat. Fruſtra renititur perſtantibus, non expedire regno, ſi non per ætatem conſulatur ſucceſſioni legitimi ſanguinis. Peruincunt, inſtantes eſſe apud Noruagiæ regem filiam inſignis ſpeciei: eamq; miſſis legatis poſtulare iubetur. Haſmundus rex erat, memor quib. armis Froto Fridleui pater Noruagiam infeſtauerit: eſſe ſibi hęreditarium cum viro bellum, nec affinitatem initurum. Filia vocẽ patris indignè perpeſſa, apud ſe coarguit, quòd talem recuſaret generum. Nec minus Fridleus repetita legatione, perſtabat puellam poſtulare. Indignatus Haſmundus, repetitam legationem belli denunciationem interpretatus, legatos malè mulctatos occidit: quæ res iuſtam vltionem Fridleuo præbuit. Itaq; expedita claſſe Noruagiam petit, auxiliis Suecię fretus: regémq; prælio victum oppreſſit Haſmundum, filiam eius volentem coniugio ſociauit. Erãt ea tempeſtate inſignes pugiles, Ano Noruagicus, Biorn Danorum ſanguine. Ano inſignis ſagittarius, cognomen inde tulit. Is aduerſario congreſſurus, vt artem illi oſtentaret, aptanti arcum telum inieeit, chordáq; caput vulnerauit. Alteram deinde iaciens, digitorum intercapedinem tranſiuit. Tertiò ſagittam vulnerauit: artis peritia deterrere volens aduerſarium. Sed ille nihil motus cõgreditur. Ambo inuicti, mutuis vulneribus exceſſere. Quoties renouata eſt pugna, ſimilis exitus ſemper erat. Ambos ergo pares rex ſibi deuinxit, Anonem coniugio concubinæ donans: ex qua iam filium Olauum ſuſtulit. Nec mulieris coniugiũ refugit, honoratiores nuptias viri robore compenſans.

Fridleuus legatos violatos vlciſcitur.

Nobile pugilum par.

CAP. 35. *Froto IIII.*

FROTO quartus, & ipſe referens auitum nomen, cognomento Largus (quod ab ipſis moribus contraxit) patri Fridleuo in regnum ſubrogatur. A cunabulis ipſiſq́ue infantiæ rudimentis, adeò cunctis charus euaſit, vt ne humi quidem incedere aut conſiſtere toleratus, ſinu ſemper geſtatus, omnium oſculis frueretur. Ita non vni modò pędagogo addictus, ſed quaſi communis omniũ alumnus exiſtimabatur. Annum ætatis agebat duodecimũ, quum parens reb. humanis excederet. Vixdum armis habiles annos attigit, iam illi Saxonicum bellũ exoriebatur. Prima ibi armorum rudimenta exercebat, reguloſq́; Suertingum & Haienum, imperiũ detrectantes, ac palàm auſos rebellare, acie ſuperauit: deuictiſq́; gentibus, ſeruitutis nomine, pendendi pro capite nummi mulctã inflixit. Adeò pecuniæ liberalis, vt recenti largitatis conſuetudine, priſca militiæ ſtipẽdia duplicaret. Neq; enim ſe tyrannorũ more, communib. vitiorũ illecebris obiiciebat: ſed quicquid honeſtati proximum prouidebat, ardenter appetere, opes in propatulo habere, cęteros largiẽdo præcurrere, omnes humanitatis officiis anteuenire, & (quod omnium difficillimũ eſt) virtute inuidiam vincere cõtendebat. Cuius rei gratia breui tantam apud omnes claritatem contraxit, vt adoleſcens non modò maiorum titulos exæquaret, ſed etiam vetuſtiſſima regum monimenta tranſcenderet. Cuius temporibus Starcuterus, vir corporis virib. & robore pręſtans, animo ſuperabat vniuerſos giganteę magnitudinis, & qui trium hominum continuatas impleret ætates. Hic regis fama permotus, ab Oriente, quæ illi patria extitiſſe perhibetur inter Eſtones, cum ſociis adnauigãs, nauſragatus, & ſocios amiſit & ratem: ipſe vix enatãs, peruenit ad hunc Frotonem. Eiq́; corporis & animi dotib. præcipuis conciliatus, naue præcipua donatus, piraticã iubetur auertere. Multa hic præclara vbiq; facinora peregit, quæ partim in Suecia attigimus. Sed quod ad Daniæ regnum pertinet, iſte locus popoſcit. Wicarum Norua-

Saxones tributarij.

Starcuterus gigas.

Lib. 1. ca. 41.

Noruagienſium regem vicit. Bemoni piratarum principi iunctus, mare latrociniis purgauit. In Ruſſiam quoq; enauigās, relictis ratibus, terram populabundus ingreditur. Incolæ congreſſum pertentantes, repelluntur: ſed dolis vincere quos viribus haud poterant, aggrediuntur. Aculeos tribus mucronibus extantes fabrefaciunt, vt omni caſu prominneret acumen, quod gradientis calcaneum vulneraret. Vbi cōperiunt, ligni ſubligamina pedibus aptāt, nec ſic remorati ab hoſtibus. Cum Hacone Daniæ tyranno adnauigat Hyberniā. Quippe magnitudo ditionis effecit, vt ſub rege reguli multa propriis auſpiciis ſibi bella deſumerēt: quod poſterior ætas luculentius oſtendet. Proxima Starcutero militia ab Daniæ rege imponitur, vt aſſumpto Wino Wandalorum principe, Oriētis populos defectionem meditantes, in fide cōtineret. Curetes, Sembri, Semigalli, gentium nomina tum erant: quę iam partim variata, partim immutata ſunt. Ad Ruſſiam vſq; perueniunt. Ibi inſigni robore Wiſimus auſus congredi Starcutero, quòd ſupra virium fiduciam, hebetandi quoque ferri peritiam haberet: ſed nihil ea profuerūt in hunc hoſtem. Nam & vires effregit, & quem ferro non potuit vulnerare, ictibus iteratis ad mortem perduxit.

INTEREA Saxones pertæſi ſubiectionis ac tributorum, quia totis agminibus pares regi eſſe non poterant, mittunt qui regi duellum offerret, cuius detrectandi nemini tum erat fiducia: hoc ordine regem Frotonem ſuis ceruicibus abigere ſperātes, quòd Starcuterus (vt compertum habebant) cuius etiā formidoloſa virtus eſſet, longè peregrinaretur: regē non auſum ſe credere Marti reputabāt. Quumq; rex prouocaretur, nihil motus, breue tempus dandi reſponſi exegit. Aderat Starcuterus: iniquā ſortem ſubire regē non eſt paſſus. Regibus.n. aduerſus reges, non plebeios, pugnam ineundā. Si quid auſint Saxones, adeſſe curēt qui Starcutero occurrat. Regreſſi Saxones, ſuis ea regulis reportant, Starcuterum depoſcere pugilem qualemcunq;. Erat in Saxonum gente Hama præcipuis virib. & induſtria pugil. Hunc magno ære appreciatum, Starcutero deligunt opponere. Accepit cōditionem Hama, pugnæ ſe parat, viribus fidens: quòd integra eſſet ætate, quum aduerſarius illi vetulus videretur. Aggreſſi pugnam parib. animis: Hamam edium amplexurus Starcuterum accurrit, luctæ quàm pugnę malens ſe credere. Strauiſſetq; ſenem flexuoſus, ni præueniens ſenior, pugno illum deieciſſet, vt genib. niteretur. Vbi exurgere parabat, medium conſtringit Starcuterus, opprimitq; violentè. Pugnæ precium, ſexaginta iugera agri, totidemq; mancipia promeruit à rege. Inſolētiam autem Saxonū, grauato priore tributo mulctauit. Nam quod antea pro capitibus, tum pro ſingulis artubus pendere ſunt iuſſi. Quæ res morte grauior fortibus viris viſa eſt. Nam Haneſus ex primorib. vnus, vitā patrię impendere, quàm tali tributo premi ipſam præoptauit. Itaq; liberandæ patriæ gratia, per omnem prouinciam ad arma conclamatur. Froto rex ductis in arma copiis, Albimq; traiectis, apud oppidum Hanofro, nūc Hanouer vocitant (quod ab eo ferunt nuncupatum) hoſtem fudit. Suertingus autē alius ex primoribus, quum imparem ſe liberandæ patriæ armis cerneret, dolos nexuit, vt tributo & Danica dominatione prouinciām laxaret. Regem obſequio deliniuit, & ad epulas euocauit. Ille nihil veritus fraudis, dum arma timerentur, proceſſit: & vbi regio luxu iam cuncta feruerent, ſolutus vino rex Daniæ fraudi ſubiacuit. Nam triclinium (ſic ordinante Suertingo) cui rex cum proceribus inerat, ipſeque non deeſſet, communi incendio ſublatum, vtrumque peremit,

Starcuterus duello Hamā sternit.

Saxonis audax facinus ad patriam liberādam.

—Vtcunque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriæ, laudumq; immenſa cupido.

Si res eget exemplo, quid aliud vetuſtiſſima memoria egit Sāſon ille peculiaris populi liberator, quid vterque in Romanis hiſtoriis Decius, niſi vt patriam liberantes, ſe ſuumque caput hoſtium impenderent perditioni? *Iudic. 16.*

INGELLVS patri ſuccedit in regno Frotoni. Cuius tenera ſub parente educatio eò peruenit, vt deliciarum cultor & vnicus amator haberetur: arma, equi, militia poſtrema illi cura fuit: fartores, lixæ, frixoria, gulæ multiplices officinæ parabantur. Quib. moribus auerſatus vir fortiſſimus Starcuterus, deſerto Ingello ad regem Sueciæ Haldanum ſe contulit, negocium ocio (vt conſueuit) præferens. Nec tamen cura illū deſeruit Frotonianę domus. Nam vbi audiuit regis filiam peregrinos ſequi

CAP. 36.

CAP. 37.

Ingell' Dania rex voluptatibus deditus.

amores,artificemq́; fretum ingenio,regalem torum ſtupro polluere non vereri, eò ſe contulit,& hominem molliter agentem,vbi ſe pectendum regali puellę prębuit, in ipſo pectentis gremio confodit: grauiter increpans puellam, quòd oblita pudoris,oblita regij ſanguinis,tam fœdis ſe implicaſſet amorib. Suertingi autem Saxonũ principis filij, veriti nequando Ingellus paternæ necis memoria excitus, in eos ferretur,præuenire fœdere hominem contubernióq; cœpere. Nam germanam ſuam Ingello regi vxorem dedere,primas per illam partes in palatio ſortiti: vt nihil in grauioribus rebus,niſi per illos,aut illorum conſilio gereretur. Huius rei pertæſum ferunt Starcuterum,quum per abſentiam à Daniæ regno res in Suecia Noruagiaque maximas egiſſet,contendit in Daniam, Frotonis domum ſordibus (vt ille dicebat) purgaturus. Carbonum ſtruem humeris impoſuit,regiamq́; petiuit. Quid ita onuſtus carbonum ſordibus incederet,rogatus ab obuijs, Ingelli, inquit,ingenium his percaleſcentibus, incudi impoſitum,acuere pertentabo. Viſus ab ijs qui hominem non nouiſſent,inſanire,prætieritur. Vbi venit in regiam, primas ſedes illuſtriori loco delegit. Regina hominem intuita,mole corporis vaſtum,cicatricibus diſciſſum, veſte ruſtica,tetro oris colore ſordidum, Quid,inquit,ineptiſſime,ſedibus polluendis incumbis? Cede loco,& regijs proceribus ſubſellia ſtrata relinque. Ceſſit ille parumper, nihil ex oris ſeueritate remittens. Nec diu rex Ingellus ex venatione rediens ingreditur,conſpicaturq́; virum noua forma habituq́; nouo:& vt nec aſſurgentem vidit,ſtatim incidit in mentem,eſſe Starcuterum: conuerſusq́; in reginam,quo illum honore excepiſſet rogat. Illa ignotum hominem,& vultu & habitu ruſticum deteſtata,etiam tum apud regem accuſat. Tace,inquit,ac parce conuitijs. Paternorum decorum hic autor,omnisq́; illuſtris ſub patre militiæ ductor extitit: quem etiã decedens pater,tutorem regni eſſe voluit. Statimque verſus in illum, ſaluere iubet, gratulaturq́; incolumem aduenisse. Regina mirata,cœpit & illa blandiri ignoto hoſpiti,veniamq́; poſtulare,quòd incognitum conuitijs laceſſiſſet. Ventũ erat ad conuiuium: ibi Starcuterus inter primos collocatus, oppoſitos habuit regis leuiros Saxones. Cæteri luxui indulſere conuiuij: ſolus Starcuterus de oris vultusq́; ſeueritate nihil remiſit. Regina iocis ad hilaritatem dictis, hominem pellicere curabat ad animi remiſſionem: at nihil agebat. Munera protulit,mitras auro intertextas: vt inter conuiuia vteretur. Ille reiecit in ora largientis. Rex ſtupens,rem conſiderat: cæteri admiratione hæbebant,quò euaderet viri iam fama incogniti,auſtera ſeueritas. Ibi Starcuterus longa oratione laudes Frotonis commemorat: indignam cędem ab hoſpitaliter inuitantibus perpeſſam deplorat: regis Ingelli incuriam grauiter accuſat,quòd patris mactatores non ſola donet impunitate,verùm etiam primis in palatio ſedibus honeſtaret. Huic rei,grauiſſimis verbis atq; ſententijs (quas Saxo noſter carmine Sapphico decorabat) tamdiu immoratus eſt, donec rex excandeſcens ad arma concurrit,leuirosq́; ſuos in ſacris menſæ obtruncauit: vicem rependens,quòd parentem ſuum,ſimili nece, conuiuio exceptum,per inſidias oppreſſerint. Starcuterus regem iam feruentem adhortatus,etiam manu adiuuit,vt regiam malis conſilijs,curiam alienis Teutoniæ moribus purgaret, inſignemq́; paternæ necis peragere vltionem. Exulaſſe virtutem Ingelli,non exſpiraſſe docuit fortis incentor:& rege collaudato,quòd in virum rediſſet,ipſe quoque in Sueciam remeauit. Cętera regis huius facinora ſepeliuit obliuio.

Starcuterum ſtupratorē regis filia trucidat.

Starcuteri libertas & prudētia in arguendo.

Lib. 6.

CAP. 38. *Olaus.* OLAVVS Ingelli (vt ferunt) filius, fratribus tribus mutua cæde belloq́; conſumptis,poſt patrem regno potitur. Sunt qui ex germana Ingelli ferant non filium, ſed nepotem. Vtcunq; fuerit,regnaſſe illum poſt Ingellum tradit antiquitas. Nec vlla pręterea eius remanſit memorabilium rerum memoria,niſi quòd ad vitę finem,geminis filiis, Frotoni & Haraldo,ita partitur imperium,vt alternis vicibus,alter terra,mari alter imperaret. Et ſi requiras, Quid maris imperiũ,niſi infinitos remigum ſumptus haberet,graue perinde teneri,nec emolumenti aliquid allaturum? Compertum eſt huius etiam Saxonis (quem autorem ſequimur) teſtimonio,apud veteres huius ditionis homines,iuſtum eſſe habitum quæſtum exercere piraticam, non aliter in tranſeuntes mercatores,quã in hoſtes fuiſſe degraſſatos. Nec Wandali huius maris littora incolentes ad Auſtrum, eius negociationis (vt ita dicam) expertes fuere:

Piratica olim vitio nō dabatur.

fuere: quum à nõnullis Danorum regibus in illos vindicatum ſit, quod ipſi ac maiores eorum peregere. Fuere tamẽ inter reges huius nationis, qui rem ſceleſtã peroſi, ſummis conatibus improbitatem illam ſunt inſectati, quod ſuprà de Frotone retulimus eo, ſub quo natus eſt dominus noſter Chriſtus. Chriſtianis autẽ temporibus omnis ea deprædatio piratica abolita eſt. Sed & Saxones noſtros arbitror nõ nihil ea tempeſtate illius dulcedinis deguſtaſſe, quum ex Albi Amaſiq; nauigarent in mare Britannicum: & iam Maximiani Imperatoris temporibus infeſtaſſe maria cum Francis, Romanorum teſtimonio, in Saxonia docebimus. Ac peruenerũt vſque in Britanniam occupãdam. Nonnunquam etiam Danis manus conſeruerũt, Iutiam diu tenentes: & poſtea longo maris circuitu enauigantes, omnem Cherſoneſum Cimbricam, quæ Iutia eſt, quàm longiſſimè procurrentem in Boream, in mare Danicum (quod & Balticum dicitur) perueniſſe.

Saxones piratæ.

Cap. 39.

Haraldus.

HARALDVS natu minor Olaui filius, ex paterna diſtributione regnum tenuit, quũ interim germanus eius Froto mari imperaret. Hic Haraldus mutata vice, meliori quàm inter Thebanos fratres fide, quum maris imperium ex fratre ſuſcepiſſet, vacuum coniugio militem legit, fraternę fruſtrationis euentum metuens. Nam ille, magno ſuo detrimento, per delectum militum indiligẽter habitum nihil profecit. Sed in Haraldo fortuna delectui reſpondit: quippe tam glorioſum piratam egit, quàm frater inglorium geſſerat. Quę res fraternam inuidiam excitauit. Quinetiam fratrũ coniuges Sygne & Vluilda, alterum ſimultatis incendium excitarunt (quarũ altera Sueciæ rege Siwardo, altera Carolo Gothiæ præfecto, quem nos ducem vocitamus, orta fuerat) crebra nobilitatis contentione rixantes, alternos maritorum ſoluêre conuictus. Quo euenit, vt Haraldus & Froto, rei familiaris ſocietate cõuulſa, communem partientes ſupellectilem, plus muliebris rixæ iurgiis quam fraternę charitatis officiis indulgerent. Sed Froto fratris claritate deformem ſe fieri cõtemptumq; ſibi ſtrui iudicans, per quendã familiariũ occultè eum interfici curat: quòd quem ætate vinceret, ab eo ſe virtute vinci non pateretur. Quo peracto, ne ſi eius à cõſcio proderetur, inſidiarum quoque miniſtrum tacitè iubet ſubmoueri. Et vt innocentię ſibi fidem pararet, notamq; ſceleris euitaret, quiſnam rerũ caſus inopinata germanum clade ſuſtulerit, latius inueſtigari pręcepit. Sed neq; tot artibus perficere potuit, quò minus eum tacita vulgi notaret opinio. A quo Carolus Gothiæ dux, quiſnam Haraldum occidiſſet, poſtea rogatus, diſſimulanter ei notæ rei quæſtionẽ facere reſpondit. Quo dicto mortis etiam ſuæ cauſam acciuit, Frotone exprobratũ ſibi latenter parricidium iudicante.

Froto fratrẽ Haraldum interfici curat.

Cap. 40.

FROTO eius nominis quintus, rex fraterna cæde reſperſus, ſolus ſuccedit in regno: verùm ꝓbãs quod ille canit, *Nulla fides regni ſociis.* Nec melius geſſit quàm peperit regnum. Nam parricidium quod commiſit in germanum, extendit ad nepotes, fratris filios perſequẽs ad mortem. Nec.n. ſecurũ ſe regnare exiſtimauit, quamdiu ſupereſſent paternę necis vindices. Erant aũt Haldanus & Haraldus Haraldi filij ex Sygne Caroli Gothi filia ſuſcepti: qui quum ad necem à patruo quærerentur, ab eorum tutorib. callidior ſeruandorum pupillorũ ratio excogitata eſt. Nam truncos luporum vngues ſudib. innectentes, contiguũ penatibus ſuis lutum, obfuſamq; niuibus humũ, crebris decurſib. exarare cœperunt, ferini inceſſus ſpeciem præbituri. Deinde trucidatis ancillarũ liberis, eorumq; corporibus fruſtatim diſcerptis, lacera paſſim membra diſiiciunt. Itaque requiſitis adoleſcentibus, nec inuentis, fuſi reperiuntur artus, ferarum veſtigia demonſtrantur, tellus cruore delibuta conſpicitur. Creditum eſt, pueros lupina ingluuie conſumptos periiſſe: nec cuiquam ferè de tam manifeſto lacerationis argumento dubitare conceſſum. Cuius ſpectaculi fides pupillis pręſidio fuit. Qui mox à tutoribus caua incluſi ilice (ne vllum vitæ eorũ indicium ederetur) diu ſub canum ſpecie nutriebãtur, latrantúmque eis indita vocabula: quò minus latentium opinio vulgaretur. Solus Froto mortis eorum fide reiecta, latebræ locum ex perita augurij fœmina cognoſcere inſtitit. Cuius carminũ tanta vis erat, vt rem quantalibet nodorum cõſertione perplexam, à longinquo ſoli ſibi cõſpicuam, ad contactum euocare poſſe videretur. Prodidit hæc mulier viuere paruulos, Regnonem quendam ſub canũ ſpecie alere incluſos. Iam ſe deprehen-

Qua ratione ſeruati ſint qui necati a q rebantur.

ſos cernentes tutores,mulierem eam maleficam ſecretò adoriuntur:aurum multū largiuntur,vt conuerſis rebus paruulos occultet.Promittit operam.Redeuntes regii,quum cætera de paruulis ſcrutarentur,ſubitò concidit anus,& pallore cõtracto obmutuit.Dum reſipiſceret,rogata quid accidiſſet,inſcrutabilem,ait,interueniſſe pupillorum latebram,quam enodare non præualeret.Igitur Regnon acceptis paruulis,contendit in Fioniam.Sed regibus longas quis neſcit eſſe manus,aures quoq; dixerim,quibus omnes blandiuntur? Defertur regi tutor cum paruulis. Ille verſus in preces,ſupplex orat,parcat innocentiæ:ſatis ſit,perempto patre orphanos eſſe:ſe curaturum quàm ſanctè iurat,quamdiu ſuperſit,non nocituros:quod ſi prohibere non poſſit,indicaturum regi.In hęc iurati verba,parcitur vtriſq;. Adoleſcūt pueri: & vbi armis idonei videntur,recrudeſcit paternæ necis iniuria. Regnon diſſuadet vindictam,perituros ſi ſe commoueant. Vbi non perſuadet,cõtēdit indicare regi,vt caueat. Interim paterni amici conſolantur, iungunt vires:ſed priuſquam cõuenirent,res regi detegitur. Qui imparatos oppreſſiſſet,ſi non ipſi ſibi ſimulato furore conſuluiſſent.Ita n.ſe geſſere, vt cuiuis facilè perſuaderetur,iuuenes furere.Itaque rex contempſit furentes.Sed illa accepta opportunitate armis & flammis inſtructi,regiam incendunt, reginam lapidibus obruunt:regem latibula quęrentem in cuniculo fumis & flammis extinguunt:ita paternæ necis iniuriam peragentes.

Froto parricida a fratris liberis necatur.

ALBERTI KRANTZII
DANIÆ LIB. II.

CAP. I.

Haldanus II. Sueciam occupat.

HALDANVS inter fratres natu maior,mox regno ſuccedit:ſed ſolo triennio tenuit,fratri permittēs. Interim Haldanus Hallandiam,eiq; finitimas inſulas, quas à Sueciæ cõplexu ſinuoſus aquarum diuellit anfractus, piraticis populatur inuectionibus.Ibidē ſubductis hyeme nauigiis, ac vallo cinctis,expeditioni tali triennio operam dedit. Mira rerum perplexitas: dulcius eſſe homini perpetuo labore atteri,periculiſq; ſine fine immitti,potius quàm regno inſiſtere,quietem agere, tranquillitati ſtudere. Sed eſt hominum genus inquietum,cui in negocio plus quàm ocio ſuauitatis eſt: dum parua fœliciter peragit,ad maiora ſe præparat. Nam vbi ſatis illi viſum eſt comparaſſe virium,Sueciam totam inuadit, eiuſque regem bello laceſſitum in aciem prodire cogit, conſertáque manu opprimit. Huius erat regis nepos, Frotonis verò patrui ſui filius, ac perinde ſibi fratruelis,aut (ſi expreſſius dicendum eſt) frater patruelis. Hunc quoque bello adoritur, quòd ſanguinem in eo Frotonis peroſum haberet, à quo ſuus pater periiſſet. Eædem Erico in Haldanum erant iuſti belli maximæ cauſæ: quòd parentem ſuum Haldanus peremiſſet. Erat Erico pugil Aquinus & viribus præſtans, & hebetandi ferri peritiam callens. Aduerſus quem Haldanus ingentem clauam ferreis nodis inſtituit: vt quem vulnerare haud poſſet, ictibus contuſum collideret. Prælio congreſſi acerrimè pugnant. Occurſantem ſibi in acie pugilem, acriori geſtaminis impactione ſubruit. Victus tamen acie Haldanus in Helſingiam fuga delapſus, curandis vulneribus, quæ multa in prælio acceperat, per Lutolfum quendam Haraldo militantem,operam impendit: cuius medicæ artis peritia integritatem adeptus,accito Torone conſpectioris virtutis pugile, Erico bellum denunciat. Perducunt agmina in campos. Speculatus ab alto Haldanus, maiores eſſe Erico quàm ſibi copias, quibus non tutò in acie ſe committeret, ad inſidias vertitur:occupans fauces montium,quibus erat recto itinere ducendum in hoſtem,reliquoſque in ſubſidiis collocauit. Quippe anguſtiis viarū inter montes Sueciæ,creberrima ſunt itinera. Sed neque Erico cauendarū induſtria defuit inſidiarum. Proſpiciens enim hoſtile conſilium,copias ſuas circumducere curauit,& in patentibus locis hoſti occurrere. Vbi ventum eſt ad id loci, vbi explicarentur agmina, directæ ſunt acies, grauiterque vtrinque prçliatum eſt, multis viciſſim cadentib. Sed tum vt

Haldani virtus & vafrities.

numero

numero militum,ita prælio ſuperatur Haldanus.Prouiderat iam cacumen,ſub quo reducenda erant Erico agmina ſua:qui iam prælio victor, non magni fecit quâ copias reduceret.Igitur Haldanus iam crebris ſaxis illuc comportatis, montis verticẽ cum reſiduis aſcendit, ſaxáque de præcipiti ſuper tranſeuntis per anguſtias ſaucium Erici copias prouoluit:pluresque per eam rem,quàm prius in acie oppreſſit:Ita æquatis diſcriminibus,qui victor abiit,victo ſimilior obtritis agminibus videbatur. Perindéque fugato Erico, ipſe ſecutus Sueciam accepit in deditionem.Tantũ valuit fama prouolutorum de monte ſaxorum. Vnde etiam illi cognomen acceſſit, quòd effractis montibus pugnaſſe videretur.

Cap. 2.
Haraldus II

Haraldvs Haldani frater,ipſo foris bellicas res curante, primùm in Hallandia,deinde in Suecia,Danici regni rebus,permittente germano,rex præfuit: tranquilla meritus tẽpora,ſi non illi ex victoriis fratris labores & pericula excreuiſſent. Quippe Ericus occiſis per Haldanũ (vt diximus) copiis,fuga magis quàm armis ſibi cõſulens,prouidit interim auxilia ſibi,contraxitq; arma vndecunq;. Et quũ Sueciam omnem inuiis montib. penè impenetrabilem cerneret, quòd occultis ſaltib. præſidia Haldani ineſſent,in Daniam arma conuertit:tantum inibi tumultus excitaturus,vt Haldanum defendendę patriæ gratia commotum,Sueciæ regno extraheret: fœlicioribusque auſpiciis ſe in alieno quam in patrio regno dimicaturũ ſperans.Ita.n.vſu compertum eſt frequenter,relatumq; in hiſtorias,vt fortiſſimi duces ſuis in larib.victi,in alieno ſolo depugnantes victoriam reportauere.Scipionis inde maioris Aphricani exemplum recordetur,qui ex aliis gentib. depoſcit teſtimoniũ. Iam comparatis copiis, Ericus illas in Daniam curauit tranſportare:nihilq; hoſtile timentẽ aggreditur Haraldũ.Ille iam fraternis victoriis fretus, ſecurã agebat ætatẽ. Vbi tamẽ audiuit adeſſe hoſtes,nec ſequi germanum,tumultuarios (vt fit) longaque quiete armis diſſuetos milites conſcribit, armat,educit:hoſtib. venit obuiam,explicans acies. Sed ea tum fortuna fuit,quę eſſe ſolet imparatis & inexercitatis,cum paratiſſimis & vſu bellorum aſſiduo attritis. Cedit Haraldus,lacerũ agmen ſparſumq; recolligens,vires reparat: cõtractiſq; auxiliis, maiori fiducia melioriq; paratu iterũ hoſtib. ſe offert in aciem. Sed nulla re melior quàm pridem fortuna fuit. Iterum fuſus fugatuſq; prælio exceſſit Haraldus. Necdum animos poſuit,memor fortiũ progenitorum,qui ſemper in acie procũbere, quàm hoſtib. manum dare pręponebãt. Quantũ potuit,amiſſas copias ſuppleuit,iterũq; educit ad pugnã.Quũq; diu hoſtes fortiſſimè dimicãdo,Dani ſuſtinuiſſet, cadit Harald' inter cõfertiſſimos hoſtes. Ibi quũ nihil fuga potius viſum eſt,Ericus ter acie victor,poſtremò rege occiſo, Daniã in poteſtatẽ accepit,cõpenſans amiſſã Sueciã,non minore regno quod obtinuiſſet.

Bellũ è patria in hoſtium fines transferre.

Haraldi caſus.

Cap. 3.
Haldanus Ericum victum beſtiis obiecit.

Haldanvs accepto nũcio de amiſſo regno, oppreſſoq; fratre, quamproperè copiis Daniã repetiuit. Non erat Erico fiducia Haldanum in prælio ſuſtinẽdi: ſed recto profectus eſt itinere, Sueciam iam rege vacantem denuo occupare: quę res illi fœlicius ceſſit,quàm diu conſeruare. Nam Haldanus vbi patrium regnum compoſuit,comparata claſſe in Sueciam adnauigat, ſciens multos in regno ſui nominis amantiſſimos. Nec illo ſegnior Ericus in naues confert exercitum, fœlicius (vt putabat) mari quàm terra pugnaturus. Haldanus claſſem ſuam in remotiſſimo maris ſinu condit, & cum paucis nauib. occurit Erico. Ibi cernens adeſſe hoſtem, pronus fertur in illum inſequendum. Haldanus fuga inſequentem eludens,iam iam (vt videbatur) capiendus,in eum locum protraxit Ericũ,in quo ſua claſſis delituit. Ibi captus Ericus,quum vitam hoſtis permiſſione habere potuiſſet non inhonoratã,contempſit:hoc ſolùm deplorans,quòd nõ in acie fortiter pugnãs cecidiſſet. Quumque mori decreuiſſet,non illum tamen ſanguinis regij contemplatione trucidandũ putauit victor,ſed religatũ miſit in loca feris beſtiis frequentata. Hic Erico exitus fuit. Haldanus verò,quos deinde in Sueciæ regno ſucceſſores habuit,quia eo loci commemoratũ eſt,hic tranſibimus. Vir militarib. rebus omnem ætatẽ attriuerat,de nuptiis minimè ſollicitus. Sed ſuorũ illi commonitio non deerat,conſuleret regni ſucceſſioni,quãdo ſe mortalem meminiſſet. Nulla.n.res tam ad ineundas nuptias impulit,quàm quòd audierit duello oppoſitã Hatheri Noruagiã regẽtis filiam. Grimmo erat pugil eximiæ virtutis, qui eam fretus viribus inceſſanter coniugem expe-

Suecia lib. I cap. 43.

rebat. Edixit pater eius puellæ, huius viri importunitate cupiens carere, vt quicunque illum vinceret, filia vxore potiretur: ita cuiuis illam quam homini importuno dare malebat. Haldanus conditionem rapuit, & in Noruagiam adnauigans, pugnę ſortem ſubiit: nec detrectauit inferioris ſortis homini ſe committere. Iam enim ingruente ſenecta defectior viribus pugili videbatur. Vbi cōgreſſi ſunt, primosq́; pugil regis ictus expertus eſt, Nunquam, inquit, vetulum acrius memini dimicatem. Ibique victus Grimmo, victori ſponſam reliquit regiā puellā. Ex qua Haldanus filium ſuſtulit Haſmundum, diu poſt illum Noruagię regnantem: vnde genus ſe ducere Noruagiæ reges gloriantur, referentes ſanguinis originem in Haldanum. Qui multis vndiq; victoriis auctus, pacemque nactus, in circumitu ſpiritū in ſenectute bona reddidit: teſtamento facto poſt ſe deſignabat ſucceſſorem.

Vxor ſingularis certamine comparatur.

CAP. 4.

Regnū teſtamento legatum.

VNGVINVS Gothorum rex erat, quem Haldanus poſt ſe re gni moderatorem in Dania deſignauit, Noruagię Haſmundum impuberem filium relinquens: nouū & antehac incompertum munus teſtamento datum. Equidem ędes, agros, prędia, vineas, & his ſimilia, teſtamento dari putauimus: regnum autem præſtare chartæ beneficio, prodigij loco habitum eſt. Sunt tamen in Romanis hiſtoriis huius rei nō diſſimilia legata. Siquidem Attalus rex Romanum populum ſcripſit hęredem: & alij liberis ſuis eundem populum fecere tutorem. Sed in hac regione, niſi inſignis aut virtus aut induſtria vires teſtamenti adiuuiſſent, non eſt veriſimile, Daniæ proceres cum populo tam facilè ceſſuros defuncti regis voluntati. Conciliauit autē hunc regem Haldano virtus conſpecta, & humanitas non vulgaris. Familiaritas autē inde regibus inceſſit, quòd Ebbo princeps piratarum, minis & prouocationibus regem Gothorum inquietabat, filiam illi ſuam deſpondere cogens. Non erat Vnguino fiducia vel armis repellere, aut duello concurrere prouocanti. Recuſare autem duellum, extremæ habitum eſt in hac gente illa tempeſtate ignominiæ. Ergo quod res ipſa coegit, fecit Vnguinus, filiam Ebboni deſpondit. Peruenit eius rei fama ad Haldanum. Non tulit ille indignitatem rei, quòd vir plebeius ſcelere & latrociniis inſignis regiam puellam minis extorſerit à parente. Vbi conſtitutas accepit nuptias, eò profectus eſt cum expedito comitatu: ſed illo clàm habito, veſtem ſumſit ruſticam, poſita regali: oreq́; parumper diſtorto, & ex induſtria turpato, ne internoſceretur, ingreſſus regiam percunctatur, quem generum rex delegerit. Ebbonem oculis ac manibus regi proximè iunctum deſignant. Haldanus propius accedens, audiēte iam Ebbone, iterum, quem rex generū delegerit, rogat. Tum ſtomachabundus Ebbo, quid homini ruſticano videretur talia percunctari, ſe eſſe quem rex ſuo ſanguine dignum iudicaſſet. Ad quod ille, Quando, inquit, talem ſponſam prouocatione meruiſti, ſi quid tibi virium, ſi quid fiduciæ eſt, exurge, occurre prouocanti. Ecce vetulus demoror arma tua. Non erat liberum recuſare: ſed abigere voluit hominem qualicunque ratione. Laruarum eſt, inquit, noctibus pugnare: ego non niſi luce depugno. Satis, inquit, ſubluſtris lunæ ſpeculo nobis luminis eſt ad pugnā. Aſſurge, ſi quid eſt animi. Proceres qui hactenus ſiluere, viua voce iubent, prouocatum non detrectare, quod crebrius obtuliſſet. Peruicit rubor, vt prodiret. Extemplo Haldani armis victus occubuit, nuptiasq́; vertit in funus. Ex eo tempore conſtrictum Haldanum Vnguinus amauit, tantùmque meruit redamari, vt regno hæres fieret. Cæterùm ab illo, aut ſub illius imperio geſtas res nullas penitus accepimus: niſi quòd ab æmulo regni Regnaldo bello preſſus oppetierat.

Piratarum principis quanta potentia.

Duello nuptiatam inſtituta diſturbantur.

CAP. 5.

Sygirutha pudicitiæ ſignis, Sacrum & continentur, non poteſt adduci.

SIWALDVS Vnguini filius, in Daniæ regno patri hæres extitit atque ſucceſſor. Cuius tempora illuſtrauit Sygirithę filiæ inexpugnabilis pudicitia. Tāta ſibi conſtātia oculorum nutus parere iuſſit, vt nunquam viri faciem paſſa ſit intueri: quū multi ex primoribus iuuenes, petendæ coniugis gratia pertentarent, ſi aut verbis aut ſignis pelliceret puellam, ad ſe vel in momento cōtuendos. Ipſa rei nouitas multos (vt fit) ad experimenta ſumenda exciuit. Pater autē quū ob inſignes corporis ac animi fortunæq; dotes à multis ſollicitaretur ad filiā deſpōdendā, conſtituit, vt inter multos petitores is puella potiretur, q eius in ſe intuitum poſſet extorquere. Otarus quidam inter primores, & formæ fiducia, & eloquentiæ gratia, accedente generis dignitate, cū reliqua eius rei fortuna, rem experimento ſtatuit pertentare. Interpellat,

mul-

multa pollicetur, confert varios ſermones, ſerios ac ludicros: nihil proficit, nihil illa mouetur. Inuentus eſt, qui tanta virginis ſingularitate moueretur, vt ſubmiſſa fœmina, quę ſe illius familiaritati inſinuaret, ſermone occepto, virginem in eum locũ pertraheret, in quem ſe raptor occuluiſſet. Itaque rapitur. Sed vindex Otarus adeſt, puellamque nihil violentiæ paſſam eripit, magno capitis ſui diſcrimine. Iam ꝓmeritus ſibi videri ſolebat, quem illa maritum dignaretur. Crebro igitur colloquio illam repetit, à patre conſtitutam conditionem impleturus. Sed illa nõ magis mouetur, *quam ſi ſtet Marpeſia cautes*, vt ille ait. Importunitate eius carere cupiens, ancillari veſte ſumpta, patriis penatibus ſeſe effert: remotioris ſolitudinis dominam nacta, pecudes eius paſcere iubetur. Otarus autem, quem impatiens amor agitabat, vbi regia audiuit exceſſiſſe, nulla interpoſita mora, omni paulò illuſtriori loco perquiſitam non inuenit. Rura cœpit indagare: diuque quæſitam, in ſeceſſu longo reperit ad oues paſcendas excubantem. Illa vultum contegens, quęſitoris diligentiam fruſtrare conatur. Sed attentiorem faciebat longa inquiſitio. Vbi agnouit, Cur, inquit, regia puella, tantis te latibulis recondis? Cur fugis & patrem & patriam, & ſordidis te miniſteriis obſcuras? Cur tot amatores contemnis? Otarum in primis tuum, qui non dubitauit ſuum periculo pro te caputq́ obiectare, qui tot millibus peragratis, his te penaribus magno vix labore potuit reperire. Tot meritis ne vnum quidem oculorum intuitum rependis? Quid ſi maiora depoſcerem tantis laborib. præmia? Non amplexum, non oſcula, non riſum expoſco: ſemel erecto vultu, oculis tuis meritum intuere. Pertinax puellæ inſtitutum frangi non potuit. Pertæſum eſt tandem tanti laboris, damnauitq́; votis ſuam contemptricem. Illa tamẽ, ne omnino fruſtrari pateretur tanta pro ſe conatum, lares eius habitu petit diſſimulato. Otari mater vultus explorans aduenæ puellę, generoſum aliquid deprendit in vultu. Filius non diu aberat, amatam illam ſuam adeſſe cognoſcit: & quoniam verbis toties fruſtratis nihil egit, nouum ſumere tentet experimentum. Simulat inſtare nuptias cum aliunde aduehẽda ſponſa. Multus vbique per omnem domum apparatus. In cubilis miniſterium cum nonnullis aliis peregrinam conſtituit puellam, nuper matris miniſterio conſtrictam: lucernam illi tradit manu tenendam. Inde diſcurſus cæterorum varij: longaq́; mora interpoſita, lucernula conſumptis cæris ad lychnos deſcenderat, manumque tenentis adurebat. Illa pertinaciter tenens, miniſteriũ non deſerit. Obſeruabat hoc Otarus diligentibus oculis. Vbi manum vidit concremari, nec loco moueri puellã, conſiderare illa voluit, ſi Otarus iſta conſpiceret, erectoque vultu raptim illum eſt intuita. Tum deſiliẽs Otarus toro, mediam amplectitur: Impletum eſt, inquiens, paternæ conditionis inſtitutum. Tu illa mihi ſemper optatiſſima ſponſa: non aliã expecto. Veni ergo tot quæſita laboribus, tot merita periculis. Nuptias quas ſimulauit, impleuit. Pater amiſſam filiam, vbi poſt multum temporis in Otari torum audiuit conſcendiſſe, generum non improbat: ſed quòd ignorante ſe nuptias inierint, hoc protinus accuſat. Sed filia patrem marito facilè placat, dum eius pro ſe labores atque pericula commemorat: nec ſolùm conciliat, verùm etiam arctiori vinculo deuincit affinitatis. Nam Otari germanã, patri ſuo, iam matre præmortua, coniugem donari curat. Memor inde Siwaldus rex, quòd Regnaldus Sueciæ tyrannus patrem illius oppreſſerit, diu quærebat gerendi belli rationem. Vbi cuncta conſtare videt ex ſententia, Regnaldum prælio aggreditur. Diu multumq́; certatum eſt, nox ſola prælium diremit: tanta fuit nõ cedendi pertinacia. Altera luce reditur in aciem. Nuſquam fuga, cædes vbique, par vtrinque ardor animorum, ante noctem nulla quies à prælio. Tertia quoq; lux in eadem vtraque agmina vidit pertinacia. Cõcurſum eſt acriter, pugnatum fortiter. Sed tum Sueci ceſſere, victoriam Danis relinquentes. Pręcipua in Danorum agmine conſpecta eſt opera Otari regalis generi, qui, vt ſe dignum tanto comprobaret coniugio, fortiſſimè ſemper dimicauit. Tum, quòd nulla lux vidit, inuictiſſimus ille Starcuterus, quem bellum apud Suecos deprehendit commorantem, illiſque ſociauit partibus, viſus eſt terga dare cum x c. proceribus, bello ſemper ad illum diem inuictis. Starcuterus præcipuè fugiens, multos in admirationem conuertit. Sed voluere ſuperi, vt mortalem ſe hominem agnoſceret, ſæpe victor, ſemel victus.

Tandẽ vultu erecto ſuſpicit.

Triduanum prælium.

Starcuteri fuga.

CAP. 6.

SIGARVS Siwaldo filius fuit, idemque regni hæres atque ſucceſſor, duo, ſi per ætatem tueri poſſet, regna ſuſcipiens à patre. Nam Sueciam quoque nouiſſimo bello, quum regem opprimeret, ſibi ſubiecit. Mutatis autem regibus, omnis regnorum ſtatus immutatur. Igitur Sigarus quum vtramque tueri haud poſſet, Daniæ regno cõtentus fuit: tranquillaque tempora meruiſſet, ſi non filij eius tres adoleſcentes, pro ætate inſolẽtes, rem omnem perturbaſſent, Siwaldus, Alfus, & Algerus, filia item Sygne, regia ſoboles. E quibus Alfus inſigni corporis ſpecie, albicãte coma, parẽ animi pręſtantiã vbique pręferebat. De nuptijs ſolet eſſe prima huius gentis pugna. Accepit Alfus Gothorum regi eſſe filiam vnicæ pulchritudinis: quam pater incluſam deſpondiſſet viro, qui per interpoſita pericula ad illam penetraret. Amabant veteres legere procos virtute præſtantes, & qui fortibus factis ſe magnorum affinitatibus virorum dignos præſtitiſſent. Irritabat iuuenem generoſi ſanguinis in Venerem, periculum promerẽdi, quod alium deterruiſſet. Itaque comparatis quibus opus videbatur, Alfus adnauigat: conclaue virginis per denſa pericula petit. Nõ feræ, non angues aditum prohibuere: cunctis ſuperatis peruenit ad puellam. Poſcit ex conſtituto quod meruiſſet. Pater Gothorum rex, non aliud prætendit, quàm ex voluntate puellæ rem agendam, illámque ante omnia percunctandam. Non abnuit forti & formę dignitate pręſtantiſſimo iuueni nubere. Sola mater puellam obiurgat, quòd tam prono reſponſo protinus annuiſſet: eſſe argumentum non bene conſtantis animi. Igitur nuptias illa diſcindit. Indignata puella, quando illum non mereretur ſponſum, omnem deinde execratur maritũ: militaribus rebus animum adijciens, & veſte & armis præcingitur maſculis: piraticæ inſiſtens (quæ tum iuſta eſt habita militia) breui princeps aſciſcitur. Multa vndique præclara edit facinora. Alfus quoque Daniæ regis filius, quum eidem incumberet piraticę negocio, ſuperuenit in portum, quam iam antè nauibus ſuis Aluilda (id puellæ nomen erat) occupaſſet. Igitur vbi eiuſdem quæſtus gratia concurrunt, pugnam conſerunt, alter alterum portu tentat eijcere. Vbi pugna crudeſcit, Alfus ſuperior viſus, nauim quam Aluilda tenebat, cum ſuis inſilit. Puella fortiter reſiſtit. Vbi incaleſcit pugna, fortè Aluildæ galea excutitur: apparet vultus ille virgineus, Alfo non incognitus. Mox armis abiectis, in amplexus ruit puellæ. Huc nos, inquit, ferox fortuna pepulit: vt qui inuicem amantes, mutuis non permitteremur complexibus, ſæuis armis concurreremus. Fors obtulit in mari, in medio ſanguine, quod terra negauit in triclinio ſequeſtra pace. Nec mireris pugnantem fœminam. Ea enim in gente, nec prima illa nec ſola fuit. Nam & apud Thraces, Sarmatas, & Scythas, pugnæ puellares recẽſentur: crebreſcitque narratio ſuper his, creſcente per tempora hiſtoria. Regis huius filia Sygndt quas turbas conciuerit, quę mala inuexerit regio ſanguini, propter eam abſumpto, in Suecia atque Noruagia commemorabimus. Poſt omnem verò ſtragem quam ſibi mutuis prælijs Danorum, Sueonum, ac Noruagiorum proceres intulerunt, in Suecia commemorauimus. Quum Haco ſuperſtes fratribus ab Hybernia bellum transferret in Daniam, peremptorum fratrum, & eius præcipuè, quẽ turpi morte publico rex abſumpſit iudicio, necem vindicaturus, noctu promouens agmina per loca ſylueſtria, orta luce ramalibus prælatis, ante expectatum hoſtibus ſuperuenit. Ibi Sigarus ab excubitore monitus propinquare nemus, fatalem dicitur horam agnouiſſe. Tamen quos potuit armatos in aciem produxit: ibíque pugnans, cecidit in loco qui dicitur *Walbrunna*, Latinè Stragis puteus, à multitudine interfectorum.

Regia puella magno periculo conſtans.

Puella pirata praeſt.

Suecia lib. 1. cap. 25. Noruagia lib. 1. c. 21.

CAP. 7.

Siwaldus II.

SIWALDVS maior natu filius, quũ hactenus paternis inhæſiſſet penatibus, vltoris partes executurus, exercitum contrahit. Haco autẽ multitudinis concurſu territus, cum tertia agminis parte, relictam in Herwyck claſſem repetẽs, maritimo ſibi diſceſſu conſuluit. Sed collega, eius etiam cognominis, agnominatus Faſtuoſus, plus fiduciæ in recenti victoria, quàm metus in Haconis abſentia ponendum exiſtimans, mortemq́; fugę pręferẽs, reſiduum tutabatur exercitũ. Itaq; reductis pauliſper caſtris, apud villã Allexſtata, naualẽ diutulè pſtolans occurſum, veniẽtium tardius ſociorum ſegnitiem cauſabatur. Nondum enim ad deſtinatũ portum immiſſa amni claſſis appulerat. Adeò autem Sigari clades Siwaldique charitas promiſcuos ple-

plebis animos incitabant, vt vterque ſe bello ſexus impenderet. Poſtera luce Haco Siwaldusq; congreſſi, biduum extraxere pugna. In qua rebus atrociſſimè decertatis, vtroque duce ꝓſtrato, Danorum reliquias victoria decorauit. Nocte verò prælium inſecuta, ad cōſtituti portus receptaculum claſſis ripam rimata peruenit. Cuius alueum quondam remigijs peruium, nunc ſolidioribus elementis concretum, anguſtiæ limitant: vt vetante conſtrictionis inertia, rarus puppiũ admittatur ingreſſus. Diluculo nautæ ſociorum cadauera conſpicati, funerandi ducis gratia, collem ſpectatæ magnitudinis extruunt: quem vſq; hodie opinione celebrē, Haconis buſtum fama cognominat. Quorum multitudinem Borcarus cum Scanico repētè equitatu adueniens, neci implicuit: conſumptoque hoſte, vacuas remigio rates inſtruens, Hamundi filium Haconem, anhelanti præceps celeritate inſequitur. Cuius congreſſu habito, contigit Haconem rebus infœliciter geſtis, metu præcipitem, in Scotorum patriam ternis euolare nauigiis: vbi decurſo biennio diem ſuum obijt.

Haco cum Siwaldo congreſſus.

GYRITHA Alfo filia, Sigari neptis, ſola regij ſanguinis puella ſupererat: adeò bellicus furor omnem regiam ſtirpem exciderat. Placuit ducibus rem committere, donec dignus regno procus inueniretur. Itaque partita eſt in ducatus omnis prouincia. Diu autem puella, omnes præ ſe cōtemnens, in cœlibatu permanſit. Nuncupatis enim votis, voluntariam ſibi induxit caſtitatem, concubituque carere, quàm ex plebe maritum conſciſcere ſatius duxit. Quin etiam cauendæ iniuriæ gratia, quòd raptus puellarum crebri fierent, conclaue ſuum electo pugilum agmine tutabatur. Erat in ducibus terræ vir primarius Borcarus, rebus geſtis nemini inferior, multos etiam ſuperans: qui Gunnarum Sueciæ principem, iamdudum Noruagiæ rege extincto, filiam eius Drotam cotiugio tenentem, prælio aggreſſus fudit: vxoremque ſibi aſciuit, ex qua filium ſuſcepit Haldanum. Qui cum ætate viribus creſcens, illa accepit ætatis incrementa, vt iam adoleſcens, pugilem inſignis famæ, quòd ab eo pueriliter obludente colapho percuſſus eſſet, geſtamine quod fortè manu tenebat, petitum oppreſſit. Inde futuros operum titulos auſpicatus, prætetitæ vitæ contemtum, in ampliſſimum ſequentis fulgorem conuertit. Is cum parente primitias ingreſſus militiæ aduerſus Ruſſos piraticam agentes, magnificè pugnauit: deuictiſque hoſtibus, trophæa retulit non vulgaria. Sed in congreſſu vulnus oris excepit, quod nulla medicinæ artis peritia potuit in integrum reformare: adeò excrementa carnem putrem alebant, vt deformitatem oris inſignem faceret. Quanquam apud modeſtos rerum æſtimatores, vulnus aduerſo pectore ſumptum non ſit pudendum. Auſus tamen hic iuuenis, maternæ nobilitatis fiducia paternæque fortitudinis pariter & autoritatis gratia (quam adiuuabat propriæ etiam induſtriæ conſpecta probitas) regiam adire puellam. Quid ita, inquiens, nobilis virgo, maturos annos degeneri perdis cœlibatu? In te regius ſanguis conſedit, niſi conſulatur in tempore, in te periturus. Si hunc probas maritum, erit qui ſe non degenerem magnis toris exhibebit. Ad hæc puella ſpiritu inflato de nobilitate, iuuenem præ ſe contempſit, degenerem cōtractis naribus aſſeuerans, necdum magnis rebus geſtis conſpicuum: quem etiam oris deformitas non commendaret. Æquanimiter tulit ille contemptum. Quando, inquit, cauſæ propriæ legationem impleui, vnum oro, vt hoc cœlibatus propoſito ad illum diem ſeruato, contineas, donec Haldanus rebus quas probes, inclareſcat: tanto fortaſſe ſplendore illuſtrandus, vt oris facilè contegat vitium. In hæc verba dimittitur. Aberant tum fortè cuſtodes atrij athletę: reuerſi audiunt Haldanum adfuiſſe. Duplici cōtemptu inſtincti arma corripiunt, illum inſequentes vltionem facturi & de occiſo contubernali, & de cōtemptu ſui: quòd puellam adijſſet. Ille quum inſequētes attenderet, iuſſis abire ſocijs, fertur ſolus in duodecim, congreſſusq; occidit vniuerſos: hoc ſe primùm fortitudinis opere cōmendans reginæ, quòd famulos tot numero vnus peremiſſet. Inde cōmilitium ſecutus Sueonum regis Alueri, in Ruſſos fertur, vbi Hildigerus, vterinus Haldano frater (ꝗ ille patre Gunnaro, iſte Bocaro, vna ambo matre Drota geniti) Ruſſis militabat. Agnouit Hildigerus fratrē, ab eo incognitus. Igitur quũ de ſua parte proceſſit Hildigerus, ꝓuocās ex Sueonũ agmine fortiſſimũ, Haldanus illi opponitur. Recuſat Hildigerus, prętenta cauſa, ꝙ quũ ipſe pugil exercitatus haberetur, 70. pugnis iā

CAP. 8.

Haldanus pugilē adoleſcens ſternit.

Gyritham ambiens alloquitur.

Suecia lib. 1. cap. 25.

extractis, imberbem iuuenem oppugnare indecorum duceret. Creditum eſt hac ratione diffugere: ſed ille fraterno ſanguini pepercit. Haldanus duos ſibi opponi iuſſit: quos vicit. Tres deinde obiectos ſtrauit. Inde quatuor, vſque ad decē. Tum Hildigerus: Iam, inquit, æquaſti quem prouocas: nec longius differendum. Itaque cōgreſſi fratres fortiſſimè pugnant, donec Hildigerus lethali accepto vulnere pugnam intermittit. Conſidentes in arena conquieſcunt. Ibi ſe iam aperit Hildigerus, communem vtriſque matrem teſtatus Drotam. Haldanus in oſcula ruens, pugnam damnat: fratremque accuſat, quòd ſe contexerit. Ille quod res habebat, prætendit, diu ſe reſtitiſſe. Sed vbi famæ detrimentum videbatur accedere, periculum ſubij: fato non infœlix, quòd forti manu conciderem. Hæc dicens, in verba efflauit animam.

Frater à fratre ſingulari certamine interimitur.

CAP. 9.

HALDANVS tot victoriis cumulatus, iam omnium iudicio dignus regali toro iudicatus eſt, ipſiuſque Gyurithæ iam ſententia omnibus anteponendus. Siwarus tamen Saxonicæ gentis nobiliſſimus iuuenis, magnum gentis ſuæ decus in his nuptiis conſtitutum cernens, perinde regnū Danię conſequeretur, multis donis peregit, vt in colloquium puellæ perueniret. Ibi multa largiens, maiora promittens, animum virginis in ſe inclinare non deſtitit. Illa, vt erat ſagax, conditionem fecit iuueni, quam implere poſſe non putabat. Vides, inquit, Daniæ regnum lacerum diuiſis ducatibus diſciſſum: id aggredere in vnum (vt erat) corpus reducere. Quod vbi peregeris, dignum te regali toro reputabis. Ille conditionem accepit, muneribus aggreſſus regni primores, vt auro potius quàm ferro perageret, quò optatis nuptiis frueretur. Multa iam rei fundamēta locabat. Denique peractum iam videbatur, quod virgo depopoſcit. Annitentibus ergo regni proceribus nuptiæ cōſtituuntur: diu lōgeque abſens Haldanus poſthabetur. Peruenit tamen ad illum fama rei. Itaque iter accelerans, quum ad locum perueniſſet, comites ſepoſuit in occultum: ipſe progreſſus in aulam, ſponſę ſe vultibus ingerit, obſcuritate quadem inuolutis verbis exprobrabat fidei violationem, quòd non expectaſſet eius reditum. Hoc eſt, inquiens, pro quo tot periculis caput obieci? Sic me fœminæ permiſi fidei, vt tollat alius duriſſimæ præmia militiæ? At illa æquè diſſimulanter: Quî potui vrgentibus fatis reſiſtere? Longè diuque peregrinantem quis viuere crederet? In hoc me meorum vota coniecerunt anguſtiæ. Sed tamen integra ſunt tibi, ſi quid prauales, tua præmia. Hæc dicentem miratus ſponſus, ferientis mox ferrum trāſuerberatus accepit. Adſunt qui delituere milites, omne protinus Saxonicum nomen extinguitur: vacuatur aula Teutonicis conuiuis. Haldanus pactam alieno ſponſam tulit indigena. Acceptam autem Gyuritham, quum ſterilem experiretur, nuptiarum ſibi deeſſe præmia non diſſimulanter aduertit: miſſoque in Vpſolam (quod templum erat ea tempeſtate cultiſſimum) nuncio, oraculum depoſcit: reportauitque, parentandum manibus regiorum iuuenum, & præſertim fraternis. Quo peracto, filium ex ea ſuſtulit Haraldum, magnæ ſpei puerum. Cuius tamem adoleſcentia, & paternę necis ſpectaculo, & primitiis bellorum miſeris extitit contriſtata. Nam dum pater Haldanus integrando regni corpore, quod vacante imperio diuiſum erat, inſtaret, dum Sialandiæ principi imperata facere detrectanti occurreret, magno victus prælio (cui & filius inerat & coniunx) occubuit. Siquidē Gyuritha diuturno tempore ſceptris inhærens, militaribus officiis muliebre corpus inſtituerat. Quumque animo gereret regni reformationem, & filij maritique præcipua charitate flagraret, non eſt paſſa deeſſe prælio, quod magno hoſtium inſtructu parabatur. Poſtquam ergo regem cecidiſſe cognouit, filium adoleſcentem præſidio ſuo cinctum acie eduxit, ſeruauitque ſuperſtitem.

Saxonia lib. 2. cap. 14.

Spōſus à riuale ſpōſo nuptiarum die occiſus.

Haldani mors.

CAP. 10.

Haraldus III. inuulnerabilis.

HARALDVS filius patrium regnum ſucceſſor acceperat. Cuius animi corporiſque dotibus acceſſit, vt inuulnerabilis haberetur. Sic valuerunt in ea gente præſtigiorum maleficia, Othino quodam, quem diuinitate donabat gentis opinio, autore. Igitur ſtatura pocerus, animo infractus, nihil prætermiſit quod reintegrando imperio inſeruiret. Nam Weſetum tyrannum Sialandiæ incubātem, quum audiſſet nuptias peragere, in ipſo protinus oppreſſit conuiuio, Sialandiam recuperans. Hatherum quoque Iutia depulit: Hundingum Roricumq; Lethra, quæ ſedes regia ſem-

ſemper fuit, exuit: diſtractumq́ue Daniæ regnũ in priſtinum corpus reformauit. Inde vertit arma in exteros: nam Noruagiæ regẽ Haſmundum, à germana regno deiectum, reſtituit. Nec aliud ſibi vel militiæ præmiũ depopoſcit, quàm rectè factorũ memoriam. Hanc verò pugnam in Noruagia recenſuimus. Ab Sueciæ rege impugnatus, defenſionis arma parauit: inſtinctu ſenis, qui ſe Othinũ deum diceret, rationem ordinandarum acierũ recepit. Viſum eſt operęprecium, noſtri Saxonis ſuper his inſtitutionibus verba repetere, vt intueamur, quę fuerit veteribus pugnãdi inſtitutio. Iuſſit, inquit, ſenex, vt terreſtribus copiis bellum editurus, vniuerſam aciẽ in tres turmas diuideret: quarũ quæq; vicenarij ratione dẽſaret, mediã autẽ x x. virorum numero reliquis porrectiorẽ extẽderet: quã etiã in coni ſiue pyramidis acumẽ digerẽs, alarum receſſus vtrinqueſecus diſcretis ambagibus obliquaret. Cuiuſlibet autẽ turmæ ſeriem hac ratione cõtexeret, vt à duobus frons inchoans, cõſequentibus locis vnitas duntaxat incrementa reciperet. Equidẽ in ſecunda linea tres, in tertia quattuor, eodemq; modo poſterius ordinãdos, habita cõgreſſione ſtatueret, ſicq; cõſequentes grad° idẽ, ꝓportionis tenor inſtrueret, donec cõiunctionis extremitas alas æquaret. Cornu verò quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Poſt has itẽ turmas inſtructam iaculis iuuentutem admittat. A cuius tergo grandæuorũ cohortem adhibeat, quę labantes ſociorum vires veterana quadã virtute firmaret. Deinde funditorum alas, gnarus locorum ſupputator annecteret: qui poſt ſodaliũ agmina conſiſtentes eminus hoſtem tormentis inceſſerent. Poſt quos cuiuſlibet ætatis aut ordinis homines, abſque conditionis æſtimatione paſſim adſciſceret. Cæterùm poſtremam aciem ternis (adinſtar primæ) cornibus diſtinctam, ſimiliq́ue graduum proportione digeſtam, explicet. Cuius tergum ſuperiori cõiunctum agmini, ipſum auerſæ frontis obſtaculo tueretur. At ſi nauale fortè prælium incidiſſet, partẽ claſſis ſecerneret: quę eo præpoſitos inchoante conflictus, multiuola rates hoſticas reflexione circumdaret. His diſciplinę militaris rationibus iuſtructus, Ingonem Olauumq́ue Sueciæ regulos bellũ parantes, anticipatis apud Sueciam rebus, oppreſſit: fratrique deditionem offerenti pacem dedit firmatis conditionibus. Quid verò rerum apud Noruagiam geſſerit, in eius prouinciæ commemoratione poſuimus. Nã regi Olauo in regnũ reſtituto, permiſit poteſtatẽ. Vbboni autem Friſio militi ſuo, cuius ſtrenua vſus eſt opeꝛa, ſororem iunxit cõiugem, cuius ductu & Rheni partes & Britanniam ipſam bello pertentauit. Sed ea in Noruagia tranſegimus. *Acies pugnandi tum terra tum mari instituta.* *Libro 2. cap. 27.*

MEMORABILE verò bellum, & cæteris, quæ in hac natione ſunt geſta, maximum parabat: quod apparatus ipſe declarat: quippe ſeptennio toto arma in Sueciam Haraldus inſtruxit. Leuia interim prælia, quæ per hanc temporis moram facta ſunt, maioris commemoratione ſunt penitus obſcurata. Multæ feruntur huius tam ponderoſi belli cauſæ. Sunt qui internuncium vtriuſque, quem multis annis inuicem ſubmiſere Ringo & Haraldus, intima ſanguinis & animorũ deuinctione cõſtricti, (quippe Haraldi ſorore genitus extitit Ringo) inter vtrumq; vana relatione ſtruxerit inimicitias: quũ quę apud alterutros viderit audieritq́;, maligna interpretatione detorta aliter ac facta ſunt retulerit: donec acerrima vtrinq; odia cõflaret. Alij etiã ab Haraldo ortã autumant belli cauſam: quòd vir militaris, qui omnẽ ætatẽ in armis triuerat, ſenectam ocio torpeſcere non ſit paſſus: vtile iudicans, iuuentutẽ longa pace bello deſuetam, in armis eſſe. Simul & ſecum voluens, non eſſe decorũ, ſe qui multa foris bella geſſerit cum gloria, fato conſumi inglorio: quòd per ætatem longè non eſſe fatalem homini proſpiceret: maluitq́ue in acie ſpiritum profundere, ꝗ̃ inerti letho ſuccumbere. His atq; aliis ex cauſis bellum eſt conflatum maximum. Cuius deſcriptionem, qui magna pars belli fuit Starcuterus vir fortiſſimus, ad hanc vſque durans ætatem, perſcripſit. Longum eſt commemorare, quę cuiq; parti auxilia acceſſere. Haraldo quippe totis regni ſui viribus in bellum propenſo, acceſſerũt inter ſuos duces Hetha atq; Wiſna, puellæ armis aſſuetæ, puellares etiã turmas ductãtes: quarũ muliebri corpori natura viriles indidit animos. Nec nouũ debet videri recolẽtibus Troiana bella, Pẽtheſileã furentẽ, in Italia quoq; Camillã, & in Bohemia diuturnũ puellæ imperiũ: quod in Wãdalia noſtra perſtrinximus. Ex Britannia quoq; Friſiaq; arma huic agmini acceſſere. Wiſna quoq; altera ex Wãdalia virago, *Cap. II.* *Garrulus & res ferens.* *Puellæ militares.* *Libro 2. cap. 11.*

Wandalico agmini imperitat. Noruagiæ vires non defuerunt. Sed ne improuidis bellum Sueonibus pararetur, mittuntur ab Haraldo, qui Ringoni palàm inimicitiarum mandata perferrent, ipſamque ſequeſtræ pacis diremptionem vulgarent, iiſdem pugnæ locum præſtituere iubens. At Sueticas vires toto regno contractas adiuuete auxilia multa. Nam & à Ruſſis & totius Orientis populis arma conuenerant: Pannoniæ quoque extitiſſe feruntur in partibus. Suſpicionemque res ingerit, ne fortè Gothi iam in Pannoniis ad ripam Danubij ſedentes, laboranti patriæ ſuppetias immiſerint. Nam quicquid erat Gothorũ in patria, rebus acceſſiſſe Sueticis certa res eſt, enumerãte huius belli ſcriptore ex nomine duces cum turmis ſuis. Tantæ autem vtriuſque agminis erant copiæ, vt mare nauibus, & ipſa Scania turmis pedeſtribus vix ſufficere viderentur. Maius tamen pugnæ pondus terreſtribus incumbebat agminibus, nèc nauales copiæ ſupplementum dabant pugnantibus. Igitur tanta mole concurſum eſt, vt vix fortium atque inertium diſcriminarentur acta. Cædunt cęduntúrque paſſim victi victoresque. In Suecis Starcuterus, in Danis Vbbo Friſius eminebant inter multa pugnantium millia. Sed poſt multum ſanguinem vtrinque fuſum, cadit Vbbo Danicarum partium fortis propugnator. Exinde ſubruere Danorum res paulatim cœpere, occiſo fortiſſimo duce, qui quatuor & quadraginta in pectora tela, priuſquam caderet, excepit. Haraldus, vbi ſuorum res inclinare audiret ſentiretque, iam curru eius inter cadauera immobiliter hærente, prouoluitur & ipſe præceps curru ſublabente: aderatque qui regium fatum impleret. Ringo Suecię rex, vbi iam belli caput audit corruiſſe ſuis adhuc cęde furentibus, receptui cani iuſſit, parcique agminibus ducibusque, qui ſuperfuere. Iubet regio perquiſito cadauere parentrari, regaliq́; more incenſum corpus exurere, equum bellatorẽ ac arma flammis miſcere. Deinde priuſquam agmina reduceret victor, componendæ Daniæ rebus intendit, Scaniamque Daniæ corpore abſtractam, ne facilè rebellarent, Sueciæ adiecit. Hetham puellam Danici generis, quòd ſub tributo regnaret, petẽtibus Danis permiſit. Sed facilè pertæſum eſt viros fœminei imperij. Non enim poterant muliebribus armis ſubeſſe, qui fortiſſimis regibus militaſſent. Olonem Siwari Noruagiæ regis filium adeunt, precanturque, vt auitũ regnum ab infamia vendicaret. Nec difficile fuit impetrare. Aduocatam enim Hetham, cæteris cedere regni partibus iuſſit, Iutia deinde contentam. Difficile fuit tanto imperio cedere, ſed aliquanto difficilius armis tuerj.

Vbbonis & Haraldi caſus.

CAP. 12.

Olo rex viſu terribilis.

OLO Siwari Noruagię regis filius, ex Haraldi germana, volentibus Danis cœpit regnare. Diu ſub auunculo iſte militauit Haraldo: nam è Noruagia in Daniam, viſendi auunculi cupidus, nauigabat. Tertium ætatis apud patrẽ luſtrũ peregit, multum animi corporiſq; dotibus præpollens: adeò viſu efferus, vt quod alij armis, ille oculis ageret in hoſtem, vt terreret, adoleſcentię annos pręclaro facinore perornãs. Nam inſignes latrones Gũnonem atque Grimmonẽ inſecutus, publicis itineribus inſidiantes, hoc ordine ꝑdomuit. Equum, canemq́;, ac arma quæ volebat, aſſumẽs, clam omnibus egreditur, ne ſocium aut teſtem tantis rebus aſſumẽs: tantum dabat fiduciæ virtus. Vbi peruenit in loca latrociniis frequentata, hominũ in roſcido gramine veſtigia deprehendit, quę ſecutus, peruenit ad amnem: nec inuenta qua traiiceretur ſcapha, fiduciæ plenus equo inuolitat. Amne ſuperato, reliquum iter ducentibus per gramina veſtigiis conficit, deductus in locum, quo iam vallo munitũ portiſque ſeratũ, nullus videbatur ingreſſus. At ille equo in vallum erecto conſcendit, ante expectatum latronibus ſuperueniens. In ipſo veſtibulo latronum, ſatellitẽ conficere indignum ratus armis, artuatim manibus confractum tecto ſuperiecit. Latrones intus audientes inſolitum ſtrepitum, emicant, contemptumq́; adoleſcẽtem imberbẽ aggrediuntur. Sed ille gladio diſtricto, ita ambos patrem filiumque affecit, vt genibus ſolis niterentur repugnantes. Alterum canis per iugulum enecat, alium armis Olo confodit. Et vt cõſpicuum haberetur virtutis exemplum, extracta latronum capita ſublimi conto per viam publicam appendit, ſpoliis quæ multa cõgeſſerant, victor potitus. Inde vbi audiuit pugiles inſigni nomine, Wermorũ regis filiã depoſcere, aut regẽ ipſum duello contendere, (iam ſæpe diximus, morte grauiorem genti extitiſſe ruborem recuſandi certaminis) Olo patriis Noruagiæ finibus

Olonis in latrones fortiſſimũ facinus.

Noruagia lib. 1. c. 29.

ad-

adhuc demorato, aduolat, regiamq́ue petit, quam comperit luctu & mœrore plenam. Percunctatus quid timerent, regis filius rem aperit, eſſe pugiles magni nominis, qui germanam depoſcerent, aut duellū offerrent, quod nemo fidat ſubire. Illic iuſſit omnes bene ſperare: quid tamē præmij victori eſſet, rogat. Filius cōſulto patre refert, ipſam puellam victori conſtitutā mercedē. Quumq́; virgo diligentius aduenæ hoſpitis oculos intueretur, non paſſa fulgorem concidit. Ab ipſo amanter erecta, quid formidaret, rogatur. Fulgorem, inquit, luminum inſolitum deprendi. Ille verò vbi conuiuio excipitur, decoram pandit faciem, cæſarie venuſtam. Sed ſciens quo luminum eſſet terrore, verecundius illa ſubmiſit. Ingreſſi regiam pugiles, ipſam puellam, aut eius loco congreſſorem depoſcunt. Olo verò, Modeſtius, inquit, agendum cum rege. Num gremio abducere natam aduenistis? Illi perſtant alterum depoſcere. Bene, inquit, habet: pugnam poſcētibus pugna dabitur. Egreſſusque in campum de more metatum, ambos conficit: ſatellites etiam auxilio dominis ſubeuntes proſternit. Partam victoria puellam accepit vxorem: ex qua filiū ſuſtulit Emundum, regno Daniç poſt patrem præſidentem. Sed priuſquam ad nouiſſimum Heraldi bellum perueniret, patriam prius fortibus factis illuſtrauit. Audiens oppugnari parentem à Torono regulo, oris habitu deformatus, hoſtis regiā ingreſſus, primùm Siwari Olonisq́; filij odio exulare profeſſus, vbi opportunitatem vidit, ſocios aſciſcens, regem cum ſtipatoribus obtruncat, nec antè patriam repetens, quàm patri pacem ab oppreſſis hoſtibus reportaret. Inde maritima bella multa conficiēs, vndequaque victor remeabat. Ad Haraldum auunculum dein profectus, quum nonnullæ inter eos ſimultatū cauſæ ſuborirentur, eo deſerto ſe contulit ad Ringonem ei conſobrinum: nam geminis ſororibus erant progeniti. A quo, iam magno in Haraldum bello victore, donatur Scaniæ gubernatione, quā Daniæ detractam ab Ringone ſuprà ſignificauimus. Inde ad vniuerſum Daniæ regnum à proceribus rex deligitur, deſtituta (vt diximus) Hetha. Sed talem ſe iam regno potitus egerat, vt aſſuetos libertati duces facilè pœniteret, regem talē delegiſſe. Quippe vir animo acer, viribus incomparabilis, plenam omnium ſubiectionem depoſcens, in tyrannidē degenerare viſus eſt iis, qui ſubeſſe nō nouerant. Igitur inita cōſpiratione & (vt propius dicamus) coniuratione, regem quando deſtituere non poterant, perimere ſtatuerūt. Nec tamē inuentus eſt in XII. ducibus, qui fideret conferre manum, auderetq́ue operam ſibi deſumere opprimēdi regis. Starcuterus ſuperarat iam annis grauis, quippe qui trium hominum impleuiſſet ętatem, necdum tamen defectus viribus. Apud quem queſti proceres, grauem ſibi regnoq́; incumbere Olonem, orant, vt quoniam illi opprimendorum gloria ſit tyrannorum, hunc etiam faciat de medio: auri magnum pondus ſe repenſuros. Promittit operam, nō tam auri cupidine, quàm liberandi à tyranno regni gratia. Captansq́; opportunitatem, ingreditur ad regē iam in balneis nudum, ipſe ferro ſuccinctus. Rex ingrediētē Starcuterū acrioribus oculis intuitus, ſtatim reuerberat apud alios inuictū vitū: illa fuit (vt diximus) luminum eius acrimonia. Statimq́; in ſe rediens rex, virū multa familiaritate per bellum notum, & armis fortiſſimū, iam abeuntem iubet reuocari, arbitratus, magni aliquid virum magnis rebus exercitum allaturum. Vbi rediit, iam oculos rex ſubmiſit. Quid eſt, inquiēs, Starcutere? quid affers? Ille diſtricto ferro aſſurgentem tranſuerberat. Hic fuit exitus magni regis, fortiſſimi viri, quem æquè fortiſſimus oppreſſit.

Olonis aduerſus duos ex duello victoria.

Starcuterus

Olonem facta cōſpiratione opprimit.

CAP. 13.

Emundus Gaxoreā armis quærit.

EMVNDVS Oloni patri ſubrogatur in regnum, non tantum paternorum operum quàm ſpectatæ indolis reuerentiæ, adiuuante generis nobilitate. Contendit adoleſcens paternis inſiſtere per bella veſtigiis, præclara eius opera aut æquaturus, aut, ſiqua poſſet, etiam ſuperaturus. Prima illi de nuptiis (vt mos erat genti) concertatio, Ringonis apud Noruagios aliquantæ genti regnantis filiam, illi fama pulchritudinis ac pudicitiæ commendabat. Sed non dabant veteres nuptui filias, niſi fama inſignibus & victoria præclaris generis. Igitur ſocero probaturus Ringoni, Emundus claſſem inſtruit, Noruagiam adnauigat, bellum infert. In quo iam ad mortē Ringone vulnerato, Emundū iubet aduocari, eiq́; iam moriens, digno factis genero, filiā deſpondet. Emūdus autē plurimis vndecunq; cumulatus victoriis

quum Noruagiam ſibi ex coniuge cōmendatam pacaſſet, occiſa Ruſla virgine bellatrice (quam rem in Noruagia commemorauimus) duo ex ducibus fœminæ bello ſuperſtites, qui iam viuenti dominæ fidem aſtrinxerant, vlturos necem eius, ſi ſupereſſent: audito quòd Emundi opera cecidiſſet, regem prouocant in duellū. Diu reſtitere proceres, nō poſſe duobus vnum, & regem popularibus opponi. Sed peruicit regis voluntas, effecitque, ne quis, quod ipſe cuperet, tentaret impedire. Congreſſus vtrique, alterū ex his occidit, alterum vita & præfectura gentis donauit. Sub huius regno vetulus iam Starcuterus luminibus captus, virium vigore deſtituitur: ſed inglorium ratus ſine ſanguine mori, qui toties hoſtilem vidiſſet cruorem. Igitur multa pœnitudine Olonis a ſe occiſi mortem deplangens, precium ſceleris aurum collo appenſum circumtulit, inuitans huius mercede ad ſui interfectionem obuios quoſlibet. Quumq; gemino accinctus gladio, geminoq; innixus baculo ſenex graderetur, ab obuio milite rogatus, quid ſibi duplex gladius vellet inutili ſeni, vnum profectò munus ſuum facere poſſe. Propius arreptans ſenior enſem abſcondit in latera aſtantis. Alio deinde itinere obuium habuit in venatione Hatherū equitem, cuius parentem occidiſſet, agnitus ab eo, quū ſenex viciſſim oculorum vitio nō videreti. Itaq; duos è miniſtris equites immittit ſeni, viſurus ſi terreretur. At ille ſtrepitu magis quàm viſu vicinos deprēdens, vtrumq; baculo quē gerebat excerebrans, terruit territantem. Propius tamen adequitans, vt extra enſis ictum cōſtitit, ſenem percunctatur, gladiúmne vehiculo velit permutare. Ille ab alto ducens ſuſpiria: Quondam, inquit, irriſoribus meritas pœnas rependi, nunc & luminibus & viribus defectus irrideor.

Lib.1.c.33.

De hoc in Suetia libro 2.cap.22.

> *Vt ſine regreſſu pronas agit alueus vndas,*
> *Sic ætas hominum, curſim labentibus annis,*
> *Irreditura fluit.* —

Non eſt qui ſenem miſeretur, præter vnum Hatherum, qui & in agmine & in pace ſeni ſedulus ſubminiſtrat. Multa deinde verborū viciſſitudine, quum Hatherus de plurimis percūctaretur, & ille ſenum more garrulus, trophæa ſua numeraret, ipſum quem requirit, agnouit Hatherum. Quādo te, inquit, amice, obuium fortuna fecit, mori volentem magno precio confice. En aurum quod Olonis nece mercedem tuli, tu quoq; ſimili de me nece peracta, refer quod iuſto adiutus dolore in me ferrum exeres, memor à me parentem quondam tuum interfectum. Non diſtulit Hatherus mori volentem conficere, præſertim gemina mercede conductus, quòd paternam mortem vindicaret, & aurum collo appenſum paciſceretur in pretio. Igitur diſtricto gladio ſuper ceruicem ſenile caput abſtulit, trunco propè obrutus cadente. Hic eſt exitus fortiſſimi pugilis, & qui tertiam hominis expleuiſſet ætatem. Quod ne cuiquam incredibile videatur, in ea quoque re naturam alere monſtra, vt corporum magnitudine, ita ętatis diſtenſione, redeat in memoriam Ioannis de Tēporibus viri Gallici mentio, quem ſuæ gentis ſcriptores tria victitaſſe ſecula aſſerunt. Emundus autem Danię rex, pace integra ſumma cum tranquillitate deceſſit, duobus filiis totidemque filiabus relictis, de quibus deinceps agemus.

Starcuterum precio interfectorem cunctat.

Cap.14.

SiWardus I. à Sueonibus ſuperatur.

SIWARDVS filiorum Emundi natu maior, regnum patris poſt illum omnium voluntate aſſequitur, fratre adhuc Buthlo impubere. Prima illa incidit rei gerendæ occaſio, quòd germanam Gotaro Sueonum regi deſpondiſſet, legatique ab eo rege in eam cauſam miſſi, itinere medio malè habiti fuiſſent, creditum eſt Siwardi inſidiis eſſe patratum. Igitur Sueonum rex iniuriam vindicaturus claſſem aptat, milites imponit, mouitq; in Daniam. Nec ſegnior illi occurrit, Siwardus, & apud Hallādiam claſſe congreſſi, maritimo prælio decertāt. Victoria Sueonum fuit. Nam Daniæ rex fuga ſibi conſuluit in Iutiam, colligens ibi ſparſi exercitus ſuperſtites milites. Interim rex victor Daniam ingreſſus, puellam rapuit antè deſponſatam. Specioſum duxerant ea tempeſtate regij viri, ſi armis nuptias conſcirent. Siwardus tamen opportunè Iutiam ingreditur. Nam per idem tempus quū Daniæ regem bello implicitum Wandali perſentirent, terreſtri agmine mouentes in Daniam vaſtabūdi inceſſerunt. At rex de fuga veniens, ibi quos potuit armauit, Wandalis occurrit, ac retro pepulit, priorem fugam noua victoria compenſans. Sed non erat longū tēpus in

Iutiã Wandali occupant.

Wandalia, lib.1.cap.13.

in medio, quo iam Wandali recuperatis viribus, duce conſtituto, militari ordine Iutiam repetentes, obuium regem fundunt fugantque. Magnum hoc & memorabile prælium, quo rex non ſolum bello vincitur, ſed Iutia exuitur, quæ iam in Wandalorum conceſſit poteſtatem, quum dudum antea Saxonibus dominis illa ſeruiret. Hac etiam pugna filium Iarmericum geminaſq; filias ab hoſtib. captas amiſit. Hæc fuit illa tempeſtate Danici regni calamitas, vt quum Scaniam Sueci occupaſſent, Iutiam Wandali tenerent, duobus regni potioribus partibus in hoſtium poteſtate factis, ſolæ inſulæ in medio parebant Danorum regi: non contemnenda quidem prouincia, ſed maioribus ſui præſidiis deſtituta: quũ hinc Wandali, inde Sueci, medium Danorum regem pene captum complecterentur. Ita Danorum regnũ fortiſſimè propugnatum, tantis etiam maiorũ titulis illuſtratum, tot auctum victoriis, ob vnius viri inertiam, ex ſummo nitore fortunæ & florentiſſimo rerum ſtatu, eò peruenit ignominiæ, vt penſionem, quam prius imperauit, exolueret. Siwardus autem ſæpe pugnam retentans, caſſo labore ſe fatigauit. Poſt tot maiorum decora, in tam erubeſcendo rerum ſtatu, confuſa regni gubernacula geſtare nõ ſuſtinens, ne diuturnior vita ad extremam gloriæ iacturã pertingeret, ſpecioſum ſibi ſtatum pugna parere properauit. Quippe memorem calamitatis animum, deponendæ ægritudinis cupido ſaluis faſtidio cruciabat: adeò demendi ruboris ſtudium lucem ei inuiſam fecerat. Igitur comparatis ad pugnam copiis, Simoni cuidam ſub Gotaro Sueonum rege, Scaniam procuranti, bellum apertè denunciat. Quod obſtinatis temeritatis viribus executus, occiſo Simone, per ſummam hoſtium ſtragem vitam finiuit. Patria tamen penſionis onere liberari nequiuit.

Danica res Siwardo rege afflictiſsima.

CAP. 15.

Iarmericus captiuus gratia valet.

BVTHLVS oppreſſo in prælio fratri, in qualicunq; regno ſuccedit: quum interim Iarmericus fratris filius, apud regem Wandalorum Iſmarum, cum coæuo ſibi collactaneoque Gunnone, coniectus in carcerẽ captiuus degebat. Quo demum erutus, atque exercendi ruris culturæ applicatus, ruſticum opus regius iuuenis exequitur. Ob cuius promptiſſimam adminiſtrationem, ad regalium mancipiorum magiſterium trãſfertur. Eo quoque ſynceriſſimè geſto, in neceſſariorum regis gregem aſſumitur. Vbi quum ſe iuxta aulicorum ritum, egregia morũ amœnitate geſſiſſet, breui in amicorum numerum translatus, primum familiaritatis locum obtinuit, ac veluti quibuſdam meritorum gradibus fretus, ab infima ſorte ad ſpectatum honoris faſtigium conceſſit: & ne ſegnem eneruemq; iuuentã ageret, militaribus ſe ſtudiis aſſuefecit, naturæ dotes induſtria cumulans. Grata omnibus Iarmerici indoles erat, ſoli reginæ ſuſpectum adoleſcentis fuit ingenium. Per quæ tempora, regis fratrem fato functum, repentinus rumor effuderat. Cuius corpus Iſmarus ampliſſimo funere elaturus, quò maior exequiarũ pompa fieret, regia comitate conuiuium inſtruit. At Iarmericus aliàs cum regina familiaris rei curam ſortitus, ad fugam, cuius facultatem regalis abſentia promittere videbatur, circũſpiciendam acceſſit. Animaduertebat enim, ſe, etiam inter opes poſitũ, miſerabile regis eſſe mancipiũ, & quaſi alieno beneficio precarium ſpiritũ poſſidere. Præterea quanquã primis apud regem honoribus vteretur, libertatem deliciis præferendam exiſtimans, viſendæ patriæ noſcendiq; generis eximia cupiditate flagrabat. Sciens autem quòd regina, ne quis captiuorum elabi poſſet, competentibus prouidiſſet excubiis: quò viribus peruenire non poterat, arte curauit aſſurgere. Fiſcellam itaque biblo ac vimine textam, qua agreſtes ad inſtar hominis formata, aues ariſtis deturbare cõſueuerãt, viuo cane compleuit: quinetiam detracto ſibi cultu, quò veriſimilius humanam repręſentaret imaginem, texit. Deinde priuatũ regis ærarium demolitus, egeſtam inde pecuniam, notis ſibi tantùm recondidit locis. Interea Gunno abſentiam ſocij diſſimulare iuſſus, illata in regiam fiſcella, impulſoq; ad latrandum cane, percunctanti quidnam hoc eſſet reginæ, mẽte captum clamitare retulit Iarmericum. Illa ad aſpectum ſtatuæ, ſimilitudinis errore deluſa, inſanum æde iubet eijci. Tunc Gunno perlatam foras ſtatuam, perinde ac furẽtem ſocium, lectulo tradit. Sub noctem verò vigiles epularum hilaritate ac vino prouehit largiore, abſciſſaque dormientiũ capita, quò turpiore eos morte conſumeret, inguini ſociauit. Excitata ſtrepitu regina, cauſamq; eius diſcere cupiens, cõcita fores petiuit mulier imperioſa, &

Iarmericus vt ſe ex captiuitate eripuerit.

quæ miniſtris malè fideret. Sed dum caput incautius exerit, improuiſò Gunnonis enſe confoditur. Quæ quū mortificum vulnus experta corrueret, reflexis in occiſorem luminibus, Nullius, inquit, obtentu fraudis, ſi incolumi mihi viuere licuiſſet, his finibus impunitus excederes. Ad hunc modum crebras in percuſſorum minas moribunda profudit. Deinde Iarmericus vnà cum Gunnone præclari facinoris ſocio, tabernaculum, in quo rex fraterno conuiuio celebrat exequias, cunctis temulentia victis, admoto furtim incẽdio complet. Quo latius fuſo, quidā ebrietatis ſtupore diſcuſſo, immiſſis equis, deprehenſos periculi inſequuntur autores. At iuuenes primùm iumentis quæ reppererant vecti, ad vltimum iiſdẽ prolixiore curſu debilitatis, pedites dedere fugā. Iamque penè occupatis, amnis remedio fuit. Pontem enim, quem antè, morandi perſecutoris gratia, præciſis ad mediū trabibus, nō modò onerum impatientem, ſed etiam ruinæ propinquum effecerant, prætergreſſi, in opacam de induſtria voraginem conceſſerāt: quibus imminentes Wandali, dum parum proſpecto periculo equis improuidi pontem onerant, deſidẽtibus tabulatis excuſſi præcipitantur in flumen. Sed dum enatando ripā appetunt, a Gunnone & Iarmerico intercepti, merſi aut interfecti ſunt. Ita iuuenes egregia callidiate vſi, nō vt fugitiua mancipia, ſed quaſi præditi conſilio ſenes, maius ætate ſua facinus ediderunt, quod antè conceperant, efficaciter adimplendo. At vbi ventū eſt in littus, rapto quod ſors obtulerat nauigio, in altum procedunt. Quos qui inſequebantur barbari, nauigare conſpectos, vociferando reuocare conati regnaturos, ſi redeant, ſpōdent, quod publico veterum inſtituto, regum percuſſoribus regnorum ſucceſſio fuerit decreta. Diu recedentiū aures pertinax Wandalorū clamor, promiſſis pellacibus exurdabat. Hęc ſunt ad verbum Saxonis omnia. Quæ ideo repetiui, vt cernat diiudicetq; lector, quàm inexquiſitis verbis ſit eius interdum inepta narratio: quod præſertim in exitu reginæ regisq; cōprobabit. Per hanc verò tēpeſtatem dū Iarmericus in captiuitate manet, Buthlus Siwardi frater Danis perfunctoriè præerat. A quibus venienti Iarmerico regnum tradere coactus, ex rege priuatus euaſit.

Regiam incendit Iarmericus.

Saxonis Grāmatici inepta loquacitas.

Cap. 16.

Iarmericus Sueciam occupat.

Iarmericus Siwardi filius ex captiuitate rediens, paternum regnum poſtliminio iure ſuſcepit, adiuuante patrui, qui per abſentiam eius adminiſtrauit, ignauia. Nec longum tempus, in medio ipſi Iarmerico iam Danorum regi, bene gerendæ rei naſcitur occaſio. Nam Gotarus Sueciæ rex Sybbonem ſtupri inſimulatum, occidi iuſſerat. Cuius rei indignitate permoti eius cognati, ad Iarmericum ſe contulerunt: operas illi ſuas promittunt, ſi Sueciæ regnum oppugnare contendat, futurum breui vt expugnet. Mouit illum magnæ rei obiecta conditio. Itaque armauit claſſem, & multis iam regni proceribus ſibi adiunctis, regem oppreſſit: geminoque regno ſublimis, priſcæ captiuitatis damna pulchrè compenſauit. Auctus perinde viribus mouit in Wandalos, vindicaturus longæ captiuitatis iniuriam. Nec ſegnes illi hoſtes occurrunt. Conſeruntur manus: & magno prælio victi Wandali, in iura Daniæ verſa vice redierunt, tributa quæ exegerant iam ſoluturi. Vt autem iniquæ captiuitatis ſuæ, quòd poſt carcerem operi diu ruſtico cogeretur inſeruire, iniuriam vindicaret: quadraginta ex primoribus hoſtium captos, luposq; totidem inuicem per iugulum appenſos ſociauit. Quem parricidalium pœnarum modū in his vindicādis adhibuit, vt gentis rapacitatem & indignam genere ſuo in ſe admiſſam ſæuitiam compenſaret. Subacta regione præſidia opportunis locis diſpoſuit. Inde profectus, Sembonum, Curetum, compluriumq; Orientis gentium regiones bello pertentauit: vtpote duplicis regni titulis inſignis. Sed ea freti regis implicatione Wandali, præſidia impoſita opprimunt, armántque claſſem, Daniam peruaſtãtes. Rex quum hæc audiret, auerſus ab iis quos impugnabat, ad tutandam Daniam regreditur: hoſtibus fit obuiam, maritimoque prælio excipit ac vincit confligentes: defectionis autores miſerabili ſupplicio afficit. Nam loro innectẽs equinis vngulis Wandalorum principes implicuit, perque cœnum ac ſaxa actis moloſſis immittit: vt multiplici ſupplicio interirent. Qua pœna territi cæteri, mandata factitarūt. Rebus bello in circuitu cōpoſitis, iam domeſticis illuſtrādis animum adiecit. Nā edita conſpicuaque rupe manſionem inſtruit, vallum ingens iubet comportari, molem ſtructuræ magnam firmat: ima vallis, media tricliniis, ſumma munitionibus aptat:

VVandalicā captiuitatē & poſtea defectionem ſeuere vlciſcitur.

portas quatuor firmat. Manubias hoſtiũ, & omnem regni theſaurum in exornanda regia componit. Inde quum audiſſet quoſdã Orietitalium mare infeſtũ tenere, adnauigat: naualiq́; prælio victos ea conditione in ſocietatẽ aſſumit, vt germanam ſuam regio more inſtructã, matrimonio illi iungant. Optata victis conditio, in qua indicitur, quod votis omnibus, etiam victoribus erat expetendum. Interea Liuonũ regis filius Bicco, graui patris patriæque iniuria in regem cõmotus, quia armis vindicare non poterat, ad dolos conuertitur. Addit ſe regi comitem miniſtrumq́ue ad omnia ſedulũ, aſſentationibusq́; peruicit, vt primus ad ſecretiſſima queq; conſultus adhiberetur. Et quũ iam plenã apud regẽ mereretur fidem, clariſſimos regi ſubuertit affectus, & in omne facinus impiũ prauis cõſiliis regẽ impulit. Fingit filij & vxoris adulterium: quóq; huius rei veriſimilẽ faceret narrationem, ſubornat, vt regina, omniũ inſidiarum Biceonis ignara, ſecretò regis filium, priuignũ ſuum, de iocalib. interpellet. Qua re apud regẽ cõperta, delatori aures præbuit. Igitur reginã miſeris modis excruciatã exanimauit. Nam quæ ſe ſcortũ regis filio præbuiſſet, cõculcandam bobus iuſſit reſupinari. Quumq́; iumẽta fœmineã faciem intuita, miſeranter parcerẽt, ſupinatam iubebat proſterni, & ita bouinis pedibus proteri. Quæ res quũ ad germanos eius deferretur, in vltionẽ exarſerunt: & omnib. vndecunq; mutuatis viribus, in regẽ mouerũt. Rex ipſe iam imparatus ad educendũ exercitum, firmatæ pridem munitioni fidebat: penora comeatibus, munitiones armatis impleuit. Hoſtes verò tanto odio ſepſerant obſidione regiã, vt niſi expugnata non redirent. Oppugnant fortiſſimè: obſeſſi verò non ſegniter ſe tuẽtur. Fit obſeſſorum eruptio, cui rex ipſe intererat. Acerrimè dimicatur, quum deforis adeſſent, qui obſidentes alio de latere inuaderent. Ibi magnis vtrinq; odiis concurritur: vtriuſq; partis vires conciduntur. Rex ipſe inter medios obtruncatur. Reliquiæ obſidentium ægrè ſe in naues recipiunt, laceras vires in patriam reuehunt, victi pariter, & victores.

Vxorẽ, velut adulteram à Biccone deceptus, crudeliter necat.

CAP. 17.

Broderus ſuſpendio citra mortẽ affectus.

BRODERVS filius erat Iarmerici: quem ille deſtinatum ſupplicio, priuſquam interiret, morte iuſſit reuocari: ne omnino regnum hærede careret. Itaque poſt patrem regno præerat. Supplicij autem quo cõſumendus erat, hic ordo commemoratur. Iubebat accuſatum adulterum ſuſpendio puniri: & tamen quia regis erat filius, hoc temperamentum adhibitum eſt ſupplicio, vt iuuenes duo ſubiectum pendentis pedibus aſſeruarent, quaſi ſcabellũ humeris ſuſtinentes: vt regis interea animus exferueſcens, tempus acciperet mutandæ ſententiæ, ſi videretur. Optimum reuera regiæ clementiæ conſilium. Cui compar fuit illa Theodoſij magni Romani Imperatoris, non longè his temporibus dominantis conſtitutio, Ne mortis ſententia ante triceſimum diem ſumeret executionem. Igitur quum pater eiulatũ catuli, cui Broderus inſueuerat, cognouiſſet, falconemq́; eius in ſuo conſpectu cerneret plumas ſibi ſua ſponte conuellere, herilem pœnam beſtiolæ viſæ ſunt perſentire. Motus pater, En, inquit, animãtes, quas ſine ratione natura formauit, miſerationem poſtulant, miſerabiliter ſe gerentes: quo magis ego, quem intelligentia erexit, regia fortuna prouexit, patrem talis iuuenis genitiua vis fecit, miſerationis affectũ viſceribus admittere iubeor? Itaq; famuli, detractũ ſupplicio filium, ſi viuit, relaxate. Sic redditus eſt vitæ Broderus, miſerantibus puſillis animantibus, quẽ maximus regno pater innocentem pœnæ addixit. Quanta peſtis principum aſſentatio perditorum? quot reges euerterunt peſſima ſuorum conſilia? Iarmericus, bonus pater, non degeneri filio ignominioſum penè lethum inuexit, proditoris aſſentatione ſeductus. Optimum optimi Imperatoris Alexandri Romani principis factũ memoratur: qui ex aulicis familiarem ſibi aſſeclam, multa vendere ſolitum officia, plura polliceri quum comperiſſet, captum vinciri iuſſit, alligariq́; palo in publicum: tum facibus vndique fumigantibus circumdari, & in ora torqueri imperat, clamante præcone: Fumum vendidiſti, fumo interibis. Talia vtinam præmia reportarẽt, qui apud principes delationis munere funguntur. Cæterùm quid rerum ſub huius regno geſtum ſit in ea prouincia, compertum nihil habeo, nullo præclaro opere in faſtos relato: niſi quòd Broderus filius patri ſucceſſerit.

Theodoſius.

Delatorum apud Romanos pœna.

CAP. 18.

SIWALDVS poſt hunc regno potitur. Quo ſanguine cretus, quidve rerum geſſerit, omnino memoratur nihil: niſi quòd eius imperium ad extremam vſque

ſenectam ſit deductum, filio interim eius piraticæ inſiſtēte. Deerat illis hominibus terreſtris ſæpe militia, & inquietudo mentibus inſita tranquillitatem temporum non ſuſtinebat. Nam Daniam vndiq; mari cinctam accepimus, niſi qua parte Scania (quæ hac tempeſtate adhuc Suetici iuris videbatur) iuncta eſt Sueciæ montibus aſperrimis, quæ ab illa quoque regione terreſtrem militiam non admittit. Igitur ad mare conuolarunt, ibique adoleſcentiam attriuere, maioribuſque rebus aſſuefecere gerendis. Inde illa nauigandi exercitatio eò prouexit homines, vt littorum circūpoſitorum penè omnium fortunā attentarent, Wandaliam ſubigerent, Saxoniam ſæpe tributis onerarent, Sembos, Curetes, Eſtones, Ruſſos imperio ſuo premerent, Galliarum littora infeſtarent, Britanniam & Hyberniam ſubigerent: poſtremò etiam vſque in Conſtantinopolim nauigationem extenderent. Vellem hoc loco Saxo noſter explicuiſſet, qui fuerint, quos Helleſponticos ille dixit, cū Iarmerico rege nonnulliſq; aliis manus conſeruiſſe. Si à traiectu Europæ atque Aſiæ illi venerunt, (quæ eſt vera Helleſponti prouincia) longinqua nimirum in Daniam nauigatio. Quæſo te Saxo noſter, quando illi viri ad arma pugnaſq; exierant, cur tam multas in medio propinquiores & locupletiores prouincias prætemauigauerūt, & in Daniam, ſterilem vtique cæterarum comparatione prouinciam, arma contulerunt? Veritos crediderim Romanum imperium, ne illi parentes regiones inceſſerent. Quippe Magnus Conſtantinus per hanc ætatem Imperio præſidens, ſuo de nomine Byzantium in Conſtantinopolim transformauit. Sed nos diuinationis ignari, quæ non legimus, poſteris tradere non valemus.

Dani ad remotiſſima quæque nauigant.

CAP. 19.

Longobardi vnde prodierint.

SNIO filius hunc regno inſequitur. Cuius tempora illuſtrauit Lōgobardorum de Scania egreſſio. Prima huius regis opera fuit, Scaniam iamdudū Sueciæ iunctā, ſuo regno iterum adunare. Eskillus atq; Alkillus duces erant, qui pro rege Sueciæ illā tuebantur. Sed Snio collectis regni viribus duxit in illos, initóq; prælio fugauit, ac regno ſuo deinde (vt antè) parere coegit. Libuit autem iuueni regi, priuſquam ſe iuſtis nuptiis deuinciret, furtiuis amoribus diffluere. Igitur Gothorum regis filiam, ſi legitimo toro depopoſciſſet, nullo pacto pater recuſaſſet: ſed ille ſubmiſſis mollioribus nunciis, ad neſcio quos affectus iuſſit ſollicitari. Pater puellæ, adeſſe iuuenes peregrinos, qui filiæ ſecreta colloquia quæritarent, vbi intellexit, iuſſit diligentius eorum obſeruari veſtigia: & vbi furtiuis amoribus inſtare comperiſſet, arreptos vltimo affecit ſupplicio. Sed rex Snio ſuorum necem vindicare deproperans, contracto exercitu mouit in Gothos. Iam tendebant aduerſis in campis acies. Incidit autē regi Gothorum conſilium, vt miſſis ad Snionem nunciis, rem nō toto agmine peragendam, ſi videretur, æquato pugilum è diuerſo numero committere hortaretur: (vt multitudini parcerent) ſorte autem pugnantiū ipſi reges vterētur, vt victi victoribus, tanquam toto agmine pugnatū extitiſſet, parerent. Accepit conditionem rex Snio, & immiſſis altrinſecus pugnatoribus, quum aliquādiu æquatæ vires viderentur, ceſſere Gothi, & eorū ſorte Dani victores, victis legem dicebant. Sed filia Gothorū regis, iam Sueonum regi denupta, necdum animo exciderat amantis: itaque dimiſſis qui eam etiam tum ad torum inuitarēt, effecit, vt raptui ſe aptaret. Abſtractam ergo toro legitimi mariti, Snio illā qualicunq; conditione tenebat. Ordinem autem huius raptus, quia in Suecia noſtra deſcripſimus, hoc loco tranſibimus.

Snio bello vincit Gothos. Victor.

Lib. 2. c. 25.

CAP. 20.

QVO tempore per ſummam cœli intemperiem agrorum vbertate corrupta, ingens annonæ caritas incidit. Quumq; oborta victualiū raritate grauis plebem inedia laceraret, rex quonam modo temporis occurreret difficultati anxius, quū aliquanto maiorē bibulorum quàm edacium impenſam animaduerteret, frugalitatem poculis conabatur inſerre. Cōuiuiorum enim vſibus abrogatis, ne qua ex fruge potio pararetur, edixit, acerbitatē famis ſuperflui hauſtus interdicto pellendam, atque à ſiti abundantiam eſcis mutuandam exiſtimans. Sed neque profuit rebus etiam tanta regis prouidentia. Erant in regis conſilio, quibus vna ſalus ſupereſſe ſit viſa, ſi inutilem multitudinem ſenum puerorumque & fœminarum nece reſecarent, ſeruatis ſolis viris militaribus & agrorum cultoribus: ſic enim patriam, quæ alumnos nutrire non poſſet, ſeruari ſolùm poſſe exiſtimabant. Factumque decretum, vt parentem ætate fractum, matremque pariendo inutilem, filium filiamque

In annonæ caritate crudele cōſilium.

aut armis aut nuptiis inutiles, domi quiſq; ſuæ conſumeret. Hoc decretum ſceleris atque atrocitatis plenum, fœmina duorum in concilio procerum mater auertit, mirari ſe, inquiens, quòd in regio concilio nõ ſalubrius ad patriæ liberationem decretũ eſſet repertum. Euocatis filiis inſpirat, regem adeant ſuadeãtq;, vt mutato impietatis pleno decreto, ſalubrius rex decernat, vt inter omnes terræ familias ſors mittatur: in quam ea ceciderit, cum omni domo emigret, vxore, parẽtibus, liberis ſecum extractis. Ita fieri poſſe vt parricidio abſtineatur, patria multitudine nimia ſubleuetur, & viris fortibus, quibus egrediendi ſors ceciderit, detur occaſio terram aliam expetendi. Id quum ad regem perueniſſet, placuit: edixitq; vt in quaque Daniæ prouincia familiæ turmatim coirent, ſortem mitterent: quæ quem repériſſet, cum omni domo emigraret. Ita collecta magna manus, primùm conuenit in Scaniam, indeque egreſſa, nauigio Godlandiam applicuit. Ibi autore Frig dea (vt Saxo noſter aſtruit, Paulum quendam teſtem faciens) Longobardorum vocabulum accepere: quorum poſtea gentem condiderunt. Tenemus igitur domeſticum huius ſcriptoris teſtimonium, Longobardos è Scania egreſſos: cui aſtipulantur omnes Italici ſcriptores & Græci. Euſebius in ſupputatione temporum, annum ait extitiſſe poſt natum Chriſtum trecenteſimum octogeſimum quartum, Paulus Diaconus in idipſum teſtificatur: & poſt omnes Blondus, noſtri temporis antiquitatis renouator. Sed illi Scandaniam, iam Scãdiam vocant, quam nos Scaniam appellamus. Nec eſt magna vis de nomine, quando de re ipſa conuenit. Tenemus ergo originem generis, tenemus tempora. Nominis etiam cauſam attingit idem Saxo Sialandicus, qui Rugiam primò in noſtra continenti, eoſdem memorat apprehendiſſe: ibique pulſis habitatoribus, quum ipſi duces ſequerentur Iborem atque Aionem. Sed antequam progrediamur in hiſtoria, libet de ratione mutati nominis pauliſper digredi.

Muliebri prudentia innumera multitudo ſeruatur.

Lõgobardorum origo.

384.

CAP. 21.

Longobardi vnde dicti.

OPERÆPRECIVM eſt agnoſcere, cur qui Dani antè vocati ſunt, aut Scani, ab ea parte qua collecti emigrabant, poſtea ſint Longobardi, etiam antequam Italiam attingerent, vocitati. Sunt qui à barbarum propenſa longitudine nomen arbitrentur adeptos. Quod vocabulum linguæ videtur alludere Germanorum. Sed non potuit vni nationi vocabulum tribuere, quod erat omni regioni commune. Equidem ætate illa omnes viri promiſſis barbis vtebantur, quod hodie quoq; magna pars mundi fertur obſeruare. Aliis viſum eſt, hanc illis appellationem à Saxonibus, eorum agminib. immixtis, proueniſſe, quòd Bardos appellari ſolitos Saxones tradat antiquitas, extetque vetuſtatis monumentum in vetuſtiſſimo oppido à nobis non longè ſito, quem Bardorum vicum etiam nunc appellãt, detorto (vt fieri ſolet) vocabulo. Ptolemæus quoq; ante iſta tempora ſcribens, nominat Longobardos: & Tacitus inter Sueuos commemorat: vt ex Teutonum natione ad Danos ſit translatum. Quid Saxo ſuper ea re tradiderit, diximus, autore dea, hoc illis, antequam Godlandia abirent, proueniſſe vocabulum. Mihi veriſimilius videri ſolet, ab Italis hoc illis proueniſſe cognomen: vt in pleriſque narrationibus per anticipationem illo inſcribantur nomine, quod tamen longo pòſt tempore ſit inſtitutũ. Nam homines ſtatura cæteris proceriores, Longobardos, quaſi longos barbaros appellarint. Nouerunt & Latini, qui apud veteres ſint Bardi vocitati. Galli quidem Bardos dixere homines diuinandi peritos. Quod imitatus in carmine Lucanus nobis reddidit, quum ait:

Bardi in Saxonum gente.

Plurima ſecuri ſudiſtis carmina Bardi.

Latini tamen Bardos, homines tenui ſenſu, pingui Minerua, & quibus de ſapientia parum fuerit deguſtatũ, appellant. Sic Cæcilius Comicus, ſic in Odis loquitur Horatius. Sed iam ad hiſtoriam reuertamur. Hoc eſt quod quærimus, gẽtis huius præclarum decus: vt quomodo Gothi Romanas diu prouincias afflixerunt, Italiam, Gallias, Hiſpanias, Thraciam regno diu tenuerunt: Normanni in Galliarum littoribus ſedes cum nomine firmarunt: & in Italiam egreſſi, regnum Neapolitanum, imò vtriuſque Siciliæ fundarunt. Ita Dani, quorum pars Scanij ſunt, proprium ſibi decus vendicant, Longobardiam in Italia regnum feciſſe, atque aliquot ſeculis (quod dicemus) tenuiſſe. Igitur Scanij patria turmatim egreſſi, primùm Rugiam

ingreſſi ſunt, pulſiſque habitatoribus Wandalis,ſub memoratis ducibus ibi conſederunt. Quibus vita functis, primum regem Aionis filium Agelmundū conſtituerunt,& in media Wandalorum regione non ſine magno bello conſederūt.Equidem populus ille bellis innutritus, & maritima plurimum pugna exercitatus, tum terreſtri pugnæ inter medios Wandalos aſſueuerat, acuens vires, quas aduerſus Pannonios primùm, deinde contra Italos impenderent. Per hæc tempora Atila Hūnorum rex infinita multitudine ſuorum, ac nationum in medio conſtitutarum adiunctis agminibus, nouas Oriente deſerto ſedes quæſiturus exierat, peruenitque in Pannonias,quæ nunc Vngaria dicitur. Ibi cum Bleda fratre partitus imperium,longas fecerat in vicinas nationes Thracum, Dalmatarum atque aliorum excurſiones:deinde fratrem,qui Budaliam ciuitatem erexit, orta ſimultate extinxit,longiuſque propagaturus imperium, ad Rhenum vſque peruenit. Ibi obſidens Agrippinam Coloniam,agmen vndecim millium virginum ab vrbe Roma,quam deuotionis gratia adierat, ibi per Rhenum deſcendens obtriuit, agente caſtitatis autore Deo,vt magis ſanguinem fundere, quàm corpora polluere, immaniſſimo tyranno in animum deſcenderet.Inde mouens in Gallias, magnum & memorabile hoc prælium in campis Catelaunicis ſubierat. Aduerſus enim Romanum patricium, (cuius in partibus ſteterant Gothi,qui tum in Gallijs ſub rege Theodorico agebant) quum Atila Hunnorum rex Gepidas,Herulos,Quados,Marcomános,Alanos,Sueuos,Saxones,Wandalos,ſingulos ſub ſuis ducibus traheret: commiſſoq; omnium maximo prælio, ſupra centum hominum millia cecidiſſent, rexque ipſe (quem diximus) Gothorum ibi cōcideretur. Cuius filius Turiſmundus facilè tum Hūnos obtriuiſſet,niſi Aetio procurante, vt exteræ nationes inuicem ſibi eſſent timori,patrium regnum ſuſcepturus,in paternā ditionem retroceſſiſſet. De Hunnis autem,qui & vnde fuerint,quamuis propoſito noſtro non inſeruiat,facilè tranſiremus,ſi à quouis Italo ſcriptore (quod quidem ſcirem) fuiſſet explicitum:ſed quum illi facili manu res illas attingant,quæ non illuſtrandæ illorum genti accedant, arbitror non ab re eſſe,ſi quid per tranſitum eius rei cōtingam. Hunnos ſupra Ruſſos ad Orientē olim habitaſſe,Saxo noſter oſtendit, quum nonnulla,quæ Danis obuenerant bella cum ea gente,cōmemorat. Nam per Ruſſos Danis,& viciſſim Hunnis erat tranſitus, quum inuicem belligerarētur,(quod nos quoque ſuperioribus locis, quum ea res commemoraretur, attigimus) vaſtam illam dico regionem, quā olim Sauromatæ,nunc Tartari tenent,tum(vt diximus)Hūni gens efferatenuere. Accedit locupletiſſimus teſtis Beroſus,quòd Europęi ſunt Hūni,nō Aſiatici. Nam Hunnum fuiſſe ex primis Tuiſconis filiis(vt Sueuum & Wandalum)ille commemorat: Gepidas,Herulos, Marcomannos ex illa latiſſima Wandalorum natione extitiſſe debemus accipere,quæ a mari noſtro incipiens,a Rugia(quam primùm occuparūt Longobardi) per Pomeranos,Stetinenſes,Brādeburgenſes,Sileſios,Bohemos,Polonos,pertingit vſque ad confinia Pannoniarū. Sed tum Atila retroceſſit in Pannonias,ibiq; recollectis viribus,tranſiuit in Italiam,triennio obſidens Aquileiā, donec caperet. Quo tempore potentes eius regionis viri terrore conciti,in paludes conceſſerant inuias,ibiq; tentoria caſaſq;temporales fixere. Sed perſeuerantibus malis in regione, paulatim ex neceſſiate,quod vſui eſſet,concepere, initiantes Venetiarum nunc potentiſſimam & opulentiſſimam ciuitatem. Atila verò occurrente ſanctiſſimo pontifice Leone primo,reduxit agmina. Statimq; nouis celebratis nuptiis tantū exhilaratus vini hauſit,quòd exundatione cruoris, quæ illi per nares defluere ſolebat,exanimaretur,Martiano tum imperante:qui in ſomnis vidit, & enunciauit fractū Atilæ arcū:quo genere armorū gens illa plurimùm vtebatur. Tum ſe gentes quæ illi parebant,in libertatem vendicauere. Erat inter primores duces Odoacer rex(vt aiunt)Herulorū,pars ea fuit,vt diximus, Wādalicæ nationis. Is inſederat magnam Pannoniarū regionis partem cis Danubium: ſed compertū habens,Italiam florentiſſimam regionem capi facilè,quòd Imperium occidentis nimirū vacillaret ſub Auguſtulo,(qui & re & nomine non magnus erat) comparatis viribus tranſiuit
471. in Italiam,poſt quadringētos anno 71.datę mundo ſalutis. Quumq; priſtinas ille ſedes vacuaſſet,Rugii, quos à Longobardis ſuis ſedibus pulſos diximus,creato ex ſuis rege

Agelmūdus primus Longobardorū rex.

Atila.

Virginum XI. millia trucidata.

Hunnorum origo & ſedes.

Venetiarū prima origo.

Atila mors.

Odoacer.

rege Selecteo, Odoacris prouinciam habitaturi inuaſerunt: exemplum Wandalorum, Hunnorum, Alanorum, & aliarum gẽtium, quas viderant fœliciter ſedes ſuas commutaſſe, ſecuti. Sed Odoacer poſtquam in Italia imperium conſtituerat, præſidia opportunis locis firmauerat: quum audiſſet reliquias ſuas, quas in Germania ſeruandis ſedibus conſtituiſſet, à Rugiis expulſas, magnis iuuenibus contendit in Germaniam, & prælio commiſſo, Rugiorum regem fudit, gentemq́; retro pepulit, reuerſus in Italiam. Tum Longobardi, tot iam gentium exempla audientes, nouas & illi ſedes quærere properabant, quarto eorum rege Bodehock iam rebus præſidente: cuius transmigrationis gratia, quæ de Herulis, Hunnis, aliiſq́; dicta ſunt, fuere introducta. Erat igitur poſt natum Chriſtum annus 476. quum iam Longobardi, dimiſſa quam inſederant ſupra centum annos Rugia, magno agmine peruenerunt in confinia Danubij, quæ nunc prouincia Bauaria dicitur, ibique fixis ſedibus aliquandiu permanſere. Nos quoq; hoc loco figentes ſtylum, quia Longobardos in Bauariam perduximus, reuertamur ad noſtros Daniæ reges commemorandos, donec illa tempora contingamus, quibus illi Italiæ propius acceſſerunt: hæc ipſa breui anticipatione præferentes, donec latius ſingula explicemus. 476.

Cap. 22.

Bior in Daniæ regno interim Snioni ſucceſſit, filius, ánne aliquis magna de ſtirpe nepotum, incertum eſt, nec de rebus per illum geſtis aliquid in annalibus relatũ accipimus: niſi quia regnauerit, ſolo nobis nomine notus eſſe promeruit. Mirũ fortunæ ludibrium, vt alium proueheat immerentem, faciatq́; immortalem, alium deijciat ſummis dignum honoribus. Ita quum ſit iniqua viuẽtibus, etiam fato functis non æquior inuenitur. Nam alterius tempora longa donat celebritate memoranda, alterius ita res præclaras abſcõdit, vt nihil inde veniat ad poſteros. Bene Magnus Alexander, quum buſta cerneret Achillis, ſuſpirabundus aiebat, fœlicem extitiſſe iuuenẽ, qui laudis ſuæ nactus fuiſſet præconem Homerũ, ſibi quoq; idipſum ab immortali Deo precatum, vt breue mortalis vitæ momentum æterna apud poſteros memoria celebraretur. Nec eſt fraudatus deſiderio ſuo. Sed non æqua Biornis fortuna. Qua in re apud iuſtos rerum æſtimatores nihil ipſe amiſit, ſed poſteri temporum curſus inſpicere cupientes, multa perinde requirunt deſiderantque.

Cap. 23.

Haraldus deinde hunc regno ſecutus, excepit eandem cum prædeceſſore fortunam: nihil enim & de illo in literas relatum eſt. Mirum autem eſt in ea gente tam de multis regibus pertinax ſilẽtium, vt præter nomina nihil ſit in faſtos relatũ. Nam poeticam ea lingua ab olim, etiam priuſquam Latinas literas acciperet, venerata eſt. Teſtantur carmina, heroum res præclaras magnificè reddentia: teſtantur inſcriptiones, quæ vetuſtis & obeſis in rupibus longo temporis tractu per ſitũ corroſis, vſq; hodie (vt ferunt) viſuntur. Et niſi fuiſſet in illis ſcribẽdi cura, par omnium regum præclaris facinoribus obliuio prouenisſet. Nunc quoſdam legimus magnificis rebus perennatos, vſque ad proſecutionem amorum quibus ſeruiebant. Quo magis mirum videri debet, alios tam obſoleta deterſos obliuione, vt præter nomina, & ſuccedendi ordinem, nihil prorſus de illis memoretur.

Poetices ſtudium apud Danos vetuſtum.

Cap. 24.

Gormo huius Haraldi filius, cum regia ſucceſſione magnum & memorabile nomen obtinuit, non tã rebus bello geſtis, (quæ vna eſt ratio inclareſcẽdi nobilibus & viris militaribus) quàm curioſitate exquirendarum rerum, quas vel natura ſepoſuit ab hominum obtutibus, aut fabuloſa ſibi ac ſuperſtitioſa confinxit antiquitas. Equidem multa ab vſq; ſeculis vetuſtiſſimis, in regionibus Aquilonis mira ac prodigioſa ſunt relata. Nec hodie ceſſant hominum fabulæ de miris Phinnorum vaticinijs. Iacent reſupinati, pallentes, mortuis ſimiles, & poſt aliquot horarũ interualla ad ſe redeuntes, cõſurgunt incolumes, & renunciant quæ trans mare per multa gerantur millia, afferentes notas & ſigna, quibus vera illos dixiſſe compertum ſit, aut laciniæ partem de veſte, aut ex iocalibus aliquid: quod domum reuerſi qui exquiſierant, ſtupentibus referunt qui amiſere. De Normannorum quoq;, vt appellant, Teruillis, (genus eſt ſpirituum, miris, vt ferunt, modis ludificantiũ homines) aut vera prænunciantes, aut occulta pandentes, aut inſidiarum aliquid nectentes, ijs præſertim qui in eos malignantur. De Iſlandorum verò phantaſmatibus mira prædicant, qui mercantes regionem luſtrauere. Nam volitare paſſim vmbras ferunt:

Aquilonis regiones prodigijs plenæ.

Teruilli ſpiritus, & antrũ Patricij.

quæ etiam à nonnullis corporali ſpecie viſuntur, vt aiunt, ſed ab iis tantùm qui ſunt initiati quibuſdam eorum ſacris, magis autem execrationib. Extremi horum (Heckelfeld vocant locum) vbi infernas ſedes, aut Erebi eructationes arbitrãtur. Hybernici purgatorium memorant ſancti aliquando Patricij. Sed Gormo rex à Tylenſibus de cuiuſdam ſedibus remotiſſimis accepit, eamq; rem illum experiũdi magna cupido inuaſit. Nauigium iuſſit aptari, remiges in id genus ſeruitutis delectum damnauit. Torkillum quendam rebus præpoſuit, huius famæ autorem, & qui multa experiundo didiciſſet. Itaq; tribus in id negocij nauibus expeditis, (quas nodis crebrioribus clauiſq; firmauit arctioribus) ſuperne bouina coria ſuperinducuntur: commeatus in multa tempora prouidentur. Itaque nauigatur, vt à tergo ſolem & ambientem terras omnes linquant Oceanum. Ibi quę ferãtur eſſe comperta, fabulis deputanda, legant qui velint ex Saxone iſta proſequente, ego ad hiſtoriam pertinere non arbitror. Somnia & monſtra volitantia, quæ anilibus næniis propiora ſunt, rerum geſtarum ordini non putaui inſerenda.

CAP. 25. SED hoc loco damna temporum & multa ſine cõmemoratione præterita imperia requiro. Siquidem ſub tribus proximè commemoratis regibus, tẽpora multa conſumpta ſunt. Nam à Snione rege, ſub quo (vt diximus) Longobardi è Scania migrarunt, ad uſque Gotricum (qui & Gotfridus) Gormonis proximi filium, qui tempora attigit Caroli Magni Francorum regis, Romani deinde Imperatoris: ad quem ab exitu Scaniorum, ad expugnatum ab illo regnum in Italia Longobardorum, anni fluxerunt circiter CCCC. Nam ex ſupputatione Euſebij, Hieronymi, Proſperi, & (qui ſecutus eſt) Matthæi Palmerij, emigratio facta eſt anno poſt Chriſtum CCCLXXXII. Captus eſt autem à Carolo Deſiderius, eorum rex nouiſſimus, DCCLXXVI. qui anni præter ſex, ſunt CCCC. Quis autem credat tres interim ſolos in Dania reges præfuiſſe? Niſi arbitremur, turbatis rebus, ſine rege ducibus rem eſſe tranſactam: quod in cæteris quoq;, & in Romano nonnunquam Imperio cernimus contigiſſe, vt propter temporum confuſionem, & ſcriptorum negligentiam, diſcerni non poſſit quis regnauerit: quum multi interim de pari contendentes, ad ſe quiſque regium nomen cum dignitate rapuerint. Interim ad Longobardos noſtros reuertamur, quorum res per hanc ipſam quæ apud Danos vacauit ætatem, per Pannonias & Italiam inclaruerunt.

Deſiderius Longobardorum rex vltimus.

ALBERTI KRANTZII
DANIÆ LIB. III.

CAP. I. *Agelmundus Longobardorum rex I.*

PRIMVS gentis rex, quũ adhuc in Rugia Wandaliæ moraretur, Agelmundus erat, filius Aionis ducis, ſub quo ſunt egreſſi. Annis ille XXXIII. regnabat, multa aduerſus Wandalos, qui illum circũſedere, bella gerens, multis victoriis clarus. Sed rerũ geſtarum ordinem non tenemus, ſcriptorum incuria: quod ſæpe queſti ſumus. Erant qui fortiter facerent, non erant qui diſertè ſcriberent fortia facta virorum. Quanquã ſi res ipſas etiam inde enunciatas teneremus, non magnopere eloquentiam quereremur. Hoc ipſo rebus humanis excedente, ſucceſſit Lamiſſus, vir non tam natalibus clarus, quàm rerum geſtarum gloria inſignis. Equidem meretricio natus fertur cõplexu, qui ad gubernacula regniq; ſceptra nullo modo fuiſſet admiſſus, niſi incomparabilis rerum geſtarũ memoria, & incredibilis quædam vis animi corporiſq; fuiſſet ſuffragata. Sed regnum quod meritus accepit, fortiter geſſit, non diu tenuit. Siquidẽ triennio decurſo, qualicunq; exitu (quem non tenemus) ſceptra permiſit ſucceſſori Labe. Qui, quòd erat vir bello fortiſſimus, & nihilominus inter ſuos amantiſſimus, in gente feroci, inter acerba multorũ hoſtium circùm habitãtium odia, regnum produxit ad annos vſq; XL. quum adhuc primas ſedes tenerent in Rugia: quæ illis è patria nauigãtibus prima occurrit, tutatu perinde facilior, quòd inſula eſſet (vt eſt hodie quoq;) mari circumflua. Hunc excipit Heldehock, Labe filius, ordine quartus, totidẽ annos agens in

Lamiſſus II.

Labe III.

Heldehock IIII.

Godehock V.

in regno: quem Godehock quintus ſequitur. Sub quo rege primatũ ſedium faſtidium non ferentes, quum audiſſent Hunnos, Gepidas, Quados, Herulos iam ad Danubium partim, alios etiam in Italiam trãſgreſſos, vberrima militiæ præmia retuliſſe, vberes agros, ciuitates opulentas & regna latiſſima: igitur viros ſe eſſe, gladios tenere, patria exteros eſſe perpendentes, facto agmine, cum omni domo & familia emigrarunt, citra Danubium occupantes regionem, quæ nunc Bauaria eſt, tum ab Odoacre Herulorum rege (iam in Italia regnante) vacuata primùm ſua trãſitione, deinde, quum reuerteretur, Rugiorum expulſione. Ea fuit Longobardorum fortuna, vt bis Rugiis ſuccederent in ſedibus: primùm, quum illos eiicerent de ſua Rugia: inde, quum iidem ab Odoacre pulſi Bauaria retrocederent, patriam repetentes qui ſupererãt. Longobardi redeunte ad Italiam Odoacre, ibiq; poſt annos aliquot à Theodorico de Verona, Gothorum rege victo, pacificè regionem tenuerũt. Rex memoratus, ſub quo ſecundò emigrarunt, duodecim annis regno pręfuit, reliquitque ſexto, quem Daphaon dixere.

CAP. 15.

Daphaon VI. *Tanto VII.*

HIC iam primus ad Danubium gẽti ſuæ regno præfuit, multis proculdubio vicinarũ gentium bellis inquietus. Sed res illas cum cæteris multis ſepeliuit obliuio: quòd nemo referret in faſtos. Tractum autem quinquennio ſolo regnum, reliquit ſeptimo, cui nomen erat Tanto. Huius hoc præclarum facinus memoratur, quòd Herulorum reliquias ab Italia redeũtes, occiſo eorum rege (quod diximus) Odoacre, quum priſtinas ſedes repeterent iam Longobardis inſeſſas, regemq; ſibi ex ſuis creantes Rodulphum, bellum Tantoni Longobardorum regi pararent, fiducia vicinorũ gentilium ſuorum, quòd Bohemi, Moraui, Sileſij, vnius linguæ & nationis ea tempeſtate homines, ſuis cõgenitalibus fauerent. Erant enim (quod in Wandalia oſtẽdimus) Heruli de genere Wandalorum: quãuis aliud ſenſerit Iordanes Gothus, quod in Suecia noſtra quoq; attingimus. Nunc verò belli inter Longobardos & Herulos ea fuit occaſio. Repulſi ab Oſtrogothis Heruli, & Italia depulſi, cũ rege Theodorico, (quum regem eorũ Odoacrem cum optimatibus Rauennæ iuſſiſſet occidi) Heruli quidam, qui Gothorum refugerãt imperium, in Pannonias reuerſi antiquas ſedes repetebant. Quas etſi Longobardi occupaſſent, remanſit tamen in latiſſima prouincia locus, qui reliquias caperet Herulorũ. Nam magnã eorum partem bellum Italiæ cõſumpſit: aliquanta etiam in Italiæ angulo, ſub Gothorum imperio, gentis portio remanſit. Erat igitur initio inter Longobardos & Herulos non ſolùm quies, ſed etiam regib. conſuetudo & familiaritas mutua inceſſit. Heruli quidem natale ſolum, quod illis Magnus Conſtantinus permiſit, ſuo ſibi iure petere videbantur: & Longobardis humanum fuit, de accepta aliena prouincia vel partem relinquere antiquis poſſeſſoribus. Venerat Rodulphi Herulorum regis germanus pro cauſa ad Tantonem regem Longobardorũ, & ab illo perbenignè acceptus eſt. Quum peracto negocio iam redire conſtituiſſet, à proceribus Longobardis deductus, iter agebat, quâ regis filia demorabatur. Procax puella, quum videret peregrinum hominem honoris gratia a ſuis deduci proceribus, nobilem virũ (quod erat) ſuſpicata, miſit ex ſuis qui illum ad colloquium dominæ inuitaret. Ille nõ grauatus venit. Salute accepta ac reddita, quum ſtaturam hominis puſillam inter ſuos petulans puella cõtemneret, & ille intelligens, ferocius militariterq; neſcio quid reſpõderet: orta (vt fit) rixa, ad gladios peruenitur, ille multis interſeptus facilè opprimitur. Quæ res iuſtã fratri eius Herulorũ regi, vltionem dedit. Itàq; conflatũ eſt bellũ, quod Herulorum rex, gentis ſuæ robur & exercitationem in armis ſciens, per contemptũ Longobardorum (quos ad pręlia rudes ducebat) facilè iudicabat. Miſſis igitur ducibus ſuis, copias illis pro ſe attribuit, ipſe ſedens ocioſus aleam fatigabat. Hominem in ſpecula cõſtituit, qui pugnæ exitũ & victoriam renunciaret: capitis periculum denuncians, ſi fugientes Herulos ſignificaret. Stolidũ nimium præceptum, tam ſibi certus videbatur de ſuorũ pręſumpta victoria. Sed cõgreſſi Heruli vincuntur, fugamq; capeſſunt. Semper. n. ſegnior pugnã init, qui hoſtẽ cõtemnit. Speculator nõ auſus nunciare ſuorũ fugam, exclamat, Væ tibi infœlix Herulia. Rex audiẽs, Quid eſt? inquit. Fugiũt Heruli? At ille, Nõ hoc ego, ſed tu dixiſti rex. Secuti Lõgobardi victores, regẽ opprimũt, & gentẽ ad internecionẽ cædunt. Rex aũt vexillum

Belli inter Herulos & Longobardos cauſa.

Heruli à Longobardis victi.

& galeam à Rodulpho tum capta, deinde ſemper in prælijs pręferebat. Præda ditati victores: victi verò qui cædi ſupererant, regem deinde neminem creauere, ſed ſub tributo victitarunt.

Cap. 3. *Wacõ VIII.*

Hvnc octauus ordine regum excipit Wacon, proximi ex fratre nepos. Sed is regni primordia, ciuili & pluſquam ciuili ſanguine fœdauit. Nam cupidine regni pat...um ſuum depulit, & magno victum prælio interemit. Regnum autem vi partum, eadem virtute per annos octo & decem fortiter gubernauit. Gepidas vicinos bello obtriuit: qui & illi de reliquiis magni Atilæ Hunnorum regis extiterunt. Sueuos Alemannos bello vicit: regnumq; ad ſuam & legitimã poſteritatem tranſmiſit. *Walcarius IX.* Nam Walcarius illi ex filia nepos, regno ſubſtituitur. Cæteras ab illo res geſtas non tenemus: niſi quòd nomen eius in faſtos relatum, ſeptennio illum perhibet regnaſſe. *Adonius X.* Decimus hunc Adonius excipit. Sub quo rege gens iſta vires incredibiliter auxit, breui exercendas in Romani Imperij & Italiæ detrimenta. Sub hoc rege Longobardi, quum iam vicinas ſua putarent vberiores prouincias, trãſito Danubio, inferiores Pannoniæ partes occuparũt. Tulerat hoc grauiter Turiſmundus Gepidarum rex, pronepos Odoacri, qui ſub Atila in cãpis Catalaunicis maximo illo prælio militauit. Nam ille cum ſua gente ſuperiorem Pannoniam habitabat. Congreſſis igitur prælio gentibus ferociſſimis, Adonius repreſſo Turiſmũdo, captam inferiorem Pannoniæ partem, armis defendit. Cui prælio Albuinus adoleſcẽtior Adonij filius, adhuc immaturus æuo, interfuit, nec minimã fertur nauaſſe patri operam ad victoriam. *Gepidæ à Longobardis caſi.* Nam Turiſmundũ Gepidarum regis filium, fortè ſibi in acie oblatũ aduerſarium, collata manu ſuperauit & occidit. Quo cadente, Gepidæ in fugã verſi, victoriam hoſti reliquerunt. Reuerſus in ſua Adonius pater, filium pro ætate negligentius habuit: necdum enim menſa ſua dignatum, inter famulos iuſſit accumbere. Proceres regem admonuere, vt fortem filium, qui penè victoriam ſolus peperiſſet, occiſo regis filio, honoratiore loco ad latus ſuum prouehi iuberet. Quibus rex: Necdum, inquit, filius noſter hoc commeruit, quia opima ex hoſte ſpolia non retulit: ea ſunt ducis aduerſi arma. *Albuinus caſi à ſe hoſtis arma ab eius patre petit.* Quod quũ audiſſet adoleſcens Albuinus, re iam inter reges compoſita, aut in tempus per inducias ſuſpenſa, audet regem adire Gepidarum, filii ſui arma depoſcens, quæ illo ſuperato meruiſſet. Fortem fortes non oderunt. Miratus rex iuuenis fiduciam, illum menſæ ſuæ iubet cum contubernalibus aſſidere. Fortè locũ tenebat, quem ſolebat regis quondam filius Turiſmundus occupare. Rex iam mero incaleſcens, Albuino inſpecto duxit alta ſuſpiria. Locum, inquit, illum regis filius tenet: ſed illum oculi requirunt, qui ſedere ſolebat parenti proximus. Tum alius ex illius filiis, non ignorãs quid pater loqueretur, iuuenili ardore excanduit. Cœpitq; quadam altercatione verborum inter milites vtrinq; rixa, quòd faſciolis ad crura candidis irridebãtur à Gepidis: nam iumentorum ſimiles viderẽtur, qui candore pedum probarentur. Ad quam vocem quidam ex Longobardis acerbius reſpondens: Ille, inquit, campus, qui Gepidarum oſſibus exalbuit, qui viri ſint Longobardi, oſtendit. Tum ingraueſcente indignatione, quum ad arma conſurgerent, rex medium ſe infert ſuis, interdicens gladios diſtringere, ne hoſpitales in ſe deos prouocent. Sponte venientes hoſpites, hoſpitaliter ac benignè propriis in ædibus fouendos. Tum ille regio iuueni arma filii tradita condonauit, lætumque remiſit ad parẽtem. Qui & ipſe parens miratus filii fiduciam, robur animi collaudauit: ac in reliquum tempus menſæ ſuæ conſocians, iam meritam loci dignitatem prædicabat. Quam ego rem in primis exponendam putaui, quia moribus conſonare probatur Danicæ nationis.

Cap. 4. *Albuinus XI.*

Adonio defuncto, vndecimus in regno ſubrogatur Albuinus: & in Gepidis patri Erimundus ſuccedit. Quos inter nouos reges renouatur bellum, ſed diſpar ab exitu. Nam Albuinus Francorum auctus eſt viribus, quòd Clotarij regis filiam Clotſmindam vxorem accepiſſet. Sed & Auares (Hũnorum hi fuere reliquiæ, illis in prouinciis permanentes) Longobardis acceſſere. Vnde factum eſt, vt Gepidę facilè ab his ſuperarentur. Nam Commundus (quem alij Erimundum dixere) cõtractis vndiq; armis, magno apparatu, ſed maiori odio mouit in Longobardos, gẽtem aduenam & nouam. Albuinus autem cunctorum quæ gererẽtur gnarus, ſeſe intra

prouin-

prouinciam cōtinuit, donec reſciret Auares, Hunnos (hoc nouum nomen ab rege ſuo mutuantes) in prouinciam Gepidarum ſe recepiſſe, à tergoque illis imminere. Quid faceret Commundus hoſtibus interceptus? Mouit in Albuinum, ſperans, ſi illum oppreſſiſſet, aut magna clade affeciſſet, futurum facilè vt Auares pelleret. Sed tum congreſſione facta, multis antè millibus peremptis, Commūdus Albuini manu cecidit. Qua ex victoria Longobardi magnis aucti ſunt opibus, Gepidarum nomen omne deperiit. Nam qui bello ſuperfuere, aut omnino non interfuere, mixti Longobardis, aut Auaribus ſubiecti, regem ſuæ gentis non habentes, vt ditionem, ita & nomen amiſere. Hic rex victoriis vbique clarus, & regno longæuus erat: nam ſupra triginta annos fertur genti ſuæ imperaſſe.

Gepida delete.

CAP. 5.

PER eam ætatem Gothi Italiā tenentes, magno impliciti fuere bello cum Græcis, ab Imperatore Conſtantinopolitano miſſis. Poſt multa autem & fortia eorum facta, (quæ & in Suecia noſtra explicita ſunt) Totilas rex omnib. ſuis prædeceſſoribus grauior imminebat Italiæ: aduerſus quem miſſus Narſes patricius, vir mirabili ſorte ex eunucho creſcens. Cuius induſtriæ virtus æquata, commendabilem illum fecit ſuo Imperatori Iuſtiniano. Is ergo in Totilam Gothorū regem copias ingentes comparauit, tantoq; exercitu, quanto ante eum nullo durius Gothis imminebat. Miſit autem Albuinus Longobardorum rex, expeditos ſuorū XII. millia, iam propter rerum geſtarum magnitudinem, Imperatori Orientali commendatus: qui illum fœderatum quàm hoſtem habere maluit, totis iam Pannoniis poſt victos Gepidas imperantem. Igitur Narſes patricius, ab Imperatore ad recuperandam à Gothis Italiam miſſus magno agmine, (cui & Lōgobardi & Heruli & Hunni ineſſent, Græci quoq; & Perſæ iam Imperatori militantes copias auxere) quum intelligeret, Totilam præmiſiſſe ex ducibus, qui ad Atheſim Italia hoſtes prohiberet, ipſe quoq; Narſes Longobardorum agmen, cui plurimū fidebat, præmiſit, vt opportuna occuparet loca. Tranſgreſſi autem nullo obuio medios amnes, quum ad Brixellum, in Padi fluminis ripa oppidum, cōſediſſent, Narſes quoq; littori proximum iter teneret: Totilas priuſquam omne robur exercitus conueniret, contractis ſuis, vocatoq; quem præmiſit ex ſuis Teia fortiſſimo duce, cum Longobardis ſtatuit confligere. Sed priuſquam Teia cum ſuis copiis aduentaret, iam erat debellatum: tanto animorum ardore ruebant in prælia duces, vicina regione ducentes originem, iam in alieno ſolo regna aut defenſuri, aut paraturi. Igitur Totilas magna circūſpectione acies ſtruxiſſe, magna vtrinq; vigilātia, quid ſuus, quid hoſtilis ageret miles, perpendiſſe memoratur. Sed tum erat is exitus magni prælij, vt multis antè cadētibus, Totilas rex ipſe opprimeretur: quo cadente, reliquus eius ſe fugæ mandauit exercitus. Hæc prima in Italia huius gentis victoria, ducem, imò regem hoſtium, ipſo abſente ductore, ſuperaſſe. Narſes autem collaudatos, & pro rei geſtæ magnitudine muneratos, in ſua (hoc eſt in Pannoniam) remiſit Longobardos.

Lib. 4. c. 21.

Narſes patrocinio Longobardorū ope Gothos expugnat.

Longobardorum in Italia prima victoria.

CAP. 6.

TRANSIERVNT ſub hoc rerum ſtatu aliquot anni, quum nonnulli ex Romanis, Narſeris, optimi viri, fortiſſimi ducis glorię inuidētes, aut certè, quòd illicita quædam per illum non admitterentur, indignati, ducem illum, miſſo ad Imperatorem nuncio accuſarunt: comminati, quòd niſi eius iugo laxarentur, dedituros ſe Gothis, ſub quibus tolerabilius eſſent habituri. Et quum apud Iuſtinum Imperatorem illi nuncius hæc inculcaſſet, ad reginam Sophiam ſe contulit, eadem repetens. Mulier facilè perſuaſa impellit maritum, vt Longinum quēdam ex patriciis, Narſeti incomparabili duci decernat ſucceſſorem. Addidit fœmina procax viro intoleranda conuitia, iactitans ſe Narſetem ad penſa ancillis partienda eunuchū reuocaturam. Narſes autem prudētiſſimus ac modeſtiſſimus dux, quum magnis ſuis in rempublicam meritis malè comperiſſet reſponderi, Longinumq; patricium cum exercitu Italiæ acciperet propinquare, Neapolim ſe contulit, optimè de ſe vrbem ſentientem, de qua bene meritus eſſet. Nec potuit conuitium Imperatricis occultum remanere. Quod vbi comperit, fertur reſpondiſſe, telam ſe orditurum, quam neque Sophiſta, neq; Iuſtinus omnibus imperij viribus perplexam reſoluerent. Igitur miſſo ad Albuinum Longobardorum regem in Pannoniis nuncio, quid ita ſederet in arida regione, futurus vberrimæ Italiæ & dominæ terrarum prouinciæ

Narſes falsò apud Imperatorem accuſatur.

Narſetis ad regina conuitium reſponſum.

dominus, ſi anniteretur: cuius poſſeſſio etiam nolentes faceret mundi dominatores. Tantam autem rerum gerendarum occaſionem cupidè apprehēdens rex Albuinus, profectioni neceſſaria comparat. Proſpexit autem ſibi, vt ſi qua fors reditū facere coegiſſet, nō interclusus à ſua eſſet prouincia. Nam Hunnis, qui de veterum reliquiis ſupererant, gentibus mixti vicinis, terram precariò conceſſit habitandam; quam multis pòſt ſeculis, quum Longobardi in Italia remanebāt, poſſederunt. Saxoneſque viginti hominum millia, cum omni domo & familia emigrantes, acciuit ſocios: cum qua gente, maioribus ſuis multa ab antiquo bella fuerunt. Vacantemq; Saxonum terram, Sueui tum occupauere. Cuius rei fit mentio in eo codice quem Speculum Saxonum appellant: multis ignorantibus quam foris agerent Saxones militiam, dum Sueui terram occuparent.

Longobardi in Italiam euocantur.

Cap. 7. 572. Annvs erat poſt Chriſtum natum DLXXII. quum Albuinus antè & retro ſibi circumſpiciens, agmen ſuum promouiſſe cœperat in Italiam per Noricum, regionem eam quæ nunc Auſtria dicitur, vnicam portam, quam rerum natura parēs aperuit Italiæ inuadendæ, quum reliquas à mari aut Alpibus undiq; cinxiſſet. Igitur Forum Iulium, per quod illi eſſet tranſeundum, apprehendens, delectū tum ex ſuis acrem animo iuuenem Siſulphum ducem conſtituit, vt clauſtra ſeruaret Italiæ ab Imperatore Orientis. Nepos hic erat regis, & tāto nomine dignus adoleſcens. Progreſſus cum agmine Albuinus, Aquileiam peruenit. Declinauit iam loci pontifex, cum magna populi parte, in Gradum inſulam: qua multi à memoria Atilæ permāſere. Sed Taruiſinæ vrbis epiſcopus Felix, egreſſus cum ſacris, regē vrbi (cui infenſus videbatur, quòd deditionem recuſaret) placauit. Præmuniuit quædam opportunis locis Longinus oppida, impoſitis præſidiis, quum aduentantes audiret Longobardos. Sed ea declinans Albuinus, Veronam, Vincentiam, Mediolanum vrbes deditas accepit: ibiq; prima fecit in Italia firmaq; caſtra rex Albuinus, iam ſextum menſem agens in Italia. Interea Longinus, qui nouum magiſtratus nomen inuexit Italię: quòd Exarchatus ſummus magiſtratus (quem ille primus gerebat) diceretur. Tum ſingulis vrbibus, ſui ad defenſionem, duces ab illo creabantur, vrbem Romā faciens vnam cæteris parem. Quo tempore primùm deſiit habere Conſules & Senatum: cuius ad illum vſque diem adūbratio quædam remanebat. Sed ex illo tempore tota reipublicæ gerendæ forma eſt immutata. Contulit autem quicquid viriū habuit Longinus in Papiam, & Brixellum oppidum Padi in ripa. Intelligens Albuinus, aliquandiu ſibi, propter vrbis munitionem, ad Papiam ſedendum, partem copiarum, quæ obſidioni non neceſſaria videretur, cū ducibus præmiſit ad reliquam inuadendam Italiam. Nec ſegnes duces victoriam circumtulerūt, oppidis Hetruriæ in deditionem acceptis, tranſmiſſoq; Apennino, Ariminū & vicinas vrbes ſuæ fecere ditionis. Sed opulentia vrbium inſolentiam victorum efferauit. Siquidem tanta tum rerum abſtractione per prędam vacuatę ſunt vrbes, quàm vnquam antè à Gothis, aut pòſt ab ipſis Longobardis deſpoliatæ fuerunt. Quū autem duces circumuecti Italiam graſſarētur, adiuuit eos temporum difficultas, quòd magna frugum caritate laborabat Italia. Igitur Imperator has rerum difficultates perſentiens, vt laboranti ſuccurreret vrbi Romę, miſſis in Aphricam nauibus, auectas inde fruges, Tyberi fecit inferri. Qua re adiuta Roma, vicinas etiam vrbes à fame vendicauit. In tertium vſque annum protraxit obſidionem Papię Albuinus. Nouiſſimè capiens, præſidium Longini paſſim cum ciuibus permiſit trucidari. Iuraſſe quoq; fertur obſidionis tempore, quòd captam euerteret. Sed inerat religio, quæ nō ſinebat. Nam rex ingreſſurus vrbem, ſubterlabente equo ita grauiter concidit, vt neq; ipſe exurgere, neque iumentum ſe poſſet commouere. Terrefactis qui circumſtetere, quidam ex conſciis inſuſurrauit, vt poneret propoſitum euertendæ vrbis. Quod vbi fecit, mox ille ſurrexit, ciuitatemq́ue eſt ingreſſus.

Vnus in Italiam pedeſtri itinere ingreſſus patet.

Exarchatus nomen vnde ortum.

Papia capitur.

Cap. 8. Hac victoria inſignitus, firmatis per præſidia locis, Veronā redibat, qua in vrbe vxorem & affectus reliquit, cum familia & ſupellectile. Victor epulas inſtaurat & conuiuia, bibenſq́ue ex more gentis ad menſuram ſupergreſſæ ſobrietatis, mero incaluit: pateramq; iuſſit afferri, quā ex cranio occiſi a ſe Cōmundi Gepidarum regis, auri laminis circumueſtiuit. Impletam hauſit, ac Roſmundæ vxori (filia ea fuit

Poculum ex cranio humano.

regis

regis memorati) miſit, adijciens clamoſa voce per cachinnum, vt cum patre lętaretur. Quæ vox in exprobrationem paternæ necis accepta, altius deſcendit in pectus fœminæ, quàm rex ipſe putauerat, effecitq; vt indignabũda deinceps de mariti nece cogitaret. Erat adoleſcens in Lõgobardis nobilis, ad prælia fortis, & animo acer, corporeq; formoſus, is ancillæ cuiuſdam in familia reginæ deperibat amore. Perſentiens regina, puellæ præcepit vt ſe iuueni permitteret. Inde aditum facinori meditata, & hoc merito deuinctum iuuenem tenens, maioribus promiſſis aggreditur, ſi auſit regi Albuino manus inferre. Vides, inquit, & meam & tuã ætatem? Iuuenis à ſcelere horreſcens, facinus detrectauit. Arctioribus vinculis putauit cõſtringendum. Imperat ancillę, vt amaſio cõſtituat horam locumq; tenebris horreſcentem, præmoneatq;, vt nullis blanditiis tempus amittat, ſed quam breui potitus optato, ſe obſequiis dominæ remittat. Illa facit imperata. Regina autẽ ſumpta ancillæ veſte, ſe confert in locum amantibus pręfinitum. Adeſt Helmechildis, (id iuueni nomen erat) tacitus rem exequitur, & iam parat abire. Tum regina prehẽſum rogat, quam ſe eſſe arbitretur. Nouin e te mea Catella? At illa, Roſmunda ego ſum: vide quid in reliquum egeris. Tui nunc eſt arbitrij, aut pro hac re delatum regi turpiter perire: aut, ſi virum te memineris, vt ſublato Albuino his ſuauijs cõplexibuſq; cum regno potiaris perpetuo. Vicerunt iuuenem perplexitates, quibus ſe neſcius inuoluit. Promiſit operam: ac introductus ab adultera in triclinium, ſoporatum regem ferro extinxit. Longobardi multis iam lacrymis victorioſum regem ſuum tumulauere.

Albuino vxor irritata necem machinatur.

Cap. 9.

At Roſmunda ſategit apud proceres, blandiens atq; multa promittens, vt Helmechildis, fortis & nobilis iuuenis, rex declararetur. Sed peruincere non potuit, inſuper arma minantibus illis, quòd optimum regem peremiſſent. Regina omni regia ſupellectile, auroque quod erat in theſauris accepto, cum amaſio & filia, prono Atheſi delabitur in Padum: indeque nauigans, fide publica à Longino interpoſita, peruenit Rauennam. Ibiq; apud eundem exarchum inſtitit, vt regnũ Helmechildi donaretur, in poteſtate eius ſemper futuro, aut vt Longobardi Italia pellerentur. Multa mouere Lõginum, cuius pridem vxor rebus humanis exceſſiſſet, & ſpecies mulieris, & aurum quod tenebat, maximè autem regni reſpectus. Sperabat enim, vt quoniam Iuſtinus breui exceſſerat, Tiberiuſq; ſuccedens bello Perſico implicabatur, facilè futurum, vt accedẽtibus ſibi Longobardorum viribus Italiæ regnum occuparet atque defenderet. Itaque mulierem verbis aggreditur, amaſium tollat, ſibique animum inclinet ad nuptias. Procax & mobile pecus, quocunque impellitur, dat fidem vtrunq; ſe perfecturam. Igitur egredientem de balneis Helmechildem poculo, quod miſcuerat, venenato excipit, ſpecie recuperandarum virium, quas videbatur balneum tentaſſe. Ille haurit, nihil dubitans. At ſtatim ſentiens vim peſtiferam, cœpit cogitare quod erat, modicumq; quod ſupererat, iuſſit illam epotare. Ea ficto vultu blandiens, non ſe exiſſe de balneo, alluſit. Sed ille iam contracto vultu, manumque capulo adijciens, transfodere illam, niſi potet, minatur. Hauſit, & ſimul vna hora vterq; extinguitur. Longinus filiam reginæ cum theſauro mittit Conſtantinopolim Tiberio Imperatori.

Roſmunda ſe & adulterum veneno tollit.

Cap. 10.

Clephes XII.

Clephes vir fortis, & inter proceres nobilitate inſignis, à ducibus ſurrogatur in regnum Albuino. Animo quidem & manu promptus, ſed qui ferocitate & temulẽtia ſuperaret omnes reges. Non enim ſolùm in hoſtes, qui Imperatori paruerant, ſed etiam in dedititios, qui ſe Albuino permiſerant, crudelitatem exercebat, vt quemque ſuſpicione aut maleuolentia notauerat. Cuius terrore immanitatis, plures ex Venetis (id enim tum prouinciæ nomen fuit, quod eſt modò ciuitatis) in paludes cõceſſerant, augentes numerũ eorum, qui pridem ſub Atila Hunno, & deinde ſub Albuino primùm Italiam ingreſſo, eo loci cœperũt habitare: paulatim à diuerſis æſtuarijs in vnum nunc ciuitatis locum peruenere, iacientes fundamenta opulentiſſimæ & potẽtiſſimæ ciuitatis. Tamnetum vrbem euertit. Forum Cornelij, quod Antiochus Narſetis dux demolitus eſt, ipſe inſtaurauit, vt arcis nomine Imola diceretur, quod nomen hodie tenet. Muniuit autem ea ratione, vt inde Rauennę Brixelloque grauior incumberet, Fauentinis quoque Foroliuienſibus immineret. Ariminum autem, in quo pridem adminiſtrauit ducatum, & perinde ſuam ciuita-

Venetiarũ conditores.

tem, ducens copias. Inde mouit in Claſſenſe oppidum. Quo capto præſidium impoſuit, vt quotidie portis immineret Rauennæ, Imperatorioſq́; vexaret. Cæterùm duces ſuos in vrbem Romam cæteraq́; miſit oppida, quę omnium vrbium, quę reſtiterant Albuini ducibus, præter vrbem Romam, Tibur, & Hoſtiam, Imperium eius accepere, prolatata ad bonum modum ditione. Tanta erat regis huius ad res gerendas acrimonia, vt, ſi diuturnum illius regnum fuiſſet, Rauennam & vrbē Romam captas aut ſolo æquaſſet, aut ſuo impleſſet populo ac milite. Sed conſuluit rebus fortuna, & imminens cunctis deſuper arbiter rerum Deus, vt à ſuis rex crudelis altero regni ſui anno perimeretur. Gens libera, & iam ferox, multis affecta victorijs, ſæuitiam in ſuo rege non tolerauit.

Cap. 11. *XXX. duces ad decennium regno præfuere.*

Dvcibvs deinde res commiſſa eſt, quos ex ſuo numero XXX. creabant, regis imperium horrentes, propter ferocitatem proximi regis, quam non modò in alienos, verùm & in ſuos exercebat. Magna res, vt æquato inter omnes imperio rem gerere poſſent vno conſilio: quod etiam inter togatos difficilè cōuenit, oriunturq́; ſimultates. Sed ipſa rei nouitas, & periculi magnitudo, quòd de ſalute omniū & ſingulorum ſuorumq́; affectuum ageretur, vnum illos ſentire perpulerūt. Hi per Vmbros, Picentes, Pelignos, Marſos, Samniteſq́; agmina circumtulere, & ducibus ſuæ gentis, vno apud Spoletum, altero apud Beneuentum conſtitutis, Campaniam, & omnia quæ aut in maritimis aut mediterraneis Tibur vſq; ad Romā ſunt, ſibi ſubiecere, Neapolim quoque in ſuis partibus habuere. A Siponto autem & Beneuento in mare vergētia, & eorum mediterranea, Imperatori Orientis adhuc parebant. Potiti tam multis Italiæ regionibus Lōgobardi, in vrbem duxerunt. Nec tamen diu illam obſederunt, quòd prædæ imminebāt vicinæ regionis, quam etſi antea vaſtarint ſuæ gentis ſub Albuino duces, maiorem tamen ſua ſpe ſunt conſecutæ. Et hæc omnia (quod meritò mirandum ſit) vno pariter anno confecerunt, tātum victorijs prouinciatum obeuntes, quantum ſi viator quiſq; priuatus colluſtraſſet, magna ſatis peregiſſet itinera. Et tamen non pręsdas modò & incendia, ſed baſilicarū & theatrorum in ea regione plurimorum demolitiones peregere. Sæuitum eſt in viros atrociter: ſic enim firmandi timoris, & cōſtituendi regni ratio depoſcere videbatur.

Mirè Longobardorũ incrementa.

Italia defenſore deſtituta.

Sed quum per ea tempora Tyberius Imperator bello Perſico implicitus teneretur, & illo finito, ſtatim contracto morbo rebus humanis excederet, Mauricium generum imperij deſignans ſucceſſorem, non erat Romanis perfugium ad Græcos. Igitur hortante Pelagio pontifice, & Hermanno præſide, oratores mittunt Romani ad Longobardos, vt quæ occupaſſent tenerent, deque reliquo bene ſperarent, pacem dantes & accipientes. Eam tum legationem duces perbenignè audierunt acceperuntque, treugas firmantes in tempus. Perurgebat enim illos timor à Gallijs, quòd Franci indignè illam emigrationem Longobardorum ferrent, & erant obuij illis Amatus Romanæ in Gallijs Prouinciæ, & Francilio Liguriæ præſides, pro Romanis tuentes commendatas ſibi regiones. Quibus quum antea malè cuperent Franciæ reges, Longobardorum tamen illos tranſitus iam conciliauit, vt auxilio veniant præſidibus à Gallijs aduerſus Longobardos memoratos.

Cap. 12.

Hoc quum reſciſſent Longobardorum duces, pacem amplexi ſunt oblatam ab Romanis, vt totis viribus ducerent in Gallias. Itaq; duobus antè conſtitutis Beneuentino & Spoletano ducibus, duos alios addiderunt in Narnia atq; vrbe veteri. Saxones interea ſuaſi à Francis, deſertis Longobardis, per Alpes patriam repetiuere. Quam rem in Saxonia noſtra perſequemur. Interea Lōgobardi pace cum Romanis conſtituta, duxerunt in Francilionem Liguriæ præſidem, eumq́; captis vrbibus in Comacinam inſulam pepulere. Inde Alpes ingreſſi, oppida quæque obuia cepere: & in Prouinciam deſcendentes, Amatum præſidem obuium cum Frācorum auxilijs habuere. Cōmiſſo prælio cæſus Amatus, fugati ſunt Prouinciales. Lōgobardi autem magna præda locupletati in Italiam rediere, ne quid ibi per eorum diuturnam abſentiam nouaretur. Anniſi ſunt Franciæ reges quatuor tum fratres ex æquo partiti regnum, Prouinciam Romanam, perſuaſo Ennio ciue Romano vt præſidatum acciperet, à Longobardis tueri. Quod vbi duces acceperant, per aliam regionem inuecti, Franciam populantur. Sed Ennius locorum fretus notitia, per nemo-

Lib. 1. c. 30.

Longobardi Liguriã & Franciã populantur.

nemo moſa duxit: & Longobardos à tergo aggreſſus, regionis ignaros, magna clade tum affecit. Illi verò properè in Italiam redierũt. Per quæ tempora Smaragdus, nouus exarchus, Longino mittitur ſucceſſor. *Smaragdus exarchus.* Is aduentus ſui principio, quum intelligeret prouinciæ ſtatum, Claſſenſe oppidũ, quo impoſiti Lõgobardi, quotidie portas Rauennæ pulſaſſent, crebris afficerent incõmodis, prælijsq; leuibus fatigarent, primùm ſtatuit oppugnare. Ad eam rem Drotula quidam Sueuus inter Lõgobardos honoratus, vnus de triginta ducibus pro virtute & rei militaris ſcientia conſtitutus, quum intellexiſſet, Longobardos iniquo in ſe ferri animo, quòd audiſſent victores Sueuos Saxonibus amicis intuliſſe cladem, (quam in Saxonia cõmemorabimus) magnũ attulit adiumentum. Nam illum euocãs Brixello, cui præerat Smaragdus, cum ſuis copijs iuſſit oppugnare Claſſenſes. Præerat illi oppido Feroaldus dux impiger, qui aduectum fluuio ſentiens Drotulam, dromonibus occurrit, grauiterq; pugnatum eſt: ſed accolæ paludum Romanis Drotulæq; ſuppetias ferebãt, facileq; viarum peritia fatigatum Feroaldum retrocedere coegerũt. Interim Smaragdus exarchus à terra Claſſenſe oppidum oppugnauit, peneq; perpulit ciues facere deditionem, niſi aduolantem vidiſſent Feroaldum. Qua re cõfirmati ſe continuerunt. Sed quum paulò pòſt hoſtilem nauem inſequẽtem vidiſſent veſtigia Feroaldi, intelligentes, quod erat, res Longobardorum ibi anguſtatas, exarcho ſe dediderunt, captumq; Feroaldũ cum præſidio ſuo, crudeli morte peremerunt. *Claſſenſes exarcho ſe dedunt.* Ea victoria celebrem fecit Smaragdi aduentum, erectiq; ſunt animi multorũ per Ciſalpinam Galliam, (quæ poſtea & nunc Lombardia eſt) ad faciendam exarcho deditionem. Sed inde duces Longobardorum alia inire conſilia coacti, de rege creando poſt decimum à morte Clephis annum conuenerunt.

Cap. 13. *Antharis XIII.*

ANTHARIS ex ducibus vnus, poſt Clephen rex communi decreto creatur, filius poſt patrem. Sed deerat regius illi apparatus, deerat ſupellex tanto nomine digna, deerat theſaurus rebus comparandis. Ergo ditiſſimi duces, facta collatione, dimidium quiſq;, quod ſeruauerat, regi contulerunt. Rex inde comparatis bello gerendo neceſſarijs, primùm ducere conſtituit in Brixellum, quod oppidom perfidia Dronilæ ad Romanos defecit. *Brixellum receptum euertit.* Proſpiciens iſta dux Sueuus, molem belli illuc conuertendam egregiè munierat, copijs auxerat, comeatibus impleraт. Nec illum ſua fefellit opinio. Nam Antharis rex totis incumbebat viribus, defectionem & ducis & oppidi vindicare. Acerrimum ibi geſtum eſt bellum, quod neceſſe fuerat, Longobardis contemptum defectionis vindicantibus, Sueuis autem pro capite & fortunis omnibus dimicantibus. Prouiderat autem rex lintrium in amni Pado infinitam multitudinem, quibus dies ac noctes à terra & flumine fatigabat obſeſſos: nec requies erat vlla, donec primus Drotula deditionis faceret mentionem. Nec difficulter accepta, quòd cernerent immenſum expugnationis futurum laborem. Igitur cũ præſidio dimiſſus Rauennam aduehitur. Sed victor rex Brixellũ oppidum, vt aliis metum defectionis faceret, ſolo funditus æquauit. Antharis verò Flauius agnominatus, (à quo id nominis remãſit ſucceſſoribus) quò regnum magis magiſq; firmaret, primus apud exarchum fecit induciarum mentionem. *Longobardorum reges Flauij cognominati.* Et facilè obtinuit, arbitrante Smaragdo, durũ ſibi Romaniſq; eſſe, nouum regem exturbare. Firmatæ ſunt triennio, vt quam pars quæq; in illũ diem teneret prouinciam & vrbem, in ea quietus permaneret. Smaragdus autem Germanũ Romæ à ſe præſidem confirmauit, miſitq; à Rauenna cum illo Gregorium, à legatione ſua Conſtantinopolitana tum primùm redeuntem in vrbem. Exeuntibus autem treugis, Antharis rex miſit exercitum in Hiſtriam, qui populationibus inſiſtens magnã auri vim corraſit. Inde reuerſus in Italiam Comum oppugnauit, quo ſe Francilio dux, pro Romano ſentiens Imperatore, annis iam XX. continuerat. Sed capto oppido, in Inſulam Larij lacus communitam confugerat, eamque ſex menſibus defenſam, tandem coactus eſt dedere: pactus cum vxore & familia abire, Rauennam adnauigat.

Cap. 14.

ANTHARIS autem rex, quum regni vires etiam externis ſocietatibus affinitatibusq; communire ſtatuiſſet, legationem miſit ad Childebertum Francorum regem, perpetuã cum illo pacem affinitatisq; iniens iura, data ſibi vxore eiuſdem regis germana. Spopondit Francus, & proceſſit vſque adeo ſpõſio, vt munera ſibi in-

Francorum rex Longobardo quæ ſpoponderat non præſtat, & eos bello vexat.

uicem mitteret ſponſi. Sed poſtquam Richardus Wiſigothorum rex, ex Hiſpaniis eandem puellam poſtulaſſet, mutata ſentẽtia Childebertus inclinauit in Gothum: quòd ille Chriſto fidelis, omiſſa paulò antè Arriana pfidia, Antharis autẽ eſſet idololatra. Proſpiciens verò Francus Longobardum ſui contemptum acrius vindicaturum, præuenire illum conſtituit. Et quoniam Tendelindam, Garibaldi Bauarorũ regis filiam, Antharis ſibi deſpõdit, ſtatuit Francus ab affinib. eius facere belli principium. Magno igitur Bauariam agmine ingreſſus, vſqueadeo terruit regem, vt filiam deſpõſam cum filio Gondoaldo præmiſerit in Italiam. Antharis obuiam Verona exiit ſponſæ venienti dignanterq́; excipiens, celebratis nuptiis, thalamo ſuo iunxit. Childebertus autem Franciæ rex, ſuperato fugatóq; Bauariæ rege prouinciam ſibi ſubiecit: & per Tridentinos mouit in Italiam. Interea, quum iſta reſciſſet Mauricius Imperator, legationem miſit Francorum regi, cum magno auri pondere: maiorem pollicitus pecuniam, ſi Longobardos ea parte quam occupaſſent Italiæ, pulſos redderet, vacuaretq́; prouinciam Imperatori. Spondet Francus, & accepta pecunia cœpit in Italiam deſcẽdere. Comperitq́; duces iam aſſuetos antè libertati, grauiter ferre regis imperium. Accerſitos ad ſe nonnullos tentauit ſermone, ſi ſinerent opprimi regem, illis permitteretur, acceptam prouinciam, vt antè, ſine rege gubernare. Inuenti ſunt in eis qui cõditionem acciperent, regiq́; Francorum operas ſuas promitterent. Primus inſulæ Iuliani dux: quem ſecutus Bergomenſis, ac deinde Taruiſinus. Sed conſiderans rex, auctam Imperatoris potentiã, regno quoque ſuo graue imminere, cœpto deſtitit, reduxitq́; agmina ſua in Gallias. Antharis autẽ vix expleto in coniugio Tendelindæ anno, vita functus eſt. Duces à Francorũ rege pace poſtulata, de nouo rege creando conuenerunt: & quoniam non facilè in vnum conſentire potuere, omnium decreto ſancitum eſt, quem Tendelinda regina, inſignis virtutis fœmina (cuius in laudibus beatus etiam Gregorius contemporaneus multus eſt) maritum ſibi delegiſſet, eum cunctis regem futurum.

Principes mutua diffidentia laborant.

Cap. 15.

Agilulphus XIIII. in defectores animaduertit.

Agilvlphvs dux pridem Taurinenſium, inſignis fortitudinis iuuenis, magniſq́; animi corporiſque dotibus pditus, à Tendelinda maritus eligitur, & perinde rex communi omnium decreto conſtituitur. Prima huius regis cura fuit, captiuos, quos Childebertus Franciæ rex ex Tridentinis duxerat, redimere: in quã rem Agnellum miſit epiſcopum. Qui haudquaquam multos reduxit, eos videlicet quos Baluinichildis Franciæ regina ſuo ęre laxauerat. Ennium quoq; virum primarium, firmandæ paci inter regem Franciæ ac ſe, miſit oratorem. Quam largis ille cõditionibus reportauit, opportunè ſatis Agilulpho. Nã niſi eam deforis pacem impetraſſet, magno nimis incommodo fatigaretur, intus domeſtico bello à ſuis ducibus laborans: nam qui Franco fidẽ dediſſent, quieturi non videbãtur. Igitur Minulphum Iuliani ducem occidi curauit. Quod idẽ veritus Bergomi dux, ea quæ erant rebellioni neceſſaria parabat. Rex autem domeſtici belli periculum veritus, interueniẽtibus amiciſſimis vtrinque, pacem dedit Gandulpho acceptis obſidibus. Sed tanta fuit ob ſcelerum conſcientiam ſincerę fidei diffidentia, vt ſtatim poſt datos obſides rebellaret: rex autem contractis copiis illum inſequitur. Ipſe fugiens ſe recepit in inſulam Comacinam: & deceptis cuſtodibus, ingens aurum, quod Francilio olim dux comportauerat, Antharis autem rex, capta inſula illic cuſtodiri mandauit, in ſuam redegit poteſtatem. Secutus autem rex, quum munitionem iam penè expugnaſſet, deditionem facienti permiſit vt abiret, clementiæ volens famam diſſeminare. Aurum autem repertum Papiam iubet deportari, & in arce per fidiſſimos curauit cuſtodiri. Taruiſinus autem dux, tertius ex defectoribus, nouas & ipſe res molitus, miſſo à rege exercitu capitur, & in vincula conijcitur. Interea nouus in Italia exarchus, Romanus nomine, ciuitates in fide manentes communiuit, firmauitque præſidiis, quæ non ſolùm loca tutarentur, ſed etiam egreſſi Longobardos infeſtarent. Ita Patauiũ, Monteſilix, Mantua, Cremona munitæ. Inde copias extraxit: cum quibus & ipſe profectus eſt vrbem Romam confirmare, vicina oppida recipere. Ita Sutrium, Polimartium, Hortam, Tudertum, Ameriam, Peruſiam, Luceolũ, & cõplura alia oppida & caſtella recepit.

Cap. 16. Erat ea tempeſtate in vrbe Roma vir ſanctitate & autoritate præcipuus Gregorius,

gorius, qui religionis & prudentiæ artib. pacem reipublicæ quæſiuit. Nam Tendelindæ Longobardorum reginæ, dedicauit quos inſcripſit Dialogorum libros. Quo munere tantum ſibi deuinxit religioſam mulierem, vt nō ſolùm inducias bello, ſed etiam gentem Longobardam ab omni idololatriæ ſpurcitia hæreſeosq́; cōtaminatione purgari impetraret. Inſuper rex bona eccleſiarum, quæ a Longobardis vbiq; tenebantur, dimitti curauit intacta, donationesq́; multas, quarum extāt priuilegia, fecit eccleſijs. Præterea vt vires augeret, non ſolùm Bauaris, ſed Hunnis & Wandalis fœdera coniunxit. Quo tempore aucti viribus, qui pridem ſparſi erant, Wandali adunati, ſuaſu Agilulphi in Hiſtriam ſe contulerunt, ibiq́; capta regione ſedes fixerunt, quas vſque hodie tenent, iam Sclauoni (vt etiam à pleriſque antè) vocitati, quum verum & gentile ac vetuſtiſſimum gentis nomen ſit, vt Wandali vocitentur, Tacito Plinioq́ue autoribus, & his longè antiquiore Beroſo Babylonio. Quam rem in Wandalia noſtra multò plenius explicauimus. Sed duces Agilulphi nondū compoſitis animis quieuerant. Igitur in Veronenſem Papienſemq́; ac Bergomenſem bis antè (vt diximus) hoſtilia profeſſum animaduertit, ſublatis de medio noxiis, vt exemplū cæteri vererentur. Zoto per idem tempus dux Beneuentanus, cōſtitutas inducias poſthabēs, Caſſinenſe monaſterium ſpoliauit, monachis abire iuſſis cum vno codice regulam beati Benedicti continente, ſpoliatum incendit, ac ſolo tenus ſubuertit. Monachi Romā ſunt profecti. Hæc eſt illa clades, quam beatus pater Benedictus fertur prædixiſſe, quum vix apud Deum impetrare potuerit, vt animæ illi donarētur. Hic dux poſt commiſſam impietatem ſtatim defunctus eſt: ſuffectusq́; illi eſt à rege Arrigis, ad quem plures extant epiſtolæ Gregorij, & illa præcipuè, quam ad inſtaurādum memoratum monaſterium perſcripſit. Ariulphus autem Hetruriæ dux, omnem eam regionem, & agrum Romanū, vſq; ad vrbis portas infeſtauit, populationibus & incendijs digraſſatus, multis ex municipijs, multis Romanæ vrbis ciuibus peremptis, agricolas magnis gregibus abactos miſit in Frāciam, venundari in ſeruos. Quam violatæ pacis iniuriam iniquo (vt par erat) animo ferens exarchus, arma contrahit, ducitq́; in Longobardos. Callinicus is erat, quum Romano Rauennæ defuncto ab Imperatore eſſet ſurrogatus vir patricius, bellicæ rei ſcientiſſimus. Prima illi victoria ad Parmam, quam recepit, inq́; ea cepit Godeſcalcum regis generum, cui filiam prioris matrimonij copulaſſet: nam Tendelinda regina filium illi peperit Adoaldum, habitans Modoetiæ in palatio, quod Theodoricus Gothorum rex exædificauit. Cui regina compar aliud iunxit, ſimul & baſilicam ſancto Ioanni Baptiſtæ (quę hodie viſitur) inſignem, vt voto ſe exolueret, quod memorato ſancto, ſi filium pareret, fecit.

Gregorij ad Tendelindā dialogi.

Sclaui ſunt Wandali.

Caſſinenſe monaſteriū comburitur.

Cap. 17.

Igitur Agilulfus dolore captæ filiæ, etiam tum prægnātis, ac generi, captæq́; vrbis, ſe vindicare conſtituit in Patauium, reliquasq́; Venetiæ, quæ in fide Imperatoris, & gubernatione Rauennatis exarchi ſemper permanſerunt, vrbes. Prima apud Patauium conflictatio, cui pręſidium validum immiſit ex Rauenna exarchus. Ea vrbs vallo cincta, non mœnibus cocteritio aut cæſo lapide, raris etiam domibus opere lapideo inſtructis, ſed lignis aſſeribuſque (quibus abundat regio) firmatis, incendio prona fuit. Equidem ab illa Hūnorum demolitione, per tempora Theodorici Gothorum regis inhabitata, ad priſtinum decorem non redibat. Igitur immiſſis per tela ardentia ignibus, deditionem hoc modo militibus, ciuibus promiſcuè abire permiſſis, extorſerunt. Montemſilicis vrbem ſimili inſtructam paratu ſimilis ſors excepit, niſi quòd Padua incendio ſubuerſa non remanſit, iſta autem deditione facta, compreſſis ignibus remāſit. Et quoniam magnis copijs Callinicus aduentare præſidio regionis ferebatur, Mantua & Cremona relictis, Agilulphus Veronā & Ticinum reuerſus eſt, maiores copias eductus aſpirante verno tempore. Mittit igitur ad Wandalos nuper Hiſtriam eius ſuaſu occupātes, auxiliaria mittant arma, munia illis viciſſitudine, vbi opus videbitur, hinc ventura. Sed & ducibus ſuis edixit, vt ad prima veris ſigna cū copijs adeſſent Mediolani. Erant in eis, qui offenſi regi rebellaturi videbantur: ſed illos præueniens, muneribus ac communibus amicis interuenientibus placauit. Quum autem arma magno inuicem paratu inſtruerentur, Callinicus in ipſa molitione diem ſuum obijt, declaratusq́; eſt nouus Italiæ

Patauium ab Agilulfo capitur.

Imperator Romano pōtifici parum æquus. *Roma à Lōgobardis violata pace obſeſſa.*

exarchus Smaragdus iterum. Et in Italiam nauigans, quum maiores opinione ſua Longobardorum vires cerneret, perfugam quendam Lōgobardum Nordulphū miſit ad Imperatorem. Is impuriſſimus nebulo, optimi pontificis Gregorij acta cōmaculās, omnem culpam perditæ rei impoſuit Gregorio, quòd pacem cum Ariulpho Hetruriæ duce cōſtituiſſet, per quam gentis & regis creuiſſet potentia. Sub tamen idem tempus, quum videret Smaragdus fruſtra ſe niti aduerſus Lōgobardos, pacem quam pontifex & vrbis præfectus cum magiſtro militum feciſſent apud Ariulphū Hetruriæ ducē, ipſe cum rege confirmauit Agilulpho. Gauiſus Imperator, inueniſſe occaſionem qua pōtificis acta reſcinderet, partem copiarum vrbem defendentium euocatam Peruſia atq; Narnia iubet conſiſtere: & vt pontificis optimi acta reſcinderet, iubet Hetruriam & ducem eius Longobardum infeſtari. Nec tamen ille perpelli potuit, vt vrbi Romæ bellum inferret, ſciens pontificis opera nihil horum fieri. Sua igitur tutatus dux alienis abſtinuit, & fœdera cū Gregorio innouauit. Agilulphus autem rex, quum intelligeret inter Imperatorem & pōtificem ſubortam ſimultatem, ita vt de ſumma rerum inter illos non congrueret: licet Tendelinda regina hortante pacis ſpem dediſſet, tamen peruicit in eo cupiditas totius Italiæ potiundæ. Ergo copias in Cremonam ac Mantuam vrbes cōparatas, vrbi Romæ cogitauit immittere. Cacanus enim Wandalorum rex, expeditum ſuæ gentis miſit exercitum, ducesq; Mediolanum (vt fuit edictum) conuenerant. Perpulit autem rex Agilulphū ducem Hetruriæ, vt diſciſſis fœderibus bellum renouaret. Peruicit imperium regis ſui, vt etiam inuitus fœdera diſcinderet, belloq; denunciato, ciuitatem veterem & pleraq; nominatim in fœdere comprehenſa caperet. Mouit igitur rex in vrbem tranato Pado. Quod quum pontifici renunciaretur, ipſe & magiſter militū, commendata vrbe præfecto, egreſſi oppida confirmarunt. Tanto autem impetu rex cum equitatu aduolauit, vt parum abfuerit quin pontifex & magiſter militum interciperētur. Obſidetur ergo Roma, & maximis calamitatibus implicatur, quæ ipſius teſtimonio pontificis ex eius epiſtolis colliguntur. Per eam tamen obſidionem, Arrigis Longobardorum in Beneuēto dux, nunquam inclinari potuit, vt aut in caſtra veniret, aut ſuppetias regi mitteret, aut bellum imperatorijs circumſedentibus commoueret: ita vir conſtans firmatæ paci inhærebat. Sed Agilulphus rex, quum anno integro obſidionē vrbis continuaſſet, nec vllam ſpem potiundæ haberet, obſidione ſoluta per Hetruriam copias reduxit Mediolanum.

CAP. 18. 603.

Cremona ſolo æquatur. *Sabinianus Papa.*

PER ea tempora militari tumultu Phocas ad imperium peruenit, Mauriciusq; captus cum omni domo extinctus eſt, quod illum vitio præmonuit. Cuius rei occaſione implicitum cernens Orientis imperium, copias renouauit rex Longobardorum, Cremonamq; obſedit, imperans ducibus ſuæ gētis Hetruſco & Spoletano, vt vicinos agros infeſtarent. Obſeſſam autem vrbem, triceſimo die captā, ſolo æquauit. Inde ductum eſt in Mantuam, cui forte inerat præſidium ex Rauēna. Igitur fortiter oppugnantibus æquè fortiter obuiatum eſt. Sed tamen quia Longobardi arietibus admotis murum ruperāt, milites pactione abire permiſſi, ciuibus deditionem faciētibus parſum eſt vrbi, vt tantùm muri parte demolita, reliqua vrbis ædificia ſinerentur. Vulturnenſes territi deditionem fecere. Brixello inerat præſidium, quod tumultuariè cōmunierat poſt euerſionem priorem, ſolùm vt abactam vicinis prædam ibi partiretur. Audita clade ciuitatū, incenſo oppido, Rauennam ſunt milites delati. Interea quum bonam de ſe ſpem faceret Imperator, quadam virtutis ſpecie prætenſa, prouincias in fide confirmauit, Longobardos in Italia terruit. Itaq; inter ipſos Smaragdumq; exarchum primò induciæ, inde pax in annum eſt conſtituta. Quo tempore Agilulphus, vt ſe affinitatibus cōmuniret, Adoaldo filio vix quadrimo, Tendeberti Francorū regis filiam popoſcit vxorem, & quod ſperauit, cum fœderibus conſecutus eſt. Sed inter hæc quum omnes duces Longobardi conſtituta cum Francis pace gauderent, pontifex Sabinianus Gregorio ſuffectus, & ipſe pacē cum Longobardis fecit. Sed & rex notarium ſuum miſſum Cōſtantinopolim, nouo Imperatori gratulatus, pacem rebus triēnio inde reportauit. Imminebat autem maius Romano imperio diſcrimen ab Aſia, Perſis primùm & poſtea Sarracenis imminentibus. Sed nobis Longobardorum res proſequi conſtitutum eſt.

IGITVR

CAP. 19.

Bauarorũ origo & nomen vnde.

IGITVR per Italiam pace conſtituta, quum à Francis & Imperatore nihil formidarent: quod minus cauerant, à Bauaris inſignem Longobardi cladem accepere. Hunni fuere ab origine, qui accepta inſigni clade in campis Catalaunicis, deinde pereunte rege eorum Atila, quum ſe omnibus inuiſos ab hoc nomine cernerẽt, à duce ſuo Auario Auares dici amabant, (vnde detorto nomine Bauari ſunt appellati) Noricum tenẽtes trans Danubium, regionem Italiæ proximam: quam tamen noſtris temporibus tenent Auſtrales. Hi igitur Bauari rege Cacanno mouerunt in Italiam. Forum Iuliũ prima ciuitas occurrit agmini, quã tenebat Agiſulphus Longobardorum dux. Qui comperta Bauarorum expeditione, quantas potuit ſuorum vires contrahit, hoſtibus obuiam factus. Vbi concurrerunt, grauiter prœliantur. Sed Lõgobardorum agmen ſatis per ſe magnum, maiori Bauarorum agmine circumdatur, & in anguſto conſtituti Longobardi, ſatis pro virorum ſortium nomine fecere. Sed dux eorum multis prius acceptis vulneribus concidit. Qui ſupererant, fugæ ſe committunt, quando nihil profuit ſortiter pugnare. Cacannus igitur audiens Romildam Giſulphi vxórem cum geminis filijs, & quicquid procerum fuit in ea regione, Forum Iuliũ munitum per eam ætatem petijſſe, (equidẽ a memoria Atilæ, & deinde Herulorum Longobardorumq́ue, quum quædam Italiæ porta cenſeretur, vtq́ue confidentibus certum maneret profugium, maximo impendio vallis foſſatiſq́ue, mœnibus turribuſq́ue erat permunitum, in quod ſe cum proceribus magna militum manus incluſerat) ſecutus Cacannus, arcta cingit obſidione, fortiſſimeq́ue oppugnat, æquè fortiter defenſatum. Sed Romilda ducis relicta, lubrica, conſpiciens muris obequitantem Cacannum, iuuenem flaua cæſarie viſuq́; ſpecioſum, exarſit libidine viri potiundi, deq́ue ſua voluptate conſilium pacis conceperat. Miſſis nuncijs, pacta nuptias ſuas, deditionem offerebat. Accepit rex conditionem: & intromiſſus, primæ noctis fidem peregit, toro ſociatus Romildæ. Sed poſtera luce proteruam fœminam permiſit ludibrio vexãdam quorumlibet complexu ad ſatigationem. Inde omnes in vrbe repertos vtriuſq; ſexus, cuiuſq; ætatis & notionis homines portis eductos, vno in grege iubebat cuſtodire, ſpem faciens illos in antiquas ſedes reducendi. Deinde oppidum prædæ ſubiecit, vacuatumq́; incendit, ac iuſſit complanari, vſqueadeo, vt ignoretur hodie, quo loco cõſtiterit Forum Iuliũ. Vnde prouincia nomen etiam hodie ſortitur. Captiuos in Noncum deducens, in loco qui ab illo facto Sacer dicitur, omnes trucidauit. Duo tamen filij ducis feruntur elapſi. Hanc calamitatem perpeſſi Longobardi à Bauaris, vicina tamen metropoli oppida communita ſeruarunt. Rex nũciata irruptione, priuſquam ſuccurrere potuit, audiuit eſſe debellatum. Fratrem deinde Giſulphi Graſulphum, loco illius ducem prouinciæ conſtituit. Quumq́; Italia exarchorum inſolentia turbaretur, iam propter perplexitatem Imperatori natam, exarchi duo, alter poſt alterum, ſe reges Italiæ vocitarunt: qua ambitione exardeſcentes, pacem decem annorum cum Longobardis pepigerunt. Sed occiſis a ſuis ducibus tyrannis, quum nouus Italiæ mitteretur exarchus Iſacius, iam Heraclio imperium tenente moritur Agilulphus rex Longobardorum.

Forum Iulium ſolo æquatur.

612.

CAP. 20.

Adoaldus XV.

ADOALDVS puer, filius Agilulphi, cum genitrice Tendelinda, Longobardis cupientiſſimè fauentibus, in regno ſucceſſerant. Ea enim regina, quam a principio aduentus ſui in Italiam ſibi comparauerat Longobardorum gratiam, adeò conſeruauit, indieſq́ue auxit, vt duces militeſq́ue Longobardos verbo magis regere, quàm reges illos armis compeſcere potuerint. Hinc nullis fœderum innouata conditionibus, pax Longobardos inter & Italos per decem annos, quibus puer in regno vixit, quietiſſima fuit: quinetiam eiuſdem pacis bono, multa variaq́ue regina cumulauit in Italicos beneficia, quòd non modò eccleſijs pijſq́ue locis, pueri regis nomine donationes maximæ ſint factæ, ſed vrbes oppidaq́ue alicubi inſtaurata. Hæc ſunt illa cruenta tempora, per quę Orientis imperium primùm a Perſis, inde (illis deuictis) à Sarracenis, duce Mahumet, impuriſſima belua, maximum ſuſcepit detrimentum, in Italia pace ſeruata per virtutèm & prudentiam optimæ fœminæ reginæ Tendelindæ, quæ quamdiu ſupererat, Longobardi regem non deſiderabant, rege puero contenti. Vbi verò illa rebus conceſſit humanis, pertæſi

Mahumetus initium.

Longobardi puero ſubeſſe, (quòd res gerendæ virum & ingenio acrem & viribus ſtrenuum depoſcerent) deſtituto Adoaldo, quum illi patrimonium permitterent non contemnendum, ex ducibus regem creauere, rebus iam pace florentibus, deterioribus tamen temporibus proſpecturi.

CAP. 21. *Arioaldus XVI.*

ARIOALDVS vir in Longobardorum ducibus primarius, deſtituto poſt matris mortem puero, regno eſt ſurrogatus, vir paci & tranquillitati deditus, quam per omne tempus dominationis ſuæ ſeuerè ſeruauit, qua interim & Italicæ res floruerunt, & Longobardorum animi manſuefacti ſunt: iam alio ſub cœlo mitiores effecti, quàm erant à rigida illa plaga venientes. Interim tamen per ſocordiam Imperatoris Heraclij maxima mundo mala inuecta ſunt. *Formidabilis Turcarũ progreſſus.* Nam ſpurciſſima illa Sarracenorum ſecta tum coaluit, quæ nunc magnam mundi partem occupauit, & deteriora minatur prouincijs Chriſtianis, imminente propius Turca, eius ſectæ immaniſſimo propagatore, qui ante non multos annos tranſgreſſus in Italiam, Apuliæ partem occupauit, maiora tum auſurus, ſi longior illi vita fuiſſet. Filius eius anno ſuperiore magnas Polonorum copias fudit, & necdum expleto anni curriculo Vngariam, Chriſtianiſmi murum, oppugnãs & deijciens, multa mortalium millia abduxit. Miſerator Deus conſulat futuris temporibus, quando regum non ea paret, quæ deſideratur inſtantia.

CAP. 22. *Rotaris XVII.*

ROTARIS illi in regno ſufficitur, vir alioquin induſtrius, ſed vna in regenti ſuæ pernicioſus, quòd Arrianam lapſus in hæreſin, gentem ſuam inuenerit facilè impietatis ſectatricem, vt per ſingulas ciuitates genti parentes, duos conſtituerint pontifices, alterum Catholicis, alterum Arrianis præſidentem. Adniſi ſunt Romani pontifices Theodorus atq; Martinus, regem ab impietate reuocare: ſed ille magis induruit. *Papa bellũ in Lõgobardos ſuadet.* Vnde ſuaſit Romanus pontifex Martinus exarcho Rauennati Theodoro, vt ſumptis armis Chriſti domini & ſui Imperatoris iniuriam in Longobardos vindicaret. Paruit ille, & contracto exercitu duxit in regem, nec ille ſegnis occurrit. Ad Scultennam amnem vtriuſque agminis ſunt caſtra collocata. Quæ autem pars ad aliam ſit tranſgreſſa, non ſcribitur, niſi quòd collatis ſignis ſuperiores facti ſunt Longobardi, ſeptem millibus ab exarchi parte deſideratis. Ea elatus victoria rex mouit trans Apẽninum in Liguriam, (quam prouinciam per annos penè nonaginta, quibus Italiæ incubuerant, obtinere non poterant) ſed nunc copijs circumductis, omnem prouinciam deditam ſuæ fecit poteſtatis. *Leges ſcripta Edicti nomen habent.* Hic rex ſuarum legum codices ſcribi fecit, quas appellauit Edictum. A quo tempore in anteriora ſine ſcripta lege Longobardi victitarunt. Extant etiam hodie eius generis codices, qui Longobardas leges præferunt: nam & Accurſius gloſſator earum legum nonnunquam commeminit. Hic rex Rotaris quum præ ſplendore fortunæ ſuæ eſſet gentili penè ritu in auro & argento tumulatus, viderat hoc quiſpiam: & furtum animo concipiens, vbi nactus eſt opportunitatem, aurum clam fodiens extraxit. Erat autem in templo beatiſſimi Io. Baptiſtæ (quod Tendelinda regina Modoetiæ exædificauerat) tumulatus. Furi ferunt obuium factum, quum abire diſponeret, eundem beatiſſimum Chriſti præconem, graui vultu atque acri ſermone illum increpuiſſe. Quid, inquiens, perfide? non timuiſti in ſacrario meo furtum admittere? Iſte ſepultus etſi fidem rectam contaminauerit, mihi tamen ſeſe commendauit. Indignum ergo te reddidiſti hoc ſacrario. Ferunt item hominem ſæpe deinde fruſtra ingreſſum tentaſſe: ſed quoties ingredi tentabat, obuium vidit qui pugno minitans repelleret.

CAP. 23. *Rodoaldus XVIII.*

RODOALDVS mortuo Rotari ſurrogatus, regnum annis quinq; adminiſtrauit, nec magni aliquid peregiſſe memoratur, quòd Longobardi pace fruerentur optata, partoq; contenti aliena non impetebãt, nec exarchis iam fatigarentur, quòd per eam tempeſtatem etiam Imperatores ad impietatem hæreticam dilapſi, cum
642. Romanis Pontificibus non de regno, ſed de religione cõtendebant. Quum Imperator Conſtans vinciri pontificem iuberet Martinum, & ad ſe mitti, quòd impius exarchus peregit miniſterium, & ſanctiſs. papa relegatus in exilium, ibi defunctus eſt: quum interim Sarraceni in Romanis prouincijs digraſſati, iniuriam Chriſti neſcientes vindicarent. Sed hic rex, quod tranquillitas peperit, voluptati ſe dedidit,

inque

inque adulterio deprehenſus, à marito adulteræ trucidatur. Habuit autem vxorem Gundbergam, filiam optimæ reginæ Tendelindæ, quæ caſtiſſimis moribus matrẽ repræſentabat. Auſa eſt tamen perfida quorũdam lingua pudiciſſimæ fœminæ famam attentare, maritoque deferre quòd lapſa eſſet amore peregrino. Territa innocens mulier procaci mendacio, quod diceret non habebat: ſed more fœmineo lacrymis teſtata eſt dolorem. Viderat ex famulitio quidam lacrymantẽ dominam, nec ignorabat quæ res vreret pudiciſſimam fœminam: præſumptione certiſſima innocentiam eius teſtatus, duellum offerebat delatori. Ille pugnam excipiens, corruit. Ita fidelis miles dominæ ſuæ famam & integritatem marito probans, apud omnes reſtituit. Huius clariſſimæ fœminæ opus eſt baſilica beatiſſimi Ioannis Baptiſtæ apud Ticinum.

Mulieris pudicitia duello probatur.

Cap. 24.

Aripertus XIX.

ARIPERTVS Rodoaldo ſuccedit in regno, quod nouem annis ſumma tranquillitate gubernauit, cum exarcho Romano atque Italis pace conſtituta. Sed in ea vires (vt fieri ſolet) non armis exercitatæ gentis huius emarcuerũt, quum nulla fortiter agendi præſtaretur occaſio. Sua contenti tueri, alienis non imminebant. Nauigauit tamen per huius tempora in Italiam Imperator Conſtans, Tarentumq; applicuit, & inde terreſtri profectus itinere, in agro Beneuentano cum Longobardis conflixit, & nonnullas ciuitates recepit, Luceriamque ad ſolum vſq; ſubuertit. Inde verò quum confluentibus vndique Longobardis parum proficeret, fiunt inducię, per quas Romam ingreſſus Imperator, ſolennia quædam cum Vitelliano pontifice peregit. Nec multò pòſt reuerſus Tarentum, in Siciliam nauigauit. Qua prouincia, quod illi Sarraceni reliquum fecerunt, deſpoliata, in Balneis non longè à Syracuſis occiditur à ſuis, quum iam in ea inſula feciſſet per aliquot annos moram. Milites ad antiquam reſpicientes conſuetudinem, Maxentium ex ſuo numero Imperatorem dixere. Aduerſus quem nauigans Cõſtantinus prioris filius, oppreſſo Maxentio & patris ſui interfectoribus, Imperij dignitatem, quam videbatur amiſiſſe, pulchre domum reuocauit. Interim Longobardi ſub hoc rege trãquillitatem temporis nacti, natiuam ferociam, & perinde virile robur paulatim exuerunt in mores Italicos, ſub molliore cœlo coalentes.

Conſtans Imp. à ſuis occiditur.

Cap. 25.

Gundipertus XX proditione circũuenitur.

GVNDIPERTVS hunc filius regno excipit, ſed à fratre Parthari varijs modis agitatur. Qua ex re quum pacem deforis haberent Longobardi, intus domeſticis malis laborabant. Nam Gundipertus filiorum regis maior natu, regnum ſibi deberi confiſus, Grimoaldum ſibi, Beneuẽtanum ducem, ſubſidio in fratrem fertur aduocaſſe. In quam rem Garibaldum, ducem Taurinẽſem, miſit ad dictum Grimoaldum, (cuius erat inter cæteros duces potentia maior) vt illi in fratrem ferret auxilium. Intellexit enim Mediolani germanum ſuum rebus nouis ſtudere. Improbus Garibaldus Grimoaldum ad regnum inuitauit, vt oppreſſis ambobus adoleſcentibus (qui regno impares viderentur) vir prudens & fortis ipſe teneret gubernacula. Facilè perſuaſeris ambitioſo inire regnum. Ille mox ducatum ſuum filio permittit, vires vndiq; ex omni Italia cumulat, ac Ticinum mouet. Garibaldus præceſſit, regi Gundiperto nunciaturus aduentum ducis Grimoaldi. Ille quum mali nihil ſuſpicaretur, etiam conſilio vſus eſt proditoris de duce collocando. Hunc, inquit ille, quẽ coniugio germanæ tuæ dignaris, non alibi quàm in palatio honeſtius accipies. Sed illi non longa vſi circuitione regem, vbi primò conuenit, Grimoaldus opprimit, regnumq; inuadit. Partharis vbi fratris caſum audiuit, fuga ſibi cõſuluit, quòd par tyranni viribus eſſe non poſſet. Garibaldus autem proditor nõ longùm lætatur proditionis præmio: inuentus eſt homo, qui vltimi regis ſui vitam impenderet. Qui quum ſciret Garibaldi proditione cuncta patrata, tempus obſeruat, quo inermis eccleſiam adeat. Tum latitans, gladium lateri eius infixit, mox trucidatus ab apparitoribus eius ducis. Grimoaldus autem filium Gundiperti regis puerum perdidit, germanam verò occiſi regis (vt erat conſtitutum) duxit vxorem.

Vltio proditionis.

Cap. 26.

Grimoaldus XXII.

AVDIENS autem Partharim, occiſi regis germanum perfugiſſe ad Hunnos in Pannoniam, mittit qui regi gentis Cacanno diceret, meminiſſe illum oportere, quòd Longobardorum beneficio ſedes teneat precariò: ſi illorum hoſtes pergat tueri, venturos ex Italia ad vindicandas priſtinas ſedes, vt ſtatim pœniteat illum ſe

Longobardis oppoſuiſſe. Motus rex adoleſcenti ait: Proficiſcatur quocunque velit, ſibi non expedire, Longobardos in ſe prouocare. Adoleſcens circumſpiciens quò iret, induxit in animum redire in Italiam, Grimoaldi ſororij ſui implorare miſericordiam, quòd audiſſet, illum non eſſe ab humanitate alienum. Itaque profectus, præmiſit hominem ſibi deditiſſ. qui Grimoaldi in ſe animum exploraret. Audiens ille rectum adoleſcentis in ſe animũ atq; fiduciã, remandauit, ſecurus redeat, nihil mali paſſurus: imò etiam ſperare iubebat ſingularẽ de ſe prouectionẽ. Confidit iuuenis, & cõcitò venit: atq; iam pronus inclinabat, vt ad pedes ſe mitteret Grimoaldi.

Partharis in gratiam redit.

Quod ille non paſſus, leuauit ad oris oſculũ. Tũ Partharis, Ego, inquit, ſeruus tuus ſum, & ideo procumbere debui. Poterã quidem inter exteros viuere quietus: ſed quum audirẽ te virũ Chriſtianiſſimum, me fidei tuæ permiſi. Ille iurat corã omnibus nihil illũ mali paſſurum, ſed quando ſe in fidem illius contuliſſet, ſummã ſui in ſe affectionẽ experturũ. Deditq; illi manſionẽ in vrbe præcipuam, præcipiens vt abunde illi omnia ſuppeditarentur, quæ poſceret. Concurrerant ad illũ ciues Ticinenſes, plurimũ illi de reditu gratulantes, laudanteſq; conſiliũ, quòd pacatũ gerẽs animum, ſe in gratiam regis contuliſſet, potius q̃ diſcrimini bellorũ ſe per arma immiſiſſet. Viſum eſt à nonnullis delatoribus, quòd à multis ſalutaretur: idque in nouam interpretantes cõſpirationem regi ſuggerebant, vt quamprimũ illũ perderet, alioquin inteſtinum ſibi bellũ oriturũ. Ille mox oblitus iuriſiurãdi, conſiliũ accepit iuuenis perimendi, lautam illi cœnam præparans, & vinũ mittens abundantius: vt ſepultum mero commodius opprimeret. Intulit illi ſplendido apparatu cibos vnus ex prioribus miniſtris, iam regi ſeruiens. Non tamen oblitus prioris fidei, quũ intellexiſſet regis de illo motũ, ſecretius inſinuauit, vt ebrietatẽ caueret, ſibique prudẽtiſſimè conſuleret. Aderant ex regiis ſtipatoribus; qui illũ inuitarẽt (de more gẽtis) ad pocula. Nondum enim patrius ritus in gente defecit, quamuis ſub alio iamdiu cœlo nati victitaſſent.

Inſidias pene iam capitis aſtutè vitat.

Partharis in aurem dicit pincernę fidiſſimo, vt pro vino in aurea phiala aquam illi porrigat, quotiẽs fuerit bibendũ. Hoc ille obſeruans ſobrietatẽ ſectatur: & nihilominus in oculis aſtantium tam hauſit auidè, vt viſentibus perſuaderetur bibere vinũ. Abierũt quidã ad regẽ: ille ſciſcitatur, quid agat Partharis. De vino, inquit vnus, quod rex miſeras, abunde potat, & hilareſcit. Tũ rex, Bibat, inquit, ad vomitũ: nam pro mero quod hauſit, cruorem dabit. Inter hæc Partharis Hunulfum vnum ex fidiſſimis vocat, docet periculũ ſuum, & requirit conſiliũ. Ille ſibi curæ reſpondet fore, quomodo illum educat. Iubet vnum ex ſeruis ſtratum ſuum deponere in cubiculum Partharis, vt apud illum noctu cubaret. Miſit autẽ rex ex ſuis, qui obſeruent, ne quouis pacto elabatur.

Hunulfi ingenium.

Hunulfus autem ingreſſus cum Parthari cubiculum, culcitram ſuam cum vrſi pelle in crepuſculo portari iam ſeruiliter veſtito imponit: illum flagris cædens, ſeruiliter agit ante ſe quaſi iumentum, vt efferret depoſitum onus. Qui aſtitere, non conſiderabant vultum tranſeuntis: quem & habitus, & onus, & flagra vilem eſſe monſtrabant: rogauere tamen quid tam immaniter cæderetur. Hunulfus ait: Beſtia illa quum culcitram inferre iuberetur, nõ quam debuit, inferebat: nunc vadit onus permutare. Iam perductum extra portam, iunctis ſodalibus, concitò mittit in Aſtenſem ciuitatem illi fidiſſimam, quòd necdũ regi pareret: inde in Taurinenſem, vnde in Galliam mitteretur extra omne periculum. Facto mane, mittit rex qui adducant conſpectibus eius Partharim. Cubicularius orat quãſanctè permittãt feſſo ex itinere magno ſomnũ. Illi referunt quæ audierãt regi. Indignatus ille, dãnat eorũ tarditatẽ: iubetq; excuſſum ſomno pertrahi, longo ſomno mancipandũ. Redeũt, & importunè adire contendũt. Iterũ in preces deſcendit ianitor. Illi reiecto eo, enſibus & ferro viã aperiũt, perfractis foribus, irrũpunt, & excuſſo lectulo, vbi vacuum cernunt, conuerſi in famulum, vbi ſit Partharis, rogant. Ille abiiſſe confitetur. Rapitur ad regem, morte vicaria perdendus. Rex ſciſcitatur, quid de Parthari ſit factum: audit omnem rei ordinem. Rogat aſtantes quid mereatur homo iſte.

Rex fidem etiam in eo, qui perdere volebat, probat.

Illi vna voce, morte dignum proclamant. Iurat rex quãſanctè, non pœna ſed præmio dignum, qui fidem domino ſuo cum proprio periculo impleſſet. Vbi ſit Hunulfus, rex ſciſcitatur. Confugiſſe aiunt in eccleſiam. Rex interpoſita publica fide remandat, vt nihil ſibi timens regem adeat. Venit

& iuſſus

& iuſſus rem exponere, ad liquidũ refert, quid pro liberãdo amico fecerit. Omnes reum læſæ maieſtatis acclamant, rex verò negat: nam fidem honorandã, non culpandam eſſe. Vocat vtrumque pariter. Optionem dat, ſecum eſſe malint in palatio, an cum Parthari in exilio. Hunulfus refert: Quando, inquit, rex arbitrio meo permittis, dicam liberè quod ſentio. Ego tibi vitam debeo, quam quum poſſes auferre, donaſti. Cæterùm fides prima obſtricta eſt Parthari, cũ quo malim exulare, quàm fidem violare. Idem famulus conteſtatur. Rex vtroque collaudato, iubet de domo ſua accipere iumenta, famulos, commeatus abunde, & ire ad dominũ ſuum. Illi actis regi gratijs in Franciam contendunt ad Partharim. Tenebat tum Franciam Dagobertus, quocum fœdus fuit Grimoaldo, ita vt nihil exinde timeretur. Attamen exilium ſuum Partharis longanimiter tulit, donec Grimoaldum ſors de medio fecit. Addidit autem iſte quaſdam leges Rotaricis in codice Longobardorum.

Cap. 27.

Grimoaldus, quum filium Beneuento præfeciſſet, regnum accepit poſt Ariperti filios. Quum interim renunciatum illi eſſet Imperatorem veniſſe in Italiam, expugnaſſe Luceriam, & euertiſſe Acheruntiam, Beneuentum quoque obſediſſe, maximis contractis vndique viribus ſtatuit filio ſubuenire. Pręmiſſis quidem diuerſo itinere multis millibus, (qui à Rauennatibus non leue accepere incommodum) ipſe interiori via gradiens cum expedito milite, nuncium præmiſit, quem filius antè miſerat ad illum. Hic à Græcis interceptus, & Imperatori præſentatus, maiora vero narrauit de ſuperuenientibus Longobardis. Quarum rerum commemoratione motus Imperator, non expectandũ duxit, ſed ſoluit obſidionem. Inde mouens Neapolim, ad Taloris amnis vadum à Longobardis eſt inuaſus. Qui agmen clauſerant, cæſi, proximi verſi in pugnam, magno prælio manus cõſerunt, nulloq; ex tranſgreſſis redeunte, qui remanſerant, penè ad internecionem ſunt deleti. Declarauit Imperator Romam iturus ducem ſuum Saburrum ciuem Neapolitanum, viginti millia militum illi attribuens, quibus & regionem & ciuitates in fide manẽtes tutaretur, & Longobardos inſectaretur, ne eunti Imperatori (vt prius) occurrerent. Grimoaldus autem ſciens ſibi ducem oppoſitũ, duxit in illum: & quum vterq; pugnæ auidus videretur, conſerta manu fortiter pugnauerunt. Sed Græci milites Italicum ducem faſtidientes, tum conceſſerunt. Cæſus Saburrus, & cum eo plurimi, victoriam reliquit Longobardis. Dum hæc agerẽtur in Campania, Lupus Fori Iuliani dux, quem rex Papiæ defenſorem reliquit, ibique iuſſit conſidere, auctus, omnis ſpem regni concepit, quòd regem cõſideret, magnis Imperatoris agminibus implicandum, aut opprimi, aut ita debilitari, vt facilè ab illo ſe tueretur. Manifeſta dedit indicia rebellionis. Igitur rex Grimoaldus Bauaris, cum quib. nuper icta ſunt Longobardis fœdera, nuncium mittit, ducant in Lupum, eumq; faciant rebellionis pœnitere. Illi non expectato ſecundo nuncio, illico duxerunt in illum. Sed & Grimoaldus magnis itineribus regreſſus, ab alia cogitauit inuadere regione. Prior autem Lupus occurrit expedito exercitu Bauaris, iam Fori Iulij ditionem cum populatione ingreſſis, & conſerto prælio vtrinq; fortiter pugnatur. Prima quidem die ſuperior viſus eſt Longobardus: poſtera die repetito prælio pari penè clade diſceſſum eſt. Sed tanta erat animorum concitatio, vt ne tertio die ſuperſederent prælio, in quo iam apertè victoria Longobardo inclinabat: ſed durauit Bauarus, nouarum ſpe copiarum, quas ſciebat ſuperuenturas. Quibus acceptis, renouato prælio, fortiſſimè dimicans Lupus, inter confertiſſimos hoſtium acies cecidit. Bauari victores populationibus & incendijs inceſſere. Grimoaldus rex iam reuerſus, miſſo ſolenni nũcio, Cacanno regi gratias egit, mutuas eidem viciſſim vires repromittens, effecit vt pacato agmine retrocederet.

Imperatoris exercitus à Longobardis cæſus.

Bauari de Lõgobardis victoriam obtinent.

Cap. 28.

Memor inde rex cladis, quam ſui acceperant apud Forum Popilij, ſtatuit vindicare: ſed egit diſſimulanter, quaſi in Vmbros moturus. Egit autem, vt pręmiſſi leuis armaturæ milites prius ciuitatem ingrederentur, quàm à quoquã, vnde eſſent, perpenderetur. Ipſe magnis itineribus ſecutus cum militibus, ſacra Paſchæ vigilia irrupit, populo diuinis intento. Ibi cruenta cędes, & pluſquam Chriſtiana vindicta. Infantes recens initiati, cum ſacerdotibus & diaconis, ſenes cum iunioribus, ſine diſcrimine ſexus & ordinis ſunt trucidati, ciuitaſq; ſemper Rauennatibus parens,

Grimoaldus ſtragem ad Forum Popilij edit.

ſubuerſa,ſolo eſt æquata. Sed & in prouincia Forumjulij noua exarſit conflictatio. Equidem Arneſrites Lupi filius, paternæ necis dolore percitus,rebellabat. Cõceſſit autem in Dalmatiam ad Wandalos, (quos nunc ſuperante conſuetudine, vero nomine detracto,Sclauos appellant) quorum magna manu conflata,quum montes & maria,& quę non haberet,polliceretur,terrificus incubuit ſuis Longobardis. Duxit autem in paternam prouinciam,illam recuperaturus, inexploratò quid hoſtes agerent,Nemaſo oppido admouit copias. Ibi ſe confertiſſimi hoſtes,motũ eius præſcientes,abdiderũt, & erumpentes penè imparatis incubuere. Cœpta eſt à primis pugna: ſed ſtatim intermiſſa,reſpexerunt in fugam Wandali. Ipſe Arneſrites fortiter pugnans cadit. Elapſi à fuga Wandali, in Hiſtriam Dalmatiamq; reuerſi, iniuriam ſuam deplorauere. Totius ergo gẽtis viribus expeditio cœpta, in Forojulianos educitur. Sed iam nouo duce creato, rex Longobardorũ, cui legiones attribuit, proſpiciens aduentum Wandalorum, opportunis locis caſtra illis oppoſuit: & in conſpectum venientibus occurrens,magna illis illata clade,coegit retrocedere. Quo tempore rex à Popiliana cæde reuerſus, Opiterginũ oppidum in Forojuliani ducis regione ſubuertit, quòd Arneſritis ſtudioſos comperiſſet. Non tamen populum peremit,ſed in proximas ciuitates permiſit commeare. Tanto autem fuit victoriarum ſucceſſu rex elatus, vt,niſi illum mors, multis bonis opportuna, ſuſtuliſſet, maximas laboris anguſtias videretur Romanis Rauennatibuſq; importaturus. Sed cum deciſa vena, priuſquam ſolidaretur,iterum rupta, immoderata ſanguinis effuſione regem peremit.

Wandali clade accepta fugiũt.

Opiterginum ſubuertitur.

CAP. 29.

PARTHARIS Ariperti filius, quem Grimoaldus occiſo eius fratre fugauit, Grimoaldo de medio ſublato,per amicos reuocatur,& ſublimatur in regnũ. Hunc alij Bertarium vocant,qualis ſæpe in peregrinis nominibus ſolet error accidere. Aiunt hunc,quum apud regem Franciæ Dagobertum nullam conſolationem recuperandi regni inueniret,nauigare in Britanniam conſtituiſſe,vel longinquitate regionis exilium ſuum conſolari,vel qualemcunque inde ſpem haurire. Quumque in naui eſſet,iam propè ſoluturus,audiſſe ferũt vocem,incertum vnde: Reuertatur Partharis in Italiam,quia Grimoaldus hac nocte defunctus,ſedem illi regni vacuauit. Circumſpiciens in littore,neminem qui vocem emiſiſſet,potuit inuenire: diuinitus ſibi miſſum nuncium interpretatur,nec cõtempſit. Nam reuerſus,prope Ticinum à magnatibus excipitur. Garibaldũ Grimoaldi filium collatis armis expulit regno,& volentibus proceribus regnauit: erat autem is regno digniſſimus,iuſti & recti tenax. Miſit autem Beneuentum,& vxorem cum filio (quos eò loci relegauerat Grimoaldus) reuocauit. Excitauit tum regi hoſtem ſua lenitas. Fecit enim pater ipſe filium ſibi conregnare Iunipertũ. Alachis verò inter duces primarius, dux Tridentinus,rebellionem intentauit. Sed Iunipertus regis filius, quum illi eſſet familiariſſimus,& patrem placauit,& ferocem virum conquieſcere fecit. Quumq; ſæpe dux retentaret nouas res,& regis filius nõ ceſſaret apud patrem tueri amicum: orabat patrem filius,vt quoniam Alachis propinquitate Germanorum ſublimes ſpiritus gereret,intra Italiam Brixiæ illi ducatum permitteret, quò frænum illi citius injceret. Rex contrà, Brixiæ eſſe multos proceres,cum quibus inita cõiuratione, homo turbulentus mala multa moliretur. Iunipertus filius non hoc futurũ ſpondens, peruicit,vt Brixienſis illi ducatus permitteretur. Huius temporib. regis, noua gens Bulgari, Thraciam inuaſerunt. Quos mira confuſione,eandem eſſe quæ Hungaria dicitur,vult videri Blondus, alijs in rebus diligentiſſimus antiquitatis ſcrutator. Sed Hungari longè poſt hæc tempora annis ferè quadringentis ſubiere. Hæc quoque Bulgarorum gens nunc etiam diſtinctas habet ſedes ab Hungaris in Myſia, quũ Hungari ſint inhabitatores Pannoniæ. Blondus autem nunc ab Hunnis nunc à Bulgaris ortos vult Hungaros.

Partharis XXII. ab exſilio voce quadam reuocatur.

Filius regni cum patre conſors.

Bulgari qui Blondo autore.

— *Interdum magnus dormitat Homerus.*

Ad Lõgobardos noſtros reuertamur. Partharis rex Chriſtianæ religionis obſeruãtiſſimus, Papiæ monaſterium erexit diuæ Agathæ, eiuſq; vxor Rodelinda glorioſæ Mariæ ædem, quæ ad Perticas viſitur, erexit. Hic ergo quum aliquantis annis ſolus regnaſſet, anno regni octauo, filium Iunipertũ, quò certior eſſet ſucceſſionis, regni

fecit

fecit conſortem. Quo tempore Tridentinus dux gentis Longobardæ in Bauaros bellum geſſit, inſigniq́ue victoria ducem eius gentis obtriuit Gramonem. Qua elatus victoria auſus eſt etiam regibus ſuis rebellare. Duxerunt autem in illum, & aliquot prælijs dubia volitauit victoria, quum vires vtriuſque exercitus grauiter conciderentur. Demum victoria ceſſit regibus. Dux intra mœnia Tridenti ſe recepit. Secuti reges, obſidione cinxerunt vrbem: ciues quum dedere vellent ducem, elapſus eſt: vrbs regibus deditur. Poſteriori tamen tempore interuentu regis iunioris, reconciliatur patri, vſqueadeo vt illum rex Iunipertus, diſſuadente mulnim patre, ducem (vt diximus) Brixiæ conſtituerit. Quieta tamen fuere deinceps horum regum intra Italiam tempora: quia Imperator Conſtantinopolitanus, Bulgaris nouæ genti conflictatus Longobardos iam in Italiã confirmatos non attigit. Quúmque Partharis per annos XVIII. regnum aminiſtraſſet, (octo quidem annis ſolus, & decem alijs cum filio) conceſſit in fata, ſepultus in pace iuxta eccleſiam, quam Aripertus pater eius in honorem ſancti Saluatoris in Ticino conſtruxerat, multiſque decorabat ornamentis.

Tridentum deditur.

Cap. 30. *Iunipertus. XXIII.*

IVNIPERTVS filius cum patre annis octo, poſt illum duodecim ſolus regno præfuit, vir æquè religione ac iuſtitia inſignis: quibus rebus promeruit, vt etiam poſt parentem tranquilla tempora nanciſceretur. Nam temporis tractu in id roboris ea gens coaluit, vt difficile fuerit eam oppugnare. Quieuerunt exarchi, ſatis habentes ſua tueri: quòd nihil virium aut ſupplementi ſperare poterant à ſuo Imperatore, partim Bulgaris partim Sarracenis implicito. Maior illi cura fuit ſuos in fide continere duces, à quibus crebrius genti prouenit detrimentum. Accepit autem Iunipertus vxorem de genere Angliſaxonum, nomine Armelindam. Sed Alachis, quem rex apud patrem ſæpe defenderat, bonorum eius malè memor, illi rebellauit, iunctis ſibi Alſone & Granſone de Brixia. Quum enim Papia (quæ eſt Ticinum) abeſſet Iunipertus, ille aulam eius inuaſit: & omnibus ad rebellionem excitatis, coegit illum fugere intra lacum Larium iuxta Cumas. Terruit eccleſiam Romanam ille motus: nam Alachis hoſtis erat acerrimus eccleſiarum. Ticinenſis tamen epiſcopus Damianus, vir magnæ prudentiæ, præſentium rerum ſtatui ſe contemperans, miſit cum benedictione diaconum ſuum Thomam ad Alachim, vt gratiam eius mereretur. Quumq́ue venire diaconum, virum vtique religioſum, illi eſſet nunciatum, per contumeliã illi remandauit, ſi femoralia nuda geſtaret, ingrederetur. Ille reſpondit, ſe illo die mundis veſtitum. Alachis ad hæc, non ſe de femoralibus agere, ſed quod illis tegitur. Reſpondit diaconus, ſe ſibi nullius eſſe criminis conſcium, occultorum iudicem eſſe Deum. Vix accepit quod miſit Epiſcopus, & ſatis contumelioſè dimiſſo diacono. Timuit tyrannum clerus omnis, imprecatus illi regnum non diuturnum: quod & euenit. Numerabat Alachis iam ſe pro rege, gerens nummiſmata: & cadens in terram tremiſſis, à puero filio Aldonis impubere, qui fortè aderat, exceptus regi redditur. Ille conuerſus in puerum, quem nihil ſapere reputabat, ait: Pater tuus multos eius generis habet, quos breui reddet tremiſſes. Puer ignarus rei, verba retinebat. Regreſſus ad parentem, rogatur ſi apud regem in palatio fuiſſet, & quid ille egerit, quidve dixerit, per iocum (vt fieri ſolet) ex puero ſciſcitatur. Ille verba regis de tremiſſibus repetebat. Percuſſit animum Aldonis. Mox ingreſſus ad fratrem Granſonem, docet ſuorum capitum à tyranno pericula. Mox circumueniendum illum, Iunipertumq́ue reuocandum inter ſe conſtituunt. Et his verbis aggrediuntur hominem: Iam, inquiunt, propitio Deo, exantlatis rebus, & omnibus in ordinem redactis, vnum ſentiunt omnes, te regem ſuum ſine controuerſia colunt: cur non laxando iam animo in venationem exis? Nos tibi cuſtodiam vrbis, & hoſtis tui caput & ſpondemus & exhibebimus. Credidit ille, & curis poſitis in venationem abibat. Illi ad lacum Cumanum properantes regem adeunt Iunipertum, illiuſque prouolui pedibus veniam precantur: ſpondent reductionem in palatium. Ille accepta dataq́ue fide, quum de temporum & rerum gerendarum ordine inter eos conueniſſet, reducitur Iunipertus: & ab omni clero atque populo lætabundis geſtibus excipitur. Ibat interim nuncius ad Alachim, de reducto Iuniperto. Ille vrbes circumibat, Placentiã, ac cæteras

Alachis in regem ingratus.

Alachis turpis oratio.

Iunipertus in regnum pulſo Alachi reuocatur.

vires colligens, vt occurreret ad prælium Iuniperto. Iam ille quoq; armis inſtructis ibat in hoſtem. Conuenerunt exercitus in campo qui dicitur Comnatus. Et miſſo ad Alachim nuncio Iunipertus, mãdauit illi, Cur, inquit, mittimus populum in diſcrimẽ? duorum cauſa agitur. Ego tuque dirimamus hoc prælium dexteris noſtris: qui vicerit, regnet. Alachis autem duello ſe committere non audet. Tum vnus ex primoribus genere Tuſcus: Quid, inquit, eſt quòd pugnam detrectas in hominẽ, quem ebrioſum ſemper appellas? Cui ille: Eſt quidem ebrioſus Iunipertus, ſed robuſtus. Pueri luſimus in parẽtis illius regia, quum ille apprehenſum ex vellere quẽlibet arietem, vna manu deportauit: quod & ego tentans, implere non potui. Itaque quod puero fuerat robur, adauctum pluſquam virile debet cenſeri. Tum ille primarius: Degenerem ego regem non ſequor. Mox tranſijt ad Iunipertum. Totis agminibus pugnandum videbatur. Seno erat vir eccleſiaſticus, ordine diaconus, qui Iunipertum regem ſupra modum diligeret: & iam pugnę accinctũ alloquitur. In tuo, inquit, rex capite, multorum ſalus eſt conſtitua. Si vinceris, (quod omen abſit) ilico omnes perimus eccleſiaſtici cũ populo. Da veniã, & arma mihi tua, ſi videtur, permitte: facit habitudo corporis, vt apta ſint. Nec ſum expers militaris diſciplinæ. Si vicero, cunctis vinco. Si pereo, mei ſolius capitis eſt periculũ. Recuſabat rex, militiã nolẽs detrectare. Sed à ſuis omnibus rogatus, & penè coactus, volentẽ regijs armis pugnare permiſit. Conſeruntur manus, & Alachis omni acie obſeruat regia arma, in quibus hoſtem Iunipertum pugnare nõ ambigebat. Illi ſe fert obuium: pugnam conſerunt: Seno cadit, temeritatis luens pœnam, quòd ſe armis immiſceret non ſuis, Alachis vbi iam fudit hoſtem, eſſe regem ſiſus, caput cum galea deſectũ, iuſſit in haſta præferri. Interim fama volat in vtroque agmine, cæſum Iunipertum. Ille ſe ſuis offert: deluſum hoſtem eſſe fiunt certiores. Alachis extractum galea caput, vbi raſuram clericalem in vertice conſpicit, erubuit: quàm ſanctè iurans, ſi vicerit, puteum ſe impleturum ex genitalibus clericorum. Mox acrius in pugnam redeunt. Temerator ille in primis cadit: victoria prouenit non incruenta Iuniperto. Exactis ergo duodecim poſt patrem annis in regno, conceſſit in fata, filium relinquens regni hæredem cum tutore, quem pater teſtamento deſignauit.

Duellum reſpuit Alachis.

Seno diaconus pro rege pugnans cadit.

Alachis prælio cadit.

CAP. 31.

Luitpertus XXIIII. à Raimberto regno pellitur.

LVITPERTVS filius admodum puer, cui pater tutorem fecit Aſprandum, ex ducibus vnum, in regno ſuccedit. Sed tutoris adminiſtratio regi primum conciuit bellum. Nam Raimbertus Taurinenſium dux, non æquo ferebat animo ſe prætermiſſum in tutela. Contractiſque viribus mouit in Aſprandum, conatus illum adminiſtratione deturbare. Aduocauit Aſprandus Rotarim Bergomenſium ducem: & promptiſſimo exercitu educentes, apud Noruariam concurrunt. Ibi grauiter pugnatum eſt: ſed inclinauit victoria Taurinenſi. Igitur aduerſarij cum rege puero fugam ineunt. Quumque nemo reſiſteret, victor intrat Papiam, ibique coronã ſuſcipiens, regni iura inuaſit. Sed non diu tenuit: quippe poſt paucos menſes diem ſuum obijt.

CAP. 32.

Arithpertus XXVI. Luitpertũ prælio capit.

ARITHPERTVS Raimberti filius, regnum à patre occupatum fortiter defendit. Sed cæteri duces Aſprando monente, pro veri regis Luitperti reductione arma ſumpſerunt. Quorum ducum primarijs Zothone, Tharone Pharone, Rotari atque Aſprando, cum rege puero, magniſque copijs mouentibus in Papiam obſidendam, non expectandum ratus Arithpertus, cum armato erupit exercitu. Concurſumque eſt totis viribus Ciſalpinæ Galliæ (quæ nunc Longobardia dicitur) & variante fortuna, ſæpe ſpes & metus alternabant in partibus. Ad extremum tamen victoria inclinauit Arithperto: nam rex puer viuus venit in hoſtium poteſtatem. Aſprandus fugiens ſe recepit in Comacinam. Rotaris autem accedens Laudam, ſuæ ditionis oppidum, à conſortibus partium ſuarum ducibus ſe regem fecit declarari. Quæ quum eſſent Arithperto nunciata, motis ſignis ſolenni exercitu duxit in Laudam, eamque ad primam oppugnationis oſtenſionem cepit: mouitque in ducatum Bergomenſem. Et quoniam nouum regem Rotarim magnum audit feciſſe belli oppoſitum, conſcendit paulatim in montem, & admotis arietibus, reliquiſque obſidionis apparatibus, munitiſſimam vrbem cœpit oppugnare. Multoque

Rotarim, qui ſe regem ſalutari iuſſerat, necat.

ſudore

ſudore cruoreque exhauſto, quum fortiter obſeſſi mœnia tuerentur, multiq; inuicem mortales cecidiſſent, cepit vrbem munitiſſimam Arithpertus: captumque in ea Rotarim,& in contumeliam detonſum,cum rege puero fecit iugulari. Inde duxit in Comacinam,eamq; inſulam cũ oppido ſuo obſedit. Præſcius autem Aſprandus,per ſaltum vicinos confugit ad Bauaros. Sed Arithpertus expugnatum oppidum ſolo æquauit. Per quę tempora Giſulphus Beneuenti dux, quum nouus Oriẽtis exarchus Romam applicuiſſet, quem maligno ſciebat eſſe in Romanos animo, eduxit exercitum: & oppida quædam Romanis parentia cepit, inde opulentã prædam cum captiuis abegit. Sed quum exarchus in Rauennam abiſſet, Rom. põtifex Ioannes,miſſis oratoribus ducem placauit, vt accepta pecunia captiuos cum cæteris rebus reſtitueret dominis. Nec difficulter annuit. Ita inuenta eſt ea gens, poſtquam Chriſti religionem ſuſcepit, ſemper eccleſiæ paruiſſe, illiuſque incremento (quod poſteriora docebunt) militaſſe. Interea etiam Forijulienſis dux,cum vicinis Wandalis,quos nunc Sclauos appellant,manus conſeruit:& mutuis inuicem prę lijs multa ſunt dãna irrogata. Sed Arithpertus Chriſto deuotus, & Romanę eccleſiæ amator ſingularis,vt eã magnificaret , Alpes quas dicũt Coctias, in quibus Genua vrbs nunc præclara,& quicquid ab ea ad Alpes vſque, Galliarum fines, cenſebatur,beato Petro donauit. Sed is rex dum conſerto prælio in Aſprandum, quem Bauari reduxere,& iam inclinatis rebus inferior haberetur,in fugam verſus, quum Ticinum amnem traijcere tentaret, ſubmerſus interijt.

Arithpertus eccleſiã Romanam locupletat.

CAP. 33. XXVII.

Aſprandus trimeſtre regnũ poſſidet.

ASPRANDVS, quem pro rege tutelam gerente, armis victum rex fugauit, illeque elapſus eſt ad Bauaros: eorum viribus auctus, redijt in Italiam regnum repetere. Illi rex Arithpertus occurrens, prælio vincitur, & in fugam verſus, in Ticino mergitur: regnoque illi ſuccedit, ſed non diu tenuit. Quamuis enim ſummo omniũ Longobardorum conſenſu rex ſit declaratus,tertio tamen menſe vitam finiuit. Ita multo labore quæſitum non ſibi, ſed hæredi filio regnum cernitur parauiſſe. Sic ſe res mortalium habent. Fatigant cœlum & terram,& per mille pericula vix perueniunt quò cupierunt. Peruenientes autem aut nouis excipiuntur incommodis, vt intelligant non tanti fuiſſe quod ambiebant, aut potiti, breui deſerunt. Igitur moriens Aſprandus regno ceſſit.

CAP. 34. XXVIII.

Luitprãdus

LVITPRANDVS Aſprandi filius, nomen referens infœlicis pueri regis, rex poſt patrem creatur ſummo Longobardorum conſenſu. Is prima expertus eſt ſuorum incommoda. Nam cognatus eius Rotibites,quum necis regiæ cõſilium ſumpſiſſet, proditus regi, pœnas dedit. Quo exemptus periculo,donationem Romanæ eccleſiæ ab Arithperto rege factam, de Coctijs Alpibus, confirmauit. Interea Feroaldus Spoletanus dux, ad regem ſuum ſimulans profectionem, iter habebat per Flamineam, vrbeſque Rauennati parentes ditioni. Et quanquam compertam haberent eius profectionem incolæ, quia tamen nullæ recentis iniuriæ cauſæ videbantur,nihil hoſtile veriti, ciuitatum ſuarum cuſtodiam intermiſere. Ille autem vbi Claſſenſe oppidum attigit, ſuæ fecit ditionis. Sed rex miſſo nuncio ducis factum irritauit, iuſſitq; reddi furto captum oppidum. Penino quoque Forijulianus dux cum Wandalis exercuit inimicitias, pro more bellico dans & accipiẽs incommoda. Interea quum Romani ab Imperatore non æquo foueerentur iure, & eſſet aliquid cauſæ, Longobardorum dux a Spoleto Narniam inuaſit & cepit. Rex verò Luitprandus iam aperta rebellione, exarcho occurrens, collatis omnibus ſuæ gentis viribus,Rauennam obſedit. Cernens autem ciuitatem captu difficilem, inde Cluſium mouit: quod oppidum captum, crudeliter ſpoliauit. Sed hanc, ſi dici debeat iniuriam (cauſæ enim non panduntur) magno poſtea Lõgobardus compenſauit beneficio. Exarchus enim Italiæ ab Imperatore Leone miſſus, vrbem Romam ſpoliare, pontificemque captum mittere Conſtantinopolim, quum ex Rauenna moueret cum militibus Spoletanus dux Longobardus, operas ſuas pontifici pollicitus, cum copijs aderat, viamq; inſedit ſalariam, qua erat Rauennatibus tranſeundum. Tentauit irrumpere: ſed egregia Longobardorum opera repulſus,agmina reduxit Rauennam: mala quæ in animo habuit ab hoſte imaginũ Leone, implere nõ potuit. Interea quum in caput põtificis Imperator multa moliretur,

Claſſẽſe oppidum dolo captũ redditur.

Leo Imperator Romã & pontificẽ infeſtat.

miſit Eurichium patricium in Italiam, vt Romanis & pontifici ſuſcitaret motus iniquos. Is Longobardis dona multa miſit, vt in pontificem ferrentur: ſed non profecit. Qua iniquitate temporum motus pontifex, cum Longobardis pacem ſtabiliuit: quam rex & pronus ſubijt, & ſtrenuè impleuit. Nam captum poſtea Sutrium à Spoletano duce, iuſſit reddi. Quumq; rex pace foris comparata, tempus eſſe cerneret ſuorum contumaciam comprimendi, magno exercitu comparato, duxit in Spoletanum Beneuentanumq; duces, qui longinquitate viarum freti, minus parebant. Sed interuenientibus magnis vtrinque viris, rex ira ſedata, reconciliari ſibi paſſus eſt duces, meliora de ſe ſperare pollicitos. Atque tum ex pacato agmine Romam duxit, viſurus & vrbem & loca ſancta, quādo tam de propinquo aderat. Romani autem minus regi fidentes, vrbis cuſtodiam fecere. Acceptus rex cum exercitu in cāpis Neronianis, proceſſit in Vaticanum, adhuc nullis mœnibus cinctum. Ibi obuiam factus pontifex, regi ſe præbuit venerādum. Delapſus equo rex ex more, pontificem genibus nixis conſalutauit. Et aliquot ſermonibus interpoſitis, accepta benedictione Papiam remeauit.

Romā Longobardus venerabūdus adit.

CAP. 35.

DEINDE Traſemundus Spoletanus dux, quem paulò antè rex in gratiam recepit, renouauit rebellionem. In quem rex duces, magno molimine ingreſſus, ducatum, vrbes & oppida ſuæ fecit poteſtatis. Fugiens autem dux, peruenit in oppidum Romanæ ditionis: vbi fide publica interpoſita, ſecuritatem accepit. Secutus rex, dedi poſtulat per fugam. Stephanus Romanus dux cum pontifice, fidem falli non oportere reſponderunt. Igitur mouens in Romanam ditionem, aliquot vrbes cepit, redijtque Spoletum, Hildericum ibi ducem conſtituens. Inde in Beneuentum tranſiēs, quū eius vrbis dux paulò antè rebus humanis exceſſiſſet, filiumq; eius puerum ſurrogaſſent maiores, rex deſtituto puero, Gregorium nepotem ſuum ducem creauit. Reuerſuſq; Papiā, quum ſe morbo grauatum, laboribus cerneret inutilem, Hildebrandum alium ſuum nepotem, regni cōſortem declarauit. Et quum aliquanto tempore pax eſſet, Romani viribus augeri cœperunt, & Traſemundum Spoleti ducem reducere armis intentarunt. Cui rei fauerat Godeſcalcus, iampridem in Beneuentano ſuccedēs, quū Gregorius mortem obijſſet. Stephanus Rom. patricius inferiora tenens, exercitum duxit, duciq; obuios populos cōciliauit. Traſemundus per Sabinos iter habuit. Igitur re proſperata, Spoletum perueniunt vtrique exercitus, ducemq; ſuæ reſtituunt ditioni. Viciſſim operas depoſcit Romanus, oppida quæ pridem rex recepit, recuperandi. Ducit promiſſa dux in diem, quòd rex magnis copijs aduentare diceretur. Igitur iunctis viribus occurrendum rati regi, vias inſedere ſyluoſas, vnde agmini inſidiarētur, apud fanum Fortunæ & forum Sempronij. Agmina quum illuc peruenirent, ex nemoroſis infeſtantur, magnaq; virorum detrimēta ſuſcipiunt: iubetq; rex Fori Iuliani ducem curare de incurſionibus. Ille ſuorum iam cruore madentes aggreditur, & fortiter inuicem pugnatur. Ibi miles Spoletanus ducem ex nomine vocans, prouocat in duellum. Non erat de more gentis (quod ſæpe diximus) liberum detrectare. Vacuatur campus. Pons erat in medio, in quo infeſtis cuſpidibus incurſant. Ibi proturbatus ponte Spoletanus, in riſum ſoluit agmina. Sed vtrique pugna omiſſa, magnis itineribus cōtendunt Spoletum: nec caſtra fecere priuſquam iſtuc peruenirent. Inde reuocatus à pontifice Stephanus, ad vrbem communiendam acceſſit. Rex verò ſecutus, Spoletum obſedit, breuiq; cepit: ſed dux elabitur. Interea verò rex accepto denuo in poteſtatē ducatu, in Romanos mouere contendit. Et dum apparatus obſidendæ vrbis apparat, Zacharias pontifex mittit regi legationem, pollicitus copias & fauores in rebellem, ſi vrbes pridem à Romanis captas reſtituat. Pacem rex dedit orantibus, & cōtinuò mouit in Traſemundum. Is vbi vidit ſe Romanorum deſtitutum auxilio, regis gratiæ ſe permiſit. Qui acceptum in gratiam tonſorauit, clericumque fieri iuſſit. Tum Godeſcalcus Beneuentanus, audito comparis ſucceſſu, ſibi timens, vxore & filijs naui impoſitis cum omni ſupellectili, in Græciam tranare diſpoſuit. Sed ciues, vt regis gratiam promererentur, conantem in ipſo trucidant itinere: vxorem autem & filios, audito tumultu ſoluentes, capere non poterant. Pontifex inde ex fœdere vrbes repoſcit. Et quum rex differret, acceſſit Narniam ad regem: ibique in templo

Luitprādus Traſemundum inſectatur.

Spoletanus & Romanus aduerſus regem.

Papa deſerto Spoletano ſibi regē conciliat.

plo Valentini ſacris peractis, orationem habuit, præſente rege atque proceribus luculentam, de iuſtitia & religione: ſuaſitq́; in primis, vt humani ſanguinis effuſione fœminarumque oppreſſione abſtinerent: denique peregit, vt illa ferrata pectora mollirentur. Rexque oratione pontificis motus, non ſolùm poſtulatas ciuitates reddidit, ſed & ipſam Narniã, in qua hęc gerebantur, & Sabinẽſe patrimonium, quod annis iam xxx. tenuerunt, & in Picentibus Anconam, Cumam ciuitates, Sutrini quoq; agri vallem magnam, patrimonio ſancti Petri & ipſi pontifici dono dederat: & cum Romano ducatu pacem in decem annos firmauit. Liberauitque rex multos Romanos, Rauẽnates & Italicos, qui carceribus Longobardorũ tenebantur. Redeũtem in vrbem pontificem Agibrãdus dux Cluſinus, regis nepos, & Ramildus Tuſciæ caſtaldio, gentis Longobardæ ſupremi duces, deduxerunt: & facto per Ortam, Pomeriam, Polimartium atq; Bletam itinere, eas ciuitates præſenti recipientiq; pontifici tradiderunt. Interim rex copias ad ſtatum remittẽs, in ſua quoque ſe ipſe recepit. Pontifex in vrbem gratulabundus redit, & inſtitutis ſupplicationibus in templo rotundæ Mariæ, diuinum ipſe impleuit officium. Erat quies per id tempus anno per Italiam vno, quum nemine ſuſpicante, nunciatur regem obſediſſe improuisò Rauennam. Quumq́; exarchus ſatis fideret vrbis munitioni, præſidioq́; militum, ac ciuium perpetuæ voluntati: tamen deprædationes & incendia, quæ foris agerentur, perpulerunt, ſimul & diuturnæ obſidionis timor, vt miſſo ad Romanum pontificem nuncio, poſtularet, quod in Narnia feciſſe nuper memoraretur) accederet regem placare infeſtiſſimum. Põtifex legationem miſit, Benedictum epiſcopum Tuſculanum, & Ambroſium primicerium notariorum. Sed illi quum a rege minus audirentur, põtifex commendata vrbe Stephano duci Romano, viam ingreditur. Interea rex, longè cernens nullam ſupereſſe vrbis capiendæ ſpem, antequam aduentaret pontifex, ſoluit obſidionem, duxitq́; in oppidũ Claſſenſe, eoq́; per ciuium diſſenſionem capto, direpto atque ſubuerſo, Papiam reduxit exercitum. Pontifex per Imolam iter faciens, perq́; Rauennam, peruenit ad Padum: quo in loco, ordinãte rege, inuenit nauigia, quæ illum Papiam ad regem perducerent. Exceptus multo cum honore pontifex, apud regem egit, vt omnia, quæ de Rauennate capta eſſent ditione, redderentur. Excepit autem rex tertiam oppidi Cæſenatis cum arce partem: quæ opportuno loco conſiſtens, ſine magno Longobardorum incommodo reddi non potuit. Vix in vrbem redierat pontifex, & ad gratias Deo perſoluendas nondum expletum erat diuinum officium, quum nuncius adeſſet, Luitprandum regem morte extinctum, Hildebrandumq́; nepotem, quem ille conſortem aſſumpſit, pro ignauia deſtitutum.

Regis magna in papã munera.

Rauẽna nequicquam à rege obſidetur.

Claſſenſe oppidum ſubuertitur.

Cap. 36.

Rachiſius XXIX. poſt adminiſtratũ regnũ fit monachus.

RACHISIVS Forijulienſis dux, qui in agmine ad Spoletum proficiſcente virtutis indicium dederat, deiecto ad pontem milite, qui ſe prouocaſſet, omni cõſenſione ducum rex declaratur. Qui rex à pontifice per ſubmiſſos oratores rogatus, pacem cum Romanis & Rauennatibus conſtituit in annos viginti. Sed illam non diu pòſt violauit, per Rauennanum ditionem ducens in Peruſiam. Qua verò ex cauſa, imò qua Italorum culpa, preſſis labris (vt ſolent) Italici ſcriptores prætereunt? Satagit omnis viribus rex Peruſiam capere, adhibitis arietibus & machinis in tali negotio opportunis. Sed opem attulit neceſſariam pietas pontificis Zachariæ. Acceſſit enim ad regis caſtra, & Deo, qui ſpiritum tenet principum, agente, animum regis adeò immutauit, vt nedum ſolueret obſidionem, ſed etiam regni & opum quas tenebat, abijcere ſtatuit ſplẽdorem. Nam poſt paucos dies fratri regnum permittens, cum vxore & filijs Romam veniens, à Zacharia pontifice clericus & monachus effectus eſt.

Cap. 37.

Aiſtulphus XXX. Romanos grauiter vexauit.

AISTVLPHVS deinde rex, concedente germano, volentibus proceribus ſublimatur. Is vniuerſam mox Italiam infeſtam habuit, fœdera nulla nouauit. Iam enim Zacharias papa cœlo conceſſit: Stephano verò tradi permiſit curam paſtoralem. Anniſus eſt pontifex regem muneribus oratoribuſque miſſis placare, vt fœderibus in annos quadraginta conſentiret: flexitque vt pateretur cautiſſimis verbis ea fœdera conſcribi, ſubſcriptione regia accedente. Superabat Aiſtulphus omnes prædeceſſores ferocitate, quamuis Italico ſub cœlo natus nutrituſque. Itaque

quarto menſe poſt habitos de pace tractatus, cunctis euaſtatis, mandauit pontifici, ſi pacem cuperet, ſingulos Romanos, & ſuarum partium mortales, per ſingula capita, tributi nomine, ſingulum iuberet aureũ nummũ perſoluere. Adniſus eſt pontifex regẽ oratoribus & muneribus miſsis cõplacare. Sed vbi conatus ſuos fruſtratos aduertit, miſit ad Conſtantinũ Imperatorem, vt ſi rebus Italiæ conſultũ vellet, in tempore conſuleret. Oſtendit omnẽ Italiæ ſtatum: quòd niſi in tempore ſuccurreretur, futurũ vt omnis Italia in Aiſtulphi regis poteſtatẽ redigeretur. Sed per hæc tempora, quum ſigna circumferret Aiſtulphus, Rauẽnam obſedit: & oſtenſis maximis futuræ molitionis apparatibus, ciues eò perpulit, vt eam dederent ciuitatem.

Rauenna dedita.

Hic omnium regum primus eam vrbem, ſæpius à prædeceſſoribus fruſtra pertentatam, in ſuam redegit poteſtatem. Imperator Conſtantinus ſcripſit regi, ſolẽneſq; miſit oratores: quibus papa alios coniunxit. Hi regẽ acceſſere Rauennam: & multis cum illo agentes, nihil præter verba, & ea quidem aſpera, reportauere. Addidit tamen Longobardus vnũ ex ſuis, Romam, & inde Conſtantinopolim iturum. Ea pontifex quum audiſſet, & nihil actum eſſe intelligens, Romanos adhibuit in conſilium. Quorum precibus & inſtantia cenſuit taliter cum Imperatore agendum, vt niſi in perſona & cum omnibus Romani Imperij viribus Romæ & Italiæ ſuccurreret, aliam viam, vnde ſpes ſalutis daretur, eſſe quærendam, cũ Imperij detrimento. Iam verò Conſtantinopolim Longobardi regis nuncius, & Paulus Romani põtificis Stephani germanus, vix dum profecti vrbe oratores ibant, quum Aiſtulphus Romano pontifici & populo per nuncios cõminatus eſt, fore, vt niſi ſeſe & vrbem Romam dedant, eos omnes, velint nolint, in poteſtatem factos, ad vnum iugulet.

Regis aduerſus Romanos minæ.

In quem adductus tremorem pontifex, populo in Lateranenſem baſilicam cõuocato, homiliam habuit lacrymis plenam, ſingultibuſq; quàm dicẽdi coloribus pleniorem: imminere dicens Romanæ vrbi, Romano populo excidium, nec vllã habendam ſpem in deditione impijſſimo regi facienda: viribus autem Romani populi non poſſe reſiſti eius populi furori, qui omnem penè Italiam in poteſtate habeat, niſi Dei deſuper imminentis clementia tueatur: quæ rebus etiam florentiſſimis, cunctis ſir præſidijs anteferenda: cuius implorandæ illa ſit certiſſima ratio, ſi in ſacco & cinere, vigilijs ieiunijſq; humiliati, Creatorem ſuum, ſemper petẽtibus paratum, auxilio poſtulauerint. Tertio ex hinc die, quum ſe ex ſententia põtificis humiliaſſet populus in ſupplicationem, à Lateranẽſi in matris Domini maiorem baſilicam proceſſum eſt: prætulitq; pont. pacis formulam, perfidi Aiſtulphi chirographo exaratam, à crucis vexillo (quod pretioſiſſimè ornatum præcedebat) pendentem, in quam populus Romanus omnem periculi ſui cauſam, coram Deo mœſtus eiulanſq; deflebat. Nec tamen ceſſauit interea pontifex Aiſtulphũ muneribus maioribus, pretij pollicitationibus pertentare, ſi fortè captum Rauennæ exarchatũ reddere, & pacem cum Romanis pactam ſeruare vellet. Et quũ nihil ſolito magis proficeret, miſſuſq; ad Imperatorem pontificis germanus, nec ſpem præſidij literis faceret, nec rediret: cum Rom. pop. conſtituit opem regis Franciæ implorandã.

Papa Pipino regis Frãcia auxiliũ implorat.

Veritus tamen, ne ſi id Longobardus reſciſſet, prius accelerato furore Romanos opprimeret, quàm ex Francia ſuppetiæ poſſent afferri, epiſtolas peregrino homini Longobardis ignoto, ad Pipinum dedit papa, quarum hic maximè tenor fuit: Vt quando Longobardus nec pacta cum Romanis ſeruaret fœdera, nec exarchatum Rauennatem, nec alia de Romanis capta redderet, prece pretióve mollitus, opem ipſe Chriſtianiſſimus afferret. Cuius opis ratio vt ſolidiori iniretur modo, ſcripſit põtifex oportere regem Pipinum, tanquam proprio inductum motu, ab ipſo pontifice, vt in Franciam ad ſe iret, poſtulare.

Cap. 38.

INTEREA Paulus pontificis germanus, Ioanneſque Silentiarius, & Aiſtulphi regis nuncius, Conſtantinopolim pariter vt iuerant, ita Romam ad pontificem vnà ſunt reuerſi. Fuitque Imperatoris reſponſi ſumma, Stephano pontifici pro integranda pace, ad Aiſtulphum eſſe properandum. Dumque pontifex ad iter ſe accingit, venere legati à rege Franciæ, epiſcopus atque dux, orantes, vt ſummus pontifex regem ſuum in ipſa Francia dignetur adire. Mouit itaque pontifex, vtriuſque, regis & Imperatoris, nuncijs ſociatus. Et priuſquam ad Papiã veniret, præmiſſi ab

Papa in Franciam profectus, à Pipino officioſiſſimè excipitur.

Aiſtul-

Aiſtulpho nuncij, illius verbis præſcribere non ſunt veriti, ne Rauennam eiuſq; exarchatum repeteret: fore polliciti, vt ſi ea modò poſtulatione tẽperaret, facturum regem quod poſceret. Cunctis ſimul, vt ierant, Imperatoris Frãcorumq; regis oratoribus in præſentiam regis perductis, pontifex poſt munera regi data, faciens verba, & perfidiam Aiſtulphi grauibus notauit ſententijs, & omnia quęcunque ille aut poſt violatam pacem cepiſſet, aut ſui prædeceſſores Longobardi reges occupauerant, reddi poſtulauit. Quumq; Aiſtulphus pertinax (ſicut antea) perſiſteret, egerũt apud eum Imperatoris & Franciæ regis oratores, vt põtificem dimitteret in Franciam profecturum. Tulit id ægerrimè Longobardus: nec tamen auſus Francorum regi, quòd tantopere cupiebat denegare, põtificem dimiſit. Eum Carolus, cui poſtea Magno fuit cognomen, Pipini regis filius adoleſcens, Francorum fines ingreſſum, à centeſimo lapide ad palatium vſque Ponticonem, vbi Pipinus erat, deduxit. Proceſſit tamen ad tertium lapidem rex Pipinus: & equo deſcendens, põtificiſque pedes oſculatus, illum terra incedens, & frænum pontificis equi regens, ad cubiculum vſque deduxit. Longobardus vbi profectum vidit in Franciam põtificem, miſit ſuæ gentis primores poſt illum, qui reuocato ab itinere, pollicerentur omnium quæ poſtulauerit reſtitutionem. Sed vbi põtificem continuò iter agere, nec iam vi vlla perductum in Franciam retrahere liceret: cogitauit rex ipſam Rauennam cum ſubiectis ciuitatibus euertere, mortaleſq; in eis perdere, vt tanto metu liberatus, expeditius in vrbem Romam duceret, illamque ſolo æquaret, priuſquam Pipinus de Francia ſeſe poſſit emouere. Ab hac autem crudeli cogitatione nihil eum magis auertit, quàm quòd ſperaret Pipinum promiſſis ludificare. Carolomannum namq; Pipini fratrem, qui ſe monachali habitu Caſſinenſi cœnobio incluſerat, euocauit, promiſſiſq; onerauit, vt ad fratrem profectus, diſſuaderet Italię expeditionem, bellumq; in Longobardos ſuſcipere. Promittit operam, profectus in Franciã, magnis contendens itineribus. Sed iam pontifex regem allocutus, ſeriò ab illo impetrauit, expeditionem ſeriam in Italiam facere. Tantũ ſibi morę depoſcebat, vt verno tempore educat: interim vires, & arma, & reliqua profectioni neceſſaria compararet: pontifex ſe apud S. Dionyſij Pariſienſis monaſterium contineret. Dum ergo pontifex quaſſas ab itinere vires reparat, & Pipinus copias cõpararet, ſuperueniens Carolomannus, legationem etiam ipſe ſuam peregit, ſuadens in Longobardos amicitiam, nec vllo pacto bellum permittens. Auditis fratris verbis, ſatis durè illum coarguit, quòd ſe regum rurſus implicet negotijs iam mundo crucifixus, quodq; impiæ gentis ſuaderet amicitiam, diſtinereq; germanum cuperet à Romanæ eccleſiæ & populi tuitione. Indignatus ergo tanquam à ſuo cœnobio apoſtatantem fratrem, in Viennenſi Gallia iuſſit includi: ibiq; breui, dolore animi confectus, diem ſuũ obijt. Adductus autem rex pontificis ſuaſu, oratores præmiſit ad Aiſtulphum, qui verbis ſuis ſuaderent, pacta cum Romanis fœdera ſeruari, captaq; reſtitui. Et ipſo (vt ſemper antè) tergiuerſante, Pipinus, qui antè rem in occulto gerebat, tum publico edicto propoſito, ducibus militibuſque indixit, vt in diem parati, expeditionem noſſent in Italiam faciendam. Iam in conſtituta tempora ducibus militibuſque vndecunque confluentibus, iterum legationem ad Longobardum, regi Pipino pontifex faciendam inſinuabat. Sed idem qui prius, caſſus erat legationis euentus, Longobardo in pertinacia perdurante.

Regũ erga papã Rom. demiſſio.

Mũdo crucifixi, ſe regum negotijs ne implicent.

Cap. 39.

INTERIM Frãcus leuis armaturæ milites locis opportunis pręmittit occupandis, qui Alpiũ ſaltus inſidentes, hoſtem ab incurſionibus prohiberent. Aiſtulphus cum toto exercitus ſui robore, contendit Alpium ſeruare clauſtra, contemptuque paucitatis Francorum militum pugnam intentauit. In qua non leue accipiens incõmodum, coactus eſt retrocedere. Quæ quum accepiſſet Pipinus, agmina ſua accelerare, nec antequam ad Papiam veniant, iubet conſiſtere. Obſidetur Papia, & omnis vicina regio populationibus & incendijs fit inquieta: pecora & omnis generis prædã, mulieres cũ viris, manus poſt terga reuinctos colonos, in ſua caſtra Franci cogebant. Ea miſeratus, quum cerneret pontifex in Italię populũ cladem redundare, obſecrat regem, vt ſi Longobardus pactam velit ſeruare pacem, captaq; reddere, malis finem faciat. Eas ſoluẽdæ obſidionis, & initę pacis cõditiones nõ ſolùm

Papia obſidetur.

Aiſtulphus ſimulata ſeruãda pacis fide, Pipinũ ſemel eludit.

cupidè accepit Aiſtulphus, ſed magnis adulationibus bonitati pontificis gratias egit. Inſuper plura & meliora quàm poſtularentur, ſponte ſua ad promerẽdam ſancti viri gratiam eſt pollicitus. Secũdum quæ conſtituta, multis adſtipulationibus & ſacra religione, à Longobardo regeſuiſq; optimatib. firmata, Pipinus, relicto apud pontificem Varnerio, ſpectatæ inter Francos proceres virtutis viro, abbateq; celebris nominis patre, qui pacta ex fœdere impleri curarent, in Franciã reduxit exercitum. Pontifex quum paruam reddendis ſe præſente ciuitatibus, reformandi agri moram poſtulaſſet, Aiſtulphus iuſta poſtulare dicebat: interim cum Varnerio Romam eſt profectus. Dumq; Pipinus Franciam, pontifex Romam petijt, Aiſtulphus rex contractis tumultuariè copijs Rauennam venit, & exercitu magnis conatibus parato in Romam duxit. Quam obſidione cinctam tribus preſſit menſibus, & omnia quę pomerijs excludũtur, abſq; aliquo diuini aut humani iuris reſpectu, crudeliſſimè vaſtauit: vt plura tum immanis tyrannus Romæ ſuburbanis & agro intulerit detrimenta, quàm illi ab inclinatione imperij hoſtiles exercitus. Perfugerat autèm pontifex cum Romanis ad notum Pipini præſidium, Varnerio addens ex Romanis duos: qui prono delapſi Tyberi, in Maſſiliam nauigantes, magnis itineribus ad regem cõtendunt. Qui iamdudum audita Longobardi perfidia, exercitum renouat: & priuſquam aduentarent nuncij, iam ire in Italiam inſtituit.

CAP. 40.

Pipinus exarchatum non Imperatori, cuius fuerat, ſed papæ ad curante donat.

IMPERATOR autem Orientis quum audiret Francos ſubſidio veniſſe, mittit ad pontificem, qui diſſuadeat Gallorum inuocationem. Põtifex, quæ fecerit, temporum neceſſitati inſcribit, iam eſſe ſuos apud regem: non cõuenire, vt quod ſummis precibus poſtularit, nunc recuſaret. Imperatoris orator ad regem Francię contendit: ſed pontifex illi duos adiungit, qui regem propoſito itinere confirment. Verũ profecti in Franciam perueniunt: ſed iam regem trãſmiſſis Alpibus, audiunt in Italia eſſe. Græcus orator noctu, deluſis ijs, quos illi pontifex adiunxit, properat ire ad regem. Quem in agro Papienſi inuentum cum exercitu, magnis ab Imperatore ſuo muneribus donat: oratq; vt receptum de Longobardorum manu exarchatum Rauennatem, cum attinentijs, nemini quàm Imperatori deberi intelligat: itaq; illi, non pontifici recuperandum. Reſpondit rex, quæ ſuperiori expeditione, & nunc iteraro impendio fecit, non in cuiuſquam gratiam, ſed animę ſuæ ſalutem feciſſe remiſſionemq; peccaminum: ideoq; quod armis, ſudoribus, ſanguineq; à Lõgobardis recuperauerit, id ſe ſanctorum apoſtolorum principi Petro donaturum. Fruſtratus Græcus redit. Rex Pipinus obſidione premit Longobardum, & ex prioris deditionis formula ſpondet omnia, quæ prius conuenerant. Sed iam cautius conſulturus rebus, non antè laxat obſidionem, quàm ſint omnia reddita. Mittit Longobardus ex ſuis, & rex Franciæ abbatem Fulcadum, cui validam manum attribuit: per quem omnia, cum Rauenna totoq; exarchatu, Romani pontificis nomine memorata, abbati ſunt cõſignata. Ea aũt apud Blondũ ſpeciatim legat qui volet cõmemorata. Quæ omnia ſunt à Francorum rege dono data eccleſiæ Romanæ, quæ iure victoriæ ad eundem regem peruenerunt. Et quærimus adhuc, vnde opes

Nempe nõ à Cõſtantino.

prodierint, quas nunc tenet pontifex? Dum ergo tam multa ex fœdere redderentur eccleſiæ Romanæ, annixus fuit Aiſtulphus priſtinis perfidiæ ſuæ artibus vti. Nã Pipinum, qui ſe interea ad radices Alpium continebat, trans Alpes properaturum ſperans, Fauentiam de Pentapoli, & Ferrariam reddere differebat: quum diuino correptus iudicio, apoplexia in venatione interijt. Quod quum intellexiſſet Pipinus, Alpes eſt tranſgreſſus.

CAP. 41.

Deſiderius XXXI. papæ gratiam aucupatur.

DESIDERIVS dux Longobardus, Hetruriæ præfectus, Aiſtulphi morte celere per Italiam fama diſſeminata, copiarum quibus prçerat, robori innixus, regnũ per arma inuaſit. Id autem adeò moleſtè tulit Rachiſius, quem Aiſtulphi fuiſſe germanum oſtẽdimus, vt interrupto monaſticæ vitę propoſito, arma indueret in Deſiderium: omneſq; Italiæ Longobardi, exceptis Hetruſcis, Rachiſium ſequebãtur. Qui in magnum coacti exercitum, Hetruſcos fines inuadere ſtatuerunt. Tũ Deſiderius ſibi timens, pontificis fauores multis precibus implorauit, fore pollicitus, vt ſi pontifex Romaniq; opem afferrent, ipſe regnum adeptus, ea redderet, quę ex fœdere erant reliqua: & nõ ſolùm pacem cum Aiſtulpho initam ſeruaret, ſed pontifici

&

& Romanis perpetuò obſequeretur. Eam quum audiſſet legationem pōtifex, Fulcadi abbatis vſus cōſilio, ſtatuit Deſiderium exaudire: miſitq́; cum illo in Tuſciam Paulum fratrem, qui cum duce fœdera conſtitueret: eorumq́; formula, ex pontificis ſententia, breui eſt concepta. Et Deſiderius, ſuiq́; proceres atq; commilitones, maximis in ſua, dirisq́; in filiorum capita, ſi fidem ſallerent, conceptis execrationibus, ſeſe iuriſiurandi religione obſtrinxerunt. Fœderum formula in vrbem delata, miſit pontifex Stephanum presbyterum ad Rachiſium Longobardosq́; eius ſecutos arma, admonens ne Deſiderio, quem appellaſſet regem, aduerſarentur. Fulcadusq́; cum ſua cohorte ſecutus, oſtendit fore, vt ſi Deſiderio vltrà moleſti eſſe pergerent, cum Romanis Francisq́;, magis quàm cum Deſiderio bellum gerant. Quibus territi tantisq́; comminationibus Longobardi, Deſiderio conſenſerunt: qui fidem ex fœdere pontifici ſeruaturus, Fauentiam cum ſuo caſtello Tyberiaco (quod nunc eſt Baguacauallum) dedit. Quo in tempore, aut paulò prius, occupata ab Aiſtulpho Longobardorum rege Rauenna, finem habuit magiſtratus exarchorum à Conſtantinopoli in Italiam miſſorum, anno quinto & LXX. ſupra centeſimum. Interea Deſiderius, quum vacuata ſede apoſtolica, ſtuderet ſuę partis Conſtantinum quendā per amicos ſublimari, fraudatus expectatione ſua, alias inibat vias, Romanorum & pontificis vires creſcentes minuere. Erat Romæ Paulus Gręcus, Imperatoris cubicularius ab illo miſſus, vt quam poſſet, pro Imperatore in prima vrbe autoritatem ſeruaret. Qui etſi ducatum Romanum non adminiſtraret, tamen fretus quorundam ciuium fauoribus, qui nouis rebus (vt fit) ſtuderent, pleraque ex autoritate Imperatoris implebat. Volens igitur Deſiderius longinquum potius Imperatorem, quàm vicinum cū Romanis pontificem rebus præeſſe, voti cauſa Romam acceſſit: & multa cum pōtifice de religione locutus, illam præferebat ſpeciem, qua perpetuam fore pacem inter eccleſiam & gentem ſuam poſſet ſperare. Sed quum dimiſſo pontifice Paulum Græcum cōueniret, publicè illum corripuit, quòd nihil autoritatis pro Imperatore, inter contendentes de ſummo pontificatu interpoſuiſſet. Animauitq́; hominem, vt Chriſtophorum primicerium, qui eccleſiæ Romanę & Francorum amicitiæ apprime ſtuderet, euocaret cum filio, oculosq́; vtriq; iuberet effodi. Multos ex Romanis proſcripſit, alios etiam incarcerauit.

Qui à papa appellatur, is rex eſto.

Exarchatus in Italia quamdiu ſtetit.

Imperatoris apud Romanos autoritas labaſcit.

Cap. 42.

Per quæ tempora Stephanus pontifex rebus humanis eximitur. Suffecerūtq́; primum Adrianum ex gente Romanum, virum magni animi, & tanta ſede dignū: qui ad hoc natus videbatur, vt labentem Italiam, & ſub Longobardorum regno laborantem, & in primis vrbem Romam cum ſua ſede, erigenti Carolo Francorum regi aſſiſteret iungereturq́;. Ad cuius viri aſſumptionem, Deſiderius quid ageretur intelligens, (nam pontifex vinctos à Græco ſtatim relaxauit, proſcriptosq́; reuocauit in patriam) miſit ad pontificem, pacis fœdera cū illo cupiens renouare. Reſpondit pontifex, ſe cum omnibus, & præipuè cum gente Longobarda pacis cupidiſſimum: non poſſe Deſiderij pactionibus fidere, qui toties violaſſet Stephano pontifici promiſſa atque iurata fœderum capita. Quum iſta per oratores agerentur, aperuit ſe Deſiderio quædā blandientis facies fortunæ: quę tamen illi gentiq́; ſuæ verſa eſt in exterminium. Nam Hildegarda, Carolomāni regis Francorum nuper defuncti vxor, cum filijs, quum gloriæ inuideret vxoris Caroli, multaq́; intētaret per Carolum nō permiſſa: vt illi ſuſcitaret incendiū, conſilio cuiuſdam profugit in Italiam ad Deſiderium Longobardorum regem cum filijs. Sperauit Longobardorum rex, effecturum ſe vt pōtifex ex his Carolomāni filijs regem crearet, immitteretq́; aduerſus Carolum: quò bellis ciuilibus laceratum regnum, minus in Italia mitteretur: & perinde ſibi Italiam paruo negocio ſubijcere confidebat. Sed quum ea ſpe quoque inungendi ex filijs regis deſtitueretur, alia via aggreditur: futurum ratus, vt quum motus bellorum fierent, pōtifex animos ſubmitteret. Ea de re certior factus eſt pontifex per literas quorundā eius gentis ducum, ſiue flectendi pontificis gratia, ſiue commiſerationis in eccleſiam. Interea rex in Rauennate ditione bella concitat, prædas agit, vrbes in deditionem accipit, ipſi Rauennæ facturus obſidionem. Ea iam vrbs pro Rom. pontifice, ab epiſcopo & tribunis trib. regebatur: qui pontificem adierunt, oſtendentes qui motus pararentur. Mittit regi oratores

Adrianus pontifex ſibi à Deſiderio cauet.

Deſiderij et pontificis mutua legationes.

pontifex, obteſtantes vt fœdera ſancita ſeruentur, ablata reſtituerentur. Reſpondit rex, oportere pontificem proficiſci, ad ſecum ineunda colloquia de rerum ſummà. Interim totis niſibus incendio, rapina & incurſionibus regio fœdatur. Non deſtitit pontifex literis & oratoribus muneribusq́; regem placare. Nouiſſimè miſit abbatē Sabinenſem cum monachis viginti: qui multa de iuſtitia diuina, S. Petri religione locuti, nihil profecerunt: rege ad omnia obtendente, niſi pontifex ad tractandum de rerum ſumma egrederetur, nihil poſſe fieri. Tum illi ex præſcripto pontificis, ſi redderentur ad formam pactorum ablata, venturum pontificem quocunq; vocaretur. Miſit rex & ipſe viciſſim ad pontificem oratores, vt ad ſe egrederetur pontifex. Quibus id ipſum reſponſum eſt, ſi in eum ſtatū res redirent, quo initio ſui pontificatus fuiſſent, nihil recuſaturū. Et omnino vt flecteret regem ceruicoſum, alios etiam honoratiores denuo miſit oratores, qui pacta fœdera depoſcerent impleri. Qui nihilo magis prioribus proficientes, etiam audierunt, niſi aliter ſibi rebusq́; eccleſiæ pontifex conſuleret, venturum ſe Romam obſidere.

CAP. 43.

Deſiderij aſtus aduerſus accerſitum è Francia auxiliū.

EIVS rei nuncio territus pontifex, obſidioni tolerandæ neceſſaria præparauit, muros ac mœnia roborauit: miſitq́; in Franciam ad regem Carolum, vt paternū ſecutus exemplum, laboranti à Longobardorum vi & iniurijs Italiæ, vrbi Romæ, & ſedi apoſtolicæ imploratus adeſſet. Quod quum Longobardus intelligeret, vt aſtu pontificis machinationem ſubuerteret, egreſſus Papia cum filio & proceribus, ducta ſecum Carolomanni relicta cum filijs, magnoq́; militū apparatu, cōtendit Spoletum: & inde mittens Andream referendarium cum tribus alijs, fecit pontificem certiorem, venire regem cum Francis, pacificè colloquiū quærentem de omni rerum cōtrouerſia. Pontifex intelligens quid moliretur, vt vni ex adoleſcentibus data corona, Carolum à ſe auerteret imploratum, vrbi muniēdæ inſtitit, & copiis militum ac commeatuum neceſſariis impleuit, ab iis qui Rauennæ, Hetruriç, aliisq́; locis inerant. Tum baſilicas apoſtolorum, omnibus ornamētis in vrbem deportatis, claudi iuſſit: vt ſi omnino limina apoſtolorum viſitare decreuiſſet, non niſi foribus effractis, in animæ ſuæ periculum eſſet violentus. Tres deinde miſit epiſcopos, qui regi Franciſq́; obuiam facti ad Interramniam, ne terrā Romani ducatus ingrederentur, ſub dira anathematis execratione monuerunt. Adeoq́; apud ferocem Longobardum valuit anathematis denunciatio, vt tacitus confuſusq́; Papiam ſit reuerſus. Per quod tempus Gregorius epiſcopus, Fulcadus abbas, & Albuinus cubicularius, Romā à Carolo miſſi ad pontificem ſciſcitati ſunt, ſi Deſiderius omnia ex fœdere, quod regi patri ſuo ſpopōdiſſet, iam reſtituiſſet. Quumq́; pontifex in re notoria nullo opus reſponſo putaret, vidiſſe, inquit, illos venientes, quæ ſit rerum facies. Ilico profecti ſunt ad regem: quibus pontifex duos adiunxit. Veniētes (vt miſſi ſunt) orauere, vt pacta conuenta ſeruarentur, inuaſa reſtituerentur, vt pace & tranquillitate fruerentur omnes. Tulerunt autem ab illo reſponſa maiori quàm vnquā antea obſtinatione temerata. Quæ quum relata eſſent pontifici, remiſit ad Franciam quç vidiſſent audiſſentq́; relaturos, oraturosq́;, ne ſuppetias diutius moraretur. Carolus auditis quæ geſta eſſent, eoſdem oratores remiſit ad Deſideriū, oblaturos ſuo nomine XIIII. millia aureorum, ſi Romano pont. adempta redderentur. Et quum pecuniæ preces additæ, pectus Longobardi mollire non potuiſſent, iter ad Italiam Carolus eſt ingreſſus. Quumq́; multas præmiſiſſet cohortes, quæ Alpium montis Iouis clauſtra occupaſſent, ipſe robur ducens totius Francorū militiæ, mōtem Ciniſium conſcendere cœpit. Occupauerat autem montis Iouis ſaltus clauſtraq́; Deſiderius, & Longobardis, quos Spoleto, Beneuento, Foro Iulio, Hetruriaq́; acciuerat, in Taurinenſibus & apud Auguſtā prætoriam obiectis, omnes Alpium aditus, per quos Francis erat eundum, ſtationibus & additis repagulorum munitionibus, confirmabat. Ea quum eſſent Carolo, Ciniſij montis verticem tenenti, renunciata, tentauit iterum per legatos Deſiderium, ſi vellet auro accepto, oblatis vltima legatione pacis conditionibus conſentire. Ipſoq́;, qui magnam ſui de ſe fiduciā præferret, rem verbis ducente, iuſſit Carolus cohortes ſumma Alpium ſuperare. Quamprimum verò diſcurrentes vndique nuncij Deſiderio attulerunt, Francos occupatis ſaltibus clauſtra oppugnare, alpeſq́; vbique locorum, etiam ſemper aliàs inuiorum,

Carolus cū exercitu in Italiam venit.

Deſiderius metu ac fuga Papiam ſe recipit.

rum,perrumpere:ilico territus cõſternatusque receſſit: & pugnandi iuſta acie ſpe abiecta,coactum magna oſtentatione dimiſit exercitum.

Cap.44.

Papiam communire,in eaque obſidione diuturna Caroli vires frangere, Deſiderius conſtituit:filium,& relictam Carolomanni,cum filijs ſuis miſit Veronam. Duces quos ſuis finibus euocauerat, Spoletanus, Beneuentanus, Forojulienſis,& Hetrurię præfectus,in ſua quiſq; copias reduxerunt. Fugientes Carolus inſequi iuſſit. Et vbi nemo ſe pugnæ oppoſuit, ne per campos vagaretur, firmandæ obſidioni inſtitit. Vocatáq; ex Galijs vxore cum filijs in caſtra, Romam ire diſponens,ad cõtinuandam obſidionem omnia diligenter inſtituit. Spoletani autem, & ei ditioni ſubiectę vrbes,primi,poſtquam ſuos ab rege euocatos redire viderant,remq; Longobardorum inclinari,publica fide interpoſita Romam ibant, ſe ſuaq; omnia beato Petro deuouentes. Omnes in vnum ex ſingulis coactos,pontifex forma præiuit, qua ſubiectionem & fidelitatis iuramẽtum ſancto Petro,& Romanę eccleſię obedientiam præſtiterunt,raſis primùm capitibus (quod genti vſitatum erat) barbam nutrire:à quo nomen habuiſſe multis ſolent videri. Ea verò moderatione in tanta rerum proſperitate vſus eſt pontifex, vt Hildebrandum,gente Longobardum (cuius antea fidem conſpectam habuiſſet) approbantibus ſuis congentilibus, ducem creauerit Spoletanum: quæ res futura fuit firmamento Eccleſiæ ſtatui. Quumque multi ex gente deuotionis gratia ſe Romam conferrent, permiſit Pontifex vt intra ſpacium a beato Petro ad vrbem(hoc eſt in Vaticano) ædes inſtruerentur:qui vicus diu dictus eſt Lõgobardorum:quum deinde Saxones acceſſiſſent,pariter & Saxonum eſt appellatus. Sed hæc nomina interierunt,quum Innocentius III. S. Spiritus hoſpitale erexiſſet: hodie tamẽ in Saxonia locus illi inſcribitur. Horum exemplum ſecuti alij populi,ſimilem eccleſiæ deditonem fecerũt. Vnde liquidò comperitur, hanc gentem nõ ſibi, ſed S. Petro & Rom. eccleſiæ militaſſe: nam quod illa ſuo ſanguine terrarum ſibi quęſiuit, eccleſię reliquit. Quod idem in Gothis multa pridem largientibus,inq; Normannis,ſuam ditionem,quam ſanguine pepererunt, eccleſię ſubdentibus, liquidò conſpicimus. Qua in re Dominum, ab alto cuncta diſpenſantem (cuius eſt terra & plenitudo eius) rerũ vt conditorem, ita & arbitrum & tranſlatorem, eccleſiæ ſuæ conſuluiſſe meritò conſpicimus: quando in harum gentium tranſitione,& præſentium punita peccata,& ſecutorum iacta ſunt fundamenta bonorum: vt Eccleſia (quam in terris fundauit conditor orbis) alioquin in contemptũ ventura perditis, habeat vnde ſuum vindicet contemptum.

S. Petro multa deditione facta accadũt.

Loca ſancta adeũdi mos.

Eccleſiã opibus demum terrenis amplificari cur oportuerit.

Cap.45.

Sed ad Carolum reuertamur. Is ergo rex, quum in caſtra veniſſet vxor cum filijs, Bernardo patrueli ſuo ad obſidionem Papiæ relicto, cum parte exercitus contendit ad Veronam occupandam, apparabatq; illam obſidere. Sed quũ Adalgiſius, Deſiderij filius, comperiſſet, Bertam Carolomanni vxorem, cum filijs, & ijs quos illa habuit proceribus, propenſos eſſe in deditionem, nõ ratus expectandum, ad Imperatorem profugit Conſtantinopolitanum. Quo abeunte, nulla deditioni interpoſita eſt mora. Sextus iam agebatur obſeſſæ Papiæ menſis, quum ſanctus Dominicæ reſurrectionis dies ꝓpinquaret. Carolus Veronæ deditione perfecta, firmatiſq; rebus ad Papiam aſſumpſit epiſcopos, & religioſos quoſq;, & ex nobilitate præſtantiores: & per Hetruriã pacatum iter habuit in vrbem. Quam regionem tunc fuiſſe pacatam,& Rom. pontifici ſubiectam, inde eſt coniectari, quòd nullas armatorũ copias ſecum duxerit per viam rex Carolus. Venienti regi obuiam miſit pontifex clerum cum Romanis: quos ad numerum XXX. millium affirmãt, omnes appellatos Iudices. In quo verbo ea vis tum erat, vt omnes qui fabrilibus non deſeruirent officijs & artibus, ſed qui ad cauſam Iudices aſſumi poterãt, hoc tum vocabulo cẽſebantur. Deductus ea pompa per viam Claudiã Carolus (quę eſt Flaminia) ad Vaticanum expectantis pontificis, ad ſumma ſcalæ, quæ eſt ad baſilicam Petri, non ſolùm veſtigia, ſed ſingulis ſcalarum gradibus ob deuotionẽ oſcula figens, inde pontificis pedib. aduolutus, ſalutauit. Poſtea itum eſt ad ſacroſanctum baſilicę altare: vbi mutuò ſe Romani Francíq; ſeruandæ in perpetuũ amicitiæ ſacramento obſtrinxerunt. Secundum quæ amicitiæ fœdera, apoſtolorum principis & eius ſucceſſoris Adriani icta interuentu, ingreſſus eſt Carolus vrbẽ Romã: & Lateranẽſem primò

Carolus quãta venératione Romam ingreſſus.

Error eſt, de quo vide Sigon. 87. 15.

deinde alias ædes ſacras, ex ritu Chriſtiano reuerendiſſimè inuiſit. Quarto deinde die, quum vrbem Franci ſatis luſtraſſe viderentur, Adrianus pontifex Carolum regem ex cõpoſito eſt allocutus, poſtulauitq́ue, vt q̃ donationem genitor Pipinus, ipſe quoque, & Carolomãnus frater, Gregorio III. Rom. pontifici fecerant, confirmaret. Quod & non grauatè fecit. Solenni enim literarum documento confirmationem factam obtulit ſancto Petro ſuper altare. Fuit Romæ tunc Carolus ad dies octo. Inde reuerſus in caſtra, deditionem non diu pòſt Papiæ accepit, Francóſq; illi vrbi præfecit & Mediolano: regem autem relegauit Leodium, vbi vitam finiuit. Ergo rebus compoſitis hoc modo, quòd Franci Papię impoſiti & Mediolano, Lõgobardos eius prouinciæ vſq; ad Alpes & Apenninum in fide & pace continerẽt: Fori Iulij autem & Beneuenti duces ſuæ gentis, quos haberent, Longobardis reliquit: quum Hetruriæ & Spoleti vrbes ſe pontifici permiſiſſent: Carolus cum omni exercitu ſuo, & Carolomanni quondam vxore ac filiis redit in Franciã, regnum demolitus in Italia Longobardorum. Sed gentis ſtirpem iam per omnem Itliam altas agentem radices, nec voluit, nec potuit exſcindere: quippe (vt diximus) in Foro Iulio, Beneuento & Spoleto duces gentis reliquit, qui poſteriori tempore magno fuerunt eccleſię Romanę præſidio. Quod in Leone III. apparuit: quem à Romanis proteruientibus malè mulctatum, ille deduxit Spoletũ, qua in vrbe præfuit: & deinde miſit ad Carolum in Alemanniam. Filius autem Deſiderij quum profugiſſet ad Imperatorem, aliquanto adiutus ab illo præſidio, rediit in Italiam: ſed nihil profecit. Motus enim conciſcere cupiens, in ipſo rerum initio oppreſſus eſt. Sed ſtirps ipſa, & nobilitas, nomenq́; inditum regioni, in æternum perſeuerat in prouincia Italię prima: vt Longobardia vſque hodie ab annis penè ſit dicta ſeptingẽtis, longiusq́; dicetur.

Papia dedita, regnum Lõgobardorũ, non gens deſiit.

Saxonia lib. 2. cap. 18.

ALBERTI KRANTZII

DANIÆ LIB. IIII.

CAP. I.

Quãdiu regnarint Lõgobardi.

SCRIBENTIBVS ac renouantibus atq; æternæ memoriæ conſecrantibus nobis res præclarè geſtas à Danorum regibus, opportunè incidit hoc loco commemoraſſe Longobardorum in Italia gloriam: quam annis quatuor & ducentis fortiter tutati ſunt, donec aliquid paternæ originis in viris remanſit. Sed vbi iam illos emolliuit clementia cœli, ceſſere Magno Carolo. Quum interea per illos annos in Dania à ſuis regibus peracta, penitus obſcurata, non tenentur. Nam ab egreſſu Scaniorum (hoc eſt Longobadorũ) a Scania patria ſua, vſq; in tempus debellationis in Italia, numerantur anni ſupra CCC. quo tempore trium tantùm regum in Dania celebratur memoria, vſque ad Gotricum: qui Carolo Magno, aduerſus quẽ (vt dicemus) produxit exercitum, fuit contemporaneus. Quis verò arbitrabitur ſingulos illos per ſingula regnaſſe ſecula, quãdo mortalis vitæ incertus terminus, paucos ad hos vitę annos ſinit peruenire? Ergo iacturam rerũ in Dania commemorandarum, conſolemur ea narratione, q̃ per id tempus eiuſdẽ gentis propago primùm in Rugia, deinde ad ripas Danubij, poſtea in Pãnoniis, nouiſſime in Italia, cum ſumma gentis ſuæ gratulatione peregit. Sed iam tẽpus admonuit, vt vnde digreſſi ſumus reuertamur, in Daniam, regum eius geſta exequentes.

CAP. 2.

GOTRICVS patri Gormoni ſurrogatur in regnum. Hic tam armis conſpicuus, quàm liberalitate pręcipuus erat. Regia virtus eſt multos beneficiis cumulare. Hac ille tam profuſè fertur inſtitiſſe, vt penè prodigus haberetur. Sed qui omnium capitibus imminet, æquius beneficentia quàm terrore ſuis deuincitur. Peſſimus enim (vt veteri prouerbio fertur) diuturnitatis cuſtos eſt metus. Tanta autem in Saxones victor vſus fertur dominatione, vt legem victis diceret, quoties nouus rex in Daniã ſumeretur, tributi nomine pẽderent regi centum equos niueos: idem facturi, quoties apud ipſos dux nouus aſſumeretur. Nec Germaniæ contentus ſubiectione, in Sueones quoq; miſit Reuotiem, vnum ex primariis ducibus, vt aut bellum pararẽt,

Tributũ Saxonibus impoſitum.

aut

aut tributa perſoluerent. Hunc Sueones aperta vi aggredi non auſi, per inſidias necauerunt. Nam dormitātis capiti ſaxum supernè deuolutum incumbere procurauerunt. In cuius noxæ piationem actum eſt, vt ſinguli facinoris autores bis ſena auri talenta, è plebe verò quilibet vnam eiuſdem generis vnciam Gotrico perſoluerent. Vulpeculæ penſionem vocabant, quòd Reuo occiſus vulpeculæ cognomen habuiſſet. Hoc autem vnde ſit inditum, in Noruagia cōmemorauimus. Interea rex Francorum Carolus, contuſam bello Saxoniam, non ſolùm Chriſtianitatis ſacra ſuſcipere, ſed etiam ditioni ſuæ parere compellebat. (Hunc ego arbitror Carolum non regem, ſed eius auum Carolum Martellum extitiſſe, qui & ipſe Saxonibus colluctatus eſt. Hoc enim ratio temporum ſuadet vt credam. Nam Magnus Carolus Regneri tempora contigit, qui erat huius regis ex filia nepos.) Quo comperto, Gotricus finitimas Albiæ gentes adortus, Saxoniam ſuſceptū Caroli iugum cupidius amplexantem, ac Gallica arma Danicis præferentem, ad priſtinum regni ſui titulū reuocare tētabat. Quo tempore Carolus victricia trans Rhenum caſtra receperat, ideoq; ab aduenæ hoſtis cōgreſſu, perinde ac fluuij interſtitio vetitus, temperabat. Quem quum ob res Gotrici comprimendas, iteratò tranſmeare proponeret, a Leone Rom. pontifice in vrbis tuendæ præſidium accerſitus, mandato paruit, filioq; gerendi belli aduerſus Gotricum partes commiſit: vt dum ipſe in longinquum hoſtem ageret, hic contra vicinum ſuſceptum pugnæ negocium procuraret. Oportebat enim, vt gemina curarum anxietate conſtrictus, ſparſa manu aptum vtriq; remedium prouideret. Interea Gotricus ſpecioſam ex Saxonibus victoriā referens, contractis denuo viribus, non in Saxones modò, verùm in omnem Germaniæ populum, amiſſæ dominationis iniuriam vlciſci conſtituit. Ac prima quidem claſſe Friſiam domat: quæ prouincia admodū ſitu humilis, quoties ſæuiente Oceano obiecta fluctibus æſtuaria perrumpuntur, totam inundationis molem patentib. campis excipere conſueuit. Huic Gotricus non tam arctam quàm inuſitatam penſionē impoſuit. De cuius conditionis modo ſummatim dicendū. Primùm ducentorum XL. pedum longitudinis ædificium inſtruitur, bis ſenis diſtinctum ſpacijs, quorum quodlibet vicenorum pedum intercapedine tenderetur, prædictæ quātitatis ſummam totalis ſpacij impendio reddente. In huius itaq; ædis capite, regio conſidente quæſtore, ſub extremam eius partem, rotūdus è regione clypeus exhibebatur. Friſionibus ergo tributum daturis, mos erat ſingulos nummos in huius ſcuti cauum conijcere, è quib. duntaxat in cenſum regium ratio cōputantis colligeret, qui eminus exactoris aures clarioris ſoni crepitaculo perſtrinxiſſent. Quo euenit, vt id ſolùm æs queſtor in fiſcum ſupputando colligeret, cuius caſum remotiore auris iudicio perſenſiſſet: cuius verò obſcurior ſonus citra computantis defeciſſet auditū, recipiebatur quidem in fiſcum, ſed nullum ſummæ præſtabat augmentum. Cōpluribus ergo nummorum iactibus quæſtorias aures nulla ſenſibili ſonoritate pulſantibus, accidit vt ſtatā pro ſe ſtipem erogaturi, multam interdū æris partem inani penſione conſumerent, barbara vtiq; inſolentia. Cuius tributi onere poſtea per Carolū liberati produntur. Quumq; Gotricus tranſcurſa Friſia, ac reuerſo iam Roma Carolo, in vlteriores ſe Germaniæ prouincias effundere ſtatuiſſet, proprij ſatellitis inſidijs circūuentus, ferro domeſticę fraudis interijt. Quo audito Carolus nō mediocri fertur exultaſſe lætitia, quòd graui bello exemptus iam liberq; videretur. Multū tamen diſcrepat cōmemoratio rerum ab hoc Saxone & à Gallis, qui motū Caroli in Gotricum vtriq; cōmemorant. Nam Saxo tradit agmina illorū concurriſſe prælio, ſed victrices aquilas tum regi terga mōſtraſſe. Galli verò Carolum faciunt tantùm ad vicina Viſurgi fluminis caſtra metantem, expectaſſe venturum (vt nunciabatur) à mari regem: ſed tum vel à ſatellite, aut (vt alij præferunt) à filio transfoſſum.

Saxones à Carolo vexati.

Friſijs domitis quale tributū Danus impoſuerit.

Gotricus à quodam ſuo interemtus.

OLAVUS Gotrici filius, patre mortuo regnat. Hic paternæ vindictæ ſtudio, quòd ſubornatum militem à proceribus reputaret ad ſubuertēdum parentem, ciuilibus implicare patriam bellis ſuſtinuit, publicam pietatem priuato affectui ſubijciendo. Sed neq; belli decurſus neq; exitus in annales eſt relatus, nec quid præterea geſſerit, quantúm ve tēporis regnauerit, annotatū eſt. Hoc ſolùm ad poſteros tranſmiſſum, quòd quomodocūq; mortui corpus, collis Olaui titulo celebris, prope Le- CAP. 3.

thram regiam vrbem congeſtus excepit. Non tamen fuiſſe diuturnum huius regis imperium vel inde conuincitur, quòd ſucceſſor eius pacem cum Ludouico Caroli filio feciſſet, iam Olauo rebus exempto. Hoc loco attende Lector (quod pleriſq; ſuperioribus & inferioribus, ſed & in multis aliorum teſtimonijs virorũ deprehendi poteſt) illuſtribus viris monumenta fuiſſe extructa tumulis ex aggeſto ceſpite in agris, illis præſertim locis quibus eſſet crebrior vel tranſitus vel conuentus: vt clarorum diu permaneret memoria virorũ. Hinc illi ad itinera publica tumuli frequentes, à memoria paganiſmi. Nam quo modo noſtri in ſacris locis ſibi extruunt monumenta, ita illi viri in publicis itineribus.

Illuſtrium virorũ monumenta.

CAP. 4. HEMMINGVS hunc regno excipit, filius an exterus, non memoratur. Tanta eſt illorum temporum obſcuritas, variante fortuna, vt quoniam res apud Saxones & Francos geſtæ inclareſcere cœperũt, illorum fulgore obſcuratas eſſe Danorum molitiones. Succedunt tamen tempora, quibus & præclara multa a Danis geſta, egregiè quoq; in faſtos ſunt relata. Sed huius regis nulla præclara memorantur facinora, niſi quòd pacem cum Cæſare Ludouico iuriſiurandi firmitate cõpoſuit. Nec dubium quin plura temporis eius inſignia quãquam magnifica exuiterint, vetuſtatis tamen liuore reguntur. Cœperant ex hoc die crebreſcere in mari Danorũ graſſationes, quos Gallici ſcriptores Normannos vocauere. Poterat ex vno triũ regnorum, aut duobus, vel fortè tribus collecta manus, per maria perq; littora digraſſari: ſed qui vim patiebantur, in commemoratione rerum non diſcreuere vnde nauigarint, quòd omnes ab Aquilone venientes, ſine diſcrimine Normannos vocitent. Sed has res quia in Noruagiam ſepoſuimus, hoc loco tranſimus.

Normanni mare infeſtũ habent.

CAP. 5. SIWARDVS cognomento Ringo, Gotrici ex filia nepos, filius Noruagię regis æquè Siwardi nomine, regnum procerum fauore, auitæ claritatis memoria promeretur, præſertim Scanijs ac Sialandenſibus annitentibus. Nam & Iutiæ proceres alium Ringonem, æquè ex filia nepotem, huius conſobrinum, regem ſuſceperunt. Ita ciuili diſſenſione regnum diuiditur. Quum igitur domeſticis intus malis regnũ laboraret, facilè cecidit in contemptũ vicinorum. Wandali igitur perpetui Danorũ hoſtes, laceſſere cœperunt prouinciales. Quos Siwardus maiore odio quam regni æmulum inſecutus, peregrina bella ciuilibus præferẽdo, quinquennio toto periculis patriæ defenſionem ſuam opponere perſeuerauit. Elegit enim vulnus tolerare domeſticũ, quò promptius mederetur externum. Quamobrem Ringo Iuiiæ potiundæ dominationis eius occaſione ſuſcepta, vniuerſum imperij ius in ſeipſum transferre conatus, foris excubias peragentem, intus lacerare non erubuit. Prouinc(i)as ſiquidem quæ à Siwardo poſſidebãtur, inuadens, communis patriæ defenſionem ingrata mente penſabat. Igitur ex Sialandicis quidã Siwardi ſtudioſiores, quò ſinceriorem abſenti fidem gererent, filium eius Regnerum, vix dum prima adoleſcentiæ rudimenta tãgentem, regis nomine cenſuerunt, non quòd ipſum regimini intempeſtiuum neſcirent, ſed vt tanti pignoris ductu, aduerſus Ringonem torpentium ſociorum animos excitarent. Audiens ergo Ringo Siwardum interim ab expeditione regredi, Sialandenſes magna manu petitos, niſi ſe dederẽt, ferro perituros edixit. At illi, quibus aut rubor aut periculum imperabatur, viribus ob paucitatem diffiſi, deliberandæ rei inducias popoſcerũt. Quibus impetratis, quum nec Siwardi gratiam colere liberum, nec Ringonis amplecti videretur honeſtum, diu inter metum pudoremq; ſolliciti iactabantur. Qua in re ne ſenibus quidem conſilio ſuppetente, Regnerus tunc fortè cõcioni præſens, Breuis, inquit, arcum ſubitò ſpiculum iacit. Ego etſi puerili auſu maiorũ conſilia præcurrere videar, ignoſcendum erratis, veniamq; immaturè editis precor. Quia vt deſertores & trãſfugas notari turpe, ita ſupra vires audere temerarium eſt. Simulata trãſitione petendus eſt hoſtis, idemq; quum primùm facultas obuenerit, deſertione linquendus. Huius etſi puerilis, conſilij ſalubritate effluctuantium ciuium cunctationem diſcuſſit, & hoſtilibus caſtris noxium robur adiecit. Concio quoq; adoleſcentiæ eius nõ facundiæ minus quàm ingenij mirans, egregiæ indolis decretũ habitu annorum excellentius, cupidè amplexata eſt: nec rubori fuit, defectis conſilio ſenibus, puerilib. obſequi monitis, quæ quanquam à tenero ore manaſſent, integerrimæ diſciplinæ pondere redũdabant.

Regnerus Sialandiæ rex ætate adoleſcens cõſilio ſenex.

Auto-

Autorē verò conſilij inſtanti periculo obijcere veriti, educationis gratia Noruagiã tranſtulerũt. Breui pòſt conferta pugna, Ringonē Siwardus aggreditur. Quo occiſo, ipſe immedicabili plaga perſtrictus, paucis interiectis dieb. ex vulnere deceſſit.

Vtriuſque exercitus duces cadunt.

CAP. 6.

REGNERVS ab annis iunior, ſed animo maturus, patri ſuccedit in regno. Primitiæ illi bellorum à pietate manarũt. Rex Sueciæ tum bella intulit Noruagiæ, oppreſſo Siwardo, huius Regneri auo paterno. Regis fœminas aut conſtuprauit, aut ludibrio habuit. Gemino igitur percitus dolore in hunc fertur Regnerus, & antè necis iniuria, & ſui ſanguinis in dominabus regijs contaminatione. Occurrũt cum agmine regi venienti fœminæ, virili animo arma præferētes, vindicem iniuriæ ſuæ per arma ſecuturæ. Nec verò nouũ eſt illi regioni armatas mittere fœminas: quod ſuperioribus aliquot locis ſignificauimus. Pugnatur in hoſtē acriter, donec opprimatur. Conſpicua fuit virtus puellæ, cui nomen Landgertha, quæ vt ſexum in virilibus facinoribus inter arma teſtaretur, comam paſſa eſt diffundi. Virtutem admiratus fœminæ rex, quærit conditionem: audit virginem nobili cretã ſanguine. Virtus incitauit Venerem. Sic enim in poeticis eſt figmentis, vt Mars Venerem expetiuerit. Mittit qui ſollicitet ad nuptias. Optabile votum fœminæ: ſed virgineus pudor tardius reſponſum imperabat. Potitus optato rex, geminas ex ea filias, & filium ſuſtulit Fridleuum. Interea Iutiæ proceres, abſentia regis incitati, veteris odij meminere in regis parentem: ac in partem euocatis Scanijs regi rebellant, qua in fide ſoli Sialandici permanerent. Moram enim regis extra prouinciam, contemptum ſui interpretantes, regem alium conſtituere ſunt anniſi. Sed rex Noruagiorum viribus ter centum naues expediuit: ac viciſſim hoſtibus ſepoſitis congreſſus, facilè ſuperabat diuiſos, & in regno permanſit, ad iura cohibitis qui deſciuerant. Interea rex nuptias peroſus impares, Sueciæ regis filiam forma pręſtantem ambiebat, ac monſtris perdomitis obtinuit.

Fœminæ armis ſtupri ignominiam vlciſcuntur.

Iutia recuperatur.

CAP. 7.

SED Iutij atq; Scanij, vbi rex externis intendebat rebus, ſua ipſi odia proſequuntur, regem ſibi facientes Haraldum, regij ſanguinis virum. Iam Regnerus ex Suetica vxore multos ſuſtulit filios: & in bella pronuēs, paterni regni Noruagiæ vires acciuit. Landgertha prior illi coniunx, iniuriæ immemor, cum altero marito naues centum ac viginti perarmat: mulier bellicarum artium ſcientiſſima, ſingularem in prælio regi operã nauauit. Nam vbi inclinatam ſuæ partis aciem vidit, in medium prouolans virago, hoſtem grauius imminentem perculit. Cuius exemplo incitati cæteri, ſimul etiam pudore ſtimulari, quòd muliebri ſuperarētur audacia, hoſtibus ſe opponunt. Pertinaciter pugnant, donec in fugam verterent aciem hoſtilem. Interea quum regina fato functa, regem ad ſummũ mœrorem perpuliſſet, dolorem auertere conſtituens, negocio belli ſe implicabat, præcipiens vt ignauiſſimũ quem quiſque domi aleret, in militiam regi conſcriberet. Quorum exercitationi rex inſiſtens, dum pudorem quiſq; ſtuderet abſtergere, promptiſſimum militum agmē ex ſuo conſtituit. Quo inſtructus claſſem parauit, externam aliquando militiam pertentaturus. Inuadit deniq; Britanniam, à multis patrum ſuorũ attētatam, & à multis poſſeſſam. Regem gentis Hamam cum exercitu occurrentem, cōgreſſu pugnæ occidit: prouinciam tributariam reliquit adnauigans. Scotiam inde aggreditur, ac reliquas in mari inſulas, quæ in eo tractu multæ ferũtur, occiſisq; illorum ducibus, Siwardo ac Rachbordo filijs contribuit gubernãdas. Noruagiam quoq; ſuo principe exutam, Fridleuo filio deputauit. Interea proceres Haraldum ſecuti, dum rex foris agit, ipſi intus tumultuantes, Haraldum ſuum reuocatum regem ſiſtunt. Ad quos cōſtringendos Regnerus cum inſularium Danorum claſſe profectus, rebellium agmen eliſit, Haraldumq; ſuperati exercitus ducē, fuga in Germaniam actũ, honorem improbè partũ, prudēter abijcere perpulit: captiuos quoq; ſimplici morte abijcere non contentus, tortos necare maluit, vt qui ad deſerendam impietatem ſuaſione abduci nō poterant, ne ſpiritum quidem niſi per ſummam pœnarum violentiam deponere ſinerentur. Fundos eorum qui cum Haraldo profugerant, militantibus ſibi diuiſit: ita in filios profugarũ vindicans quod peregerant crimen. Sed tum in Saxones volens vindicare, quòd hoſti eius perfugium eſſent: ibi tum repperiſſe Carolum, teſtatur Saxo. At quomodo potuit ab Regnero Carolus offendi in

Regnerus in rebelles.

Regnerus Britanniam ſubegit.

Regneri in rebelles ſeueritas.

Germaniæ: qui proauo eius Gotrico, anno ſalutis octingenteſimo decimo, (vt certa ratio ſupputat) acies opponendas cõparauit: & anno pôſt quarto conceſſit in fata Carolus, ſuccedente Ludouico tam in hæreditate paterna, quàm Romano Imperio. Poſt Gotricum in Dania aliquot annis regnauit filius Olauus, quo vita functo ſucceſſit Hemmingus, qui (vt fateris Saxo) cum Ludouico fœdera pepigit. Huic verò ſucceſſit Siwardus nepos ex filia, & huic puer Regnerus ſubrogatur, iam in eã perductus ætatem, vt filios genuerit, quibus (vt ipſe teſtaris) regna commendauit. E diuerſo autem Haraldus iſte profugiſſe etiam tuo teſtimonio fertur ad Ludouicum, & apud Moguntiam baptizatus. Id erat anno Chriſti octingenteſimo vigeſimo ſexto, quando iam Carolus ante annos duodecim exceſſit, & filius eius Carolus ante ipſum fato functus eſt. Nec eſt quòd Carolum Ludouici filium dicamus exercitui præfuiſſe, qui ea ætate vel necdum natus, vel in cunis erat. Quis eſt ergo iſte Carolus, cui vis conflictaſſe Regnerum? Ego non video, niſi quòd aut ſomnia dicas, aut de Imperatoris nomine erres. Quod ipſum nõ credo. Nam Ludouicum in Saxoniam poſt patrem arma retuliſſe, nulla commemorat hiſtoria, confiſum (vt tu fateris) fœderibus quæ pepigit cum Hemmingo. Nam quòd Haraldum iubebat inuehi, poſtea attingemus. Sed tum Regnerum in Saxonia victorem ait, impoſito Saxonibus tributo, in regna rediſſe.

CAP. 8. PROXIME autem Sueticum bellum auſpicatur, in quod filiorum fultus auxilio alacer proceſſit. Conſtiterant acies ex aduerſo. Tum rex Sueonũ, pugilem cum filijs ſeptem iubet ad aciem conſiſtere, vt faceret arbitrium regi Danorum, aut totis exercitibus aut paucorum manu in duello confligere. Magni animi rex Danus, verecundum ducens recuſare duellum, ipſe cum filijs tribus ſubijt pugnæ periculum, quartus ipſe aduerſus octo conflicturus. Sic enim comparatum eſt maiorum ſententia, vt pater cum filijs vnius perſonæ locum impleat. Qua in re Suecus pugil, prole fœcundior, pugnatorum numerum in regem geminauit. Sed tum is erat pugnæ exitus, vt ſuperatis octonis, rex ipſe cũ Biorne filio incolumis ſupereſſet, quem victor pro virtute donauit Sueciæ regno. Regnerus autem rex vt manu promptus, ita libidine mollis erat, amabatq́; primarij viri filiam: quem euocatum, magno ſeſſionis honore ſuſcepit. Miratus ille quid ſibi vellet indebitus honor, non ignarus tamen regiæ libidinis, cõijcere cœpit quod erat, filiæ ſe gratia honoratum. Igitur animo indolẽs paterno, filiam arctius incluſit. Vbi rex ea via non profecit, muliebrem ſumit veſtem, & inter ancillas lanificio inſiſtens, intromittitur ad minorem dominam. Illi ſe per occaſionem inſinuans, noctemq́; nactus, vterum eius impleuit. Poſt legitimos dies, vbi tumentem filiæ vterum deprehendit, indignabundus, vnde ſit incuria ille quærit. Filia non alium toro ſibi iurat ſociaſſe, præter pediſſequam quæ lanas tractauiſſet. Pater cũ mœrore rem regi defert, de flagitio (vt confidit) animaduerſuro. Ille in riſum ſolutus, ſuum eſſe quicquid naſceretur, reſpondit: ita puellam ab infamia pariter & periculo vendicauit. Natus eſt Vbbo filius, auido poſtmodum ingenio ad regnum aſpirans. Inde in Helleſpõticos bellum contuliſſe commemorat Saxo Regnerum, à Ruſſis arma mutuãtes: cui etiam Scythæ interfuiſſe memorantur. Magnum profectò bellum, quod aduerſus tam lõginquas nationes, & tam populoſas ſit actum. Sed Regnero tamen victoria proueniſſe dicitur. Huic autem prouinciæ Wiſerũ fertur præfeciſſe filium. Inde in Biarmos, gentem Sueciç vicinam, contulit arma, parum imperata facientes. Sed illi maleficijs quàm armis ſecurius pugnaturi, ita feruntur aëra commouiſſe, vt tempeſtatibus & imbribus vexari, inde magno æſtu excepti, per vires nihil proficerẽt. Difficili tamen nauigationi rex ad Sembos Curetesq́; peruenit: quibus populis, pro regia dignitate, proq́; magnitudine nominis regem ſuſcipientibus, paucos dies recreatus, nauigationem renouauit, peruenitq́; ad deſtinatam prouinciam. Sed dux gẽtis armis diffiſus, ad Phinnos confugit. Secutus Regnerus inermem populum, ſed curſu per niues, per glaciem, per faſtigia montiũ terribilem expertus, maiorẽ ibi laborem exhauſit, quàm apud armatiſſimos exercitus. Siquidẽ infinita velocitate per ſtipites allapſi, tela miſerũt, & incredibili celeritate conuerſi, extra ictum conſtiterunt. Ita rex victorioſus, qui multos ac magnos repuliſſet exercitus, tum inermibus dare terga compellitur.

Regnerus numero in duello inferior, Virtute ſuperior eſt.

Regnerus libidinoſus.

Phinni Regnerũ ſagittis fugant.

CAP. 9.

Vbbo regnũ abſente patre affectat.

PER id tempus Vbbo (quem Hesberni filiam, per Regnerum furto cognitã genuiſſe diximus) auita inſpiratione regnum Daniæ inuadit, dum patrem longè agere, interq́; multa pericula cognouit diuerſari, ſperans ſemel occupatum regnũ patre aut ſaluo aut interempto poſſe tueri. Hesbernus, adoleſcẽtis auus, proceres Gothiæ in ſocietatem belli ſollicitat. Illi ſe de regis ſui Biorni pendere voluntate affirmant, nec aliud quàm ille iuſſerit facturos. Mittit oratores ad Biornum. Ille, quòd in parentẽ ſollicitaretur, nefas iudicans, legatos malè mulctauit. Iwarus Iutiæ præſes, filius & ipſe Regneri, vt bello abeſſet, profectus eſt in longinqua. At Regnerus rex regreſſus, iam publicè bella parantem Hesbernum aggreditur, fuſumq́; exercitum eius ſuperat: ipſum captum exanimat, caputq́; in haſta ſublime defigit. Vbbo filius fuga ſibi conſulens, bella renouat: quo in prælio ſtupendam ipſe manu multorum cædem peregit. Ad extremum captus, vix vllis potuit vinculis coerceri, tantum erat roboris. Iwarus audito belli exitu reuerſus eſt, à parẽte collaudatus, quòd in neutra parte cõſtitiſſet. Interea Wicſertus Regneri filius, quem diximus Orienti à patre victore præfectum, ab eius prouinciæ rege Daxone magis circumuentus fertur quàm victus. Ad vrbem enim in qua commanebat, rhedis inuectas merces immiſit, ſed arma viriq́; incluſi erant. Quorum magna multitudine inuecta, Wicſertus nihil tale veritus capitur, & regi defertur. Ille adoleſcentis & formam & ætatem commiſeratus, dimidium regni cum vxore filia pollicetur, ſi illi militare velit. Ille generoſi ſpiritus indignatione, ne verbum quidem reddit pollicenti: indignum reſponſo, qui non viribus, ſed fraude vicit, iudicans. Quumq́; vitam in contemptu duceret, ſciſcitatur rex ex ipſo Wicſerto, quid ipſe victor ſibi victo foret impenſurus. Ignem, inquit ille. Tum refert Daxon: Eo conſumere, quod mihi impenderes. Itaq; rogo immiſſum conſumpſit. Hæc quum perlata eſſent Regnero, filij miſeratione vehementer primò indoluit: ad animum rediens, ſtatuit necem eius vindicare. Igitur cõparato exercitu traiecit in Ruſſiam, & hoſtes aggreſſus vicit, comprehenſumq́; Daxonem quum in poteſtate haberet, humanitatis reſpectu vindictam temperauit, cõtentus exilio. Qua moderatione ſeipſum vicit, quod eſt maius omni regno. Eundem quoq; in gratiam breui acceptum, tributa pendere coegit, hoc ordine, vt XII. hominum paria nudatis plantis penſitarent impoſita tributa.

Wicſertus captus, liberius locutus, concrematur.

CAP. 10.

NORVAGIAM deinde tumultuantem compeſcuit, Biornem Suecia tranſlatum illi præficiens regno: Ericum verò alium filium Sueciæ reddit regem. Quorũ ope fultus nauigauit in Scotiam, Orcadeſq́; populatus eſt. Sed in Scotia geminos filios, dum incautè pugnant, amiſit. Interea Iwarus Daniæ ab illo præfectus, regno pellitur à Gallis, regem ſuæ gentis inuehentibus Hellam quendam. Sed reuerſus Regnerus, pugna inſtituta (quæ tanto animorum ardore peracta eſt, vt in triduum extraheretur) tum Galli ceſſere. Ibi Regnerus extracto anno duxit in Hyberniam, metropolinque eius oppugnans Dufflinam, cepit opibus refertam, vnde militem ſuum locupletauit. Inde in Helleſponticos fertur nauigaſſe, & multis locis peregiſſe victoriam. Mirum qua audacia tantum itineris ingreſſus, vt omni Hiſpania, Italia Græciaq́; præternauigata,, ad confinia peruenerit Europæ atq; Aſiæ: qua etiam virtute penetrauerit, quum ætate illa Sarraceni mare tenerent infeſtum, Hiſpaniæ, Italiæ, Siciliæ, Græciæ etiam incurſantes. Interea Haraldus, regij ſanguinis vir, bis magno victus prælio, cõtendit ad Ludouicum Imperatorem tum Moguntiæ conuentum imperij habentem: armaq́; rogauit in Regnerum, vt regno reſtitueretur, pollicitus Imperio perpetuã ſubiectionem. Annus erat ſalutis Chriſtianæ DCCCXXVI.

De Helleſpontica expeditione fabula.

826.

quum Ludouicus conditionem illi faceret, ſi Chriſtianiſmum acciperet, futurum quod poſceret. Ille annuit, ibidem cum vxore, & quos ſecum habuit proceribus baptizatus: & rediens, ſanctum ſecum duxit Anſcharium, in regno prædicaturum: quod in Metropoli exequemur. Sed tum regno reſtitutus per arma Saxoniæ, ſacra inchoauit. Reuerſo autem Regnero quum bella renouarẽtur, iterum victus aufugit. Igitur cũ Haraldo cœpta etiam religio exulabat. Duplici ergo ſe malo rex victor inuoluit, & quòd ſalutiferam Chriſti religionẽ abigeret, & quòd ſuperſtitioſam erroris ſectam renouaret. Sed pœnas breui dedit. Nauigans enim incidit in manus Hellæ, quem ille Dania à Gallis inuectum exturbauit: & coniectus in

Haraldus baptizatur.

Regneri mors horribilis, & eius vltio.

carcerem atrociſſimis pœnis conſumptus eſt, adhibitis ſerpentibus, qui hominem affligerent immaniter. Morte eius cōperta, filij virilem vultum non mutarunt, vindicaturi magnificè. Comparata claſſe quadringentarum nauium Angliam inuadunt, & expoſitis in terram copijs, bello premunt regionem. Hella obuiam egreſſus capitur, exquiſitisq́; tormentis in vindictam paternæ necis occiditur. Quo patrato, Iwarus ex filijs eius vnus, Britanniam annis duobus gubernat.

CAP. II.

SIWARDVS, vnus ex Regneri (quos multos habebat) filijs, quum cæteri alijs præeſſent, aut fato functi è vita tranſiſſent, Daniæ regno potitur. Huius inter alia præcipua laus eſt, quòd paternæ necis vindicem egit acerrimum. Erat autem vir vt animo acer, ita viribus robuſtus. Cuius fortitudinem & acrimoniam vna ex re vel maximè poſſumus perpendere. Nam paternæ necis accepto nuncio, haſtile quod fortè manu tenebat, altius pedi ſtupefactus immerſit, mœroris magnitudine corporeā negligente moleſtiam. Vt enim animi vulnus patientius ferret, corporis partem grauius affecit. Quo facto ſimul fortitudinem mœroremq́; detexit, fortunam ſuam inter calamitoſum filium conſtantemq́; virū partitus. Nec minus animo vindictam perſecutus, cum fratre Biorno quadringentarum claſſe nauium Angliam inuaſit, bellum regi manifeſta denunciatione inuehens. Comprehenſi autem hoſtis dorſum plaga aquilam figurante affici iubet, memor quibus parens eius ab illo ſit cruciatibus excarnificatus, ſæuiſſimum hoſtem ferociſſimi alitis figura excruciare gaudens. Nec vulnera impreſſiſſe contentus, laceratam ſaliri iuſſit carnem, quò acrius torqueretur. Perempto autem hoſte, tum fratrem Iwarum regno præfecit, ipſe atq; Biornus in ſua quiſq; redire curant. Sed dum ille foris agit, Dani perſeuerantiſſima factione bellum cōplexi, quando Haraldum amiſere, Siwardo cuidā atq; Erico, regia gente creatis, publicam detulere adminiſtrationem. Quos Regneri filij memorati, mille ſeptingentarum nauium claſſe apud Sleſwicum adorti, ſemeſtri bello deleuere. Colles indicio manent, nec minus apud quem belligeratū eſt ſinus, Siwardi funere inclaruit. Exinde Biorno atq; Erici fratribus domū reuerſis, Iwarus atq; Siwarus itidem fratres, quò tenacius rebellibus fræna imponerent, Daniæ reſederunt, Agnerum alium germanum Angliæ præfecerunt. Qui Anglorum repulſis armis, opitulante Siwardo, cōtemptricem ſui prouinciam, incolis vacuefaciendo, tenacia ſitu iugera cultore carere quàm inſolētem alere maluit, pinguiſſimaq́; inſulæ rura teterrima vaſtitate perfundens, deſertæ quam ſuperbæ regioni malens imperare. Ericum autem fratrem, apud Sueciam regnantem, quum audiſſet fraude circumuentum oppetijſſe, vlciſci cupiens, dum alienæ vindictæ arctius incumbit, ſuum hoſti ſanguinem erogare compellitur. Nam dum cæſi fratris pœnas auidius expetit, proprium fraternæ charitati funus impendit.

Siwardus animi ægritudine ſeipſum vulnerat.

Mortis Hellæ ſpecies.

CAP. 12.

ERICVS Haraldi frater, Siwardo ſucceſſit in ſceptra. Paruulū quem ille filium reliquit, regno depulit, fretus eorum viribus, qui Regneri genus peroſi, Haraldo ſemper diuq́; inhæſerunt. Hic cum memorato Haraldo apud Moguntiam Chriſti ſacris initiatus, ab Imperatore Ludouico in Friſia locum promeruit, vt inde nauigans, piraticam, quæ multiplex in hoc noſtro mari ab antiquo fuit, prohiberet. Cui rei quamdiu Siwardus ſupererat, fortiter inſtitit, & prouidè Friſiā Imperatoris permiſſione gubernauit. Quo iure Danorum reges, longo tēpore illam regionis partem, velut ſuam repopoſcerunt. Sed Siwardo facto de medio, Daniæ (vt diximus) regnum inuaſit: quod tamen nō diu tenuit. Nam inter Gutorinum Haraldi filium æmulatio emerſit ad illum, vtroq; cōtendente ſe regno propiorem. Verumq́; probarunt, quòd imperio rara ſit conſenſio. Totis ergo viribus in arma ruentes, vndecunq; arma contraxerunt, ac tam acri prælio tamq́; inſigni odio ſe contuderunt, vt omnis regia ſtirps interiret, & vſq; ad infantem Ericum (quem diximus) nemo ſupereſſet, qui ex natalibus regno ſuccederet. Ergo mutua cæde prælioq́; confecti, regnum paruulo vacuarunt.

Friſiam cur ſibi Danorū reges vendicent.

CAP. 13.

ERICVS Siwardi filius, Regneri nepos, penè ſolus ex regijs proceribus ſuperſtes, regnum ſine contentione promeruit. Vbi adoleuit, per auitæ fortitudinis veſtigia decurrens, terra mariq; ſtrenuum militem ac ſeuerum egit regem. Adhuc in ea gente durauit piraticæ permiſſa improbitas, quo militiæ genere primam ætatem

Ericus Chriſtum inſectatus, eum poſtea conuerſus colit.

tem imbuerunt. Sed quod eſt execrabilius, Chriſtianæ religionis cultũ, iam à temporibus Haraldi, per Anſcharium tunc monachum, poſtea pontificem, in Iutia & omni regno diſſeminatam, acri animo inſectatus, vſq; ad tyrãnicam crudelitatem deſæuit, multos Chriſti fideles per tormenta conſumens. Sed hanc adoleſcentiæ temeritatem in ætate virili egregia virtute compenſauit. Nam beati Anſcharij iam Hamburgenſis archiepiſcopi monitis, ſacrilegæ mentis errore depoſito, quicquid per eiuſdem inſolentiam commiſerat, expiauit: tantumq́; in excolenda religione ſe geſſit, quantum egerat in aſpernanda. Itaq; non ſolùm ſanioris diſciplinæ hauſtũ docili animo traxit, verùm etiam primæuas maculas finali puritate deterſit, non ſolùm ipſe baptizatus, ſed per omne regnum edicto propoſito liberum fecit, ſacræ religioni deuinciri. Qua occaſione lætus accepta Anſcharius & in regno prædicauit, & alijs immiſſis prædicatoribus verbum vitæ latè propagauit. Extat ad lacum Slyæ hodie eccleſia, quam diui Anſcharij honore præditam eius titulo inſcribunt, in qua ipſe prædicare Danis, & in vicino lacu gentem baptizare conſueuit. Ericus autem regno fœliciter functus, iam Chriſto fidelis, quum ad meliora emigraret regna, filium Knutonem, ex Gutorini filia, eademq́; Haraldi nepte progenitum, ſuperſtitem moriens dereliquit.

KNVTO Erici filius admodum paruulus patri in regnum ſurrogatur, opus erat adminiſtrante tutore. Verùm quoniam huiuſce muneris aduocationem præſtare, pleriſque vel inuidioſum vel arduum videbatur, ſortitione virum legi placuit. Prudentiſſimi namq; Danorum, in tam excellenti negocio, arbitrario delectu vti pertimeſcentes, plus alienæ fortunæ quàm ſuis ſententijs permiſcere electionis euentum. Quo euenit, Domino ſortem regente, vt quidam integerrimæ virtutis deligeretur: qui permiſſam obiës prouinciam, omnia pro dignitate adminiſtrabat, talem ſe gerens ad omnia, vt regis prouidentia non magnopere depoſceretur. Vbi verò adoleſcentiam rex tranſijt, legitimos nactus annos, ſubijt adminiſtrationem ipſe regni ſui. Sed circa hæc tempora, quum regis adoleſcentiam regij ſanguinis viri cõtemnerent, latè excurrebant in vicinas prouincias. Iam enim vſqueadeo temeritatis profecti ſunt, vt per maiores fluuios è mari aſcendẽtes, terras popularentur. Per Albim Hamburg vaſtarunt, Anſchario pontifice in Ramſolam fugiente. Per Rhenum vecti, Moguntiam obſederunt, & euerterunt: per Sequanã ad Pariſios tranſierunt: per Ligerim Turones adierunt, Caroluma; Franciæ regem, Ludouici Imperatoris iuniorem filium ex nouiſſimo eius matrimonio adegerunt, vt terram eis ad inhabitãdum cederet, quæ erat in littore maris: quam de nomine ſuo Dani cum Noruagijs, Normanniam vſq; hodie appellauerunt. Equidem Gallici ſcriptores, non diſcernentes inter regnorum populos, omnes ab Aquilone adnauigantes, appellauere Normannos. Hæc autem (vt noſtri annotauere annales) poſt natũ Chriſtum octingenteſimo ſexageſimo peracta ſunt anno. Knuto verò rex Daniæ (cuius hæc ſunt tempora) per omnia in regno fortunatus permanſit, nulla domeſtica clade affectus, neq; externo magnopere bello preſſus, hoc vno tamen magis deflendus quàm accuſandus, quòd abſq; Chriſtianæ religionis inſignibus è vita tranſiuit: quum tamen ad bonum modum iam in Dania Sueciaq́;, annitente pontifice Anſchario, (cui erat à ſummo pontifice ſuper omnia Aquilonis regna impoſita legatio) Chriſti religio excreuiſſet.

FROTO hunc filius regno inſequitur. Cuius adoleſcentia armis belloque alita, eò fœlicitatis exceſſit, vt prouincias quæ bellis ciuilibus à Danis quondam defecerant, priſtino adactas iugo vetuſtatis alligaret obſequijs. Et quum iam per mare, per terras varia fortuna circumtuliſſet arma, in Angliam incidit, auitæ ditionis inſulam, in qua ditionem renouans, partem eius occupauit. Erat enim ab olim Anglia multis partita regnis, vt paucos reges, vel indigenas vel exteros, totam poſſediſſe Angliam reperias. Sed tum Froto per eam victoriam id maximè lucri reportauit, quòd in Chriſtiana iamdudum prouincia Chriſtianis ſacris eſt initiatus. Cæterùm regreſſus in Daniam, priuatam ſalutem ſuam in publicũ exuberare cupiens, ab Agapito, qui tunc Romanis ſacris ſummus pontifex præerat, Daniã miſſis prædicatoribus erudiri petiuit. Ignorabat enim religioſus princeps propiorem

CAP. 14.

Iterat Enmigruphus.

Normãnorum res geſta.

860.

CAP. 15.

Anglia olim partita.

eſſe eius rei curam, quodque epiſcopis Hamburgenſibus perpetua legatio decreta eſſet in regna Aquilonis. Sed quem habuerit exitum illa ad vrbem Romam poſtulatio, non expectauit rex bonus: ſed tranſlatus ex hac vita, ad meliorem (vt confidimus) migrauit.

CAP. 16. GORMO huic filius ſucceſſit, cui, quòd in Anglia extitit oriundus, Anglici cognomẽ inceſſit. Patre enim extincto, prom ptiore fortuna quàm diuturniore, apud inſulam regiam adeptus eſt arcem. Dum enim Daniã, accepto paternæ necis nuncio, diſponendæ eius rei gratia petiſſet ex Anglia, longam paruuli ſeceſſus iacturam paſſus eſt. Quippe Angli libertatis ſuæ fortunam in eius abſentia reponentes, publicam à Danis defectionem moliendo, præcipitẽ rebellandi fiduciam induerant. Sed quò eum Anglia inuidentius ſpreuit, hoc Dania fidentius coluit. Itaque dum ad duarum prouinciarum vtranque obtinendi auidas imperij manus porrexit, altera potitus, alterius irreuocabiliter dominationem amiſit: nihil vnquam fortiter pro ipſius recuperatione conatus. A deò difficilè grandia continentur imperia. Per quæ tempora, quum hoſtiliter Dani cum Normannis maria omnia & littora infeſta tenerẽt, quum comperiſſent fortiſſimum regem Ludouicum, Ludouici Imperatoris filium, (qui Germaniam in pace regebat, alios armis, alios ſubmouẽs fœderibus) iam fato functum, ſine diſcrimine terras omnes vaſtauerunt. Progreſſiq; in Saxoniam, quum obuium haberent Brunnonem prouinciæ ducem cum multis epiſcopis & terræ proceribus, in loco Ebbekſtorp concurrerunt, magnoq; inito conflictu omne agmen Chriſtianum proſtrauerunt, pretioſos Chriſto martyres conſecrando. Cauſa enim religionis in medio erat, quum vindicãdi Chriſtianiſmi gratia, quem in Dania creſcere cernebãt, atrociter ſæuiebant in omnes vbiq; Chriſtianos. Quo tempore Rembertus, Hamburgenſis archiepiſcopus, rebus Chriſtianis præerat in prouincia, cuius mirabile factum in Metropoli noſtra, aduerſus hãc gentem tum Friſiæ incumbentem (in qua tunc ille erat) recenſuimus.

Anglorum à Danis defectio.

Grauis in Christianos persecutio.

CAP. 17. HARALDVS poſt hunc filius regni gubernacula ſuſcepit. Cuius præter nomen nulla res præclarè geſta, aut inſignis clades ſub illo perpeſſa, in faſtos eſt relata, non rerum penuria, ſed ſcriptorum incuria, quę huic regioni quoties & alijs per interualla prouenit? Erant tamen illa ſecula magnis rebus inſignia, quum Normanni cum Danis omnia Germaniæ & Franciæ littora infeſtarent: & iamdudum (vt ſuo tempore meminimus) à Carolo, quem Caluum cognominauerę, Ludouici primi

874. filio, in littoribus Galliarum terram acceperunt habitandam. Sed quum illi adnauigãtibus alijs eius nationis viris, aut quòd prædæ inhiarent, in vlteriora Galliarum longè lateq; dilapſi, omnem regionem flammis & ferro vaſtauere. Erat tum in Imperio Arnulphus ex gente Caroli, princeps in armis ſtrenuus: qui audita Danorum Normannorumque inſolentia, collectis armis illis ſtatuit occurrere. Bellum tum cœlitus adminiſtratum creditur, in quo Dani & Normanni ab Arnulpho rege vſq; ad internecionem ſunt deleti: ſiquidem centum millibus ex ea gente proſtratis, vix pauci de Chriſtianis cecidiſſe ſunt reperti. Godefridus & Sigefridus reguli ibi perierunt. Et ita ad tempus reſtincta eſt iſta perſecutio Danorum Normannorumque, Domino vindicante ſanguinem ſeruorum ſuorum, qui iam per annos LXX. eſt effuſus. Erat autem annus Chriſtianæ ſalutis, quum tam inſignis victoria peragere-

888. tur, DCCCLXXXVIII. quum etiam principes in Dania Chriſto crederent, cum multis è populo. Sed tanta fuit efferatæ gentis inſolentia, vt etiam inuito rege regij proceres nauigarent: patiente interim rege, vt qui in regno tumultuaturi viderentur, foris arma ſuo periculo experirentur. Hæc tamen omnia plenius explicanda ſeruamus Noruagiæ.

Magna Normannorum ſtrages.

CAP. 18. GORMO filius hunc regno inſequitur, crudeliſſimus vermis, (ſic enim vernacula Germanorum lingua nomen ſonat breuiatum) hoc dignus cognomento, qui implacabili odio Chriſti religionem inſectaretur. Tẽpla ac baſilicas à patribus inſtitutas ſubuertit, fideles exquiſitis ſupplicijs diſcruciabat. Filiam Edelradi Anglorum regis, puellam ſingulari prudentia, & Chriſtianiſmi amantiſſimam, accepit vxorem. Quumque ſuo captum amore maritum prudens puella perſentiret, orabat quàm inſtantiſſimè, ne ſe contingeret triduano ſpacio. Diſtendere voluit amantis ani-

Gormo Chriſtianis infeſtiſſimus, Chriſtianã ducit vxorem.

animum, vt per impatientiam expectationis, aliquid illi de Chriſti religione ſuggereret. Ille (vt erat virili animo) etiam imperare ſibi pertētabat, nolens mollioris in ſe cupidinis vitiũ deprehendi. Adiecit etiam maritali toro nudũ gladium, quem ſuo atq; puellæ lateribus interpoſuit: vt & illa ſecura promiſſi foret, ille quoq; nihil imperante libidine pertentaret. Interiecto autem tēpore geminam ex ea prolem procreauit, Haraldum atq; Knutonem, regiæ atq; inſignis proceritatis pueros. Qui vix dum adoleſcētiam ingreſſi paternas artes arripuere, maris imperiũ exercentes, & excurſionibus vſque adeo fidentes, vt Angliam au: tam inſulam infeſtarēt. Viuebat Edelradus maternus eorum auus, & iuuenũ inſolentiam ridebat potius quàm caſtigabat: quippe gentis ſuæ propenſiorem naturã agnoſcebat. Secum tamen reputabat, induſtrios rebus gerendis viros talibus armorũ rudimentis inſtrui oportere. Tantam verò in nepotibus indolem conſpicatus, teſtamento ſcripſit hæredes, matris eorũ, quæ vno gradu propior videretur, nullam habens rationem. Quo euenit vt Thira mater filios ſuos, paternorũ bonorum hæredes, non inuidenter exhæres ipſa conſpiceret: prælationem filiorum honorabilem ſibi magis quàm cõtumelioſam fore arbitrata. Aucta fiducia, quum res ad vota ſuccederent, auſi ſunt iuuenes Hyberniam bello laceſſere, Dufflinamq; vrbē regionis metropolin obſidere. Rex autem gentis, quum paucos ſpeculandi magis gratia, quid hoſtis moliretur, quam alia cauſa, expeditos miſit milites in vicinũ nemus: qui firmata iam obſidione, quũ Danos, terendi temporis gratia ludis etiam vacare conſpicerent, noctis tenebris ſiſi propius acceſſere. Quorũ vnus ſagittandi arte peritior, quũ Knutonem inſpectandis ludis ocioſum cerneret aſtare, iaculũ ex inſidijs miſit, iuuenemq; lethali vulnere percuſſit. Ille clàm habito dolore, illico præcepit muros ſcandere, omni conatu oppugnare mœnia, ne ſui vulneris dolorē hoſtes perſentiendo, fiduciæ aliquid aut lætitiæ aſſequerentur. Nec antè ſe vulneratũ prodidit ad mortem, quàm mœnia à ſuis capta conſpiceret. Neq; diu lucis fruitur ſolatio, concedens ad manes. Quis autem extinctũ non plangeret, cuius diſciplina militũ ſuorum victoriæ cõſilio quàm ſpiritu diuturniore ſuffecit? Salus nāq; Danorũ in vltimas anguſtias deducta, quia morientis ducis iuſſui paruit, breui quos timuit, ſuperauit. Per idem tempus rebus Germaniæ Henricus rex præerat, primus inter Saxones coronam meritus. Qui tutandis regni finibus vigiles oculos circumferens, quum intelligeret Danos ex conſuetudine maiorũ in Saxoniam excurrere, duxit in eos, limitibus etiam tranſcenſis, vltra Eydorã exercitum: & expugnatam vrbem tunc florentem Sleſwicum, fecit Saxonũ coloniam: conſtituto ibi marchione, qui rem adminiſtrans, fines imperij tutaretur. Durauit huius principatus per Henrici tēpora: quo mortuo, marchionē Dani oppreſſerunt, Saxones fugarunt. Vnde natũ eſt bellum Ottoni Henrici filio, quod infrà dicemus. Quo tempore Gormo ad vltimũ ætatis ſuæ finem prouectus, ingentem annorũ ſeriem luminibus captus exegerat, ſenectam ad vltimos conditionis humanę terminos prorogando, magis de filiorũ vita & incremētis, quàm reliquo ſpiritu ſuo ſollicitus. Tanta aũt Knutonis præcipua erat charitate, vt a ſe occidendũ iuraret, qui prior ipſius exitium nũciaſſet. Quumq; fortè Thira mater haud dubiũ de illius exitio nunciũ accepiſſet, nemine id Gormoni palam inſinuare audēte, præſidiũ calliditatis amplexa, caſum quem ore prodere timuit, opere explicauit. Maritum nanq; regis cultu exutũ tetriore circũdedit, aliaq; doloris inſignia, per quæ cauſam luctus aperiret, admouit, quòd antiqui talibus in exequiarum actionibus vti conſueuerant, acerbitatem mœroris habitus aſperitate teſtātes. Tunc Gormo quũ tactu perſenſiſſet: En mihi, inquit, Knutonis fatum publicas? Et Thira, Idipſum, ait, tuo potius quàm noſtro declaratur augurio. Quo dicto, marito mortem, ſibi viduitatis cauſam præbuit, nec antè filium quàm coniugē planxit. Miſerabilis conditio Chriſtianæ fœminæ, quæ in obſequio perfidi mariti conſenuit, nec illum exemplo religionis, aut blandimento ſuaſionis ad Chriſti cultũ prouocare potuit.

Geminorũ fratrũ, Gormonis filiorum, res geſta.

Dufflina capta.

Sleſvicum vrbs florens capitur.

CAP. 19.

HARALDVS alter ex filijs regno ſurrogatur. Qui hæreditariæ dominationis fortunam conſpicuæ fortitudinis operibus proſequi cupiens, traiecta in Orientem piratica, circùm poſitum laceſſiuit Oceanum. Ibi dum claſſe victricia ſigna circumtulit, maternus auus Angliæ rex, rebus humanis exceſſit, filiuſque illius

Adalſtenus paterno teſtamento ſanguinis iura oppoſuit, armiſq; vendicauit quod patria voluntas videbatur abſtuliſſe. Serius re ad Haraldum perlata, prius audiuit Noruagiæ regis cum auunculo pactionem, quàm potuerit vlla parare arma ad inuadẽdum regnum. Quam rem quia in Noruagia ſufficienter expreſſimus, hoc loco tranſibimus. Tanta autem erat Haraldo in ſolis Daniæ armis potẽtia, vt & Noruagijs laborãtibus ſuppetias, & Suecis nihilominus inuocantibus copioſo præſidio non deeſſet. Vnus erat ſua ætate rex præſtantiſſimus, in quem omnium vicinorum regũ oculi præcipua mitterentur obſeruantia. Deniq; & Auſtralem plagam, quam Wandali tenuere, non liquit intẽtatam, quin ad oppidum Iulinum, quod illa ætate in Pomeranis erat præcipuum, oppugnauit, gentemq́ue perpulit imperata facere. Inde quum magnos belli faceret apparatus, in Sueciam auxilio venturus regi Sturbiorno, Teutonicæ irruptionis nuncium, quæ à Cæſare Ottone primo gerebatur, accepit, quæ illum res auerſum Suecia, ſuis coegit intendere. Equidem Gormone eius patre rebus præſidente, Henricus Cæſar, (quod diximus) Ottonis item parens, quum audiſſet, malè Chriſtianos Iutios, dimidiatam Chriſti religionem animis nõ ſynceris percolere, ſuſcepto pietatis negocio (vt erat Chriſtianitatis amantiſſimus) expeditionem fecit in Iutiam non vulgarem. Occurrentemq́; regem armis perpulit ſubire cõditiones, vt ſi non ipſe vellet, liberum faceret in regno Chriſtianam legem ſeruari, ſineretq́; verbũ vitæ diſſeminare. Qua occaſione Vnni tum Hamburgenſis archiepiſcopus, ſtrenua Dei verbi prædicatione per Daniam perq́; Sueoniã laborauit. Cui etiam peregrinationi bonus pontifex vitã impendit, tumulatus apud Bircam Sueciæ. Henricus autem Cęſar circa Sleſwicum marchionatu conſtituto, præſidem ex ſuis fecit, qui etiam rebus gerendis per tempora Gormonis & Henrici fortiter præfuit. Sed regnis iam morte regum alteratis, pertæſum eſt Daniæ populo Teutonicum iugum ſuſtinere. Igitur cõgreſſi populi, præſidem ſuum oppreſſere. Quam rem Otto rex adhuc Germaniæ vindicaturus, magno exercitu duxit in Daniam, eius præcipuam partem Iutiam oppugnans, & vaſtationibus implens vſq; ad extremam eius in Aquilonem partem. Inde lanceam in vicinũ mare iaculatus, æternũ mari nomen reliquit, vt Ottonis ſinus vſq; hodie vocitetur, Ottoniáque dicatur inſula non longinqua. Tam celebris genti fuit Germanici regis victoria. Sed iam terram agmine exiturus, obuium ſenſit Haraldum regem, qui opportuna locis præſidia collocauit, aut exitu prohibiturus, aut iuſta cum illo dimicaturus acie. Non detrectauit quod erat in hoſtem penè neceſſarium certamen Otto: collatis ſignis diu fortiter præliatum eſt. Poſt primam autem pugnam, quæ æquo Marte digeſta eſt, viſum eſt vtriq; regum de rerum ſumma conferre colloquium. Igitur poſt longa vtrinq; verborum certamina, in eas vtrinq; conditiones eſt conuentũ, vt Haraldus cum Suenone filio ſacram Chriſti ſubiret religionẽ, regnumq́; Romano ſubderet imperio. Et priuſquã diſcederet Imperator, rex Haraldus cum Suenone filio baptizatus eſt. Filium autem de ſacro fonte Otto ſuſcipiens, de ſuo nomine Suenottonem appellauit, vt & gentis ſuæ nomen ſeruaret, & Ottonianum adijceret. Crediderim in has leges multum cooperatam Haraldi matrem Thiram, Chriſtianam fœminam, quæ Gormonem maritum inclinare non potuit, filiumq́; diu ſenſit reluctantem: nunc autem Ottone rege accedente, gaudenter adiuuiſſe tam validum ſalutis præſidium.

Lib.5.cap.3.

Iulinũ Wandalorũ capitur.

Saxonis libro3.cap.5.

Haraldus Christi fidei cum filio initiatur.

CAP.20.

SED dum iſta geruntur in Iutia, Sturbiornus Sueciæ rex non expectato Haraldi auxilio, pugnæ ſe credidit, & oppreſſus eſt. Aquinus quoq; Noruagiæ rex, quem iſte Haraldus in regno nuper tenuerat, pulſis hoſtibus, & perinde tributa pendere iuſſus Daniæ, audito quòd Otto Germaniæ rex, Haraldum teneret bello implicitum, fore proſpexit, vt aut opprimeretur Haraldus, aut diutius bello teneretur, defectionẽ præſumpſit. Simul & Iulini Wandalici oppidi ciues, preſſuræ à Danis nouiſſimæ vlturi iniuriam, expedita claſſe Daniæ partes prædis & incendio vaſtant: quod promptum eſt adnauigantibus, vbi nulla ſunt arcium atque murorum prẹſidia. Vtriſque occurrendum pariter fuit: nam Wandalicæ vrbis bellum ducibus mandauit, ipſe in Noruagiam ducturus. Igitur iam expedita claſſe in Noruagiam mouẽs, expertus eſt miram in mari tempeſtatem, quæ aduerſaretur ſupra modum eunti.

Multorum à Danica ditione defectio.

eunti. Nam Aquinus Noruagius quum armis diffideret, ad maleficia, quæ plurimùm adhuc in ea regione valuerunt, duos filios dijs ſuis immolatus cõfugerat. Impius pater, intimos affectus ſuos, pro quibus per terrarum orbem ſolent acerrima bella ſuſcipi & ſuſtineri, ille pro victoria iugulauit. Quam rem in Noruagia noſtra ſumus executi. Dum his rebus foris rex implicaretur, mater eius Thira, iam bis recolens Germanorũ factam terreſtri itinere in Iutiam irruptionem, præuenire ſtatuens in reliquum, magnum opus aggreditur. A Sleſwico in mare Britãnicum vallum grande iecit, foſſaq́; præcipiti cinxit: cuius hodie cernitur labor, à mari Baltico in mare (vt diximus) Britannicum. Cui primus Waldemarus murum ſuperaddidit, portarumq́; clauſtra firmauit: hodie quoque in conſpectu arcis Gottorp, opus Danorum appellatur. Et quum Sueci per abſentiam filij Scaniam infeſtarent, illa collectis armis regionem defendit, virile negocium amplexata fœmina. Duos iſte rex ex vxore Gyritha ſuſtulit filios, Aquilum atq; Suenonem: quorum maior natu ita virtute germanum ſuperauit, vt quamuis ille præcipuus ad omnia gerenda haberetur, fratri tamen collatus, obſcurari videbatur. Iſte Aquinus quum adhuc ſub parente ageret, ſuis auſpicijs nauigaturus claſſem inſtruxit, Sembiam Orientis inſulam, ſub Pruſſia, eſt aggreſſus. Et quò fidẽtius milites in pugnam duceret, claſſem incendit, vt ſpe redeundi præciſa, aut vincẽdum aut moriendum noſſent. Effecitq́; ducis fiducia, vt deſperatione ſalutis ex fuga, pertinaciores in hoſtes experiretur milites. Nec illum fefellit opinio. Nam inſulam expugnatam ſui iuris fecit, fœminasq́; maritis in prælio occiſis, ſibi coniugio ſociarunt Dani, repudiatis quas domi liquerant vxoribus.

Filiorũ immolatio.

Aquinus Sembiã inſulam oppugnat.

PER quæ tempora Thira regis mater rebus exceſſit. Eam fœminã pro ſua virtute, omnis regio deſiderauit. Filius autem regio funere tumulatam, inſigni monumento apud patrem honeſtauit. Interea rex varij generis delectos pugiles fouebat. Erat in eis qui gloriaretur tam inſigni arte ſagittandi eſſe, vt ſignum quàm minimũ contingeret. Quumq́; omnes gloriabundus hac arte cõtemneret, iubet rex vt proprium ſiſtat filium, cuius de capite malum ictu teli traijciat, magno ſui periculo artis iactantiam onerans. Deniq; quod rex iuſſerat, impletur. Siſtit filium, præcipiens ne quã ſe moueat. Interim ſagittarius tria elegit tela, capiti circumponens, & primi quidem iactu malũ à capite filij deiecit, rege cum cæteris inſpectante, mirantibusq́; fiduciam. Tum rex, in quos vſus reliqua duo prouidiſſet, interrogat. Ille nihil moratus, Quando, ait, in id me diſcrimen imperio rex tuo coarctaueras, ſi me manus fruſtrata fuiſſet, proximum tu excepiſſes præcordijs: & deinde qui primus ſe commouiſſet, tertium. Rex furtis viri iuſtũ dolorem impunitum eſſe iuſſit. Cupiens autem idem rex matri pro ſua virtute perenne monumentũ inſtruere, quòd Daniam vallo communiſſet, ingens ſaxum in littore repertum, multarum manuum ope vix eruendum, aggreſſus eſt. Ibi fodiendo leuandoq́; diu milites cum agricolis fatigati, fruſtrato labore ad impatiẽtiam verſi ſunt. Interea filius Sueno, perſentiens multos ex proceribus indignè ferre iugum Chriſtianę religionis, cui nunc accederet durus ille labor erigendæ molis, primùm muſſitatione plurium, inde aperta indignatione coniuratum eſt in regem, filiusq́; eius Sueno nõ ſolùm inerat, ſed etiam præerat factioni, rex appellatus à conſortibus. Rex omniũ ignarus, laborabat molem educere. Aduentantem ex amicis quempiam, ſciſcitatur ſi meminiſſet ſimilem vnquam mortaliũ laborem. Ille ſubinfert: Maius aliquid breui cõperies, quũ tibi, ô rex, Daniæ regnũ adimetur, moles longè iſtam exuperans. Tertius rex, ordinem quærit. Conſpirat, inquit ille, omne regnũ cum Suenone filio: indignantur enim de proiectis patrũ ſacris, deq́; labore quo exhauris vniuerſos. Igitur a molitione ſaxi dimiſſa, exercitum parare cõtendit. Sed hic etiam militem expertus eſt auerſum, quòd tam indigno labore, pecudũ more damnatus, manum capulo aſſuetam, trahendis funibus occupaſſet. Qualemcunq; tamen tempus dabat inſtruens exercitũ, occurrit filio. Sed conſerta manu victus aufugit in Iulinum Wandaliæ oppidum, vbi pridem collocato ſuorum præſidio, certiſſimũ ſibi ſalutis profugium conſtituerat. Inde verò claſſe expedita, armatoq́; milite, bella renouauit. Sed non melior exitus priore. Tertiò etiam belli fortunam expertus, renouauit vires. Sed tum indignũ viſum eſt proceribus, tam impia bella vel permittere vel adiuuare: interuentu quorundã,

CAP. 21.

Sagittary peritia, & audax regi reſponſum.

Monumentum Thira.

Filij & ſubditorum in regẽ & religionem conſpiratio.

induciæ fiunt. Quibus fretus Haraldus, ſecurius ambulauit in littore: vicinæ etiam ſyluæ inter rubeta concedens, ex inſidijs miſſo iaculo grauiter vulneratur. Igitur in nauim deportatus, cum vniuerſa claſſe Iulinum repetit. Ibi rex bonus in fide Chriſti, inter medios dæmonicolas ſpiritum Deo reddidit. Et ſi cauſa, non pœna martyrem facit, quis dubitat Chriſti cōſertum agminibus, qui pro eo deſtitutus eſt & oppugnatus, quòd Chriſtianam religionem & ipſe coleret, & in ſuos propagaret?

Suenone Chriſtianiſmo abiecto infœliciter omnia cedunt.

CAP. 22. SVENO filius regnum, quod viuo parente occupauit, iam vita functo quaſi legitimum tenuit, fidem Chriſti iamdudum proijciens. Cuius ſacrilegij merito & rex inter ſuos eſt habitus, & paternæ fuit perſecutor religionis. Sed hanc in parentem ſuum, inq; omnium parentem Chriſtum iniuriam, infœliciſſimi ſucceſſus vindicauere. Siquidem bello Wandalis Iulinenſibus indicto, quòd parentem eius profugum excepiſſent, quamuis vita functum, remiſerint regali tumulo in Roſchildia condendum, nauali prælio gentem inuadit. Illi verò non ſegnes, bellum denūcianti alacres occurrunt, conſertaque manu non ſolùm profligant exercitum, verùm etiam regem capiunt. Et quum aliquandiu captus teneretur, precium redemptionis ad pondus proprij corporis aptant, vt ſemel auro, bis argento æquiponderatus laxaretur. Incaluit in eo dolor cum pudore, quòd ab vna vrbe tantum dedecoris accepiſſet, cuius vniuerſæ genti maiores ſæpe ſui imperaſſent. Itaque bellum renouat, mouitque in Iulinos. Illi prioris victorię fiducia animos attollunt, pugnantque, eundem ſortiri pugnæ exitū quem priùs: captum enim regem abducunt. Ille ſciens qua ſit mercede laxandus, aurum atq; argentum expromere non potuit, vacuatis iam regijs theſauris. Extorſit tamen apud proceres, vt filijs datis pro rege obſidibus, ea ſe auri & argenti ſumma ſoluendi obſtringerent. Et quum iam regno redditus, vnde obſides liberaret, in rationib. regijs non haberet, ſaltus & nemora, agros cum cultoribus oppignorabat ijs qui filios redimerent. Sed nec ſic quieſcere poterat bis victus rex, quò minùs per omne regnum vires renouaret. Iulinenſes quoque non impigri claſſem expediunt, & impoſita iuuentute ducunt in hoſtem. Stabant in anchoris vtræque claſſes: nocturnis excubijs vigiles impoſiti, vtrinque funguntur officijs. Deprehenſum eſt à Wandalis, regiæ claſſis vigiles rediſſe ad quietem, quum adhuc tenebræ perdurarent. Igitur ſcapham Wandali in expedito tenent: cui impoſitū cum neceſſaria manu virum, qui linguam percalleret Danicam, iubent ſpecie vigilum prætoriam regis nauim adire. Aduectus regem ex nomine vocat, adeſſe rei bene gerendæ in hoſtes occaſionem, quā regijs auribus ſecretius aperiat. Nemo aliud ſuſpicatus quàm excubiarum eſſe præfectum, qui confidenter regem inclamitet. Rex nihil moratus, caput educit propius inclinandum: ne quis exaudiat rem magni ponderis, ille contendit: itaque pectore tenus naui ſuæ prominet. Arreptum Wandalus regem attrahit: & impulſa celerius ſcapha, in ſuorū caſtra portauit, iam ad pugnam ſtante Wandalorum claſſe, ſi quis ſe commoueat. Igitur tertiò iam rege capto, priùs aſcendunt quàm per omne Danorū agmen clamor capti regis perueniat. Iam regijs opibus exhauſtis, etiam pignore pridem obligatis, quæ promptiora æri faciundo viderentur: plus tamen pudoris quàm damni ineſſe rati proceres tertia captiuitate, præſerim quòd tam facili dolo circumuenti, regem de ſui medio paſſi viderentur abduci. Sed in tantis rerū anguſtijs, vbi virorum defuere conſilia, matronæ iocalibus ſuis & ornamētis diuenditis, magnum æris theſaurum contulere, cuius impendio rex tertia captiuitate ſit laxatus. Sed hoc matronarū beneficium, lege lata de illarum (quam prius non habebāt) legitima ſucceſſione, egregiè compenſauit rex regno redditus. Et tamen priuſquam abire paterentur, iam toties rebellantem iureiurando Wandali adegerunt, ne bella in eam gentem, quoad viueret, renouaret. Nam ſucceſſores conſtringere non potuit.

Sueno à Wandalis mira arte capitur.

Fœmina apud Danos in ſucceſſione cur maribus exæquata.

CAP. 23. INTEREA Ericus Sueciæ rex, memor quòd Suenonis pater Haraldus regno ſuo grauis incubuiſſet, in filium vindicaturus, copias ſuas in Daniam educit. Augebat fiduciam, quòd toties à Wandalis victus Sueno, facilis ad inferendam iniuriam videretur. Congreſſus ergo magno in Scania prælio, fudit fugauitq; Suenonem, ac regno cedere coegit. Multa circūſpicienti apparuere profugia, ante omnia tamen Noruagia illi & opportuna loco, & meritorū debitrix viſa eſt. Contendit ad Olauū

Sueno Dania pulſus, & ab omnibus repudiatus, reſipiſcit.

non

non regem quidem, ſed tamen functū adminiſtratione. Ille iacentem contempſit, precantemq́; repulit. Inde in Eduardum Angliæ regem reſpexit. Ille quoq; inſidiari magis quam precari reputans hominem, à ſe inconſolatum dimiſit. Nihil intentatum relinquere volens, ad Scotiæ regem peruenit, ibiq́; inexpectatū ſalutis præſidium accepit. Quis putaret, humanitatis obſequium, quod in regionibus bene moratis non accepit, in vltima barbarie reperire? Sed tum Sueno per quietem omnia circūſpiciens, ſecum volutabat quanto ex faſtigio decidiſſet, quàm crebris iactatus infortunijs ceſſiſſet hoſtibus antè ſæpe victis, quàm etiam contemptus haberetur inter eos, in quos & ipſe crebra beneficia contuliſſent. Deſcendit aliquando, miſerante Deo, in animum eius, hanc tantam illi ſuo demerito infelicitatem prouenisse, quòd ſanctiſſimam Chriſti religionem abieciſſet, & parenti impiè rebellans, quum cauſa religionis in medio verteretur, illum ad necem fuiſſet perſecutus. Igitur tantorum cauſam malorum iam inuentam expiare conſtituens, totus in Deum conuerſus impietatem abnegabat, ſacrum baptiſma quod acceperat ſecum recolens, Chriſtianū hominem agebat. Nec aberat diu conſolantis Dei miſericordia. Nam quū per id tempus curreret annus exilij ſeptimus, derepentè mortuus Ericus Sueciæ rex, Daniæ vacuam illi poſſeſſionem dereliquit. Religionem tamen Chriſti, quam reſumpſit, diſſimulanter ſeruare compulſus, ne initio eos à ſe repelleret, per quos regno reſtitutus, poterat vniuerſæ in ſalutem prouinciæ conſulere. Egit tamen priuatim rex apud eos quos cordatiores agnouit, ut Chriſti ambirent myſteria. Sed non eſt eiuſdem ingenij, armis præeſſe & ſacris. [redacted]

Cap. 24.

Poppo ſer ſanctus, ferro candente contrectato Danos Chriſto lucrifacit.

IGITVR permanſere diu in perfidia ſua, donec Poppo vir religioſus indigena, qui diu in Italia & apud ſummum pontificem peregrinatus, in Chriſti religione iam ſolidatus erat, adueniret. Is annuente rege, apud portum, cui frequentia glaciei nomen peperit, in Danorum cœtu publicè concionatus, vir doctrina & ſanctitate perſpicuus, longa ac ſalubri oratione genti ſuaſit perfidiam deſerere, ſyncerā Chriſti religionem iam in omni penè mundo celebrem amplecterentur. Et vbi hæſitantes inter vtrunque conſpexit, vt neque promptè antiquam religionem ponerent, neq; quod verbis eius opponerent, haberent: percunctatus eſt, quid ſi ad candentis ferri tactum manus eius cernerent intactas, vellentne ſubire quæ hortaretur. Cunctis ſucclamantibus velle, in chirothecæ formam iuſſit ferrum aptari, idq́; ignitum afferri. Rubuit igne ferrum. Ille tamen intrepidus, manum immiſit ad cubitum, deportauitque ad locum conſtitutum. Ibi quum ad pedes regis proieciſſet, victa manus dedit cōcio, ſponte ſubiens lauacrum regenerationis. Tum maximus pontifex Hamburgenſis Adaldagus, epiſcopos per Daniam ordinauit: memoratum Popponem Aruſij, Haricum Sleſwici, Leſdagum Ripæ, Gerbrando Roskildiæ eccleſias commendauit, conſecratis epiſcopis. Iam ſacris per ſua loca conſtitutis, res omnes regni in melius profluere cœperunt. Inſtitit per hoc tempus Noruagiæ rex Olauus, relictam Sueciæ reginam coniugio ſibi ſociare, quò Sueciæ vires ſuis adiungeret. Sed hoc Sueno perſentiens, non eſſe è re ſua exiſtimauit. Igitur hominem optato conſtituit auertere. Subornauit enim ex ſuis duos, qui ſpecie perfugarum Olauum peterent, multa mala in caput Suenonis congererent: cæterum filiam eius Thiram, auiæ nomen referentem, inſigni laude celebrarent. Quumque laudem puellæ crebrius per occaſionem apud regem perfugæ repeterent, vſqueadeo irritauerunt concupiſcentiam eius, vt miſſis ad Suenonem oratoribus, filiam eius coniugem depoſceret. Sueno ita legationem accepit, vt ſpei plenos à ſe dimitteret oratores. Exhilaratus Olauus accepto nuncio, Syritham Sueciæ reginam, annis adoleſcentiæ ſuæ imparē, iam contempſit, non contentus (vt ferunt) eam coniugio præterire, ſed & addita contumelia grauiter affecit. Nam ſpecie colloquij acceſſitam iuſſit adeſſe, & (vt gens illa nauigio ferè omnia peragit) naue propinquantem reginam ad ſe per nuncium orat introire. Illa fœminea verecundia aliquandiu reluctata, regio tandem ceſſit imperio. Struxere dolos qui interuenere. Nam tabulam inter vtranque nauim veſtigio deſigendam, ex altera parte, vbi regina inſcenderat, penſilem ſubmiſere. Illa cum aſſeclis mari demergitur: ſed aſſiſtens fida ſuorum manus cum proprio periculo reginæ aderant, ne extinguatur. Vix ergo ab-

Sueno Noruagiū à ſuſcepto connubio deterret, quod ipſe ſibi aſciſcit.

ſtractam profundo, reddidere littori. Id an regis voluntate, an perfugarum dolo factum ſit, in incerto fuit, niſi quòd creditum eſt Suenonem non ignarum extitiſſe. Quum enim Olauus à ſe Syritham reginam tali indignatione repuliſſet, ipſe quoq; filiam pernegauit: ita vtroq; inſiſtẽtem, neutrius compotem fieri paſſus eſt Sueno. Nam Syritham ipſe ſibi coniugem aſciuit, vires quibus nudauerat Olauũ, ſibi conſciſcens: ex qua poſtea filium ſuſtulit Kanutum. Sed Olauus, non ignarus omnium earum rerum Suenonem extare autorem (qui & filiam dolo oſtendiſſet, poſtea retractam, & Sueciæ reginam à ſe auerſam, proprio connubio præuidiſſet) tãtam ſtatuit vlciſci iniuriam, expedita claſſe mouens in Danos. Sed Sueno accitis in opem Suecis, quibus priuignus eius præerat Iacobus, facilè victoriam retulit: oppreſſoq; rege, in ſuam regnum redegit poteſtatem. Nec eo cõtentus, victrices turmas conuertit in Angliam: & expoſitis in terram copijs, regem eò perpulit ad Adelſtenum, vt firmaret ſe decedente non alium Angliæ regem futurum, ſed in Suenonis manu regnum permanſurum. Sueno autem ad ſenilem perductus ætatem, iam armis relegatis, ſolis inſtitit ſacris. Siquidem omni humana cõcuſſione vacuus, in ipſo perfectiſſimæ vitæ fulgore deceſſit, exemplar vniuerſis regibus in ſe præfiniens. Quãdiu enim religioni repugnauit, infœliciſſimis ſucceſſibus ad extremas peruenit calamitates: at vbi conuerſus in Deum ſacram agnouit veneranter religionem, ex infimo gradu ad ſplendorem ac fœlicitatem vicinis regnis conſpicuam peruenit.

Sueno Angliam ſubdit.

[redacted]

CAP. 25. KANVTVS filius, cui ex magnitudine rerum geſtarum Magni nomen acceſſit, patri ſucceſſit in Dania. Cæterùm Noruagici atque Anglici, reges ex ſuis elegerunt proceribus, Eduardum Angli, Olauum, qui poſtea in ſanctos eſt relatus, Noruagij ſubuexere. Sed Kanutus diſſimulata interim iniuria, vires primùm exercere inde augere conſtituit, tum rebus plenius conſulturus. Et quoniam Wandalorum multiplices in parentem iniurias Sueno ſacramentis aſtrictus vindicare nõ potuit, pium exiſtimauit inde militiæ ſuæ rudimenta ſumere. Sembi quoque, Aquino patruo per mortem abſumpto, Daniæ iugum reiecere. Vtriſq; vindicandis ſe Kanutus aptauit. Et quidem totis Daniæ viribus diuiſim vtriſque incumbens, facilè perpulit vt imperata nedum detrectarent, ſed & Danorum regi ſubiecti, annua tributa penſitarent. Inde vbi vires iam duabus claris auxiſſet victorijs, par animo cœpit eſſe Anglis inuadẽdis. Sed tamen ne hoſtem à tergo relinqueret, temporariam pacem cum Noruagię regibus, Olauo atq; Haraldo fratre pepigit, ſocietatemq; gerendi in Anglos belli inter fœdera comprehendit. Iunctis ergo viribus ducunt in hoſtem. Expoſitis in terram militibus acies ex aduerſo conſiſtunt: pugnatũ eſt acriter diuq;. Sed in medio pugnæ æſtu ſignifer Danorum, forte an virtute obtritus, ſigna inclinauit, Angliq; rapuere. Erat inter gregarios milites Tymmo, vir & proceritate & robore inſignis, quem fors obtulit. Is virentem ramum haſta ſuſtulit in ſublime: Hæc, inquiens, ſigna noſtra commilitones ſequimini quà præeo. Itaque ducens in hoſtem fœlix anteſignanus, aciem iam de fuga meditantem reſtituit. Demũ quum victoria apud Danos reſideret, rex clara viri virtute delectatus, primipilum fecit in omne tẽpus militiæ ſuæ: multis præterea agris, & inſigni de reſtituta acie per ſigna cognomine decorauit. Olauus Noruagiæ rex cum ſuorum agmine Danis militabat. Fœdera autem quæ tum icta ſunt inter Angliæ Daniæq; reges, vt (quò adnueret) Eduardus dimidio regni contentus, partem alteram Kanuto mox permitteret, totam habituro poſt Eduardi fata, nullam Olaui rationem habuere. Adiecit alterã Olauo contumeliam, vt mulierculam, qua ille interdum ad ſolatia vteretur, ab illo abſtractam, ſibi deuinciret. His rebus percitus Olauus, quum indignatione plenũ ſpiritum gereret, nauigauit in patriam, cogitans quónam pacto & iniuriam contemptus, & contumeliam affectus vindicaret.

Kanutus rebelles domat.

Anglos ſubijcit.

CAP. 26. SEPTEM in medio anni decurrere, quum quidã ingreſſus triclinium cũ ſocio, quo rex accũbebat Kanutus, totius Angliæ regem ſalutauere. Ille incertũ habens, an exprobrationẽ dimidiati imperij cũ Eduardo, inuerſa ſalutatio irriſionem præferret, nihil ſe eius gratia pudere reſpõdit. Illi vbi regem rubore perfuſum intumeſcere viderũt, iam palàm locuti, ſe eius obſequio, quò celerius toti Angliæ regnaret, Eduardi fata peregiſſe teſtantur. Tũ indignationẽ effundens, parricidas appellauit, iuſſitq;

Kanutus ſuſpendi eos iubet, qui Angliæ regni necẽ, gratificari cupientes, fatebantur.

iuſſitq́; conſumi ſuſpendio, quo regij ſanguinis pœnam turpi ſupplicij genere perageret. Non tamen potuit rex conſciæ mentis crimen apud omnes abolere, interpretantibus nonnullis, quò ſcelus magis tegeretur, miniſtros ſcelerũ de medio ſublatos. Quumq́; Angliæ iam vacuam poſſeſſionem intraret, nectendam cum finitimis affinitatem putauit, quò regnum longinquum magis ac magis in fide permaneret. Igitur Normanni ducis in littore Gallico ditionem regentis, Immam filiam matrimonio ſibi deuinxit, germanamq́; ſuam Eſtritham, eius fratri Richardo coniugem dedit. Sed ille (vt dicemus) repudiatam regi remiſit. Ex Imma rex Kanutum Gunildamq́; prolem ſuſtulit. Olauus interim Noruagiæ rex, iniuriarum memor, infeſta Daniç per Kanuti abſentiam bella intulit. Sed adnauigans ex Anglia Kanutus facilè illum repreſſit, coëgitq́; in fugam. Petijt autem Olauus Orientales Wandaliæ partes, Geritſlauum ſocerum adiens.

CAP. 27.

INTEREA Kanutus victor Noruagiam paternæ ditionis regnum recepit: & confirmatis ibi rebus, reuerſus eſt in Angliam. Audito autẽ quòd ſororis ſuæ maritus, qualibuſcunq; ex cauſis repudium indixiſſet vxori, protinus hominem fugauit ex Normannia Galliæ, germanam reducens in Daniam. Richardus autem voto ſuſcepto peregrinatus eſt in terram ſanctam, ibiq́; mortem obijt. Quumq́ue per id tẽpus Olauus (qui & Iacobus) Sueciæ rex, rebus exceſſiſſet humanis, Olauus Noruagiæ exul, ſpem concepit patriam ditionem repetendi, quòd Kanutus fraternis deſtitutus auxilijs, (erant enim Kanutus & Iacobus vterini fratres) illius regni præſidia ſibi confidebat accedere. Igitur ſoceri atq; Sueonum armis Olauus Noruagiæ reſtituitur, ibiq́; legibus editis & religione propagata, rex iuſtiſſimus atq; ſanctiſſimus, ab ijs qui Kanuto fauerãt, domeſtico bello eſt oppreſſus, ac in ſanctos relatus: quæ plenius in Noruagia diximus. Eſtritham verò germanam Vlfoni duci Anglicano tradidit vxorẽ. Cuius de origine fabuloſa memorantur, occaſione fortè ſumpta de auito nomine, quòd auus illius Vrſus diceretur. Solebant autem principes illa tempeſtate cognomina vendicare de generoſis beluis, vt alius Vrſus, alius Leo, alius etiam Catulus diceretur. Vnde & idem ille Vlfo vicinum lupo nomẽ præfert in lingua Germanorum. Is autem vir fortis, fortiſſimi nihilominus & optimi regis Suenonis pater eſt, cuius gratia illius cum honore facimus mentionem. Subortis tamen ſimultatibus inter illum regemq́ue Kanutum vndecunque, quia ſecurus in Dania non videbatur, in Sueciam confugit, Emundo Sueciæ, & Olauo Noruagiæ regibus operam in Kanutum promittens. Erat vir fide præcipuus in Kanutum, qui quum iſta de Vlfone comperta haberet, Kanuto regi quamprimum curauit nota fieri. Coniunctis autem copijs Sueci à Scania, Noruagij à mari imminebãt. Sed rex Kanutus cum valida claſſe ſuperueniens fugauit vtroſq;. Cuius pugnæ ordinem & exitum in Noruagia ſumus executi.

Olauus occiſus in diuorum numerum refertur. Lib. 3. c. 6.

Procerum agnomina a beluis.

CAP. 28.

Kanutus quinq; regnis præeſt.

HAC victoria potitus Kanutus, iam quinq; regnorum tenebat imperium. Nam Daniæ ſuæ, per huius belli victoriam, cõiunxit Sueciam cum Noruagia. Emundus enim Sueciæ rex, fortunæ cedens, ad tempus delituit in angulo. Olauus autem (vt diximus) inteſtino bello perijt ab ijs qui Kanuto fauerant. Frater eius Haraldus, potentiam fugiens Kanuti, in Conſtantinopolim ſe contulit, ibiq́; permanſit Kanuto extante. Cæterùm Angliam iamdudum tenuit in poteſtate. Sed & Normanniam in littore Galliarum, pulſo nuper Richardo duce, germanæ ſuæ contemptore, ditione tenebat. Nec his contentus ditionibus, eximio ſui fulgore etiam Romanum illuſtrauit imperium: equidem eius principi Henrico, qui fuit eius nominis tertius, Conradi Imperatoris filius, filiam Gunildam nuptam tradidit. Eundemq́ue paulò pòſt Italica conſternatione perculſum, auxilio proſecutus, priſtinæ fortunæ, preſſa rebellium conſpiratione reſtituit. Magnum erat cernere in comitatu Imperatoris, quinq; regnorum moderatorem regem. Inde reuerſus, natu maiorem Haraldum filium Angliæ, Knutonem Daniæ, Suenonem Noruagiæ, quem ex Aluina coniuge ſuſtulerat, ſine vlla maieſtatis ſuæ diminutione præfecit. Quamuis enim tres prouincias totidem filiorum regimini tradidit, nihilominus tamen ſibi commune trium imperium reſeruauit, neq; rerum ſummam penes alium conſiſtere voluit. Eſtritha autem ſoror cum marito in Sueciam profuga, filium eſt enixa Suenonem,

poſtea regem illuſtriſſimum, ſobolis interuentu viro fratris gratiam reparauit. Cæſar quoq; ex Gunilda filium æquè fortuna & vocabulo Magnum ſuſcepit, à quo illuſtrium Teutonicorũ imagines, ſplendidaq; Germaniæ lumina ſucceſſionis ſerie pullulaſſe produntur. Kanutus autem rex, cuius inclyta per vniuerſam terrã erat fama & inſignis gloria, eadem conciliante ingens robur militum contraxit. Nam qui erat fortitudinis robore præſtans, huius intereſſe regis militiæ præclarũ duxit. Quo factũ eſt, vt fortiſſimorum militum ad illum vndecunq;, ex omni natione, magna ſemper frequentia confluxit. Aderat inter alios Gothſcalcus, vir in noſtra Wandalia cum multa laude memorandus, qui fortiſſimis apud hunc regẽ operis, regij ſanguinis coniugem (vnde ſuſcepit Henricũ filium, æquè memorandũ virum) promeruit. Longũ eſt cõmemorare quo ſplendore familia, qua honeſtate omnis eius militia fuit, vt inter diſſonas multorum linguas mirabilis conſenſio cerneretur. Ea fuit optimi regis diligentia, vt optimis legibus patriã, ciues, milites, intra honeſtatis præſcriptũ contineret. Tulit legem de ſingulis rebus, omniaq; præuidit quæ ab optimo legũ latore ſunt prouidẽda. Et quum inter alia homicidio quoq; pœnam decreuiſſet, accidit vt ipſe ſuæ legis præuaricator, occiſo milite inueniretur. Quumq; factũ maieſtatis reuerentia tueri potuiſſet, militari ſe animaduerſioni ſubſtrauit. Illi concione lacrymantes egreſſi, deliberatione inita, triſtem de rege ſententiam ferre vt minus honeſtũ, ita parum vtile peruiderunt: non ignari, ſine eo eſſe ſe vacuum ſine ſpiritu corpus. Igitur in tam ardua re ſententijs dubij, proprio regem arbitrio mulctandũ ſubiecere, ex reo iudicem ſtatuentes: ſatis graues eum delicti pœnas dediſſe arbitrati, qui ſe in tanto fortunæ faſtigio, tam ſuppliciter abijcere ſuſtinuiſſet. Rex culpam ære redimẽdam conſtituit. Quumq; aliàs homicidij crimen quadragenis nummi talentis expiari ſoleret, ipſe ſibi trecenta talenta mulctæ nomine indixit. Huic ſummæ nouem auri talenta adiunxit. Totius verò pecuniæ partem ſacris primam, alteram militibus, tertiam infecto ſanguine coniunctis adiudicauit. Egit humanum iudicem, reum liberalem, atq; optimum ſuarum legum confirmatorem.

Gothſcalcus Sclauus. Lib. 2. c. 3. & antè libro 2.

Kanutus legum etiam à ſe latarũ ſanctionem ſubijt.

CAP. 29.

OMNIBVS in regno Daniæ cæteris compoſitis, Normanni in Galliarum littore ſedentes, quòd nuper Richardum ducis germanum, ſuæq; germanæ repudiatorem armis exegiſſet, grauius ferentes, imperata facere detrectabant, aperta iam rebellione in eum concitati, magna in eam regionem claſſe traiecit. Vbi paulò pòſt triſte de Haraldi fato nũcium quum accepiſſet, propior publicæ expeditioni quàm priuato affectui, agmen eadem qua prius celeritate promouit: neq; animo aut officio, quò minus inſiſteret cœpto, remiſſior fuit: ſed neq; oculos ad ſingularem luctũ à generalis militiæ contemplatione deflexit. Adeò rerum ac temporis ſtatum, inter fortem patrem ac ſtrenuum ducem, egregia animi moderatione diuiſit, nec minus in toleranda filij morte quàm hoſtium appetenda, perſpicui roboris ſpectaculum præbuit. Interea Kanutus, ob graues militiæ labores aduerſa valetudine preſſus, quum ſe corporis firmitate defectum ac mox ſpiritu cariturum animaduertit, cõuocatos proceres, non niſi bello confecto domos reuerti iuſſit: haud dubiè victoria potituros, ſi funebri eius lecto humeros in acie ſubiecixſſent, atq; inter primos præliantium globos, ducis nomine corpus ſuum exanime prætuliſſent: idq; fugato hoſte, quò clarius cinerum ſuorum monumentum extaret, apud Rotomagum, permiſſa ab indigenis libertate, ſepulturæ mandarent: facilè vſuros conditione Normannos, iam Gallos, ſi illico hoſtem finibus ſuis exceſſurum cognoſcerent. O immenſam morituri regis induſtriam, quæ ſuis in vltimas rerum anguſtias deuolutis, diſciplina quàm ſpiritu viuidior fuit. Equidem ſuperſtitum ſalus decedentis ingenio ſtetit. Nam corpus eius funebri lecto à militibus in acie perlatum, ad Danorum vſq; victoriã veluti viua adhortatione profecit, vt non minus extincti quàm ſuperſtitis fortunæ pondus ineſſe crederes. Cui mox ſepulturam, diſceſſuros ſe pacti, à Rotomagenſibus expetiuerunt. Rapuere conditionem hoſtes, cineribuſq; eius in ſua vrbe acquieſcendi locum dederunt. Ita milites ſuſcepti monitus ratione, pugnam, pactionem, ſepulturam atq; exequias proſecuti, fato functum humeris ſuis regem in aciem pertulerunt, victoreſq; funerato eo, ſumptis tãtùm commeatibus ad propria redierunt. Hunc Kanutus exitum habuit, quo nemo Danicorum regum (tametſi

Kanuti in Normãnica expeditione ægrotantis, de ſepulchro mandata.

Kanuti laudes.

(tametſi plura alij victoriis illuſtrauerint) ſplendidior fuit. Adeò enim operum eius magnitudinem propitiæ famæ fides auxerat, vt quos rerum geſtarum gloria pares habuerat, claritatis amplitudine excellat. Quumq; aliorum ſplendorem ignorantiæ obſcuritas ac vetuſtatis rubigo pederit, hoc decus lõgâ famæ vſurpatione ſubnixum, perpetuis memoriæ fructibus reuireſcit. Equidem ſanctitate ac fortitudine inſtructiſſimus, non minus religionem quàm regnũ proferre curæ habuit. Quippe quum bellicis latè titulis inclaruiſſet, placidiore ſtudio vſus, ex fiſco ſuo, cõpluribus in locis, priuatorum clericorum conuictu inſtituto, cellarum frequẽtiam nouis auxit cõuenticulis, ſacrorumq; venerationem (quam maximam ſemper exhibuit) regiarũ opum impendio ſtipendiis multiplicauit. Monachalem quoq; ordinem vberiorẽ reliquit, ne ferociæ propior quàm pietatis officijs videretur, æquã ſibi vtriuſq; laudem aſciſcere cupiens. Cuius ſtudij induſtria ad tantum claritatis lumen acceſſit, vt quum fortiſſimorũ regum bellica virtus antiquitate exoleuerit, eius famam gloriæ quæſtu opulentiſſimam, tenaciſſima poſteritatis agnitio comprehẽdit. Hæc ſunt ferè omnia noſtri Saxonis ad verbum de rege clariſſimo teſtimonia.

KNVTO filius, iam viuo patre, Daniæ regno præſidens, in eius per mortem poſſeſſione firmatus eſt. Interea Sueno ex ſorore Kanuti nepos, Vlfonis ducis & Eſtrithæ filius, Angliam pro conſobrino tenebat, defendebatq;, poſitis in opportuna loca militum præſidijs. Sed non eadem fortuna Noruagiæ. Nam Suenone Kanuti filio, ante patrem rebus excedẽte, in fide regis illo extante permanſere: vbi verò certum de Kanuti exitu nuncium accepere, Magnum Olaui ſancti regis filium, & paterno reſpectu, & ſuæ virtutis merito erexere regem, Daniç rebellantes. Knuto autem inter primordia regni vtriſque ſatis eſſe non potuit confringendis, fecit quod neceſſe fuit, ne maioris Agliæ regni damno afficeretur, minoris defectionem pactione excipiendam putauit. Euocato enim Magno pepigit cum illo, vt vter eorum ſupereſſet, vtriq; regno præeſſet, pactionemq; iureiurando ab ipſis & vtriuſq; regni proceribus præſtito, fœdere firmauerũt. Adeò enim Daniam Noruagiamq; vnius eſſe regiminis affectabat Knuto, vt alteram alteri ſubijci, quàm vtranq; ſeparatum regnum gerere præoptarit. In hanc pacti fidem rebus compoſitis, in Angliam expedita claſſe mouit. Quumq; cuncta Suenonis induſtria pace pleniſſima comperiſſet, Eduardum fratrem vterinum, quem eiuſdem nominis pater ex Imma communi duorũ matre ſuſtulit, (nam Eduardo vita functo, Immam Kanutus vxorem accepit) in regni ſocietatem aſciſcit, non quòd fraternum in illo affectum magnoperè percoleret, ſed vt eius ambitionem largitate & munificentia præcurreret, regniq; parte potitum, totum capere prohiberet. Itaq; nõ tam veneratione charum, quàm popularium ambitione, paterniq; generis autoritate ſuſpectum, conſortem imperij facit. Verùm Eduardo humilior origine animus fuit. Equidem obtuſi admodum cordis obſcuriorem indolis experientiam præbuit. Knuto quum bienniũ regnaſſet, diem ſuum obijt, nullo relicto ex ſe hærede. Ita ſtirps illa magnifici regis breui conſumpta eſt, filijs, quos multos genuit, ante patrẽ excedentibus, ſolo Knutone (quem diximus) ſupetextante. Quo etiam abſumpto, nemo coronæ propior Suenone viſus eſt, ſi non illum excluderet pactum iuramento firmatum.

CAP. 30. *Knuto cum Magno pactum facit.*

MAGNVS Olaui martyris filius, pactione quam cum Knutone inijt, regnum etiam Daniæ aſſequitur. Sueno quidem ex germanis Kanuti editus, adoleſcens incõparabilis, & ſi magno iuris vinculo contendere multorum fauoribus niteretur, qui & ſanguini & virtuti eius deferrent plurimum: peruicit tamen apud viros graues, & religionis ſacræ cultores, vt pactio ſacramẽto firmata, ſanguini præferretur. Angliam quidem ſibi ſaluam manere confiſus eſt, quòd multis procerum, partim paterno ſanguine, partim ſuis meritis eſſet chariſſimus. Spemq; eius vehementer adauxit conſortis Eduardi ſocors ignauia. Securus ergo de Anglia, Daniam ſibi cõciliare tentauit: ſed excluſit illum vis (vt diximus) pactionis. Igitur dum pariter regnis duobus Sueno inhiauit, vtroque deſtitutus eſt. Nam Haraldus Guduini filius, Suenoni arctiſſima ſanguinis coniunctione deuinctus, Angliæ regnum Suenone nauigãte inuaſit. Nihil certè tam ſanctum, quod regni cupido non ſubuertat. Nam Danicis militum præſidijs, quæ Sueno diſtribuit in ordines, per conuiuia exceptis,

CAP. 31. *Magnus Daniã ex pacto accipit.*

Dani vna nocte in Anglia caſi.

vbi vino pro gentis conſuetudine abundãtius hauſto percaluere, immiſſis percuſſoribus omne nomen Danicum per Angliam extinxit. Ea nox paruulo temporis momento, vetuſtam dominationem, maiorumq́ue virtute elaboratum finiuit imperium: ſed neque poſtea Danis fortuna reſtituit. Ita Anglia dominandi ius ignauia perditum, ſcelere recuperauit. Sed Haraldus nomen quidem regium Eduardo reliquit, ſibi verò ius adminiſtrandi regni vſurpauit, vt ille nomine, iſte re haberetur rex. Contentus maieſtatis inani nomine, multa interim aluit in regni viſceribus ſcelera. Sed non diu paſſus illum regnare Haraldus, regem oppreſſit, regnum inuaſit.

Sueno aduerſus Magnum malè pugnat.

Interim Sueno quum vtroque pariter regno deſtitutus haberetur, cum magno de Daniæ rerum ſumma bello fortunam tentare ſtatuit. Maritimis viribus congreſſus, vincitur Sueno: inde equeſtri agmine concurritur in Iutia. Victus & ibi Sueno, ſuis contemptui hoſtibus ludibrio fuit. Inde in Sialandiam Scaniamq́; traijciens, Succiam adire decreuit, ſpem conſtituens in nonnullos, quos ea regio aluit ex paternis amicis. Sed interim Magno nunciatur Wandalorum in Iutiam irruptio. Nam vir eius gentis primarius, quum nuper inter Danos duodecim filiorum ſolatio eſſet deſtitutus, vindictam peragere decreuit ſui etiam ſanguinis impendio, vt qui ſe potiori vitæ ſuæ parte ſpoliaſſent, aut ipſi pœnas meritas darent, aut quod ipſum ſupereſſet modicum vitæ ac ſanguinis, pariter haurirent. Magnum verò inter binos hoſtes agentem, quem ſequeretur dubitantem, populares precibus aggreſſi, peruincunt vt externum Wandalorum prior agmen aggrederetur, vbi gloriæ amplius, & inuidiæ minus eſſet in victoria. Quippe & Sueno non carebat amicis, qui illi conſultum rectè vellent. Fecit Magnus quod monuere populares: nam in Iutiam comportatis copijs Wandalos aggreditur, ſpe certus, quòd ſomnio monitus, victoriam conſequeretur.

Magnus Wandalos vincit.

Non defuit exitus quem nocturna viſio demonſtrauit. Solet quippe vel ipſa diuinitas, vel vis de cœlo, ſe quieſcentibus infundere, & futura inſinuare. Fugatis ergo Wandalis, charior & commendatior eſſe cœpit Danis rex æternæ gentis, qui tantum in tuitione regni poſitum credidit, vt domeſticum hoſtem negligeret, dum publicum auerteret. Inde ad inſequendum regem æmulum conuerſus, in Sialandiam Scaniamq́ue arma portauit. Sed ille reparandarum virium in Dania ſpe deſtitutus, in Sueciam ſe contulit Sueno. Gothſcalcus autem vir clarus, Wandalici ſanguinis, diu Suenonem ſecutus, (quem abuſque memoria Kanuti in militia cognitum, veneratus eſt) vbi vidit iam ſpe vacuum ſe in Sueciam recipientem, patriam & ipſe quæſiturus, dimiſit. In qua qui illi ſucceſſus, quiq́ue fuerint rerum apparatus, & quis illum exitus expetierit, in Wandalia noſtra recenſuimus.

Lib. 2. c. 47. & libro 3.

Sed Magnus rex dum adhuc agmen inſequendi Suenonis gratia duceret, fortè leporem conſpectum equo inſidens ſecutus, extantem de terra frigoréque duratum ſtipitem, equo ſublabente excipiens, in latere mortalem perpeſſus eſt ictum: vnde breui conſecuta morte, Suenonem anguſtiſſimis fortunæ caſibus implicatum, ex profugo regem fecit.

Sueno Magni morte rex.

Ita omnium mortalium ope defecto, præſidium ſupernæ pietatis affulſit, regnumq́ue quo illum fortunæ iniquitas ſpoliauit, eiuſdem beneficium reſtituit.

CAP. 32.

SVENO Kanuti Magni ex ſorore nepos, Vlfonis ducis filius, omni poſteritate Kanuti ſubtracta, Magni caſu mortéque vacuatam regiam occupauit. Sed illi diu fuit laborandum, quò inter proceres redintegrato affectu, priſtini belli aboleretur memoria. Diu enim ſemel hauſtum penitus odium inhæret, nec niſi aut magno aut diuturno virtutis facinore aboletur. Prouenit autem Suenoni ſuperna miſeratione fidele conſilium in Wilhelmo, natu quidem Anglico, ſed iam Danicis rebus ita inſueto, vt à Magno Kanuto, cui proximus ſcriba eſſet & ſcriniarius, in hos vſque dies Daniam percoleret. Is autem ſuo merito ſedem Roſchildenſem pontificis accepit, cuius ad eos vſque dies tam lata ditio vigebat, vt omnis illi Scania ſubderetur. Sed ex illo tempore melius rebus conſuli cœpit, vt ampliſſima Scaniæ prouincia duobus ſuis pontificibus crederetur, Lundenſi atque Dalbienſi. Sed ex his alter poſtea cœpit in abolitionem tranſire, ſolo Lundenſi (qui nunc eſt archiepiſcopatus) permanente. Sueno autem non modò Dania contentus,

etiam

Sueno ab Haraldo reduce ſuperatur.

etiam Noruagiæ, per Magnum vacuatæ, cœpit inhiare. Reuerſus autem Conſtantinopoli Haraldus Olaui frater, regnum inijt: ſed à Suenone bello nauali impetitur. Victus tamen apud Iutiam Sueno conceſſit in Daniam, vbi renouatis apud Sialandiam Scaniamq́; viribus, ad bella redit, nec impiger Haraldus occurrit. Vbi in conſpectum mutuum alternæ venere claſſes, proſpiciens Sueno longè ſe hoſtium multitudine vinci, quod numero deerat, ab ordine mutuatus eſt. Equidem collocatis in ſubſidia nauibus, non totis ab agmine viribus ſtatuit concurrendum, ſed vbi opus euenerit, ſubſidiarias iuſſit adeſſe. Magno animorum impetu concurſum, magnis diu viribus fortiter pugnatum, obnixiq́; in alterutrum certi erant non cedere. Eam pugnam fecere inſignem paucorum ex Dania militum miracula. Conſpectus eſt, qui enodi trunco correpto, hoſtilem in nauem ſpe plenus aſſiliret, vnus homo turmam agens, omnes propugnatores à puppi in proram detrudens, & ab illis ſine vulnere deceſſit. Nox prælium diremit. Cuius beneficio Scanij iam victoriæ ſuæ partis diffiſi, agmini ſe clàm ſubducunt, flumen repetentes: inde terreſtri itineris compendio in ſua dilabuntur. Reddita luce, rex Sueno damnum ſenſit ſubtractæ partis Scanicæ: indignatusq́; deſertoribus, fortunam armis quàm fugæ dedecus inire maluit, penſante numerum virtute. Igitur diu fortiter præliatum eſt. Sed quum Noruagij numero alternantium pugnam variarent, defatigati Dani multos amiſere, partim cæſos, partim captos. Tertiò deinde fortunam pertentare ingreſſus Sueno, maiore conatu copias congerit, nec Haraldo defuit prouidentia nouarum virium. Ibi Sueno tertiò etiam victus, victori conceſſiſſet, niſi ille auocatus, maioribus rebus animum adiecíſſet. Equidem Haraldi (quem in Anglia diximus occupaſſe regnum) fratres natu minores, pertæſi ferre germani inſolens imperium, ad Haraldum Noruagiæ confugiunt, præſidium ab illo poſtulantes. Ille ſublatus animo, operas pollicetur. Nam pacti erant, ſe ac regnum Noruagiæ regi ſubijcere. Ille imperij auidus, claſſem inſtruit, ducitq́; in Angliam, Haraldo occupatori occurſurus. Per idem tempus Normanniæ in Galliarum littore dux, & ipſe ſpe propagandi imperij tractus, duxit in Angliam. Geminis ergo hoſtium petitus agminibus Angliæ ductor Haraldus, ſecum deliberabat cui primùm occurreret, proſpiciens tamen ne iunctis copijs vnà incurrerent. Igitur dum ille dubius pendet, Noruagij cunctationem eius a timore profectam interpretati, expoſitis in terram copijs, paſſim ſine ordine ſparſis armis populabundi incedebant. Quod obſeruans Haraldus, in eos quadrato duxit agmine. Itaque palantes ac longè ſparſos facilè ſuperauit, multis eorum trucidatis, vt iam nihil illi formidandum videretur ab illo agmine. Inde maiori fiduciâ Normannos iam è Gallia ducentes aggreditur. Sed illi cautius in ordinem actis militibus confligunt cum Anglis, illosq́; ſuperant. Nam rex ex fuga delapſus, agreſti tugurio deprehenditur, cuius duo filij confeſtim in Daniam cum ſorore migrauerunt. Quos Sueno rex, paterni oblitus in ſe facinoris, conſanguineæ pietatis more excipit, puellámque Rutenorum regi Waldemaro (qui & ipſe Iariſlaus à ſuis eſt appellatus) nuptui dedit. Quo tempore Daniæ regnum ſub Suenone priſtinæ fortunæ ſtatum demutans, ad bonum modum refloruit. Nam inter ſuos illuſtris, apud exteros celebris habitus, in diuina religione zeloſus atque feruens habebatur, ita vt ſacras ædes multas ſuis ſumptibus aut erigeret, aut illuſtraret. Hanc autem virtutum claritatem ſola libido infuſcabat. Multis enim concubinis per tempora variatis, multos exindę filios ſuſtulit, quorum aliquot regnum meruere poſt patrem. Cõplurium enim illuſtriũ puellarum caſtitate delibata, ſicuti nullum ex matrimonio, ita plures ex pellicibus filios progenuit. E quibus fuere cũ Gormone Haraldus, cum Suenone Omundus: his acceſſere Vbbo, & Olauus, Nicolaus, Biorno, atq; Benedictus, paterno quàm maximè, materno quàm minimùm ſanguini reſpondentes. Conſimilis copulę obſcuritas, Kanutum & Ericum, maxima Daniæ lumina & ornamenta progenuit. Sed & filia Syritha, quæ poſtea Gothſcalco Wandalo coniunx acceſſit, inde orta proditur. Crebrioribus tamen ſuorum querelis monitus, legitimi matrimonij toros quęrebat, frænis licentioſæ libidinis in poſterum coercendis. Sed dum alterum

Haraldus Noruagys deuictus, ab Anglis ſuperatur.

Sueno ex concubinis tãtum liberos ſuſtulit.

malorum euitat, incidit in alterum. Nam inconceſſam venerem fugitans, maiori flagitio Gutham Sueciæ regis filiam, arcto ſibi ſanguinis vinculo cōſtrictam, duxit vxorem, crimen crimine fugitans maiori. Sed non ſiluere pontifices Eginus atque Wilhelmus, ſacrorum interdicta canonum illi crebrius repetentes opportunè importunèq́; vt aliquando indignationē regi exprimerent. Nec veriti ſunt boni pontifices regis iram pro veritate ſubire: non enim ſiluerunt. Vbi autem obſeraſſe ſuis monitis aures perſpiciunt, ad Hamburgēſem archiepiſcopum (qui tum erat Adalbertus) legationis & adminiſtrationis iure, prouincijs illis præſidentē, confugiunt: rem aperiunt, orantq́; vt regem pro ſuæ legationis officio commonefaceret, quando apud illum minus valuit autoritas ſuorum in regno ſacerdotum. Fecit ille quod debuit: miſſis oratoribus regem paternè admonuit, abſtineret ab illicito coniugio. Vbi non attendit, cōminationem cēſurarum adiecere. Ille arma viciſſim ſua comminatus eſt, gladium eccleſiæ ſuo gladio vindicaturus. Non deſtitit tamen archiepiſcopus literis regem crebrius commonere. Sed contumacem perſpiciens, gladio ſuo diſtrinxit, excommunicans vtroſq́;. Prçualuit tādem apud bonum regem perſeuerantia pontificum. Nam ſano acquieſcens conſilio, cōſanguineam ſuam dimiſit. Illa verò fœmina illuſtris ac prudens, viduitatis habitu ſumpto, ſecundum caſtitatis gradū arripuit, ſolerter emendans quod deliquiſſet: Deoq́; ſeruiens in ſanctitate & iuſtitia, coram omnibus religioſa domina, in pauperes & baſilicas multa bona erogabat. Inde conuerſus rex, fœminæ exemplo, in diuinam religionem excolendam, magnū vndecunq; in clero bonorum ordinem virorum contraxit, in quibuſdam ſcientiæ acrimoniam, in alijs religionem ac vitæ ſanctitatem veneratus.

Sueno ob inceſtas nuptias à pontificibus caſtigatus, tādē reſipiſcit.

CAP. 33.

ERAT inter alios eius ordinis viros, quos religioſa vita regi commendauit, Sueno quidam Noruagicus, literis minus pollens, quem tamen pro ſua virtute & vitæ ſanctitate ad pontificium rex prouexit. Inuidebant doctiores ſimplicitati: & vbi diuinum coram rege ab illo peragendum fuit officium, clàm ſubducto antè codice, locum eraſerant, vnde ſimplicitatem apud regem irriderent. Ille quod reperit, putans emendatum, recitauit, aliorum perinde calumnijs expoſitus. Sed rex inſpecto codice dolum deprehendit. Vir ille bonus, etſi ætate maturus, hunc tamen in ſe defectum ſingulari diligentia atq; induſtria ſuperauit. Nam elongatus paucis annis à ſuo grege, literis inſtitit, & multis irriſoribus ſuis doctior eſt reuerſus. Huius deinde viri atq; Wilhelmi cōſilio rex cuncta gerebat. Primus tamē ad omnia Wilhelmus Roſchildienſis pontifex ſemper erat, regibus diu aſſuetus, & fide cōſpicuus. Interea quum peruigilio Dominicæ circumciſionis, (quod eius atq; vicinarum nationum more, conuiuialitet agitur) duos ex procerib. inter pocula licentius de rege locutos cōperiſſet, rex ipſe linguæ inter conuiuia libertatem arbitratus aliud præferre coniurationis iudicium, feruore iracundiæ correptus miſit ſatellites, qui duos illos in æde ſacra ſanctæ Trinitatis confoderent. Quod quum ſcelus pontifex ſacra facturus comperiſſet, ingemuit: nihil tamen ad circūſtantes locutus, ſacris iam indutus, arrepto baculo, quum tempus eſſe conſpiceret adventuri in ædem regis, ſtabat ad fores: & venientem non (de more) in occurſum prodiens excepit, ſed propinquantem baculo paſtorali æde prohibuit. Stimulum pectori adijciens, Indignum, ait, ſacrario virum, qui humano id ſanguine polluiſſet: oblitus paulíſper regis familiaritatem, dum ſeuerum ageret pontificem. Stringere gladios videbantur qui aderant, ille ceruicem adhibuit: rex autem vim fieri vetat. Regreſſus in regiam, ſecum perpēdit ſuum atq; pontificis factum: ſeq; ipſum reū conſtituens, regalem poſuit habitum, pœnitētis aſſumpſit, & nudis pedibus, capiteq́; detectus, redijt ad eccleſiæ fores. Quod vbi pōtifici nunciatum eſt, properauit ad illum, pœnitentis faciem accipiens, cumq; flente pariter flens, flentem plorans reduxit in eccleſiam, ac ſolenni reconciliatione loci (de more) interpoſita, diuinū peregit officium, magis regi conciliatus per eam quam peccanti obtenderat ſeueritatem. Laudis plenum vtriuſque factū celebratur: in illo pontificalis officij ſeueritas, in iſto regalis faſtigij digna factis exinanitio collaudatur. Ea res inextricabilem regni ſacerdotijq́; concordiā eſt operata. Quippe rex antiſtitem non ſolùm in eodem amicitiæ gradu habuit, ſed etiam maioribus dignitatis incrementis donauit. Rex autem in ſatisfactionem, muneris

Scientia inflat.

Pōtificis in caſtigando regis ſcelere magnanimitas, & regis demiſsio.

netis loco, Stiffnyæ prouinciæ dimidiũ æris à ſe conferri publicat. Inter multos autem quos (vt diximus) ex concubinis rex habebat filios, Kanutus eminebat & ingenij acrimonia, & rerum gloria geſtarum. Quippe nauibus comparatis, Oriẽtalium Semborum Eſtonumq́; piraticam repreſſit, nullos pro patria recuſans labores ipſe peregit, quorum pro ætate vix ſpectator eſſe potuiſſet, effecitq́; vt fratres natu maiores, ſplendore ſuo penitus obſcuraret. Suenonem tãdem regem vltima ſenectute apud Suddathorp Iutiæ oppidum febris repentina corripuit, ac indies inualeſcens, futurum nec longinquum vitę ſuæ exitum demonſtrauit. Ipſe pro Chriſtiana conſuetudine, ſacramentis eccleſiaſticis rite munitus, quum corpus Roſchildiam deferri mandaſſet, exhalatum Deo ſpiritum remittebat. Præcurrens autem nuncius Wilhelmo pontifici regis exitum nunciabat. Tum ille datis amico regi lacrymis, ſepulchrum iuſſit effodi corpori regio, nec minus aliud vicino loco mãdauit excauari. Mirati miniſtri quid viuentis ſibi monumentum effodi iuſſum vellet: ſtupentibus præceptum ingeminauit. Non auſi detrectare, miniſteriũ implent. Inde ſumpto pro itinere comitatu, obuiam funeri pergit. In via ſpeculatus qui ligna ſcinderent, iuſſit proximo miniſtro, vt inde comparatis tabulis, ſui corporis capacem proſcindat formetq́; ſarcophagũ. Stupidus miniſter non audet recuſare miniſterium, implet ergo iuſſionem. Vbi ventum eſt in conſpectum regij funeris, iubet ſtare vtriuſq; ordinis multitudinem. Ipſe equo delapſus, orãtis in morem ſuper inſtratam culcitram ſternitur, diuq́; ſuſpirabundus expectatur. At vbi ſe deſijt iam cõmouere, ab ijs qui affuere ſacerdotibus admonetur temporis, vt ante ſolis occaſum perueniant in vrbem: impulſus, iam riguiſſe ſentitur. Quid multa? diligentius intuentibus vita functus inuenitur. Iam opus erat quam paulò antè formari iuſſit, tumba. Venit in mentem cõſcijs, quid ſibi vellet iuſſio ſepulchri iuxta regium. Itaq; iuncta regis & pontificis funera in vrbem deducũtur: vnis exequijs concordium, dum viuerent, principum memoria peragitur: amborum corpora coniunctis tumulis demandantur. Hæc ſunt veneranda amicitiæ ſtipendia. Sueno Noricus ſacrorum ſuſcipit curam, regiæ ſucceſſionis diu ſors pendebat ambigua.

Kanuti praſtantia.

Rex & pontifex in vita amici, in morte non ſunt ſeparati.

CAP. 34.

Diſſenſio in rege deligẽdo, Haraldo & Kanuto ambientibus.

HARALDVS inter Suenonis filios natu maior, ſola annorũ ſuffragante commemoratione patri ſufficitur. Nam maior procerũ numerus etſi Kanutum animi corporiſq́; dotibus præſtantiorem non ignorarent, memores tamen, quantis ab illo laboribus periculiſq́; iam ſub parente adhuc militante eſſent impliciti, in Haraldum inclinarunt. Non deerant tamen quibus habendus inter fratres virtutum delectus videretur, vt eum regno præficerẽt, qui patriæ decus, ciuibus pacem, militibus gloriam pareret. Igitur vbi res in diſſenſionem reſpicit, indicitur regni conuentus apud Iſoram portum. Ibi quicquid Danię procerum eſt confluit, ſuiſq́; partibus ſuffragaturi. Et quanquam regij filij numero plures haberẽtur, ceſſere tamen duobus cæteri, quòd alium ætas, alium verò rerum geſtarum ſplendor cõſpectaq́; virtus commendabat. Diuerſis ergo conuentus regni partibus, Haraldus atq; Kanutus inter ſuos concionabundi inceſſerant. Haraldus primitiuum ſibi ius eſſe ab annis, quòd etſi Kanutus armis exercitatus ſit, ac bellis implicitus, quum ſit ipſe quietus & tranquillitati deditus, meminerint proceres quid ſuis rebus ſit commodius. Senſiſſe iam illos quibus ſumptibus, quibus laboribus & periculis obiecti ſint à Kanuto, quum adhuc ſub parente militem ageret. Æſtiment quid ſperandum ſit illis, quũ ad ſceptra peruenerit. E diuerſo Kanutus ſuis quoq; ante oculos ponebat, cum ſumma tamen verecundia, (vt gloria inuidiã non mereretur) quæ ille iampridẽ pro purgando piraticis improbitatibus mari, pro illuſtranda apud vicinas nationes patria, pericula pertulerit, labores exantlauerit: ſibi ſuiſq́; rebus in poſterũ conſulant. Non eſſe modeſtiæ ſuæ, in maiore fratre ſuo quidquam carpere, eſſe illis liberum de rebus iudicium. Si maioris habeãt fratris rationem, ſe non deſerturum quæ pro gloria Danicæ nationis inceptauerit. Illorum nunc ſentẽtijs de ſumma rerum pendere arbitrium, ſe in vtramq; partem æquo ſtare animo. Quum iſta inter ſuos Kanutus loqueretur, iam magna pars procerũ, accurrente illi multitudine populi, Haraldum regem declarauit. Compertũ eſt, quod alijs ad ſuffragia ſolet opitulari, clarum eſſe reb. geſtis, id Kanuto nocuiſſe. Mira res: Ita ſunt hominũ iudicia, vt quod

Haraldus rex renunciatur.

minus expectant, crebrius eueniat. Haraldus fratri nuncium facit, nequaquam illi de regni ſumma eſſe contendendum, niſi armis eligat decertare, ſe eſſe iam regem procerum ac populi ſuffragijs declaratum. Kanutus iam cernens rerum inclinationem, tribus ſolis roſtratis nauib. abijt in anguſtiſſimas Scaniei maris fauces, regno carere iuſſus, cuius ipſe incolumitatem capitis ſui periculo ſæpe conſeruauit. Vbi fraterna legatione regni communionem ſpondēte reuerti eſt monitus, ſpretis pollicitationibus (quum non ignoraret quid regni cōmunio periculi contineret) abijt in Sueciam. Haraldus in dies octo cōſilio inter ſuos habito, quibuſdam patriam legibus, vt erat pollicitus, adiuuabat, de prouocationis iure, deq; cæteris iuſtitiæ diſtributionem continentibus. Duelli vſum abſtulit, ſacramenti religionē cunctis teſtimonijs antepoſuit. Quæ res initiò cōplacita, magnam multis perniciem importabat, quòd æternæ ſalutis immemores, pro rerum cōmodo temporalium deierabant. Rex autem ſacrorum ritibus deditus, legum à ſe latarum executionem poſthabuit, ignarus, plus Deo ſinceram regni adminiſtrationem, quàm inanis ſuperſtitionis momenta placere, ſeueræ iuſtitiæ cultum ſuperuacua precū adulatione gratiorem exiſtere: diuiſa eſſe regis publici adminiſtratoris iuſtitiæ, ac priuati cuiuſquā ſibi viuentis officia, diuinum plenius à rege numen propitiari iura quàm thura incendendo. Vnde factum eſt, vt Haraldo rege nuſquam inuigilante cōmodis ſubditorum, multorum ſit alita audacia, impunita nequitia: quod crebros pauperum clamores excitabat. Sed conſuluit rebus diuinitas, regem ſibi ſoli intendentem de medio faciens, vt Kanuto ad res gerendas vigilantiori locus fieret. Igitur regnando biennium emenſus Haraldus, conceſſit in fata.

Haralds leges.

CAP. 35.

KANVTVS etiam fratris morientis cæterorumq; ſuperſtitum ſuffragijs in regnum accerſitur, bellumq; quod adoleſcens inchoauerat, iuuenis proſecutus erat, iam regno ſublimatus, finiendum putauit, maiore nunc quàm prius accedēte cauſa, quòd pridem patriæ claritatem quæritabat, nunc verò publicis rebus præfectus, etiam ſalutem eorum curandam debuit ſuſcipere, quorum priùs tributa depopoſcit. Vt ergo Chriſtianam religionem iam in Dania diuina miſeratione firmatam, Orientalibus etiam populis communem faceret, maiore quàm prius apparatu bellum auſpicatur. Mouensq; in illos, Sembonum, Curetum Eſtonumq; prius regna extinguere, quàm contumacem populum poſſet ad ſacra compellere: vbi ſe fruſtra niti vidit, impoſito illis tributo in patriam eſt reuerſus. Primamq; curam fecit circumſpiciendi matrimonij, quòd parentis in ea parte non probaſſet errata, Ethlam Flandriæ Roberti comitis filiam accepit vxorem. Magnum deinde laborem inter proceres creauit Haraldi diſſimulatio. Nam libertatem impunitatemq; delinquēdi, ſub Haraldo permiſſam, etiam nunc requirebant. Et illo reluctante, non mediocris illi labor quotidie creuit, cupienti legum ſanctitatem opere impleri, nulli deferens aut ſanguini aut honori. Sacro deinde cultui illuſtrando vigil acceſſit. Aris atq; ædibus ſacris ſtipendia prouidit, pontificum honori cōſuluit. Qui quum à rudi populo, non illo quo par erat loco haberentur, ſciens illos Chriſti & Apoſtolorum vices in terris gerere, inter clariſſimos illis locum deputauit, vt eſſent conſilio intimi, & ſeſſione proximi. Cleri deinde ordines diſtinxit, ignarus, ſacrorum canonum & Imperialium legum ſanctionibus, illum ordinem iam ſuis ritibus ſuiſq; priuilegijs & exemptionibus communitum. Sed nec dum ſatis vulgata iſta fuere in cæteris Chriſtianæ communionis prouincijs, quò magis excuſata ſit Danica religio. Inſtitit deinde rex optimus, decimarum ius ſacris perſoluendarum populo perſuadere. Sed ibi primus eius conatus vanus fuit apud inſuetum eius rei populum, qui regijs exactionibus & multis expeditionibus in militiam grauaretur.

Kanutus armis Chriſtianiſmum prouehere conatus, deſiſtit.

Danica eccleſia nō exactus ordo.

CAP. 36.

PER quæ tempora Sueno Roſchildienſis pontifex templi primarij extructionem, à Wilhelmo inchoatam, perſeuerāter implere conatur. Ex opportunitate viſum eſt Wilhelmi buſta transferre. Quod quum ageretur, nocte inſequente viſus eſt quidā pontificio habitu aſſiſtere ſacriſtæ, qui iuberet illum Suenoni referre, niſi vitæ puritas illum tueretur, animaduerſum fore in perſonam: nunc ſtructuræ demolitione pœnas eſſe ſumendas cōtaminati ſepulchri. Nec dum viſio expleta cernebatur, & templū à fundamentis corruit, & (quod miraculum auxit) ipſe æditnus

Sepulchri religio neglecta ſeuere vindicatur.

inter

inter ruinas permãſit illæſus. Mane facto, quum rerũ euidentia fidem faceret nũcianti, ſtupentibus cunctis, quòd qui in media ruina fuiſſet, videretur illęſus, Sueno reſpondiſſe fertur, viuentis ſeueritas, etiam vita functo inhæret. Reſtitutis inde cineribus ſuum in locum, templum denuo inſtaurauit. Fuere etiam poſteris ſeculis, quibus res ſuperſtitioſa eſt viſa: itaq; buſta contingere nõ veriti Wilhelmi, primùm fragrantiã miram ſenſere. Sed necdũ moti, inſtitere propoſito, donec malè omnes mulctarentur, alius morbo regio percuſſus, alius paralyſi ſolutus, alius etiam membris defectus. Lundenſi quoq; eccleſiæ rex incredibilem munificentiam oſtendit. Nam quartam æſtiuæ penſionis portionem altari dedit, clericorum deinde ſua deputauit ſtipendia, vt non præterita populi cura, aliam quoq; de ſacrorum miniſtris præcipuam impleret. Vtrobiq; vigil: in eccleſiaſticis tamen vltra hoc erat præcipua religione deuotus. Magnam fratrum turbam prouincijs oneroſam, in ſuam euocauit curiam, præter vnum Olauum, Sleſwici præfectura ſuffultum: cæteros, conſtitutis ſtipendijs, ſplendido apud ſe loco habuit. Regios proceres pri mis honoribus vberibuſq; impendijs impleuit. Sed aliquando in animum eius deſcendit paterni auunculi Magni Kanuti inſignis gloria ac latum imperium, recolenſq; quãtum ab eius memoria Danicis rebus deceſſiſſet, (quòd præter Daniam & paucas Orientis prouincias, nihil ille ditione teneret, quum Magnus auunculus quinque regna vno tenuiſſet imperio) cunctis in Dania rebus pace florentibus, reſpexit in Angliam armis recuperandam, quæ ſola plus gloriæ videretur importatura.

Igitur magnis apparatibus expeditionem ſuam cõſtituit, fuiſq; in Angliam edixit. Tum nihil omittens quod ad inſtruendam claſſem, ad arma comparanda, ad cõſcribendos milites pertineret, identidem ducibus ſaciundum imperauit. Sed non erat æqua pet omnes ad res vigilãtia. Primùm quidem de rerum ſumma cum Olauo fratre conſilium habuit, ſuper ordine rerum gerendarum. Ille iam tranſuerſo in fratrem animo, quòd regnum impatienter expectaret, verbo quidem aſſenſus eſt, laudabatq; regis inſtitutum. Sciens tamen quàm iniquo animo multi ex proceribus populoq;, iam longa pace tabeſcentibus, eſſent ad arma, ſperanſq; in regẽ exardeſcere vel inuidiam vel indignationem: ita deceſſit à fratre quaſi rebus inſtruẽdis paratiſſimus: cęterùm ille omnino volebat cuncta ſubuertere. Iam rex cõueniui tempus & locum conſtituit, quo admota claſſis, vno momẽto ventis impellentibus, Angliæ inferretur. Conuenerant ad eũ multæ ex varijs regni partibus copiæ. Olauus, magna pars fraternarum virium, cum alijs paucis expectabatur. Quumq; elapſis aliquot diebus non adeſſet expectatus, rex illi nuncium facit approperet, nec longius moretur in anchoris ſtantem vniuerſam Daniæ virtutem. Pollicetur quàm proximè ſe venturum, nec venit. Miratus rex quæ cauſa tam longas necteret moras, quum nuncijs nihil proficeret, ipſe ibat viſum quid apud Olauũ ageretur. Veniens quietum reperit, & qui nihil minus quàm expeditionem moliretur. Regio de more reſidens, cauſam audit. Vbi nihil dignum tanta mora, ſed ſolùm audit tergiuerſationem, qui fratrem, qui regem, qui dominum fraude petiſſet, iubet vinciri. Detrectat miles ſeuerum miniſterium: regium enim ſanguinem in Olauo venerabatur, nefas exiſtimans, illum probro afficere, quem communi cum rege dominatione ad regnum pertinere iudicabat. Apud eam tamen gentem magnũ contumeliæ genus habitum, carcere hominem includi: nam libertate aſſuetus populus, vincula quàm mortem ducere ſolet grauiora. Ericus autem communis frater, cæteris imperium detrectantibus exequitur, perfidiam accuſans in omnes, multò magis in fratrem. Olauus ergo vinctus, in Flandriam ad regis ſocerum ſeruandus mittitur. Interim claſſis expectatione longæua in faſtidium perducta, ſimul quòd commeatus defecerant, impatienter demorabantur. Qui verò cum Olauo ex proceribus ſenſerant, occultis rumoribus ferunt, (non auſi aperta concione populũ auertere) regem lõgè diutineq; abſuturum: melius exiſtimari, ſi quiſq; domũ repetens, denuo ad regis adſit imperium, quàm ibi demorati, ſine fructu commeatibus deficiant, omniumq; afficiantur incommodo. Valuit in populo diſſeminatus rumor: itaq; ſine autore dilapſi, in propria quiq; redierunt. Rex populi contumaciam conſternatus audiuit, ignarus occultæ in ſe procerũ coniurationis. Occaſionem tamen

Cap. 37. *Kanutus Angliã armis cogitat inuadere.*

Olauus coniurationis ſuſpectus vinctus in Flandriam mittitur.

Kanutus populū ad decimas pendēdas dum adducere ſtudet, coniurationem ſuſcitat.

melioris rei natam arbitratus, ex ea re mulctā, quam optimo iure potuit irrogare, in decimarū ſolutionem cogitauit retorquere. Igitur ex commodo aduocata concione, docuit quanta gloria maiores ſui victricia ſigna circumtuliſſent, ſola militū alacritate freti: qua vna re incredibilia memoratu peregiſſent, diuq; res Danica militari diſciplina conſtitiſſet. Sibi poſt hominum memoriam irrogatam contumeliam, quæ nulli regum, quam etiam nulla poſſit æris magnitudo compēſare. Defectionis autores non facilè reperiendos, quando populariter ea ſit facta dilapſio. Impunè tantam rem tranſire, grauius ſibi morte videri. Si pergant ea in ſuos reges eſſe cōtumacia, omne Danicum nomen interiturum. Permouit triſtis regis oratio milites: igitur militiæ nomine quidquid imponeret erogaturos. Rex grandem in ſingulorum capita mulctam, pro graduū tamen qualitate edixit. Graue quidem: ſed pro magnitudine pudoris, vt regiam indignationem complacarent, alacres ſubierunt. Quos vbi rex comperit, tempus eſſe ratus ſeſe aperiendi: Quid, inquit, ſi hanc mulctam iam a vobis ſuſceptam, in leuiora quædam commutemus, vbi & alio vos debito exoluatis, & regiam nihilominus iniuriam aboleatis? Si veſtra ſponte (quod diuinum nobis ius imponit) decimas eccleſiæ perſolueritis, ego libēs regijs theſauris debitam ſummam remitto. Deliberādi tempus expoſcunt: quo accepto, ſecum expendunt quid horum tolerabilius cenſeatur. Vno quidem impendio geminam laxare obligationē, perutile viſum, ſed ſi vna tantùm penſione res cōſiſteret. Nunc quoniam annuam decimarum ſolutionem res ipſa requirit, perpetuam generi ſuo impoſitam ſeruitutem arbitrantur.

Si verū eſt, cur non primogenitorū quoq;, &c. ius vrgetur?

Nec erant in ea gente, qui non regis inſtitutionem, neq; eccleſiæ impoſitionem, ſed diuini iuris eſſe intelligerent. Igitur ſolidum fit in ea conuentione dandi regi reſponſi decretum, regiæ ſe maieſtati debitores agnoſcerent, vt noxam abolerent, mulctam ſe non recuſare: cæterùm decimarū annuam & perinde perpetuā ſolutionem horrere, quæ illos perpetua ſeruitute cum filijs filiorum contineret. Rex vbi accepit, docere voluit: ſed ſtolidus populus iam indurata fronte non audiuit. Igitur (quod ſubiere) mulctam exigendi conſtituit exactores. Maligni homines, qui optimi regis modeſtiſſimam exactionem vertere in iugum ferreum, vt populi in regem ſuum cumularēt indignationem. Ea igitur inſtituta æris ſolutione, qui præerant collectæ, omni curabant diligentia, vt coniurationem occultam, quam cum Olauo fratre nonnulli proceres ſubiere, ad quammultos propagarent. Facilè ſerpit indignatio, vbi æris exactio grauius intentatur. Primùm quidem regis amici rem (vt erat) in quæſtores deriuabant: ſed vbi nihil ab his temperatum eſt, in regem verſa eſt indignatio. Coniurationis autem cōſcij rem adiuuabant. Rex tumultum præſentiens, Sleſwicum conceſſit, vxorem cum filio in Flandriam ire præcipiens, ſi grauior motus inſoleſceret. Tumultuātes autem, regis receſſum in malè ſibi cōſcium animum interpretati, auxere per abſentiam motum ſuum. Iutij primùm, & ante omnes Wenzuli inceſſere, ſiniſtri rumoris diſſeminatores, non niſi armis reparari poſſe libertatem. Quid enim eſſe aliud, impoſitū iugum grauius premere, niſi de voluntaria ſeruitute ſubiectis inſultare? Rex autem vt tumultuāribus non cedere, ſed occurrere videretur, Fioniam petit inſulam. Sed ſemel in motum concitus populus quieſcere non potuit: quippe malè ſibi de gemina defectione conſcius, quòd expeditionem liquerit, & nunc malè motum conciuerit, impunitatem ſibi, niſi de regis nece, proſpicere non poterat. Secuta plebs incondita regem in Fioniam, nihil quieuit. Rex etiam in Sialādiam firmioribus præſidijs excipiendum proſpexit.

Blacconis perfidioſa proditio.

Sed Blacco vir primarius, regi quidem ad oculū obſequioſus, cæterùm cor eius proditionis erat plenum: Quin tu, inquit, rex optime, fugā omittens, placando populo inſiſtas? Degenerem opprobrat animū fuga præceps. Ego ad plebem, ſi iubes, exeo placandam, tu interim bono eſſe animo memineris. Quòd ſi tumultus ſuaui oratione ſedari haud poſſit, commonitum in tempore faciam, vt etiam tū fugæ præſidium in manu ſit. Interim proditor egreſſus ad populum, non placandę, ſed incitandæ in regem multitudini dedit operam, hortatus, vt quam celerrimè malorum caput auferant, nec fuga ſinant elabi. Regreſſus ad regem, nunciat pacatiorē eſſe plebis animum: ſpem fore, vt omni depoſita tumultuatione conquieſcat, ſi rex quoq; conceptæ indignationis in populum exuat procellam.

cellam. Laudatur perfidus ille latro: conuiuioq́; exceptus, etiam regio munere donatur. Poſtridie renouatam à ſe operam pollicetur. Egreſſus (vt conſueuit) ad populum ardētem inflammauit: vtrobiq; perfidus, quineq; regē populo, neque plebem principi conciliari pateretur, ſed vtrunque in alterutrum concitauit. Rex autem ſacram Albani ædem petijt, ibiq; precibus Deo ſuam cauſam commendauit, ſtratus in pauimentum ſupinus. Creuit interea clamor in regem populi: armati ſepſere ſacram ædem. Militum etiam regis non contemnendus numerus accurrit, regis periculū auertere, aut (ſi minus id poſſent) vna mori. Benedictus frater regi ſemper aderat. Ericus non longè in alia æde reclufus, expectabat quid fieret. Quum infinitam hominum multitudinem paucorum manus ſuſtinere non poſſet, quumq́; irrumpēdæ ſacræ ædis, in qua rex orabat, nemo præſumeret audaciam, Blacco malorum incentor, cœpit ex occulto hoſte manifeſtus ductor fieri: & præcedens in ædē cum ingenti frementium multitudine, in ipſo aditu trucidatus, meritas perfidiæ pœnas luit. Benedictus quoq; frater, fortiſſimè pro rege dimicans, cadit. Ericus quum opitulari nō poſſet, per medios hoſtes, dextra læuaq; cædens, vix ſaluus euaſit. Rex interiori ſacrario concluſus, ſacræ pœnitentiæ munus impleuit: tum Chriſtiano ritu confeſſus, ſacriſq; munitus, ſe proiecit ad aram expaſſis manibus ſupinū. Hoc loco per feneſtrā immiſſa lancea cōfoditur: ligneus qui dirimebat paries confringitur, multorum gladiis impetitur, martyrq́; Deo pretioſus conſecratur. Hęc audiens regina, patriam cū impubere filio petit, geminis poſt ſe filiabus relictis. Ex quibus Ingigeres, Folconi, Sueticæ gentis nobiliſſimo nupta, Benedictum Kanutumq́; filios habuit: Cecilię autem matrimonio Ericus Gothorum præfectus, Kanutū cum Carolo procreauit. Interea Iutij à ſe occiſi regis, quaſi oppreſſi tyranni gloriam præ ſe ferebant. Sed rerū Deus arbiter, qualis fuerit rex viuens, in morte declarauit. Nam irrefragabilibus factis, ſanctitatem eius crebra ſunt teſtata miracula: quæ aut negare, aut obſcurare, aut omnino in aliud detorquere conati parricidę, ipſa rerum luce & clariſſimis atteſtationibus confuſi, coacti ſunt erubeſcere. Nō enim poteſt diuinus ſplendor humanis tenebris obſcurari. Ita perēni gloria fulgens Kanutus, etiam in ſanctorum meruit referri catalogum, rex ſanctitate & iuſtitia incomparabilis.

Rex à populo interemptus, miraculis claret.

CAP. 38.

Olauus Kanuto occiſo, à populo ad regnum vocatur.

OLAVVS frater, quem rex ſanctus pro demeritis, catenis vinctū in Flandriam miſit, à Iutiis regis trucidatoribus in regnum euocatur: perſuaſo Nicolao fratre, vt obſidem ſe vinculis præberet fraternis, donec grandi (quæ promitteretur) pecunia perſoluta, ille quoq; vinculis abſcederet. Fecit ille quod optabāt proceres, gratiam iniens vtrobique, & apud fratrem regem, & apud proceres qui illum euocarunt. In hunc quidem ex germanis conſenſere vniuerſi: nam cæterorum fidem in occiſum Kanutum integerrimam, ducebant ſuſpectam. Itaq; apud nullum quàm Olauum, nefandiſſimi ſceleris impunitatem peruidetūt. Ericus autē alius ex fratribus, illam rerum inclinationem proſpiciens, fuga in Sueciam ſibi conſuluit, memor vinculorum, quę mandante Kanuto, iniecerat Olauo: nec enim impunitā illam prōptitudinem in Olaui regno ſperare poterat. Viro autem forti, omnis quam incolit regio, eſt pro patria. Interim Olauus vinculis expeditus, & ære magno redēptus, in regnū venerat. Nec tamen quieuit blaſphemia in Kanutū, meritò illū cæſum, meritò peremptum dicentiū, qui fratres ignominia, proceres periculis, populū exactionibus innumeris ſubiecerat. Parum erat improbis illis innocētiſſimo regi manus inieciſſe, niſi & cæſum infamarent, vt plauderent aurib. iam regnātis. Parum erat, euidentiſſimis rebus ſanctitatem eius in omni regione clareſcere: maiore tangendi erāt acrimonia, vt perſentirent malitiam ſuam. Igitur ad Olaui inchoatum regnū, tanta Daniam aeris intemperies corripuit, vt nihil frugum aut parū valde naſceretur per omne tempus regni eius, quod duo penè luſtra tenuit: ęquās annorum numerum, quem optimus rex impleuit Kanutus. Verna ſiccitas ſemina non prouexit: æſtiuus calor, ſi quid natum erat, arefecit: autumni abundans humor, quicquid fortè valliū beneficio coaluit, abſumpſit. Temporum iſta viciſſitudini, non vltioni diuinæ, tribuenda viderentur, ſi vicinas etiam prouincias ea lues contigiſſet, ſi aliqua intercapedine per annos decem variaretur. Nūc quum Sueciæ atq; Noruagię ſua ſatis annona proueniſſet, Daniamq́; cōtinua duorum luſtrorū fames preſſiſſet, quis aliud

Annona caritas Olaui regnum infauſtum arguit.

i

potuit arbitrari, quàm vindicem diuinitatem in calumnioſum Daniæ populũ animaduertiſſe? Cõſumpſerat ea fames omne vulgus per inopiam: locupletes ad egeſtatem perduxit. Rex ipſe Olauus multa prædia diſtraxit, vt militem ſuũ paruo victu produceret. In ea regni calamitate Sueno Roſchildienſis pontifex, vir ſanctitate memorandus, inter ſuos concionabundus ſæpe repetiuit, luere populum piaculare ſcelus, quod in ſanctiſſimum regem cõmiſiſſent. Interim ſacris ædibus aut inſtaurandis, aut à fundamento erigendis, magnam ille operam impendit. Inde Hieroſolymam profectus, in ipſa Rhodo ſpiritum exhalauit. Olauus autem tanta in omni regno laborans inedia, cõtemptum ſui in hoſtes vindicare non poterat. Erant tamen ex conterminis, qui etiam famelicum laceſſere pudori deputabãt, ſatis magnis anguſtiis domi laborantem. Die feſto, quum regiam apparari menſam cerneret, anguſtiasque rei familiaris videret, ſciens quis eſſet conuiuarum numerus accubiturus, ingemuit: altiusque ducto ſpiritu, omnium autorem Deum, ſi quid iræ aduerſus populum concepiſſet, ſuo, non populi periculo ſatiaret, orauit, infœliciſſimum patrię ſtatum, difficillimum tẽmporis habitum æſtimans. Quippe tam inops epularum conuiuium, quo famem irritare potius quàm pellere videretur, principum oculis ſubiicere erubeſcebat. Nec difficiles numinis aures habuit. Equidem fati viam non longum dilatus obtinuit, ſibiq; mortem, ſalutem patriæ (ſiqua modò parricidis virtus ineſt) pia prece conciuit, ingenuoq; viuendi pudore maximæ cladis pœnam auertit. Itaque memoriæ eius ſpecioſius depoſita vita quam geſta aſcribi poteſt, qui fatum patriæ finiendi ſpiritus cauſam habuit. Porrò quantum charitatis erga ſuos cordi inſitum haberet, aperuit, quum & eorum mala, proprio capite luere vellet, & commune periculum ad ſe ſolum redundare depoſceret. Nempe quia ſuam pro ciuium ſalute deuouit, pij animi titulo fraudandus non eſt. Fortuna ſiquidem famem cum autore ſuo pari funere extulit, inediamq; ſatietate mutauit.

Olauus noxam agnoſcens moritur.

ALBERTI KRANTZII

DANIÆ LIB. V.

CAP. I.

Erico rege annona redit copioſior.

ERICVS princeps miraculo dignus, nouo nos ordiri iubet principio, itidem priorum frater, Suenonis filius. Magnis procerum ſuffragiis è Suecia reuocatus, regnum ſubiit: & mox cum rege nouo regni facies innouatur. Quippe tempeſtiua aeris qualitate, tanta frugum exuberabat abundantia, vt facilè prioris inedię populum faceret obliuiſci. Vir animi corporisque dotibus inſignis erat, tanta proceritate omnes excellens, vt ab humero ſurſum emineret, ipſo membrorum robore magnitudini reſpondente. Tantis enim erat viribus, vt funem quaque manu prehenſum, quatuor fortiſſimos iuſſerit tenere viros: eos adductos, qua vellet circumageret, nec ab illis loco poterat commoueri. Specioſiſſimus illi pro corporis dignitate ſonorusq; erat vocis habitus, vt tubam audire, nõ hominem credas, quum loqueretur. Tanta denique humanitate, vt abeuntibus è concione popularibus, quemque domeſticos ſuos, vxorem, & liberos ſub eius nomine, conſalutationis officio proſequeretur. Verùm tantum virtutum eius cumulum vnà Veneris inconceſſa licentia maculabat. Et quamuis vxore frueretur inſigni forma & pudicitia, moribusq; probatiſſimis, vaga tamen Venere abripiebatur: nec vllo poterat aut vxoris obſequio, aut amicorum contubernio reuocari. Quam eius infrænabilem libidinem contuita Botilda (id erat coniugi nomen) egegria materfamilias, exemplum ingreſſa eſt inimitabile, & quod noſtræ ætatis nulla probet fœmina. Nam quas regi placuiſſe puellas peruiderat, ipſa ſuis comebat manibus: vt obſequio placaret, quem alia via à ſua lubricitate reuocare non potuit. Iam omni adhuc reliqua gente incomperta vxoris erga maritum virtus. Fuere illi filij, Haraldus, Kanutus & Ericus: ſed primus pellice, ſecundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur. Ea tempeſtate Wandalorum inſolẽtia creuit,

Regina pellices marito ornat.

aucta

aucta per ſocordiã priſcorum ſub Olauo temporum. Nam impunè in mari digraſſati, præcipuos quoſdam è Dania viros interceptos, quia capi non ſuſtinuere, occiderunt. Quam rem in concione populi querulantes agnati & affines occiſorũ, publicæ autoritatis decreto bellum ſuſcipi placuit in Wandalos. Auxerat indignationem populi, quòd qui è Dania ſceleribus noxij meritas pœnas declinarent, profugium habuere Iulinum, præcipuum Wandaliæ oppidum. Qua occaſione iampridem inſigni maleficio notati nonnulli, è Daniæ regno ad id loci conceſſere.

CAP. 2.

Populi circa in re ro dominatu libertas.

IGITVR populi placito decreta eſt expeditio in Iulinum, quod caput gentis haberetur, & certum aſylum omnium perditorum. Ad id enim temporis eò licentiæ proceſſit populi autoritas, vt rege permittente, ſuis auſpicijs bellum ſuſciperent ac ſuſtinerẽt. Viſum eſt Erico regi, ſine regio nomine rem poſſe expediri: igitur cõquieuit. Populus autem electis ducibus, in ordinem militibus conſcriptis, claſſem conſcendit, nauigatq; in Iulinũ. Nulla erat fiducia Wandalis prodeundi, munitioni ſuę ciuitatis plurimũ fidẽtibus. Sed & grauis & diuturna oppugnatio cœpta, nec minor obſeſſorum fortis defenſio in lõgum tracta, eò tandem exiuit, vt deditis noxijs qui eò profugerant, punitisq; iuxta factorum qualitatem piraticis, impoſito tributo redirent Dani domum. Inſigni tum ſupplicio animaduerſum eſt in trãsfugas Danos, quòd patriam oppugnaſſent. Nam ad palum deligari, ſuperne manibus reuincti, viſcerum profundere molliciem ſciſſo ventre cogebantur, vt iã ſpirantibus ſua corda ingererentur oculis. Per quod tempus cauſa extitit, qua Hamburgẽſis archiepiſcopus, prouinciarũ Aquilonarium perpetuus legatus, in regem anathematis ſententiam diſtringeret. Liemarus hic erat, vt certa temporum mõſtrat ſupputatio, qui ad annum Chriſti M.C. peruenit. Rex Ericus iam hoc futurum proſpiciẽs (fortè quia monitio, vt par eſt, canonica pręceſſit) ad prouocarionis beneficium reſpexit, cauſam deuoluens ad ſanctam ſedem apoſtolicam. Tantum aũt erat ſapientiſſimo regi ea cauſa cordi, vt ipſe iter arripiens, cum ſolenni comitatu Romam inuiſerit. Cauſamq; proſecutus ipſe ſuam, quum pariter Chriſtianæ deuotionis ad apoſtolorum limina peregiſſet obſequium, ſummum pontificem prece ſollicitauit, vt Daniam, inſignem multis epiſcopatibus & eccleſijs prouinciam, iuri eximeret Hamburgenſis archiepiſcopi: ne ſimili aliquando ludibrio haberetur. Põtifex pollicetur miſſurum ſe breui cardinalem legatum, qui inſpecturus regionis qualitatẽ, faceret quod ex dignitate ad regium votũ videretur. Hac promiſſione ſubleuatus rex, alacrior redibat in regnum. Sed ea res in tempora Nicolai regis dilata eſt.

Hãburgenſi iugũ Danicis eccleſijs detrahitur.

CAP. 3.

Rex muſicis numeris in furorem agitur.

QVVM Ericus interea iam reuerſus in regnum ſolenni curia vteretur, multorumq; militum ſimul & artificũ induſtria delectaretur, aderat inter alios Muſicus, qui artis eam peritiã tenere ſe diceret, vt homines in quoſcunq; vellet affectus vocaret: ex mœſtis lætos, ex alacribus triſtes, ex indignãtibus placatos, ex placidis indignantes, & vſq; ad furorem inſanientes ſe facere iactaret. Atq; is quo faciebat iſta maiora quæ ſe poſſe diceret, regem experiundi fecit cupidiſſimum. Iamq; pœnitebat artificem ſuæ iactantiæ, velletq; non tam de ſe magna prædicaſſe: quippe in rege iſta expendere, non ſine periculo eſſe: inſuper ſi minus quę dixit facto probaſſet, mendacem ſe futilemq; haberi, non ſine diſcrimine formidabat. Orabat quos potuit, regem ab eo deſiderio auerterent: ſed nihil egit. Quò enim magis recuſauit artis experimentum, eò magis regem accendit. Vbi vidit nõ ſe euaſurum quò minus impleret quę iactaſſet, orat exportari arma omnia, & quibus lęſio poſſit inferri. Deinde vt extra ſonum citharæ conſiſtant nonnulli, qui poſſint adeſſe vocati, curauit, ereptamq; manibus citharam, capiti iuberent illidere canentis. Omnibus iam rite inſtructis, regem cũ paucis in aula recluſum cithara aggreditur. Primùm graui ſono mœrorem quendam audientibus ingerebat: inde ſuccinendo plauſibilius in lętitiam vertit, vt paulum abeſſet quò minus iocabundi diſſultarent. Tum modis acrioribus intentatis, indignationem quandam concitabat: quæ vbi inualuit, furere regem aſtantesque cernere erat. Mox ſignum dedit deliteſcentibus vt introirenr, regemq; iam ſęuientem continerent. Illiſa primùm ex condicto cithara, regem deinde aggrediuntur: ſed tantum fuit robur viri, vt pugno quoſdam exanimaret. Inde multis obrutus puluinaribus, ardor ille cõquieuit. Sed quum ſe iam in ſe recepiſſet,

vehementer indoluit ſæuiſſe in eos quos habuit antè fidiſſimos.

CAP. 4.

Ericus Hieroſolymitanum iter ſe facturū vouet.

AVDIERAT multorum voluntariam principum in terram ſanctam peregrinationem. Tempus enim illud erat quo Godfridus cum cōmilitonibus, ſanctam terram vrbemq́; Hieroſolymam in Chriſtianorum redegerat poteſtatem. Igitur religioſo voto intra ſe concepto, ſtatuit inuiſere Dominicum ſepulchrum. Tum verò mœſtis omnibus, qui audiere regis conſtitutum, quòd tantum principem in id diſcriminis mitterēt, primùm precibus inſtitere, vt propoſito deſiſteret: inde polliciti ſunt, ſacta ſolenni collecta, militarem manum non contemnendam pro rege ſubmittere. Sed nihil erat quod religioſum principem voto amoueret. Igitur de regni interim gubernatione conſilium habuit, quem per abſentiā præficeret. Viſum eſt proceribus vt id in regem reiiceretur, quem ille negociis præponeret, illi parituros. Tum Haraldum maiorem natu filium, ex voluntate principum, regno procuratorem fecit, optimo cuique blanditus, vt Kanutum ex legitimo toro natū filium educarent: Ericum autem iuniorem, etiam aliis commendauit. Delegit autem in profectionem viros eximiæ proceritatis viæ comites, quò minus conſpecta illius granditas haberetur. Tali profectus comitum apparatu, reginam illo agmine trāſeuntem voti conſortem habuit. Interim miſit in vrbem Romam, qui pontifici renouaret poſtulata. Is facilè impetrauit, vt legatus à latere, miſſus à pontifice in prouinciam, abſente rege vrbes regionis inſpiceret. Complacuitq́; venienti vt in Lundiam honorem collocaret metropoliticum, in perſonam Aſceri iam pōtificis. Nec ſolùm exemit à Saxonia, (hoc eſt Hamburgēſi ditione) ſed etiam Sueciam Noruagiamq́; prouincias eius ditioni ſubeſſe iubebat. Hęc eſt illa Hamburgenſis ſedis prima & maxima minoratio. Nūquam enim illi tantum barbaricus furor, qui creber illam peruaſit, nocuit, quàm ea pacis tempora. Ex illo die pontifices iamdudū Bremæ commorantes, poſthabere cœperunt titulum Hamburgenſis metropolis, qui illis præſtitit ampliſſimam Borealium prouinciarum legationem.

Hamburgēſis autoritatis imminutio.

CAP. 5.

Ericus Byzantij non ſtatim admittitur.

INTEREA Ericus petitam nauigio Ruſſiam, terreſtri permenſus itinere, magna Oriētis parte decurſa, Byzantium (quę eſt Conſtantinopolis) veniebat. Quem Imperator Oriētis nequaquam in vrbem excepit, iuſſitq́; publica fide interpoſita manere in ſuburbio. Erant tum militantes Imperatori ex Danis, qui audito regis ſui aduentu, non mediocriter exhilarati, Imperatorem in ſuſpicionem duxere, aliquid moliturum regem ſub religionis velamine. Igitur cuſtodiam rebus impoſuit. Milites autem Imperatoris Dani quàm ſanctè rogabant, ſineret Imperator regem a billis ſuum conſalutare. Nec difficulter annuit, vbi rebus conſuluit: adhibuit tamen clàm hominem fidum, linguæ peritum, qui ſermones regis cum militibus exciperet, referretq́;. Igitur vbi venere Dani ſub aſpectum regis ſui, conſalutauere: illeque viciſſim illis gratulatus eſt, quòd ſplēdidæ ac lōginquæ ſe militiæ deuinxiſſent, hortatus grauiſſimè vt illam fidem & conſtantiam ſuo exhiberent Imperatori, quę illis honorem, patriæ nomen afferret cum gloria: ſin minus, non eſſe illis in patria locū. Polliciti ſunt milites operas. Quumque audiſſet ex conſcio, quem adhibuit Imperator, ſermonis huius viciſſitudinem, magnopere exhilaratus, regi ſolēnes mittens nuncios, inuitat non modò in vrbem, ſed in palatium. Ericus primùm ſacra loca ex more Chriſtiano viſitat: inde Imperatorem adit in palatium. Ibi perbenignè accepto Imperator ceſſit de ſuo loco, permittens hoſpiti quam ipſe conſueuit frequentare manſionem. Varij per occaſionem inter principes ſermones per interpretem conſeruntur. Miratus Imperator corporis proceritati animi reſpondere magnanimitatem, miratus vocis ſonum incōparabilem: ſed & oculos in omnē comitatum eius circumtulit, homines gentis ſuæ mortalibus longè elegātiores. Tum rege permittēte, pictor adeſt, qui corporum magnitudinem, membrorum ordinem, coloris dignitatem exciperet, parietibuſque Imperatoriæ domus, pro rerū miraculo adpingeret. Iuſſus inde ab Imperatore dono poſtulare quod magnopere deſideraret, ille gratias quàm humaniſſimè peregit, auro ſe iocalibuſq́; nō indigere: ſi de ſacratis aliquid oneribus ſanctorumq́; reliquiis mereretur, ampliſſimè cumulatum accipere. Imperator illi ſanctorum quas poſceret, reliquias permiſit, Dominicæ quoque crucis partem erogauit. Quæ rex in patriam remittens, eccleſiis Lundienſi & Roſchil-

Erici ob proceritatem effigies exprimuntur.

Roſchildienſi impertiit: nataliq; loco, in Slanganthorp (vbi baſilicã iuſſit erigi, loco quo partu ſit fuſus) Dominicæ crucis particulam voluit collocari. Igitur & ab Imperatore donatus auro, tantum reſtitiſſe perhibetur, vt penè indignationem ab interpretatione contemptus mereretur. Vix igitur perſuaſus vt acciperet, ex ſuis Imperatori reddidit rebus, quibus precium fecit non ipſa rerum dignitas, ſed incomperta nouitas. Abituro Imperator prouidit nauigium: quo delatus in Cyprum, ſebrem incidit. Vnde vicinam ſibi mortem cõſpicatus, ex more Chriſtiano eccleſiæ ſacramentis imbutus, præcepit corpus, quemcunq; permiſſum haberent, loco inferre. Regina quoq; eodem peregrinationis labore conſumpta eſt. Sed hanc regis necem diu ignorauere Dani, intẽtis qui cum ipſo ierant, militiæ terræ ſanctę: vt ante biennium expletum nemo rediret, qui certum nuncium de rege afferret. Stirps Suenonis ad tres deinde filios, Nicolaum, Vbbonem Suenonemq; peruenerat. Inter quos natu maior Sueno, tanto regni amore extitiſſe perhibetur, vt in Iutiã conuentum edicens, magno itinere iſthuc cõtenderet: veritus totius regni cœtum, ne conſciæ ſibi ignauiæ rubor occurreret: ſed Iutiis quàm maximè fidẽs, eò magnis itineribus properauit. Equo vectus, corporis firmitate deſtituitur: exceptus vehiculo, etiam ſic cõquaſſati corporis imbecillitas viſa eſt. Poſtremò lectica delatus, ita properauit: ſufficere ſibi teſtatus, ſi regiũ nomẽ ſibi inditum vel ſemel audiat, nihil penſi faciens etiam in ipſa concione ſpiritum ponere. Sed dum properat, ſibi lethum quàm regnum propius aſciſcit: nam antequam in locum perueniret, rebus exceſſit. Ad Nicolaum ergo & Vbbonem res peruenit. Nam Haraldus Erici filius, quem pater regni procuratorem liquit, tam inſolenter ſe geſſit, vt omnium ab illo auerſis animis, nullus de illius regno cogitaret. Nicolaus omniũ natu minor, Vbboni fratri ſe maiori etiam ſuffragatus eſt: vt nihil iam controuerſiæ videretur, ſi modò ille ad regnum non dico aſpiraret, ſed aſſumi pateretur. Modeſtiſſima autem ratione ſarcinam declinans, Nicolao permiſit regnum: tanto vtiq; dignior faſtigio, quo magis recuſaret. Proceres vſi fratrum concordi ſententia, in Nicolaum conſenſere.

Rex cũ regi naam Cypro moritur.

Fratres ambitione Vacui, regno ſibi mutuo cedunt.

CAP. 6.

Rex frugi et modeſtus.

NICOLAVS Suenonis filiorũ natu minimus, & inter fratres regno poſtremus, ſuſcepto regno, adeò animũ ab omni faſtu auerſum habuit, vt nihil ex priſtina ſua manſuetudine decerperet: totamq; vitæ præteritæ conſuetudinem retinens, cum fortuna animũ (vt ſolent cęteri mortales) non mutauit. Equitaturam ſuã paucorum numero cõprehendit, ne grauis prouinciis incumberet. Vxorem aũt duxit Margaretam Ingonis Sueeorũ regis filiam: quę res prima illi bella ingerebat in Noruagios temeratores nuptiarum. Quæ inde faciliores exitus habebant, quòd Sueticis pariter armis tunc ad auxilia vteretur. Ingonem filium per prima adoleſcentiæ tempora amiſit: quem quum pædagogus equo incedere conſuefaceret, præcipitatũ mors immatura ſubtraxit. Magnum ex filiis ad prouectos annos tenuit, melius aliquanto illum in cunabulis amiſſurus: ad eam enim cædem, quæ ipſi Magno & patri Nicolao mortem peperit (quum Kanutum incomparabilem virũ tuliſſet de medio) non eſſet peruentum. Filias honeſtis matrimoniis mater Margareta ſedula in Daniam collocabat, inde ſacris altaribus perornandis multũ intenta, mulier religione præcipua. Sed inter hæc Nicolaus rex, Henricum Wandalum, Gothſcalci filiũ ex ſua natum germana, maternæ hæreditatis portione fraudabat: indignum ratus, quòd vir alienigena, & quaſi inter hoſtes aſſiduos cõmoranis, in Dania teneret hęreditatem. Henricus & in perſona, & per amicos iuſtitiam repetens, contemnitur. Igitur ad arma reſpexit, de more militantium: ditionemq; Daniæ omnem quæ Sleſwico ſuberat, armis infeſtauit. Nam Aldẽburgum Wandalorum præcipuám ciuitatem, aut ſubiectam habuit, aut fœderatam Henricus. Itaq; rex indignũ arbitratus ab impari ſe hoſte contemni, claſſem inſtruit, Wandaliam petit Elino Sleſwicenſiũ pręfecto mãdat, à terra adſit cũ equitatu: ipſe Lubecam, quæ Henrici manſio fuit, appellit. Paruulum tum eo in loco Zuartoto oppidulũ regi reſiſtere nõ potuit: primo aditu captum eſt. Henricus aũt peditum equitumq; copiás tenẽs opportunis locis, Daniæ exercitum, qui ſe ad populandũ contemptim diffudit, aggreditur. Dani adunati redeũt in ordines inter dimicandum: equites fruſtra expectati à Sleſwico, nõ adſunt. Erant qui præſcium inſimularent de oeculta cũ Henrico intelligentia. Fieri

Rex alienã ditionem vi detinet.

potuit, vt oppoſitis illi ex Aldenburgo copiis, egredi non permitteretur. Sed tum ea fuit Danorum ſuſpicio, vt pecunia corruptus, auaritiam ſuam pluris faceret quàm regis imperium. Igitur Dani pedites à Wandalorũ equitibus circumacti vexabantur, nec poterant pares eſſe curſu. Wandali verò totis aciebus confligere nihil eſſe opus ducebant, quando hoſtes ſolo equitatu ſatis affligerent. Itaq; ſumma difficultate conflictati Dani, multis amiſſis, tumulũ vicinum petiere, ab alto deſpectis hoſtibus. Poſtera luce indignum eſt viſum Danicæ gloriæ, hoſtibus ſæpe victis nunc metu cedere: deſcendentes ergo in planũ, pugnam integrant. Sed is qui pridẽ fuit exitus, quũ incurrentes equites auerſiq; ad arbitrium hoſtes cęderent, nihil ipſi paſſi. Tanta tũ erat vincendi pertinacia, vt diu in acie cõſiſtentes fortiſſimè dimicarẽt.

Cap. 7. Haraldvs Erici filius in acie perſtitit, donec acceptis vulneribus, in clypeo referretur. Kanutus frater vulneribus quoque debilitatus, fortè in manus hoſtium perueniſſet, ſi non promptiſſimi militis opera ſeruaretur. Is enim domino vulnerato quaſi manum daturus, Wandalo propinquauit: ſed fræno equi adducto virum deturbauit, iumentum domino adducens, vt illo ſublatus ex acie ferretur. Itaque in tumulum regreſſi ſecum Dani deliberant, quomodo equitatu vacui, in naues redeant: iam enim commeatus accepti defecerant. Publico voto communiq; conſilio in omnia capita ſuſcepto, ſtatuerunt, Laurentij diui vigiliam (quæ tum agebatur) annuo celebrare ieiunio, vt ſancti meritis periculo eximerentur. Sed iam regreſſuri accipiunt aduentaſſe Scanienſes: quibus recentibus ad pugnam id datum eſt negocij, vt imminẽtem à tergo hoſtem ſuſtinerent, quoad rex ipſe cum copiis ad naues concederet. Progreſſi incidunt in difficillima greſſu loca: nam paludũ fuſa planicies iter inhibebat, vrgebatq; hoſtis ex latere. Ibi multi dum ingredi tentant, pereunt: multi ab incurſantibus ex omni latere viarum peritis perimuntur. Peruicit tamen fortium virorum labor, vt ſummo licet diſcrimine ad naues regreſſi, Daniam repeterẽt. Rex inde Sleſwici præfectum ære mulctauit, & præfectura deſtituit. Sed Henricus victoria recenti fretus inſolentior, Holſatis, Friſonibus ac Thietmarſis in opem vocatis, magnas ſępe prædas ex Sleſwici egit præfectura, vt locum illum formidabilem faceret ducibus: nec erat qui facilè ambiret eum locum præſidio regere. Kanutus autem, Erici regis filius, quum paternos theſauros (quos abiens tutori ad vſum filij cõmendabat) ex Fionia iuberet auferri: medio mari qui attulere, conſpectis piratis, quum euadere haud fiderent, func demiſſum aurum diu trahebant. Sed propinquantibus piratis, arenæ potius quàm improbis hominibus permiſere. Vidit rex iſta Nicolaus quum traiiceret: ſed longè abſiſtens, opitulari non potuit. Quum autem Kanutus, quid de patrimonio ſuo factum ſit acciperet, nihili pendẽs contempſit. Correptus à rege, quòd magnorum regum theſauros tam facili animo periſſe ferret, reſpondit, res inemendabiles quò facilius, eò leuius ferendas: præſtitam ſibi liberalitatis occaſionem amplecti. Vt enim hactenus nihil ex paternis bonis ad eum perueniſſet, ea quæ obuentura viderentur, liberalius erogaret.

Dani rebus aduerſis opem à Laurentio martyre petũt.

Kanuti theſaurus mergitur.

Cap. 8. Hoc tam liberum ab auaritia reſponſum facto probauit Kanutus. Nam à multis recuſatam Sleſwici præfecturam promptus à rege poſtulauit: & ita acceptã gubernauit, vt primùm præliis fortiter cum Hẽrico geſtis, deinde ſumma animorum conſenſione illi deuinctus, perq; illum Imperatori conciliatus Ludero, coronam Obotritorum meruerit. Sed hæc in Wandalia noſtra plenius commemorata, nũc tranſibimus. Interea quum Haraldum Ericumq; fratres, Kanutus ſumma animorũ armorumq; contentione de paternis bonis acciperet diſſidentes, cogitauit, quonam pacto rebus inter eos cõpoſitis, ad integritatem reduceret. Haraldus quidẽ omni improbitatis genere familiã aluit, quæ furtis ac latrociniis domum eius impleuere: non longè à Roſchildia arcem erigens, vnde egreſſi latrunculi & vrbem furtis: viamq; latrociniis infeſtarent. Sed ab incolis exturbatus, fugam per mare iniit. Ericum fratrem parte ſua vti non eſt paſſus, quòd adulterio natum, indignũ diceret ſucceſſione. Itaque armis rem dirimere cœperunt. Sed Kanutus euocãs vtrunque Sleſwicum, ſub interminatione omnium malorum pacem illis indixit, diſcreuitq; quo quiſq; contentus aliũ ſineret in ſuo quieſcere: qui verò primus ad cõtentiones rediiſſet, eũ ſe ſuis viribus infeſtaturũ. Quumq; Magnus Nicolai regis filius,

Lib. 3. c. 30. & ſeq.

Kanutus fratres diſſidentes cõciliat.

Succiæ

Sueciæ regnum adeptus (vt in ea dicemus) ad nuptias reſpiceret, Polonorũ ducis Bokiſclai filiam deſpondit. Interim verò Wartiſclaus Wandaliæ rex, quum in Polonos Danosq; aſſiduas ageret inimicitias, à Nicolao claſſe impetitur. Obſeſſa vrbs Coſna, ære redemit obſidionem. Wartiſclaus abequitans, Danos infeſtat, Iulinum obſidens, inde abituros iam Danos. Quum verò paciſcendi gratia colloquium poſtulaſſet, prætoriam in nauim receptus, militum malignitate captiuus retentus eſt. Quæ res ſupra modum Kanuto diſplicuit, eamq; in concionibus accuſabat: futurum aiens, vt nihil ſanctum, nihil poſtea conſtans ac fidele habeatur, ſi publicè interpoſitam fidem violent. Ea apud omnes gentes certiſſima fit conſenſio, vt de pace tractaturis publica fides ſeruetur inuiolata. Peregitq; Kanutus vt Wartiſclaus ſuæ libertati permitteretur.

Publica fide violata nihil tã integrũ ſupereſt.

CAP. 9.

QVVM proximè Magnus, ſponſa à Polonis petita, apud Ripam vrbem nuptias regio ritu perageret, Kanutus inter alios adeſt, Saxonica veſte cõſpicuus: quæ res incredibiliter Magni animum perturbabat, nihil tamẽ inter tori feſta pronunciãs. At Hẽricus Suenonis filius, quòd vxorem adulterio nuper abductam in Kanuti ditione recepiſſet, nonnihil de illo ſuſpicionis præferebat, inter acerba ioca Kanuti veſtem irridens, nihil, ait, latus oſtro quàm panno ſimplice, aduerſus gladios eſſe munitius. Ille refert, Sed ne ouillis quidem pellibus, iocum ioco retundens. Per quę tempora Kanutus piratas perſecutus in Sueciam, quum inde nonnihil prædæ retuliſſet, vnde laudem ſperaret, reginæ increpationem promeruit, quòd amicã prouinciam inuaſiſſet. Magnus verò quum idem in ſimili opere perageret, etiam laudatus abibat. Nam ille in inſulam quam Iouialem appellant, aggreſſus, malleos retulit, quos fabricata antiquitas, tonitrua imitari volebat. Sed Chriſtiano ritu deteſtatus Magnus ſuperſtitiones, dæmonicolis inſtrumenta perfidiæ ademit. Vtinam talis in reliquum, qualis in primordio conſpectus. Interea Margareta regina, fœmina omni virtute conſpicua, ſimultatem inter adoleſcentes perſentiens exortã, extinguere percupiens, quum ſe non diuturnam conſpiceret, ſed ad mortem intercutis vitio vrgeri: in primis Kanuto admonito obſecrat, vt ille ſanioris ſemper conſilij interpres, concordiæ ſtudeat: Magni Henriciq;, fratruelium ſuorum, vincat prudentia inſcitiam. Hac ſpe ſi decedat, alacrem ſe in morte futuram. Ita ſanctiſſima fœmina, futuri præſcia, præmonebat eum, apud quem maiorem locum ſermo pacis inueniret. Operam pollicitus Kanutus, in pace illam quieſcentem dimiſit.

Simultatis inter Kanutum et Magnũ origo.

CAP. 10.

SED Henricus quem diximus, nihil pacatum cogitãs, quum illum vreret vxoris contumelia, quam inſonti imputabat Kanuto: accitis quos rei putabat idoneos, apud regem ambiti regni reum facit Kanutum. Rex delatoribus aurem commodans, conuentum indixit regni, in quo regios in primis iuuenes adeſſe præcepit. Kanutus inter primos venienti patruo accurrens, deſcendenti ab equo miniſteriũ (vt ſemper) ſedulus impendit. Tum contractis in conſilium quos voluit, præſentibus iis qui ſimultatis capita viderentur, orſus eſt loqui, regni ſarcinam ſibi tum impoſitam, quum ea carere maluiſſet: fratrem Vbbonem (cui ipſe quoque pro ætate detuliſſet) obnixè illam recuſaſſe. Poſtquam tamen ſubierit, ea ſemper vſum eſſe modeſtia ac qualitate, vt neminem putaret regni ſui pertæſum: longè autem ſe opinione falli cerneret, iuuenes etiam ſe viuo de rerum ſumma contendere. Conſueſſe Suenonis filios inuicem ſibi ab annis deferre: quocirca ille omnium natu minimus, poſtremò ad regnum perueniſſet, expectans, non præripiens, oblati regni occaſionem. Ea ſi tu modeſtia Kanute vtereris, non tã crebrò aures meas ſuper nomine tuo querimoniæ pulſaſſent. Iam inter tuos regem te memorant: regia appellatione delectatus, a tuis conſalutari rex amas. Conſultius ageres, ſi ſub qualicunque rege fortunam demorareris, non in tuorum aſſentatione, ſed procerũ iudiciis, regni ſucceſſionem cõſtitueres. Kanutus autem iamdudum humi defixum vultum tenens, cum altè duxiſſet ſuſpiria, exorſus eſt loqui, ſimul oculos lachrymis ſuffuſos circumferens in circumſtantes. Ego me apud te pater, multorum in te benefactorum teſtes habiturum ſperans, longè (vt video) fallor expectatione mea. Nam pro rerum rectè geſtarum teſtimonio, criminationem excipio, & illam voce regia. Sed peccant pater in te, peccant in me, qui moderationem tuam,

Kanutus in conuentu à rege accuſatus, graui oratione ſe purgat.

ſupra quod aut ætati aut maieſtati conueniat, exaſperant: quique pacatiſſimę mentis tuæ ſerenum mendaciis obnubilant. Sed grauitatis tuæ fuerit, nugarũ autores reijcere. Herum me mei, nõ regem appellant. Inter Wandalos quidem nuper inſolito honore affectus, nihil regno tuo detractũ eſſe volui. Si me alienigenæ illo dignãtur in ſua parte honore, illorum obſequia refugere non oportet, quãdo & tibi nihil nocitura, verùm in tempore etiam poſſunt profutura videri. Regem nuper filium tuum Magnum Gothi appellauere. Mihi quoque ſi apud Wandalos compar obtigerit veneratio, gratulari oporteret, geminis te vti regibus in omne obſequiũ. Quæ pro tua regniq́; incolumitate peregerim, non ignoras: ipſe an efficaciter militauerim, noſti. Littora Dani, ſi placet, excolite, æquori ædes quantalibet vicinitate iungantur, ipſi vndas cauete: à maritimis ego vos prædonibus præſtabo ſecuros. Quos prius infeſtos habueras, nunc in tributum acti, tuo per me famulantur obſequio. Ita quarum ego rerum ſementem ieci, tu fructum ſine vlla recuſatione ſuſcipis: & tamen ſic de te meritum ſuſpicione & querimonia cauſabundus aggrederis. Hiſne ergo operis merui, vt aduerſum me æmulationem tuam in concione diſtringeres? Hæccine ex labore præmia, ex militia ſtipendia decerpam? Verùm hanc inſimulationis vim ab inuidia profectam, nõ tuæ, ſed tuorum malignitati imputandam exiſtimo. At in regni faſtigio collocatis, difficiles accuſatoribus aures præbere conuenit. Diu paternum hoc imperium age, fœliciterq́; & nominis & regni inſignibus vtere. Si tam diu dabitur donec à Kanuto auferantur, ſempiterna tibi ſpondeo futura. Hæredem tibi quem natura dedit, fortuna conciliet. Ego vero me in quocunq; fortunæ habitu continuero, nunquam celſitudinem tuam fide vel obſequio colere ſuperſedebo. Permulſus oratione rex, placidiorem oris habitum induens, offenſam falſo inſtinctu conceptam, in ipſa repente concione depoſuit.

CAP. II.

HENRICVS autem malorum incẽtor hic fruſtratus, necdum quieuit, regem per occaſionem adortus. Quid, inquit, mirum, ſi Kanutus tibi præſenti blandiens, maieſtati ceſſerit? Sed de filij tui Magni rebus agitur. Quòd ſi populari iudicio res agenda ſit, noſti blandimenta Kanuti: nihil Magno ſperandum eſt. Si hæredi caues, nihil præſtantius, quàm vt æmulo dirempto ſecurus agat. Hæ voces regem in aliam duxere cogitationem, non quidem vt Kanutum tollat, ſed vt Magnum ſucceſſionis faceret certiorem. Magnus hanc patris ſollicitudinem peruidens, patrem cura ſuo periculo ſtatuit eximere. Itaque aduocatis qui ad rem viderentur idonei, coniurationem inire volens, iuſiurandum ab omnibus depoſcit, ne quouis pacto profluat. Si tamen aliquò diffluat, curabat vt integrum ſibi ſit ſacramentum, nullo ſe loco ſtantem aut ſedentem de Kanuti nece deliberaſſe: nã accumbebant quum iſta tractarent. Aderat Aquinus, vir ab æmulatione virtutis (qui videbatur) Kanuto infeſtus, verùm ſororius eius: qui audita re, quòd de nece Kanuti ageretur, ſeſe ſubduxit. Admonitus tamen ne quouis modo adiuratus rem propalaret, neque fautorem neque proditorem cõſilij ſe futurum reſpondit: quanquam ſatius eſſet immerentis periculum inſinuare, quàm ſilendo tolerare. Vt autem familiaritatis velamine proditionem tegeret, ad ſacra dominica Natalis Kanutũ inuitat, eſſe quod cum illo ſecretius agat: nam peregrinaturum ſe, quærere quem domi ſuæ tutorem relinquat. Conuenere Roſchildiam, ibique ſacris quatriduo conuiuioque peractis amiciſſimè, diſceſſere. Kanutus ad Ericum Falſtricæ præfecturæ virum ſe recepit. Erat interea qui apud Kanutum cõmiſſo homicidio, ad Magnum perfugeret. Sed illum priſtinæ familiaritatis vinculo, ſpeculatorem magis quàm perfugam reputans, à ſe ablegauit. Interea ſecedens Magnus in locum ſceleri deſtinatum, apud conſcios renouauit ſacramentum. Mittensque qui Kanutum euocaret, locum deſignat apud citimum villæ nemus. Erat genere Saxo, qui nuncius ibat Kanuto, arte cantor. Kanutus tam ſincera fide profectus eſt, vt ne gladium quidem lateri deligaret: admonitus à famulo, vix accepit. Verùm inter eundum, quum magnopere cuperet nuncius Kanutum proditionis admonitum, nec ſineret iuſiurandum, occinere cœpit carmen, quo ſimilis rei proditio memoraretur. Sed quum horum nihil Kanutus attenderet, propius adequitans Saxo per occaſionem ſermonis, diſſimulanter arma ſub veſte latẽtia prodidit. Sed neque ſic admonitus Kanutus: quòd

Coniurat Magnus in Kanutum.

Kanutus minimè ſuſpicax, futura necis præmoneri ſe non ſentit.

fidele

fidele cor hominis, nihil minus quàm proditionem potuit cogitare. Sic ſe partitus eſt ille inter fidum arcani, & pium innocentiæ ſeruatorem: ſed innocuus animus fraudem non timebat. Peruenitur in locum quem Magnus tenebat. Deiecto inſidens robori armatus, vix aſſurgit venienti. Kanutus quid arma velint, interrogat. Ille, militaria membra illis aſſueta, difficilè carere poſſe cõtendit. Interea qui in inſidiis erant milites, paulatim propinquare. Quid ea ſibi manus vellet, Kanutus petit. Eſſe ſibi refert Magnus cum contumaci agricola cauſam, quã vadit dirimere. Obſecro, inquit, ſolennes iſtos dies luctifica armorum vi ne obſcures: facturum alioqui hominem quod ſit ex æquo, ſe vadem fieri, niſi ille fecerit, ſe facturum. Bene, inquit Magnus, mentionẽ infers, te facturum quod ęquum eſt: hic ergo regni ſucceſſionem æquo iure partiemur. Diu, refert ille, parens tuus regnet: intempeſtiuus ſermo quem dicis. Hæc dicenti, manum infert Magnus. Kanutus autem videns, manũ & ipſe capulo iungit: ſed antè mediũ Magnus educentis gladium diſtrinxit caput, quàm ille gladium nudaret. Cæteri proſiliere: quiſque manum infert iacenti. Ferunt exiliiſſe fontem eo loco, quo vir eximius cæſus corruit. Rumor de morte eius citiſſimè multa impleuit loca. Exciti primores, quibus mors ea luctuoſa fuit, regem adeunt, Roſchildiam illi permittat tumulari. Ibi rex funeris pompam, populi futuram refert inflammationem: vt temporum quieti cõſulat, quocunq; præter eo loci permittit tumulari. Apud Ryngſtadium monumentum reperit vir ſempiterna dignus memoria: cuius quantus fuerit in multis amor, exequiæ declarauere. Rarus fuit, cui non excuſſerit lachrymas vel amor cæſi, vel odium parricidæ.

Magnus Kanutũ nefarie perimit.

Cap. 12.

Magnus cæde peracta tripudiabat, iam nunc æmulo regni ſublato, de ſucceſſione ſecurus. At fratres Kanuti, Haraldus atque Ericus, cæterique proceres, quibus ea res maximum dolorem incuſſit, in omni populi conuentu concionibus crimen agitabant, veſtem vulneribus conſciſſam oculis ingerebant. Incredibile memoratu quantam populi indignationem concitauerint in parricidam, vt etiam vltimis terris deportandum decerneret. In regem verò priſtina adhuc fortuna venerabilem, tanquam de eius conſenſu incertus, ſeuerius agere non patitur: ne noxam & innocentiam in æquo ponere videretur. Rex autem ablegato filio, Ryngſtadium, quò frequens populus conuenerat, ire contendit, ne in abſentem grauius aliquid ſtatuatur. Adire autem concionis locum non præſumẽs, oppidum petit. Interea tumultuatus grauiter populus, regis præſentiam quæritabat, accuſans, quòd tam vicino loco adſiſtens, aditum populi contemneret: igitur petendum, qui adeſſe nollet. Rex huius tumultus certior factus, Aſcerum Lũdenſem archiepiſcopum præmittit, qui populum placans, regi conciliet affuturo. Procedens põtifex ad populum, Ericum habuit obuium: quem equo delapſus, precatur pro Magni facinore decreta lege correctionem: pro patris innocentia, ſtatam defenſionis iuſtitiam promittebat. Quinetiam detracto pileo, conſternatæ multitudini, capitis ſui maieſtatem oppoſuit. Tantum autem eius apud Ericum precatio valuit, vt regi nõ modò ſalus, ſed etiam in proximo petendæ concionis licentia deferretur. Itaque rex concione petita, non aliter ſibi defenſionem conciliare admiſſus eſt, quam vt Magni ſe præſentiam vitaturum, eumq; domo ac patria exceſſurũ, nec ante receptam à populo licentiam reuerſurum iuraret. Ita pacato [illegible]pularium motu, rex Iutiam, Magnus Gothiam, exilij ſpeciem præbiturus, petiuit. Eo autem tumultu populari quieſcente, facilè regem pœnituit iuriſiurandi, quòd vnico filio, & in ſpem regni edito, careret. Acceſſere conſilio, qui Magno erant facinoris impulſores: indignum rati, quòd populari tumultu rex in iuramentum coactus, illo diſtringeretur: illatãq; eſſe vim ſacramento, quam neceſſitas excuſſiſſet. Igitur non longo interueniente tempore, Magnus reuocatur. Id autem quãta ſit populi indignatione exceptum, non facile dictu. Conuenerat frequens populi multitudo ad Haraldum Ericumq; fratres: qui regem ipſo ſuo facto ſe prodete interpretantes conſcium Kanutonianæ necis, æquè reum ſtatuunt cum filio: neque regno dignum in reliquum, qua poterant æquitate, regno deſtituerunt.

Populus ob Kanuti necem tumultuatus, Magnum proſcribit.

Regem ob iuſiurandũ violatum, populus regno abdicat, & aliũ ſubrogat.

Cap. 13.

Ericus Kanuti frater, licet adulterio natus, Erici prioris filius, populari ſuffragio, Nicolao deſtituto, rex acclamatur. Siquidem Haraldus maior natu

fraterſuperba inſolétia populum iamdudum à ſe auerterat. Acceſſit libido intem-
perãs, quæ multorum toros polluebat: ita vt odium meritus, regno minus idoneus
iudicaretur. Ericus quoque regium à ſe nomen tollens, ducis officia pollicebatur,
quoad vindicta fraterni ſanguinis perageretur. Itaq; compoſito agmine regem pe-
tens incedebat Ericus. Sed Toko Ripenſis epiſcopus, hominis dextram apprehen-

Rex epiſcopi aſtu regnum retinet.

dens, quam ſanctè iurat regis innocentiam ſe oſtenſurum: optimaſque leges pacis
ſe iam habere compoſitas, quę Erico non diſplicerent. Tantum effecit ſuaſionibus,
vt ſignis reuocatis ardorem pugnæ remitteret. Quumq; ille pacis legatos operire-
tur, rex inſtructo agmine ſuperueniẽs, facilè diſſipauit ſine ordine copias Erici. Se-
rò ſe deluſum promiſſis Ericus conſpiciens, in fuga tum conſtituit ſalutem. Dein-
de iuſtiorem ſibi belli datam materiã arbitratus, in Sialandiam Scaniamq; perue-
nit: regium nomen quod antè recuſauerat, procerum cõſilio aſſumpſit. Miſit quo-
1125. que ad Imperatorem Lotharium, qui Kanuti lacrymabilem doceret cædẽ, ipſum-
que vlciſcendæ necis ſuę vocaret præſidem. Lotharius regni ſubiectionem Impe-
rio queritans, cõceſſit cum exercitu Sleſwicum: quem in locum Ericus quoq; mo-
uens cum exercitu, vires iungere Romanorum armis properabat. Sed pręuẽtus eſt
à Magno, qui multis ad arma vocatis, congreſſum Imp. & Erici diſtinebat. Interea
Nicolaus quoq; magno exercitu contracto, per Iutiam mouit. Cuius quum copię
citra vallum conſiſtentes, maiores Cæſari viderentur, ex alia parte tendenti, quam
quę ab ipſo vel tutò oppugnari, vel etiã poſſẽt ſuſtineri: neq; ſecurũ videretur quod

Imperator bona cauſa patrocinium deſerit.

optabat Ericus, copias nauibus impoſitis Sleſwicũ deferri. Igitur tẽporis neceſſitati
cedens, cũ Nicolao atq; Magno, quò honeſtior eius diſceſſio videretur, pepigit: pa-
ctiq; forma fuit, vt Magnus Imperatoris vaſallus haberetur. Itaq; ſpecie veneratus
Cæſarẽ, ſupplex illi fuit, re aũt vera dolos nectebat. Nã vbi Cæſar copias ſuas trans
Eydoram recepit, ſecutus Magnus extremũ agmen, quod Adolphus Holſatiæ co-
mes ducebat, laceſſiuit, ipſumq; proiectis armis nando ſalutem quærere adegit.

Cap. 14. Ericvs autem hac ſpe deſtitutus, alia circumſpexit auxilia. Nam aderant le-
gati Noruagiæ, qui filiam Kanuti regi ſuo coniugem quærebant. Sponte pollicitus
Ericus, ipſe ſibi regis matrem vxorem aſciuit. Nicolaus Occidentis Daniæ partes,
Ericus Orientis tenebat. Erat tum inter Iutios vir primarius Chriſtiernus, qui Eri-
co operam pollicebatur: cuius fiducia fretus ſola, Scandiæ Sialandiæq; partes mu-
niebat. Haraldus autem inter vtroſque dubius, nec Nicolaum Magni odio, nec E-
ricum regni æmulatione ex integro ſecutus eſt: cæterum pudor illum corpore ma-
gis quàm animo iunxit Erico, cum duobus ſpectatæ virtutiş adoleſcentibus. Chri-
ſtiernus autem, quem diximus, vir inter Iutios primarius, contractis viribus, partes
Erici contra Nicolaum pugnans tutabatur. Magnus claſſe comparata Erico obuiã
pergit. Sed non eadem vtrobique victoria. Nam terreſtri pugna victor Nicolaus,
Chriſtiernum captum in arcta vincula Sleſwico relegat. Ericus autem ſparſa naui-

Rex terreſtri prælio, Ericus nauali victor.

gia velut ocioſus per mare ductãs, incedebat. Sed vbi vidit ex aduerſo Magnum vi
magna adnauigare, iacta interim anchora nauim firmat, edito ſigno ſuis vt conue-
niãt. Ericus circumiens ſuos, quos præſertim ſuſpectiores ducebat, animauit ad pu-
gnam. Nam Haraldus frater & Petrus Roſchildienſis, lãguidè partes eius adiuuare
videbantur. Tum verò multitudine ſuperans nauigium Ericus, hoſtem circumdu-
cens, velut obſeſſum intercipit. Vbi cœpta eſt pugna, fortiter quidem dimicatũ eſt
vtrinque: ſed Iutij, qui Magno aderant, periculum eius de ſua metientes paucitate,
myoparonem qua Magnus vectabatur, denſo agmine ſepientes, educũt inter ho-
ſtium odia, ipſumq; ſinunt nauigare: illi ad pugnam reuerſi, diſtinebant, donec ille
fieret extra periculum: tum & ipſi fugam ineunt. Ericus aũt victoria ſublatus, igna-
rus tamen quid apud Chriſtiernum accepiſſet detrimenti, Balticum mare petit, Iu-
tiam ingreſſurus: vbi copias exponens, didicit amici caſum, & Nicolai cum copiis
aduentum. Mari tum ſecurior futurus, naues repetit. Sed ea celeritate rex ſuperue-
nit, vt multos, priuſquam naues repeterent, & interciperet & trucidaret.

Cap. 15. Hvnc euentum ſecutus Haraldus, à fratre tranſit ad Nicolaum, pridem ma-

Haraldus à fratre deficit.

gnis conditionibus & ab ipſo Nicolao & à filio Magno inuitatus. Tãtum valuit fra-
ternæ æmulationis inuidia, quòd ſibi regno prælatus haberetur. Igitur præſidio,
quod

quod Haraldus iuxta Roſchildiam firmauerat, arctius munito, inſederat, incurſitans quoties videretur, vrbem. Sed Ericus expugnaturus obſedit, machinis à Saxonibus qui Roſchildiæ erant, mutuatis: quippe Dani illa ætate minus calluerant huiuſcemodi apparatibus oppugnare. Quumque valido adacto ſaxo quateretur domus, Haraldus diffiſus præſidio, noctu per valli partes minus obſeruatas, equos præmittens, pedes cum ſuis eſt ſecutus. Quumq; Erici milites tranſitũ eius ſentirent, ſecuti vt interciperent eum, ipſe prior clamauit, *Capite Haraldum*. Quo clamore creditus eſt non ipſe Haraldus, ſed Haraldi inſecutor. Hoc modo elabitur, quũ tamen nonnulli ex Saxonibus gloriarentur illũ ſuis ſe iaculis confeciſſe. Peractis hybernis, Nicolaus ex Iutia mouens, apud pontem Weram Erico conflixit: magnoq; fuſum prælio cõpulit fugere in Noruagiam, priuigni auxilia quæritantem. Interea Nicolaus Roſchildiã aduentans, Haraldo permiſit de Saxonibus ſumere ſuppliciũ, quòd machinas commodaſſent Erico. Nares omnium præſcidit per contumeliam, rogitans an Haraldum confeciſſent. Erat inter eos qui ſe doctum aſſereret. Cui veniam impertiens, quum ſederent ad menſam, iuſſit verbis ſacris benedictionem impendere. Ille ſe ſuendi, non conſecrandi doctum reſpondit. Comitati dedit Haraldus impunitatem. Dum autem Ericus apud priuignum ageret, Nicolaus miſſo cl. m nuncio, magnum auri pondus pollicetur, ſi Ericum tollat. Promittit ille operã: ſed à regina cõmonitus Ericus, inſidias euadit. Nam naue ex Hallãdia quam celerrimè cõparata abit, nemine perſentiente. Qua verò custodes arte fefellerit, in Noruagia latius retexentes, inde lectorẽ petere monemus. Ericus itaque in Hallandia cõparatis quas potuit viribus, quum adiret regem Nicolaum Lundiæ natalem Domini peracturum, omnem apparatum regium præueniens occupauit, firmatis per Scaniam viribus. Igitur Nicolaus proxima æſtate armis denique contractis, quibus potuit viribus Erico ſtatuit occurrere. Omnes copias ad Fotam ſinum expoſuit. Sed Ericus ſuperueniens equitatu valido, & qui expoſiti ſteterant infeſtauit, aliosq; ne exponerentur, impediuit. Nicolaus autem iam naui receptus, pugnam intermiſit. Magnus verò ſuos in ordinem digerẽs, fortiter pugnans, cadere, quam turpiter hoſti cedere præoptauit. Itaque diutiſſimè pugnans, quum ingẽtem circa ſe ſtragem feciſſet, ipſe cumulatus cæteris acceſſit. Maior fugientium pars comprehenſa, per foros nauigia conſcendere cupiens, ingenti quadam mole mergebatur.

Saxonibus Haraldus nares præſcindit.

Lib. 5. cap. 5.

Ericus post aliquot clades tandem victor.

Cap. 16.

Proximus ſum egomet mihi.

IGITVR qui primi introrſum euaſerant, tardiorũ manus nauigiis inſertas præciderunt, abſque ſocietatis reſpectu truncantes, ferociores in ſuos quam in hoſtes fuere. Calamitoſa ſiquidem illa facies erat, quum pendulis nauigia brachiis amplectentes, hinc hoſtis vrgeret, inde ciuis repelleret. Quo experimento quantum quiſque ſalutem ſuam alienæ præferret, fortuna detexit. Taceant nugaces adulantium voces, quæ ſpiritum amicorum proprio chariorem aſtruere non erubeſcunt. Crediderim hanc victoriam humanis parum viribus partam, ſed Deo piiſſimi viri interitum vindicante conceſſam. Neque bellum aliud crebriorem pontificum cruorem aſſumpſit. Quippe Petrus Roſchildienſis & Henricus, Sueticarum partium pontifices, omnesque Iutiæ (præter vnum) antiſtites, hoc prælio oppreſſi traduntur. In cuius apparatu Magnus Saxonis filius, Erici miles, ſingulare fidei ſpecimen edidit. Nam quum Nicolaus maritima Sialandiæ loca, ne quis ad Ericum tranſiret, à militibus obſeruari iuſſiſſet, per Stetinenſis promõtorij prærupta à ſatellitibus fune demiſſus, noctu ſcaphã conſcendit: eaq; Scaniam petens, gratam Erico opem attulit. Nicolaus fugiẽs Iutiam peruenit: & ne ſine rege prouincia videretur, Haraldum poſt ſe cunctis regem declarat. Inde Sleſwico propinquans, quamuis infeſto oppido ob Magni cruentum facinus, ſenectam tamen ſuam tutam credidit, & priſtini regis reuerentia, & quorundam è populo primariorum autoritate fretus. Igitur patefactis ad eius introitum portis, clerus regi cum ſacris obuiam pergit, omni honore ſuſcipiens: ſed populus in eum etiam dentibus frendens, exitium minitabatur. Erant qui ſuaderent in ædem Petri ſacram eum concedere, tutiorem ibi quàm in regia futurum. Sed ille, ſi moriendum eſſet, non polluere locum ſanctum cæde, ſed paternis ſtatuit potius in laribus ſibi demorandum, quæcunque fortuna minitaretur. Itaq; in regiam proficiſcens, valida militum ſtatione defenditur.

Nicolaus fuga in arce receptus, tandem à ciuibus trucidatur.

[illegible]

Sed creſcentibus in diem ciuium odiis quotidie oppugnatur, paſſimque conſumptis militibus ad extremum rex ipſe cæde ciuium mactatur, diris execrationibus in caput eius replicatis, quòd virum fortiſſimum, iuſtiſſimum, ſanctiſſimum, Kanutũ perire vel paſſus eſſet, vel iuſſiſſet. Secutus claſſe in Iutiam Ericus, quum Nicolai caſum accepiſſet, rebus rite compoſitis conquieuit.

CAP. 17.

Ericus Haraldi filios ad ſe tranſfugientes mergi præcipit.

QVO tempore Ericus & Bero, Haraldi filij, patrem deſerentes, ad Ericũ tranſibãt, fœlicius acturi apud illum, ſi modò ſuſpicionem prçuidiſſent de ſe natã. Nam pater eorum audita tranſitione, mittit nuncium, percunctaturq́; quid ſibi agẽdum videatur. Nullum eius rei indicium illi ad Ericum pertulerunt: intellexit tamẽ Ericus miſſum nuncium, incertum quid cum filiis Haraldi egerit. Igitur rex longius re dilata, ſi fortè ſua ſponte rem deferrent, vt ſinceram monſtrarent tranſitionem: vbi nihil detulerunt, euocatos percunctatur, quid pater apud eos nuncio ſuo peregerit. Illi liberè reſponderunt, percunctatum a filiis quid ſibi ſuaderent agendum: reſpondiſſe vt exularet in Noruagiam: diſtuliſſe eius rei indicium, quoad paritũ conſilio intelligerent. Et quanquam vera eſſet eorum reſponſio, minus tamen creditum eſt: quòd non tam ſpontanea quàm extorta videretur. Iubet rex eos carcere aſſeruari apud Sleſwicum. Nec diu pòſt in eum quum ſe locum contuliſſet, compediti iuuenes, genibus eius prouoluti, vincula laxari precabantur, quòd innoxij rerũ & conſiliorum haberentur. Ericus compertum iam habens de fuga patris eorum, precantes bene ſperare iubet, & (vt erat mero percalefactus) etiam compaſſioni lacrymas dedit. Poſtera luce Chriſtiernus ex aulicis quidam, obuiam factus, quum ſacrariũ rex petiſſet, Heſterno, inquit, veſpere rex, mirificè munificum te riſimus amici, quum potione percalefactus viderere. Rogantem regem quid eo tegumento diceret, explanaret. Quum, inquit, adoleſcentibus illis, fraternis nepotibus, impunitatem dederas, quid niſi tuum atque noſtrum ſanguinem donaſti? Credis poſſe quieſcere iuuenes, patris quàm tui amantiores? qui filij regis quàm milites dici prçoptant? Viſus eſt vera dicere. Igitur mandatum dedit, vt quàm occultiſſimè a quis merſi pereant. Haraldus horum pater, Noruagiam petens, benignè excipitur in odium Erici. Inde egreſſus Iutiam peruenit: ibiq́; cœtum faciens amicorum, in Vrnica rex eſt declaratus. Ericus iſta comperiens, quamuis gelu ſub littore merè eſſet concretum, per ſummam tamen difficultatẽ eductis nauibus, copias tranſpoſuit: & antequam opinaretur ſuperueniẽs, apud Slupetorp vicũ Haraldum intercepit: extractumq́; cum filiis, ſine reſpectu fraterni ſanguinis, perdi iuſſit. Solus ex filiis Olauus, muliebri veſte tectus elabitur in Noruagiã. Alius interim Haraldus Noruagiæ regis filius, à Magno pulſus, confugit ad Ericum: odioq́; Magni, quòd vxorẽ Kanuti filiã repudiaſſet, quodq́; ipſius Erici periculum intentaſſet capiti, benignè excipitur, ſpem bonam ferre iuſſus. Reduxiſſetq́; illũ, niſi domeſticis bellis implicitus diſtineretur. Nã Wandali hoſtes aſſidui, fœderibus ruptis rebellarunt. Igitur omiſſis amici rebus, propriis curam adiecit, claſſem inſtruens atq; petarmans, numero cẽtum milleq́; nauium, quaternis in quamq; equis impoſitis: primus Danicorum regum iumenta per mare trahens, quòd equitatu Wandali pollerent: memor quantis incommodis Nicolaum patruum affeciſſet Henricus Lubecæ dominus.

Haraldus cum filijs interit.

Ericus primus equos per mare traduxit.

CAP. 18.

IGITVR in Angliam ducens, vrbem Archon valido aduerſum ſe firmatam inuenit prçſidio, magnoq́; vallo diremptam ab reliqua Rugia, ne incurſationibus vexaretur. Huius valli cura data eſt Halladenſibus. Egreſſi noctu per vada Wandali, obſidentes infeſtant: ſed ab reliquo exercitu repelluntur. Quumq́; arctiſſimæ obſidionis rex apparatum faceret, territi Archonenſes deditionem pactis conditionibus fecere. Fuerunt autem hæ, vt reiecta perfidia, Chriſti fidem amplecterentur: baptizati, antiſtitem reciperent ſacrorum, tributaque penſitarent annua. Erat in vrbe ſimulacrum horrenda ſuperſtitione ab vniuerſa natione cultum, *Suantouit* appellauere. Nam à ſancto Vito occaſionem idololatriæ cepere. A memoria enim diui Ludouici primi, quum operante Anſchario, Corbeienſi primùm monacho, deinde Hamburgenſi archiepiſcopo, fides in Dania plantaretur: eodem cœnobio egreſſi & alij fratres, exemplum Anſcharij ſecuti, in Wãdalis verbum vitę diſſeminauerunt, vbique patronum loci ſui Vitum commendantes nouæ plantationi. Ex

[redacted]

qua

qua occaſione quum poſtea fidem reijcerent, patroni memoriam ſeruare: ſed illa abuſi, ſtatuam pro numine, matrem pro Deo habere cœperūt. Quod ſi modò Ericus in pactis comprehendiſſet Suantouitum tradere, firmior res conſtitiſſet. Tum autem baptizatis ad mare multis, antiſtitem illis reliquit, reuerſus in Daniam. Sed qua mente religionē amplexi ſint, ſtatim aperuere. Nam vbi hoſtis declinauit, pulſo præſule fidem cum religione reijcientes, ad ſimulacrum percolēdum redierunt.

SPEM deinde Haraldo promiſſam perſoluit, ducens in Anſlo, qua capta Haraldum impoſuit. Nam vltrà progredi tunc neq; cōſilium erat, neq; ex amici vſu. Anno tamen proximo vniuerſam Daniæ claſſem illi miſit auxilio: qua inſtructus, quū in [redacted] Magnum: oculis ac teſtibus ademptis, in tenebris & ſterilitate concluſit. [redacted] rex Ericus legibus in patriam renouatis, errata maiorum emēdauit, popularibus perinde percharus, quòd ſine ordinum diſcrimine iuſtitiæ ſuæ quemq; compotem fecit. Sed non potuit ea res ſine multorum odio fieri. Quibus enim peccandi licentiam ademit, iniquo in illum eſſe animo cœpere: numinum tamen fauore conſpicuus habebatur. Nam nocturna viſione ſatellitis præmonitus, periculum vitauit. Viſum eſt homini per altos ſe montes equo vehi: ſed præcipitio delapſum, in profundam vallem decidiſſe, ibiq; confodi vngulis noctuarum. Quumq; rex fretum è Sleſwico traijceret, & ſatelles quæ proxima nocte vidiſſet, in ſuorum collegio retuliſſet, curauit vt diuiſo ab illo nauigio vectaretur, euenitq; vt naue qua vectus eſt ſomniator, pereunte, rex ſaluus euaderet. Orta deinde ſimultate inter regem Eſchyllumq; Roſchildienſem pōtificem, in tam excellens res peruenit diſſidium, vt Eſchyllus procerum fauore, tota regem Sialādia pelleret. Sed claſſe regreſſus armata, fauore ſuorum ſubnixus, inſulam recepit, pertinaciores hoſtes extinxit, pontificem graui ære mulctauit. Sed incidit interea caſus, quo regis in pontificem animus cunctis innoteſceret. Nam Anſcero Lundenſis eccleſiæ archipræſule abſumpto, erant qui Eſchyllum in ſublimiorem gradum deuocarēt, rege renitente, quòd viuebat in memoria defectionis in ſe pertinacia. Igitur quum in cōcionem res deduceretur, aderat rex, Rikoni Sleſwicenſium pontifici ſtudens. Ibi tum exardeſcunt odia, quæ in regem pridem erāt concepta. Plogus autem quidam in militiam regis conſcriptus, ſed coniurationis munus in ſe ſuſcipiens exequendum, regi cōcionanti reſtiterat. Erat nonnihil cauſæ, quo popularium quidam in Plogum euectus, eum corā rege accuſabat. Ille defenſionis ſpecie progreſſus in concionem, haſtam manu vibrauit. Rex cauſæ dirimendę intentus, quum ſubortum in populo tumultum eleuata manu ſedaret, Plogus diligenter attendens regem inermem aſtare, lancea ſtricta manu regem perfodit, & vociferans facinus ſuum conſcijs publicauit, ſua manu iacere regem, in regios inde ſatellites liberum eſſe ſæuire. Ericus Aquini filius, qui in regnum poſtea peruenit, ſuper aſſiſtentes regium corpus vlteriore vindicauit iniuria.

[redacted] er- [redacted] danda ſunt.

CAP. 19.

Rex regno à pontifice eiectus, deinde reuerſus, per tumultum trucidatur.

ERICVS Aquini filius, ex Kanuti ſorore Erici Magni nepos, hoc ordine peruenit in regnum. Nam qui ſanguine proximi viderentur, Sueno Erici, Waldemarus Kanuti, Kanutus Magni impuberes adhuc filij, gerendo regno minus videbantur idonei. Placuit regnum cōmendari viro de omnibus bene merito, & qui regio ſanguini non alienus videretur. Aquini enim, qui filiam primi Erici, ſororem diui Kanuti coniugem habebat, erat filius. Hic eſt ille Aquinus, quem conſcium fecere cōiurationis in caput Kanuti: ſed ille abiens conſors eſſe noluit, hoc ipſo culpandus, quòd in leuitū ſuum taciturnitate peccauit. Siquidē in malè promiſſis reſcindenda fides. Sed Chriſtiernus inter Iutios primarius, filium Waldemarū renitenti abripuit matri, produxitq; in cōcionem, merita patris commemorans, quòd fortitudine, iuſtitia, ſanctitate pręcipuus habitus, non ſolùm decus, ſed & nunc ſalus eſſet populo, patronus apud Deum aſſiduus, cuius cōmemoratione filium illis commendabat. Mota multitudo lacrymas dedit. Erant qui Suenonem proximi regis filium attollerent, legitima ſucceſſione à patre in filium eſſe regnum propagandum. Sed & Kanutus Magni filius, Nicolai nepos, ſuo nixus patrocinio, inuenit qui ſe populo cōmendaret. Quū autem eſſet trium penè par ætas, regno minor adminiſtrando, in Ericum memoratū ab omnibus conſenſum eſt, vt ille adminiſtraret. Hic præter

CAP. 20.

Ericus VI. poſt V. Ge rex fuerat creatus.

animi fortitudinem parum à natura dotis acceperat, ſicut prudentia vacuus, ita parum amœnus eloquio. Cæterùm adeò ſalutis ſuæ prodigus eſſe conſueuerat, vt bellum commiſſurus, ne ſingulariter in hoſtem excurreret, arctius à ſuis ſoleret obſeruari. Tunc Eſchyllus, cognito apud regem Iutiam deceſſiſſe, repente in Scaniam maioris ſacerdotij affectatione prouehitur. Ericus verò infectum anteceſſoris propoſitum circa Rikonem explere cupiens, pontificalis ei dignitatis incrementa prouenire cupiebat. Scanienſes autem vltima quæq; perpeti, quàm pontificium in nouam familiam transferre præoptantes, bellum aduerſus regem decernunt. Ignorabat populus, domum Domini & ſanctuarium eius non hęreditario iure tranſire ad poſteros, ſed in rudi populo vis erat pro lege: [redacted] Rex cognita populi pertinacia, ne vnius viri familiaritate multorum in ſe odia conciret, propoſito ceſſit, Eſchylloq; ſedem mutare permiſſo, Rikonem Sialandiæ præſulem interuenientibus cleri ſuffragijs creat.

[redacted]

CAP. 21. PRÆTEREA Haraldi filius Olauus, Noruagia reuerſus, patrimonium ſuum inter ciuilia bella à patruo occupatum, hæreditatis titulo repoſcit. Cuius petitioni Ericus illam antiquitatis legem oppoſuit, qua reis patriæ bonorum pœna decernitur. Patrem enim eius, peregrino milite aduerſum patriam vſum, decretam hac lege ſententiam incurriſſe. Igitur Olauus perinde ac iuſtum belli titulum accepiſſet, cupidius ſeditionis oblatam cauſam amplectitur. Siquidem acceptam repulſæ contumeliam, ad nouarum rerum tranſtulit licentiam, deq; priuati patrimonij repetitore, totius regni inhiator euaſit. Verùm diſſimulato odio, per inſidias regem opprimere ſtatuit. Quem in Arnolindenſi hoſpitio diuerſantem, noctu adortus, primùm à vigilibus clandeſtinum eius aditum ſpeculatis excipitur. Qui mox reflexis equis, ſepultos ſomno milites ad arma cõcitauit, primiq; portas tueri parant: auxilijs deinde ſuperuenientium ſociorum adiuti, hoſtilem repulere conatum. Olauus deinde ſuo propoſito deiectus, in Sueciam cõtendit: ſed mox Erico Scania excedente redit. Concionemq; in valle Arnenſi ſub edicto contractam, liberioris vitæ promiſſis aggreſſus, regium ſibi nomen illecto popularium fauore conciuit. Quod indignè ferens Eſchyllus, bellum ei Lundẽſi manu cupidius quàm fœlicius infert. A quo ſuperatus pontifex in acie primùm, mox in vrbe, ad quam ex prælio confugerat, obſeſſus, poſtremò neceſſitate victus, obſidibus datis, fideq; ſacramẽto promiſſa, pacem paciſcitur. Sed indignũ ratus pontifex, primam fidem irritam facere arbitratus eſt, iuſiurandum metu extortum, non præiudicare priori. Igitur cõtempta obſidum ſalute, quàm primùm potuit ad Ericum in Sialãdiam regreditur. A quo collaudatus, quòd integritatem regi ſeruaſſet, vicis & agro inſigniter muneratur. Olauus autem Scaniam in poteſtate iam tenens, opportunis præſidijs omnia firmauit. Rex reparatis viribus Scaniã adnauigat, exercitu inſtructus copioſo. Portus autem quem tetigit, quibuſdam ſuperſtitioſorum infamatus erat opinionibus, quòd rex illum attingẽs, annum vix ſuperuiueret. Mouet Ericum vulgatus ſermo, (cuius generis etiam nunc quædam in Dania ferũtur loca, quæ ſolent reges vitare) tum expoſitis copijs, archipræſulem Eſchyllum ducem fecit. Ille autem ſacrorum quàm armorum peritior, mouens in hoſtem conflixit infœliciter, rebusq; ad Olauum inclinatis, vix ſibi fuga cõſuluit. Ita rex fabulis auſcultans, dum pugnæ de longinquo ſpectator quàm ductor eſſe maluit, hoſti victoriam ceſſit. Olauus gemina pontificis perfidia motus, eo per vim deſtituto, alium ſuæ partis ſurrogauit.

Olaui ſua repetentis in regem inſidiæ.

Pontifex fidem datam & obſides pro nihilo habet.

CAP. 22. IAM ſecurus regni Olauus remiſſius agebat. At Ericus clàm armis copijſq; contractis, traiecit è Sialandia in Scaniam: faciléq; præſidia nihil tale expectantis Olaui deiecit. Conſtitutum ab illo pontificem, turpi nece ſacrorum inuaſorem conſumpſit, nam laqueo appenſum, Iudæ proditori æquandum videri voluit. Nondum erat canon ille, de non tangendis Domini chriſtis promulgatus. Et ſolent iſta etiam vulgata apud militares viros contemni, arbitrantes æquum videri, vt qui ſe armis immiſcear, armis pereat. Olaui primores amicos comprehenſos mari demerſit: arma multa Olaui partibus profutura occupauit, gratam militibus prædam. Olauum deinde agmine expedito occurrentem diu præliatus ſuſtinuit, ad extremum

Olauus ter prælio ſuperatus.

etiam

etiam victum fugauit. Ille conceſſit in Gothiam. Reuerſus deinde per Blekingiam, Erico denuo occurrit, ſed eadē qua prius fortuna: victus enim terga dedit. Sed inſequentes hoſtes, inſidijs collocatis, per montiū fauces excepit, multosq; cōſumpſit. Quo prelio magna vis cecidit Scanienſiū, preſertim Lundenſiū. Renouatis iterum viribus, Scaniā minus ſibi fœlicē ad victoriam, euitat, bellumq; transfert in Sialandiā. Cuius pontifex Ribo, cōtractis quos potuit ex amicis ad arma, Erici partes fortiter tutatus eſt: nam conſerto prælio fugauit Olauū. Ille tum Hallandiā conceſſit: ibiq; reparatis viribus, quia aperto prælio par eſſe non poterat, inſidijs egit. Speculatus enim quū tranſiſſet in Sialandiā, quo ſe loco pontifex contineret, eò cū expedito agmine noctu quàm occultiſſimè cōtendit. Vicus erat Ramloſa, quo ſe Roſchildienſis epiſcopus continebat. Per lumen autē, quod nocturno officio pontifex ſuccendi iuſſerat, proditus oppugnatur. Primùm quidem armis ſe tutatur: inde, quòd multitudine vinceretur, obſerādas fores curauit. Cōiecere clerici ſarcinas omnes, vt aditu prohiberent hoſtē. Hac via ſubmotus ignē iniecit Olauus. At pōtifex ferro quàm igni (quando id neceſſitas imperabat) decertare malens, colloquiū petit Olaui, caput tendens è feneſtra. Nec mora, adeſt Olauus, & caput prominens enſe ſecuit: ita compenſans pontificis ſui necem, quem in Lundia perdidit Ericus.

Pontifex pontificis mortem ſua expiat.

AT Rom. pontifex horrendis execrationibus ob eam rem petiuit Olauū, præcipiens omnibus Daniæ pontificibus, vt profanatorem ſacrorum omnibus cenſuris grauiſſimisq; ſui gladij pœnis onerarent. Contendit autem in Hallandiam, hoc patrato in pontificem ſcelere. Rex illū nauigio ſecutus, parum aberat quin caperet. Ille ſe in fugam conijciens, pontem, qui inſequentibus erat tranſmittendus, deiecit: ita ad tempus aſſecuratus. Milites eius magna parte pereunt in fuga. Erat inter milites Erici, qui capitis ſui diſcrimen ſubijt, quò regem ſuum faceret tutiorem. Nam transfugio ad Olauum ſimulato, occaſionem quæſiuit eius perimendi. Ibant per viam equis vecti: tum miles transfuga, lanceam omnibus viribus contorſit in Olauum, equi ſui celeritate fretus auolabat: ſed Olauus ictū inclinans declinauit. Tum ſibi nihil arbitratus tutū miles, aufugit. Compēdia fugæ quæritans, paludem tranſire conſtituit: ſed ibi demerſus perijt. Paluſtre enim cœnum equum demiſſius accepit, equitemq; pariter equi motu cōuoluit. Iam Ericus nuptias circumſpexit: accepit autem vxorē Hartuici Hamburgenſis archiepiſcopi germanā, (erat is marchio Stadenſis: qui comitatus tum etiam Thietmarſiam cōplexus eſt) ſatis conſpicuam nobilitate fœminam: ſed erat (vt aiunt) quod in moribus eius & vita deſideraretur. Cuius inſtinctu rex prædia multa & latifundia diſtribuit ijs, quorum opera vſus eſt in hoſtem, quò ſibi in reliquum tempus faceret deuinctiores. Quumq; audiſſet æmulum regni Olauum viribus renouatis bellum reparare, nihil cunctatus Ericus illi occurrit: & congreſſus apud Thiutam amnem, cum maiore copiarum ſuarum parte deleuit. Verùm non eadem virtute externa atq; domeſtica bella peregit. Expeditionem enim fecit in Wandalos: ſed is erat ei exitus, vt aliquantò melius videretur, non tentatum quàm turpiter relictū bellum: non enim tam timori quàm ludibrio fuit hoſtibus. Adeò enim apud eū in ea expeditione inertia fuere omnia, vt ne à viro quidem edita putarentur. Infirmi enim cuiuſq; in ſoluēda militia arbitriū ſequebatur, ſæpe lixarum redeundū clamantium clamorē ſecutus, claſſem dimiſit. Quæ res contemptum eius & inter domeſticos & inter hoſtes peperit. Nam Wandali eò temeritatis proceſſere, vt impunè nauigarent in Daniam: nonnunquā enim regiam nauim conſecuti, prædam ex ea petiere. Quo tēpore vix in terram elapſus, eorum euaſit manus, armamētis & quæ ſecum vexit omnibus, in prædam hoſti relictis. Nec magnū aliquid in reliquum vitæ tempus peregit. Interiectis annis, quum apud Sialandiam febri ſe implicitum perſentiret, Fioniam vſque, vnde erat oriundus, conceſſit: ſalubriorem ratus aërem inclinato iam corpori, quem natalem primùm hauſit. Illic deſperato languoris remedio, quia corpori non poterat, ſpiritui cōſulere cupiens, regiam veſtem cucullo permutat: vocataq; militum cohorte, palàm regno renunciat. Tunc Elinus à vico Wiſingo, qui & ipſe ægro cum alijs aſſidebat, cunctos de creando rege circumſpectis eſſe ſuffragijs iubet, vtpote præſenti iam militia liberos. Quæ vox vitam regis, quantulacunq; reſtabat, abſumpſit, ægrè

CAP. 23.

Olauus à papa denotatur, inſidijs & bello infælix.

Erici in Wādalos infælix bellum ignominioſum.

[redacted]

Rex monachus moritur.

ferentis adhuc viuo ſibi ſucceſſorem requiri. Quod ſua voce denunciabat, ab aliis tamen audire peræquè non potuit.

CAP. 24.

De regni ſucceſſione diſſidium.

SVENO Erici filius, qui ante proximum regnauit, quem Plogus cecîdit (quíque patrem habuit Ericum regem in peregrinatione terrę ſanctæ deficientem, fratrem verò Kanutum ducem, ſanctitate inſignem, cuius etiam vindictam peregit) in regno ſucceſſit. Duras verò partes regni illi Kanutus Magni filius, patre Nicolao nati, fecerat, quòd eodem penè tempore Sueno in Sialandia, Kanutus in Iutia regnum inibant: durauitque contentio ad necem vſque Kanuti. Apud Sialandiam, quæ inſula meditullium regni & regiã ipſam tenere videtur, legitima ſedes & creandorum rēgum locus eſſe videbatur. In eam concurrere qui Suenoni, ob patris patruique Kanuti recordationem ſtudebant. Quumque properatiter illi regium commendare nomen amici contenderent, negabat Olauus, cognomine Balbus, regiam appellationem, niſi populo (cui ius eſſet decernere) prouenturam. Sed Stenus vir item primarius, & quē multis promiſſis Sueno cumulaſſet, nihil expectandum duxit: ſed magna concionis parte in aſſenſum vocata, primus Suenonē conſalutat regem, & in vulgus proclamat. Secuta concio, plauſu regem omnes Suenonem conclamauere. Et vt ſuffragiis maioribus viribúſque ſuam cumularet electionem, Iacobum quēdam cum Suenone mittit in Scaniã, qui vocato in concionem populo, ait Sialandenſes, etſi de more veteri, in deligendo rege ſibi primas poſſent iure optimo vendicare partes, modeſtiori tamen vſos ratione, nihil in ea re voluiſſe tamē conſtituere ſine Scaniorum aſſenſu: ſuum tamen in Suenonem propenſum affectum fratribus inſinuare voluerūt. Itaq; ſi Suenonē Scanij regē velint, omniū ſe rerum & corporum viribus anniſuros, vt quod cum Scaniis Sialandenſes cōſtituerint, id perpetuum ſit. Patris eius in omnes merita, eorū in illum obſequia commemorat. Commendat filium paternis meritis, vt humanitatē, qua parentē præuenerunt, in hæredem proſequantur. Ergo affectum inſinuat, factum autē Sialandenſium abſcondit: & perinde Scaniorum in eum inclinant ſuffragia. Kanutus nō ſegnius inter Iutios, Magni patris, Nicolai aui memoriam renouat: accuſatq; Suenonis temeritatem, qui inconſultis cæteræ nationis partibus immatura ambitione regnum præoccupet, indignatione magis ſui contemptus quàm quę de affectione Kanuti procederet. Iutij quoque Kanutum regem appellant. Sialandiã adnauigat: paternos in ea amicos ſollicitat, mittens qui maximū Daniæ pontificē Eſchyllum (qui iam aduerſarum partiū videbatur) pertentet. Ille audita legatione, quum corpore magis quàm animo ſequeretur Suenonē, operas pollicetur Kanuto, quærens occaſionem, quomodo conſerta ſermonum altercatione ab eo diſcederet. Erat ea tempeſtate Lundiæ Sueno: quē colloquij de pace ſimulatione aggreditur. Verùm in longum ducens ſermonem, præmiſſus ab illo nuncius, adeſſe littori nunciat Kanutum, vt erat conſtitutum. Tum Eſchyllus ſermonē rumpens, indignatione concepta abibat: conſcenſoq; iumento, cum militibus quos habebat expeditos, cōtendit ad littora, Kanutum excepturus. At ille quum in littore neminem conſpiceret, arbitratus ſibi data verba, nauigans declinauit. Itaque vterq; deluſus eſt, nec Kanutus conſpiciens, quum veniret, pontificē, nec ille Kanutum reperiens, quum paulò ſerius conſtituto veniſſet. Sueno autem, quum eſſet colloquium amaritudine ſolutum, nihil iam pacatū cogitare reputans Eſchyllum, occurrit illi: conſertaque pugna, capit illum, & in eccleſiam recludit vinctum, ex ſacrario faciēs ergaſtulū. Sed execrationem veritus ſtatim relaxat: & vt fidiorem ſibi faceret, magna parte inſulæ Bornholm donat.

[redacted]

CAP. 25.

Regni competitores in communem hoſtem vires magis quàm animum cōferunt.

PER longum tempus in medio, quum audiſſet Sueno Kanutum in Sialandia copias parare, adnauigat: manuq; conſerta, cruento prælio vincit, ac fugat. Victor in Scaniã, Kanutus in Iutiã laceras vires colligit. Tempeſtate illa ſummus pontifex vicinos omnes Chriſtianos, largitate munerū ſuorum de theſauro eccleſiæ, inuitat ad oppugnandos Wandalos, Chriſti fidem toties reiicientes. Ad eã expeditionem pietatis plenam, exciti Saxones à terra oppugnare contendunt, Danis à mari occurrentibus. Ea res conciliauit regni æmulos: vt interim poſitis inteſtinis odiis, communi ope hoſtem publicum vno animo adorirentur. Kanutus Iutiorū, Sueno Herbyen-

Herbyenſium nauibus aduehuntur in hoſtem: Scanij ac Sialandenſes à tergo imminentes, agmina claudunt. Interea Dobinũ oppidum terra Saxones, à mari Dani obſident, oppugnantq́ȝ. Sed interim Rugij cernentes expoſitis in terram militibus naues vacuas, opem ſic laturi congentilibus bello ſocijs, ſi hoſtilem claſſem (ſpem reditus) laceraſſent: itaq; oppugnant paucis propugnatoribus defenſam. Et multis iam nauibus peſſundatis, Iuuij qui aderant, non magnopere moui, tacitis etiam votis hoſtes adiuuabant. Viuebat in eis vetus odium, recensq́ȝ de regno diſſenſio, ita vt non integris animis res gereretur, quò minus etiam proſperata eſt oppugnatio. Quæ quum longęuàm depoſcere videretur obſidionem, vno animo ſoluunt, reditum in patriam properantes, quòd formidaret alter ab altero. Igitur quum Suenonis nauigium hoſtili impetu eſſet conquaſſatum, exhibuit illi Kanutus liburnicam ſuam, ſed ſuſpectum ab hoſte beneficium non accepit. Igitur Sueno Sleſwicum concedens, prius tamen in Sialandiam Scaniamq́ȝ redijt, quàm ab hoſte occuparentur. Roſchildiam oppidum, iam mœnibus valloq́ȝ vacuum, communiuit: inde in Scaniam, vt illam quoq; communiret, tranſiuit.

INTEREA Kanutus multorum in Sialandia familiaritate fretus, adnauigat, vt eam ſibi conciliet inſulam. Roſchildiam vbi iam audit in partes ceſſiſſe æmuli, mittit virum eloquio magis quàm militari ſplendore conſpicuum. Ille obequitans, deditionem Kanuto multis verbis ſuadet. Dum autem ille ſub mœnibus laſciuit, mittit occultè ciuitati præfectus, qui ſuaſorem capiant: nam dum intẽtus ſermoni ſuaderet auſcultantibus à muro, non reſpicit à tergo venientes. Captus ergo in oppidum trahitur: & breui ſuperueniente Suenone, ſuaſionis ſuæ merita præmia tulit, excæcatus ab illo. Nec longum tempus, obſeruato temporis cõmodo, quum iam nemo Kanutũ adeſſe putaret, nauigans à Iutia Roſchildiam noctu petit, ab ea parte qua maris ſinu alluitur: & ab amicis adiutus, oppidum capit. Ebbonis præfecti, qui iam ad Suenonem cõfugerat, domũ direptam incendit. Sialandenſes publico decreto alimentorum illi ſtipendia decernunt. Scanij non minus propenſi in Suenonem, collecta etiam inſigni peracta, principem ſuum collato ære locupletarũt. Interea cauſa extitit, qua ex Iutijs primores duo, & in re bellica ſingulari præſtantia, duabus liburnicis ad Suenonem tranſeunt: quorum acceſſio magno illi fuit rerum momento. Contractis ergo auxilijs, & inter alios aſſumpto Eſchyllo, traijcit in Sialandiam, belli fortunam tentaturus. Kanutum autem ſui, prælio pro ætate intereſſe non paſſi, ſpectatorem ſtatuerunt. Congreſſis ergo paribus odijs vtrinque, diu anceps prælium conſeritur. In quo quum Sueno iam terga dare videretur, a ſuorum validiſſimis in aciem reuocatus, victor ex penè victo conſtituitur.

Kanutus orator captus excæcatur.

CAP. 26.

Sueno victor.

PER quæ tempora Waldemarus, diui Kanuti filius, iamprimũ per ætatẽ armis habilis, vt adoleſcentiã præclaris militiæ rudimẽtis imbueret, Suenonianas in partes conceſſit, quòd paterna facinora in Kanuto reformidaret: cuius fauor plurimũ Suenoni virium cõciliauit. Paterna illũ præfectura, hoc eſt Sleſwici ducatu Sueno donauit. Erat Kanutus alius, Erici filius, ſub Kanuto militantis, qui ad eandẽ beneficio Kanuti præfecturam anhelabat. Qua ex re crebra inter Waldemarum Kanutumq́ȝ pugna fuit: nec minor inter illos de parte contentio, quam de rerum ſumma regibus incedebat. Semper tamen congreſſis illis, inclinabat ad Waldemarũ victoria. Interea Sueno hoſtẽ perſecuturus, in Iutiam traijcit exercitũ. Ibi a perfuga quodã Ethlero inſtinctus, vt bellũ in Holſatiam transferret, quòd inde fortaſſe auxilia mutuatus eſſet Kanutus, prębiturũ ſe ſpondet ſcaphas ad traijciendum exercitũ copioſas: nam pontẽ incolæ conuulſerant ſuper Eydoram. Paruit Sueno ſtimulãti, & cum exercitu Eydoræ propinquauit. Ibi binas tãtùm ſcaphas reperit. Ardebat primus vel inter primos traijci Sueno: ſed à ſuis meliori conſilio, magnã ſuorum partẽ præmiſit, quòd hoſtes in vicinis latibulis occultari facilè erumperent, quum tantũ cernerent eſſe virium traiectũ, quantis occupandis ipſi ſufficerent. Nec illos fefellit opinio. Nam Holſati cernentes ex hac ripa Danos, incurrunt, manus conſerunt: ad vnum omnes Dani pereunt, quippe quibus nulla fugæ ſpes. Nam ſcapharum magiſtri medio ſe amne continuerunt, periculum ſuum cogitãtes, ne aut traiectos reducerent, aut plures traijcerent. Ita bona pars exercitus ſub oculis ducis perijt.

CAP. 27.

Sueno imprudenter ſuos in perniciem conijcit.

CAP. 28. IISDEM temporibus Kanutus vacuam hoſte Iutiam aggreſſus, tantam hominum expertus eſt humanitatem, vt cōgeſtis pecunijs duci ærarium facerent ad militiæ ſtipendia. Sueno autem laceris ab Holſatia viribus, aggredi illum non fidebat: ſed reuerſus in Orientales prouincias, reparabat exercitum: & poſt temporis interuallum, quum iam hoſtem petiturus Fioniam aduentaret, Ebbonem virum ſibi amiciſſimum, cuius cōſilio cuncta gerebat, audit vita exceſſiſſe. Curato quòd Sialandia in fide retineretur, mouit in Iutiam: Wibergenſes, pactos regiorum vectigalium immunitatem, primos ſibi conciliauit. Kanutus autem quum validum vndecunq; contraxiſſet fortiſſimorum militum exercitum, hoſti ſe prębet obuium, grauiſſimo prælio ab hominum memoria conflictatus. Sed erat procerum eius conſilium, vt quando equitatus ſuperioribus pugnis parum illi proſper fuiſſet, omne robur exercitus in pedites haberet coniectum, æquato periculo: quò minus fugæ fiderent, ſed omnes propè intelligerent aut vincendum ſibi aut moriendum. Mouit in hoſtem: medius autem cum equitū cohorte Kanutus inceſſit, vt pugnæ ſpectator potius quàm ductor eſſet. Sueno hoc alacrior factus, quum equitatu plurimum polleret, monente Waldemaro, manum non contemnendam & ipſe peditum peditibus opponere. In quibus Wibergenſes equis inſueti pugnare: ſed alis equitum omnem ſuorum permuniunt exercitum. Kanutus hanc ineundi prælij rationem ab hoſte conſpicatus, in celeritate rem poſuit, ne ab equitatu circumueniretur. Igitur mouet in hoſtem, pedites peditibus ſtataria pugna obijciens. Graue ac diuturnum prælium, vbi diu certatur. Pertinaciter vtrinq; reſiſtitur: certi non cedere. Facilè victoria apud Kanutum erat, cuius omne robur in peditibus erat: mox in equites conuertit agmen. Sed malè fidebat Sueno acie confligere cum armatiſſimo peditum exercitu: laceſſendum ac fatigandum putauit equitatu, vt paulatim abſumptis viribus, pertinaciam deponeret victus pedeſter exercitus. Nec aliter euenit. Kanutiani enim quum tota die præliantes, nullum ab equitatu reſpirandi tempus accepiſſent, exhauſtis viribus, quadrato agmine incedentes præliantesq;, veſtigia torquent in vicinum oppidum. Interea quidam Suenonianæ partis quum acrius incurreret retrogradientibus, ab hoſtibus cingitur: validaq; pugna vnus in multos decertat, multos proſternens. Sed Waldemarus amici caſum miſeratus, ſuccurrēdum putauit: igitur immiſſo equo aduolat, illum erepturus. At ille iam ſudore oculos tegente, non diſcreuit inter hoſtem & ſocium: itaq; librata ſecuri in caput amici, ſi intra ictum ille ſteriſſet, mox confeciſſet. Ereptum ergo extrahit, ignarum ſocius an hoſtis ſit qui vim faciat. Vbi autem amiciſſimum conſpicatur hominem, gratus quidem, ſed nec dum indignatione poſita, rogat quonam pacto ſe periculo immerſerit, quo id caſus præſtare potuiſſet, quod vtriſq; ingemiſcendum eſſet. Kanutus equo præcipiti in fugam lapſus, eripitur.

Kanutus magno prælio à Suenone ſuperatur.

CAP. 29. SVENO autem vicum cui hoſtes inerant, facilè irrumpens, obuium habuit Heliam Ripenſem epiſcopum. Iam tibi Sueno, inquit, hortulani conſilio vtēdum, qui noxijs extractis herbis, locum vtilibus vacuefecit. Salutare monitum, ſi illo tunc vteretur. Sed ille ſine diſcrimine multis tum pepercit: alios redemptioni ſubijciens, alios ſacramento interpoſito ſibi conciliat: duo ſoli inſignes latrocinijs, gladio ab illo ſunt cæſi. Sed multi ex his præſtitæ ſibi ab illo ſaluus immemores, ad Kanutum rediere: qui interim rebus in Dania deſperatis, ad Suerkonem Sueciæ regem, vitricum ſuum, conceſſit. Sed ibi primùm benignè exceptus, inde vilior haberi, poſtremùm cōtemni cœpit. Nam Suerkonis filius Ioannes ſtrenuus, ſed inſolentia ſuperbus, ignominioſo carmine calamitatem eius cœpit inſectari. Inde ergo comparato nauigio, ad auunculos in Poloniam reſpexit, eoq; contendens, ſatis hoſpitaliter excipitur: ſed ſpeculator magis habitus quàm exul, in nullam vrbem admittitur. Ad Hamburgenſem inde archiepiſcopum confugit, infenſum Daniæ, quòd legationem ſuam, ab olim eccleſiæ ſuæ debitam in omne regnum Aquilonis, Danici reiecerint. Ab eo quidem auxilia mutuatus, fidem pertentat ſuorum, qui nouiſſima pugna à Suenone capti, à ſe tranſierunt. Vbi comperit quàm ociſſimè redituros, ſpe plenus, Saxonum viribus mouit in Iuiam. Illico ſine reſpectu iuriſiurandi, contemptis etiam quos pręſtiterant obſidibus, ad illum magna procerum pars redibat. Quod

Suenonis clementia multi abuſi.

Hamburgi præſul imminuta à papa maieſtatis memor.

Quod vbi Sueno perſenſit, diffiſus viribus in prælium, Wibergam nuper à ſe munitam ingreditur, ibi obſidionis incōmoda laturus: ſperabat enim externas vires hoſti non diu affuturas. Kanutus fortunam loci veritus, oppugnationem nō intentabat, ſed caſtra fixit opportunis locis, vt inuectionem commeatuum impediret, futurum ſperans vt fames hoſtem perurgeret. Sed dum circumageretur Kanutus, Sueno Wandalis bellum intulit. Magis tamen hoſtis ludibriū quàm terror fuit: quippe non totis viribus incumbebat, animo ſemper reſpiciens in regni æmulum. Quum ergo nunc vrbe clauſus teneretur, famem proſpiciens, audendum aliquid cenſuit etiam cum periculo. Igitur egreſſus noctu tendebat cum expeditis in caſtra oppugnanda Kanuti. Ille iam nihil tale veritus, mane primò diuinis inſtitit audiendis officijs. Comperto hoſtium acceſſu, trepidi in tali re alij arma capere, alij circumſpectare fugam. Erat medius vtrorumq; riuus, quem iam vado meabilem Kanutiani agnouere, Suenoniani ignorauere. Quæ res multis fuit exitio: nam equis gurgitem tentātes perierunt. Saxones in Kanutianis caſtris, oſtendendarū virium gratia, vadum ingreſſi, ad Suenonianos irritabundi tranſierunt. Aduertit Waldemarus: & obſeruato loco, paucis ſecum extractis, vadū prior ingreditur. Occurſant denſi ex agmine alio, tranſitum remoraturi: ſed peruicit fortis adoleſcentis inſtantia vt pertranſiret: locumq; capiens, pugnam cum paucis orditur. Plures inde ſecuti, iam iuſtam aciem inſtruētes, fortiter inſtant hoſtibus. Sed Kanutiani nec dum terrorem ſuperioris prælij poſuere: vbi acrius inſtare hoſtes vident, terga dant victi. Saxones autē, quibus exercitatio militaris familiarior erat, equeſtri prælio vſi, crebro equorum reiectu victoribus inſultabant: ita fugam moderantes, vt eam non ſine ordine & regimine dirigere viderentur, in fuga pugnantes. Conuenit iam edicto victoris, vt nemini parceretur capto, propter perfidiam proximè rebellantium. Itaq; ſiue in fuga capti, ſiue in diuerticulis deprehenſi, iuxtà perierunt. Vnus ex Saxonibus, iam antè accepta venia à duce ſuo Kanuto, vt in Ripam vrbem ſecederet, deprehenſus, Suenoni offertur: is quoniam vir fortis erat, & priſtina militia Suenoni notus, libertati datur. Quæ res illi exitio fuit inter ſuos. Nam proditionis accuſatus, quòd conſcius futurorū ſeceſſiſſet, quum diem ei indixiſſent, ita ſe purgauit, vt multis fidem faceret innocentiæ: ſed tamen ab æmulis interceptus, inſidijs perijt. Sueno iam iuſti regis, toties victor nomen meruit. Igitur tutandæ patriæ curā adiecit. Nam duo locis opportunis in littore maris firmauit præſidia, aduerſus incurſiones Wandalorum, alterū in Fionia, in Sialandia alterum: ſed vtrūq; hoſtes demoliti ſunt. Compertos tamen in mari celeri expeditione occupauit: & iuxta Fioniam cōſerto cum illis prælio, ita retro pulſi ſunt, vt diu cladis meminiſſent. Sed vt Sueno rex liberius in hoſtem armaretur, inſtituit mari præfectum Wethemannum, qui piraticam curaret: lege data, vt nauibus vbiq; repertis vteretur, octaua quæſitorum parte domini pro naulo ſoluta. Comeatus neceſſarios, & arma vectitabāt, nihil præterea, quò expeditiores eſſent. Noctibus per tranſtra ſomnum cepere. Ingreſſuri mare, accito ſacerdote, velut morituri, ſe eccleſiæ ſacramentis apparabant, quò fidentiores ferrentur in hoſtem. Aggreſſi hoſtes, piratas facilè oppreſſere, ſeptem & octoginta naues ex his breui cepere, quum ipſi vix viginti iacturam ſint perpeſſi. Chriſtianos captos in nauibus laxauere, breuiq; perfecerunt vt mare pacatum haberetur.

Sueno eruptione facta Kanutū delet, & regno ottitur.

Piratis mare purgatur.

CAP. 30.

INTEREA Kanutus è Saxonia, quę illi magna in reliquum auxilia polliceri noluit, in Friſiam Sleſwici pago conterminā deflectit: nam & illa Danicis regib. ſemper paruit. Laxationē tributorū pollicetur, qua gens illa promiſſione accepta, magno ſe prælio implicuit. Eſt autem regio paluſtris, ſitu humilis, ſolo aggere mare excludens: quo rupto inundat, fitq; nauigabilis quæ aratri paſſa eſt terra: ſed inundationē fertilitas ſequitur. Penates æditis locis extollūt, aggeſtis in tumulū ceſpitibus. Hos è Friſonū gente conditos, nominis & linguæ ſocietas teſtimonium eſt, quibus nouas quærētibus ſedes, ea forte tellus obuenit, quam paluſtrem ac humidam primùm, longo cultu durauerunt. Ea gens tum Kanuto vires promiſit. Quoq; illum facerent tutiorē, mœnia cinxere, oppidumq; ad Mildam fluuium fundauere. Sueno rex è Sialandia Scaniaq; nauibus impoſitas copias tranſmittit Sleſwicum: Iutios iubet equitatu inſtructos adeſſe. Naues inſigni labore, terreſtri itinere tranſponit in

Friſia minoris deſcriptio.

Eydoram, vt hoſtibus fugam impediant. Iude copias ducit ad cingendum nouum oppidum, cui hoſtis inerat, natura quàm arte munitius, nam amnis placidis aquis p̃tei laptus ab vna, immeabilis palus ab altera cingit. Firmatis ergo caſtris, opportunè oppugnationem intermittit. Interea Friſica iuuentus pugnę auida, hoſtem laceſſit amne tranſmiſſo: quotidiana enim exercitatione varia pugnatur fortuna. Creſcit per tempora Friſiorum audacia, magis magisq́; hoſtem laceſſunt. Interea erant inter primores Danorum, qui Friſicæ temeritatis non ignari, totis agminibus erupturos proſpiciunt. Iubent in caſtris exercitum ſtare in ordine ſuo, vt dato ſigno prodeat. Ergò ad ripam irritantur à Danis Friſij: cedunt paucis, vt omnes educant. Illi toto agmine proruunt amne trāſmiſſo, imparatum opprimere geſtientes. Tum in ſuo ordine prodibat exercitus, & conſerta manu profligant Dani Friſios, tantam multitudinem opprimentes, vt contextis viminibus ad tranſitū paludis penè opus non eſſet, quum vbiq; cadauera cæſorum pro pōte illis viderentur. Kanutus id cernens, cum paucis equitibus in fugam ſe coniÿcit. Superſtites Friſij ægrè in vrbem ſe receptant. Rex fortiter oppugnat, arbitratus caput belli ineſſe Kanutum. Vbi multo ſudore ſanguineq́; oppidum diu oppugnauit, ad deditionem cōpulit. Regis clementiam implorātes, etiam vltrà ac rati ſunt inuenere. Plogus inerat, qui regis patrem Ericum regem confoderat. Non ſperabat impunitatem ſceleratus, & tamen meruit, dum plus rex deditionis iuri, quàm proprio affectui indulgeret. Cæteros Kanutianos milites, toties fidefragos, dimiſit, præfatus eorū odia ac fidem in æquo ponere, cui toties peierasſent. At Friſones mulctæ nomine duo millia etiam libras regi cum obſidibus pendunt.

Friſiorū clades & fuga.

CAP. 31. *Nempe primum Barbaroſſam dictum.*

KANVTVS interea ad Imperatorem Fridericum, recèns ad imperium aſſumptum contendit: pollicitus regni ſubiectionem, ſi illius ope reducatur. Ille auidus ampliandæ ditionis, Suenoni nuncium mittit cōſalutatum, oratumq́; vt ſe inuiſat: magnum ſibi ineſſe videndi regis deſiderium, quem iuuenis iuuenem apud Imperatorem Conradum agnouerit: ſe quoq; concitò properare ad Suenonem, niſi regni negocia præpediant. Mouit Suenonem tam familiaris ab Imperatore ſalutatio. Regio apparatu ſe Teutonicis videndum ingerit, pergitq́; in Merſpurgum Miſniæ oppidum, quò tum Imperator curiam cōuentumq́; principibus indixit. Excipitur ſtatiò perbenignè, regioq́; faſtu collocatur. Poſteris diebus cū cauſa Kanuti in medium veniret, Imperator ſe medium conſtituens, in hanc legem res inter diſſidentes componit, vt rex ab Imperatore regnum recognoſcat. Kanutus regia ſpe poſita, miles ſit Suenonis, Sialandiam accipiens, eaq́; contentus ſit. Qui has recuſet conditiones, in eum ſe copias miſſurum, vt alteri accedant. Sueno circumuentus, quod neceſſe fuit, paterna bona, quibus in Sialandia abundabat, tanquam peculiaria, cōditionis tenore ſublegit excepitq́;, ne violandæ pactionis omnis domi deeſſet occaſio. Quod quia Germanico iuri familiare erat, admiſſu facile fuit. Kanutus pacti ſponſorem Waldemarum depoſcit. Ille ſciens quam ſit difficile parere conditionibus, valde recuſat. A rege rogatus, hac annuit conditione, vt niſi ille pareat pactis, ſe acceſſurum Kanuto. In has cōditiones diſceditur. Reuerſus in regnum Sueno, Cæſari reſcribit, ſuorum procerum conſilio non placere conditiones, quas nemo ante ſe Danicorum regum ſubiÿſſet. Kanutus etiam quum pacta in Sialandia poſceret, regios ſe penates à cætera conditione ſecreuiſſe dicebat. Fruſtratus ergo ſpe Kanutus, vadem depoſcit. Qui quum regem deſerere, aut ſponſioni deeſſe, æquè turpe duceret: vtrobiq; famæ periculum contemplatus, mutare pactum quàm euertere maluit, ſtatuens, vt quum rex Sialandiam comeatui ſuo neceſſariam duceret, aliud pro eo Kanuto ſtipēdium aſſignaret, nec fructu parcius, nec honore defectius. Aſſenſus conditioni rex, tripertitam Kanuto præfecturam cōſtituit, eiq́; in Iutia, Scania ac Sialandia peculiare beneficiū tradit: interciſam loco dominationem minus ſolidæ poteſtatis geſturam exiſtimans. Huius rei gratia Kanutus denuo Waldemarum prædem depoſcit. Quem (velut antè) repugnantem, Sueno ſpōſionem iterare coëgit: negans, ſe, ſi pacto obuiam iſſet, eius in Kanutū defectionem ægrè laturum.

Sueno cōditionibus ab Imperatore incauto oblatis, non ſtat.

CAP. 32. IGITVR Sueno perinde ac bellorum metu ſolutus, ſuperbè cœpit agere, patrios ritus proiÿcere, Germanicos habitus ſibi ac familię inducere, epulas maiori luxu in-

xu inſtruere: quippe quē recèns conſpecti ritus Germanici oblectarunt. Sed ea res in oculis procerum vehemēter notata. Honores nobilibus ademptos, hiſtrionibus ac ſaltatoribus addebat: illuſtribus à ſe viris reiectis, leues ſibi ſociauit & effœminatos. Nec auaritiæ imperauit, proſcriptiones nobilium, quorum ambiebat patrimonia, multiplicans: paruulorum exhæredationes, vt patrimonijs fiſcus ſuccederet, increbreſcere fecit. Prouinciali ū onera ingrauauit, quod ſumptuoſus ille apparatus epularum veſtiumq́; extorſit. Controuerſias iure dirimi ſolitas, ad antiquas pugnæ diremptiones, & ad duella reuocauit: popularium alloquia refugiens, non ſe paſſus adiri, de more permiſit: concionaturus, non leni contentus tumulo, ſed grandi cumulato ſuggeſtu conſcendit. Hæc & horū ſimilia faſtū inſolitum teſtificantia, multorum à rege animos aliquando parentiū abalienauere. Sed tū iuſta cauſa erat belli gerendi in Suecos, regem tamen nuptiarum ſuarum implicuit. Equidem Conradi inter Germanos inſignis principis filiam cōiugem ducere parabat, ducebatq́;. Cui fœminæ falsò imponunt, quòd patrios ritus Daniam inuexerit, quum etiam antè Sueno illis ſit vſus. Vidit enim in adoleſcentia curiā Conradi, & nūc rex, recēti memoria Fridericū adiens, antequā coniugem duceret, Teutonū ritus amplexus eſt. *Suenonis nuptiæ.*

PER quæ tēpora Nicolaus vrbis Romæ Cardinalis, à pontifice miſſus ad inſpectandā Noruagiam, quæ etiam metropolin depoſceret. Venit, vidit, & Trōdemni ordinauit archiepiſcopum: idem facturus in Suecia, niſi Gothi cū Suecis de loco & perſona diſcordaſſent. Itaq; relicta ea prouincia, quū iam brumale tempus ingrueret, nauigationem veritus, Daniam terreſtri petit itinere, infenſam quòd Noruagiā eius ditioni ſubtraxiſſet. Sed placare conſtituit archiepiſcopum Lundenſem, quòd polliceretur arbitriū conſtituendi in Suecia metropolitani apud illum collocare, & in perpetuū de manu Lundenſis archiepiſcopi ſumeret Sueticus ab vrbe Roma miſſum pallium. Quam rem apoſtolicis literis firmandam pollicetur. Facileq́; fuit impletu. Nam rediens in vrbem Nicolaus, mortuo Anaſtaſio, creatus eſt pontifex ſub nomine Adriani: perfecitq́; publicæ religionis præſul, quod priuatæ legationis miniſter annuerat. [redacted] Quo etiam tempore, dum adhuc in Dania moraretur Nicolaus, regē qui parabat expeditionem in Sueciā, tentauit auertere: multis rationibus contendens non eſſe tanti, cui proprij ſanguinis impendium, & multorum ſubditorum ſanguinem daret in periculum laboremq́; infinitum. Quid enim cōtinere Sueciam, niſi inuios montes & ſaltus nemoroſos, pro quibus teneret Daniam agris pecoribusq́; fœcundam? Sed ſurdo narrabat fabulam: quippe ſemel conceptum regni deſiderium excutere nō potuit. Tam autem certa iam Daniæ proceribus erat de Suecia ſpes victoriæ, vt inuicem iam agerent de coniugijs inde ineundis, quum ille eam, iſte alteram ſibi puellam generoſi ſanguinis aſſcriberēt. Igitur rex magno apparatu infinitisq́; ſumptibus expeditionem inſtituens per terram agere, quo marina fugeret incōmoda, Suecisq́; claſſe plurimùm fidentibus, eam adimeret opportunitatem belligerandi. Interea Suerco, belli metu crebras ad Suenonem de pace legationes miſit: ſed nullis conditionibus ad eam impetrādam peruenire potuit. Quanquam autem magno in primis inſtinctu parata eſſet expeditio, infinitisq́; laboribus exercitus tranſportaretur in Sueciam, vana tamē fuit omnis ea molitio: vt in Suecia noſtra explicuimus. Effecit tamen ea expeditio, vt onerata plebe grauibus in eam impenſis, tumultus magnus conſurgeret: quē rex ipſe accurrens, placare haud poterat. Exactio enim tributorū ſolito oneroſior, plebem ad indignationem pertraxit: cōcurrebatq́; armata in Arnam vallem, magnis concionibus in præfectos & regē inuecta. Cuius rei gratia rex è Sialādia in Scaniam traijciens, inermis ipſe armatam duxit cohortem, ne qua vis intentaretur. Igitur plebe foris diſcuſſa, ad interiorem cœtum penetrauit: manuq́; porrecta, quum ſilentium poſceret, lapidibus aliquot peti cœpit. Cedens autem furori, Tokonem virū primarium, eloquio pollentem miſit, qui reddita ratione præfectos & regē purgaret, plebemq́; pro tēpore tumultuantem placaret. Sed rex indignatione plenus, multos Scaniæ vicos iuſſit vaſtari: & tumultus principes aut ære aut vita mulctauit. Nec Tokonem (quem diximus) prætermittit, quòd illū ab initio

CAP. 33.

Noruagia Danica ditione ſoluta, archiepiſcopum ſibi habet.

[redacted]

Sueno Suecos inuadit.

Lib. 5. c. 10.

Sueno plebi tumultuāti cedere cogitur.

commouiſſe plebem arbitraretur, & perinde excitatum à ſe incẽdium facilius extinxiſſet. Quæ res Kanuto nouandorum motuum animum fecit, dum præcipuam regni partem aduerſari regi conſpiceret. Sed tum Waldemari ducis cum rege conſenſio adeò molitionibus eius obſtitit, vt nihil proficeret. Quantum enim in regem odium, tantus erat populo in Waldemarum venerationis amor.

Waldemarus Kanuti ſororem in matrimonium ductam regẽ à ſe alienat.

CAP. 34. QVOD vbi videre Kanuto ſtudentes, Waldemarũ à latere regis dimouendum ſunt arbitrati, alioquin res Kanuti non eualituras. Submittũt qui Waldemaro, iam nuptias circumſpicienti, miris laudibus formæ ac pudicitiæ Sophiam Kanuti germanam efferant. Ille autem paupertatem moribus obeſſe reſpõdit, non facilè a rege paſſus diuelli. Kanutus vbi id intellexit, tertiã totius patrimonij ſe germanæ dotis nomine daturum aſſeuerat. Igitur flexus ea re Waldemarus, affinitatem inijt: tantaq; conſociatus eſt Kanuto charitate, vt ex illo die nulla vnquam diſſenſionis offenſa intercederet: paſſus puellam ſibi adhærere, cuius parens infandiſſimo proditionis genere, ſuum patrem, virum ſanctiſſimum pariter ac fortiſſimũ peremiſſet. Ea res plurimũ regi ſuſpecta eſſe cœpit moleſtaq;, quòd fidiſſimo Waldemari auxilio cariturus videretur: ſed tamen in primis cauit, ne Waldemarũ ea de re durius coargueret, veritus magnam virium ſuarum partem cum illo abituram. Sed adoleſcentes, regiæ diſſimulationis non ignari, accepta commeandi ab illo venia, Sueciam, prædia ſua viſuri, petere cõſtituunt: re autem vera cum Suercone acturi, Suerconis filiæ pro Kanuto connubio poſtulandæ, negocium fuit. Reuerſi, regis in ſe indignationem auxerunt. Sed tum rex Waldemarum verbis aggreditur, quòd æmulo iunctus ſe deſerat: literis à ſe confectis, quaſi datis ab amico, ſuæ inſcriptiotũ prolatis, initam cum hoſte Suercone aduerſum ſe coniuratione accuſat. Waldemarus ea libertate ſuam purgat innocentiam, quòd magnis laboribus, & pro rege ſubitis periculis, opponat falsò cõfictam criminationem. Qua verborum acrimonia tantam in rege indignationem cõcitauit, vt capi protinus iuſſiſſet, niſi veritus eſſet militum in ea re contumaciam, quòd Waldemarum omnes & diligerent & venerar[redacted] apud Iutiam magno procerum concilio[redacted]

[redacted]terpoſito tempore, magno militum numero ſtipati Kanutus & Waldemarus Sialandiam adnauigant, non bellum illaturi, ſed vt ſe purgarent regi, ſecuri tamen ab impetu feruoris eius. Triduano inde colloquio, de pace conuenit inter omnes: eaq; conſtituta, rex concubia nocte Roſchildiam redit.

Pax turpiter empta.

CAP. 35. INTEREA Wandali nouo excitato motu, bellum Daniæ intulerunt: cuius is fuit exitus, vt rex pacem penè ab illis mercari putaretur. At plures genti hoſtes exuſcitans, Henrico Saxoniæ duci, tũ rebus florenti, pecuniam grandem conſtituit ſe daturum, vt Wandalis à terra infeſtatis, ille à mari pacem ab illis nãciſceretur, quò acriores motus ab æmulo caueret in regno. Quingentas argenti libras à rege paciſcitur & mille dux memoratus: quam ille ſummã publica collatione expleuit. Sed parum profuit ea in militiam ducis ſubarrhatio. Quæ res etiam populariũ ab rege animos auertit, deforme ducẽtium, pacem non armis ſed cenſu exquiri. Sueno autem quum Waldemarum magis quàm Kanutum formidaret, tollere illum cõſtituit. Sed neq; armis neq; vinculis petendum in Dania cenſuit, quòd ab omnibus amaretur. Inſtituta ergo profectione ad ſocerum Conradum in Germaniam, Waldemarũ vitæ comitem depoſcit, vt ibi vinculis eum commancipet. Quam rem etſi occultiſſimè ageret, tamen prodijt literis detecta Waldemaro ab amicis. Qui operam pollicitus regi, antè tamen periculũ ſuum per amicos detectum obtendit: memorat quantam regi manum conciliauerit, quæ pericula, quæ vulnera pro eius incolumitate exceperit: & nunc ſe comitem itineris, ſi fallat, non aſtũ, ſed nequitiam

Waldemarus inſidijs à rege immeritò appetitur.

ſciat præualuiſſe. Rex quàm ſanctè iurans, ſuſpicionẽ tegit: neq; enim ad deponendum perfidiam tanta fidei cõmemoratione moueri potuit. Perueniunt Stadium, excepti ab Hartuico archipræſule perbenignè. Quum vlteriorem conductum ab eo rex peteret, non annuit pontifex, petẽdum aſſerens ab Henrico duce, terrarum principe. Sed rex Waldemarum ſubmiſit, vt inſtantius pro rege poſceret à pontifice conductum. Ille euocans docet Waldemarũ, quòd ſuo periculo rem petat: itaq;

eius

eius gratia negare, quod illi futurum eſſet periculo. Ille ſuam perniciẽ minoris pendens, inſtat precando. Tum Hartwicus: Quãdo, inquit, perurges, regis ac tuo nuncio tertium adiungam, qui Henricũ adeuntes rem expediant. Quum perueniſſent nuncij tres, ſeuocauit Henricus eum qui Waldemari nomine veniſſet. Neſcis, inquit, quanto de domini tui periculo agatur? Accepta autẽ ibi diuertendi occaſione Suenonis nuncius, duobus comitibus relictis, ad Conradum principem procedit, nũcians regem in itinere eſſe ad ſe, habereq́; ex propinquis ſuſpectos, quos pridem inimicitias exercẽtes, recens affinitas fecerit in ſuã perniciem concordes. E quibus vnum ei fraudulẽter accitum, in comitatum ceſſiſſe: quem apud ipſum, nouarum rerum molitorem, vinctum habere cupiat. Quærente Conrado quo pacto regem æmulus comitaretur, fidem eius ſecutum aſſeruit. Tum Cõradus, generi ſui conſilium execratus, dedecere ſenem ſe inquit, quod iuuenis fugiſſet, admittere: malle ergo ſe, generum filiamq́;, cum nepote ex eo ſuſcepto, cruci ſuffixos videre, quàm fidei & ſinceritatis opinionem tot annis ſeruatam, extrema ætatis infamia corrumpere, alienæq́; fraudis propoſitum impiiſſimi ſceleris aſſenſu iuuare. Tum demum adfuturũ ſe, ſubſidiaq́; laturũ, ſi gener, omiſſa fraude, palàm quos metuat impetat.

Cõradi Imperatoris fides & probitatis plenum reſpõſum.

Cap. 36.

Hvivs ſermonis ad ſe relati Sueno rubore perfuſus, vlterioris viæ tutatore negato, in regnum redit. Breui motarum proceſſu, Kanuto & Waldemaro Wibergæ agentibus, rex quàm occultiſſimè traiecit, occupaturus incautos: at vbi inſidiæ patuerunt, euitatæ ſunt. Rex tamen ſe nõ interceptionis, ſed colloquij gratia veniſſe teſtatur. Ille autem euidentiſſimis argumentis dolum tenentes exploratum, iam defecerant, expreſsè regi rebellantes, ſuffragijsq́; Iutiorum ambo ſibi regium nomen adſciſcunt. Tum rex eo cõperto, apud Othenas (nam eo loci fortè diuerterat) contractis in regiam militibus, nunc vniuerſos, nunc ſingulos arctius cœpit percũctari qua fide præſens bellum ineant. Reſpondentibus alacriter, non ſimplici promiſſo ſtetit, ſed fidem ſacramento duxit renouãdam. Inter agẽdum Sueno, vir fortitudine præcipuus, egreditur: miſitque rex qui illum percunctaretur quid abiret. Mœſtus paternæ villæ queritur ereptionem. Rex certior factus, reſtitutionem pollicetur. Ille ſeram eſſe iuſtitiam reſpondet, qua quum florẽtibus rebus potitus non ſit, non ſe vſurum in aduerſis. Waldemarum, paterno auitoq́; fretus militiæ titulo, petit transfugio. Quumq́; Sueno firmãdis rebus Sialandiam peteret, Eſchyllũ maximum pontificem conſilij atq; præſidij gratia euocat. Tum Petrum quendam, virum primarium & prudentem, cuius conſilio res multas agebat, ſciſcitatur quid illi videretur agendum: nam æmulos, viribus à Iutijs mutuatis, ſequi regem in Sialandiam ferebatur. Ille verò pro ſua in regẽ integritate, libere locutus, Ego tibi, inquit, ab initio rex ſuggerebam, vt equitum peditumq́; ductoribus ita indulgeres, quatenus aduerſum æmulos tutior eſſes: aut ab his ſaltem ad propinquos placendi ſtudium transferres, eosq́; tu, ſola contentus ſpecie, reuera regnare patereris: ſi neutrum egiſſes, breuem tibi regni fructũ futurum. Tu verò neutram in partem inclinans, quem in locum res tua deduxeris, ipſe primus experiris. Excandeſcens rex, quamdiu ſibi vnum eſſet ſcutum, Petro ſe oppoſiturum minitatur. Tum ille, Meum pro te ſcutum ſemper excubauit, & quatenus patieris excubabit: ſed vereor, ne citò cunctorum tibi tuorum opus eueniat ſcutorum. Quod rex auarè dictũ exiſtimans, num adhuc ſatur eſſet, percunctatur. Eſſe reſpondit ille: ſed vereri, ne talem ſaturitatem cruda ſequatur digeſtio. Tum quid facto opus eſſet, rogatus, In Scaniam, inquit, eũdum. Nam hoc loci vereor, ne pauciores amicos quàm hoſtes habeas. Scaniam ſi occupaueris, memores illi priſtinæ virtutis, facilè Iutios exterrebunt: ſin æmulis permiſeris occupandam, formidandum, ne magnis illic in te viribus confluentibus, hoſtibus fias contemptui. Ille fortis viri conſilium aliorſum detorquens, quòd fidere illum Waldemari fauoribus diceret, cõtempto ſalutari monitu, ſuam ſecutus frontem, hoſtem Roſchildiæ ſtatuit demorari.

Waldemari in perfidum regem rebellio.

Rex liberũ & prudens conſiliũ ſuo malo aſpernatur.

Cap. 37.

Rarescentibvs alimentis, quòd magnum militum aleret rex numerum, vicos multos diſtraxit, quorum pretio accepto contineret agmina. Sed neque ſic diu rem pertractaturus, exercitũ dimittere cogitabat. Quod vbi Eſchyllus perſenſit, rem ſui regis inclinare iam cernens, ſimul (vt ferunt) pactis cum aduerſarijs

defectionis præmijs, cumprimis ſuorũ regẽ aggreditur, dimittat quos paſcere nequeat, præſertim pietatis ac neceſſitudinis iura violaturos, ſi in ciues ac propinquos depugnaturi eſſent. Rex iam quid moliretur intelligens, quum in deſcendentem cum ſua cohorte animaduerſurus videretur, à proximis retractus eſt, ne bellum à ſacrilego in pontificẽ ordiretur. Paulatim autem exercitu dilabente, rex & ipſe fugam circumſpexit. Ac iam dimiſſa vrbe, in Falſtriam reſpexit, nemine ex proximis quid cogitaret ſciente. Vbi verò conſilium fugæ manauit ad milites, illi orant, ne illis diffidens, ſine prælio vinci patiatur. Victoriam ſpondent, ſi annitatur: meminiſſe iubent, ſe eſſe, quorum forti ſemper opera vſus, vbiq; victor euaſerit: ante pugnam pudendam eſſe fugam. Monent ne ex forti rege timidus militum deſertor euadat. Vbi nihil profecere, verſi ad conuitia, deteriora quæq; facta & infecta in contumeliam proloquuntur. Illoq; elapſo, ſeipſos hortantur, vt magnis animis in hoſtem ferantur, ſparſum militandi genus conſecutos non eſſe, facilè cõcludi paucos à multis. Nam eſſe illis equos, & arma, & dexteras vincere ſuetas, vnius pauidi ducis facilè damna compenſaturos. Hæc locuti, hoſtem expectant. Sed vbi diu nemo paruit, Petrus (quem ſuprà diximus) ſoluendum agmen ſalutiq; conſulendum admonuit, perquam ſtultum reſtatus, prælium ſine certaminis præmio ſubire. Iutij autẽ Suenonem de induſtria ceſſiſſe rati, tardius inceſſere. Sed Sialandienſes, quòd indigenæ eſſent, commilitones ductu ac comeatibus proſequebantur. Nulli autem eorũ tranſitio fraudi fuit, quum noui reges pacati in fidem reciperent omnes venientes. Duo inuenti ſunt ex proceribus, qui regi præſtitam fidem ſeruantes, domi cõprendi quàm hoſtibus ſe dedere maluerunt, miſſi ad Suerconem Sueciæ regem in vincula: qui præſtantius duxere cum fide carcerari, quàm cum perfidia regnare.

Regem animus & conſilium deficit.

CAP. 38.

Sueno exul.

INTERRA Sueno ad ſocerum perlabitur in Germaniam, apudq; illum emenſus triennium, quum humanis ille rebus deceſſiſſet, Henrici Saxoniæ ducis (quem Leonem cognominauere) pacta ingenti mercede (pro qua obſides dedit) Hartwiciq; Hamburgenſis præſulis armis in Iutiam reducitur. Quumq; peruentũ eſſet ad grande vallũ, quod Danorum opus dixere, pręmiſit qui clauſtrorum cuſtodem ingenti pecunia corrũperet, vt reſeratis portis, ſine oppugnatione trãſitum permitteret. Ille pactus pecuniam, iuſto ſe regi miniſterium præbuiſſe ratus, pecuniã accepit. Sed tum pontifex dignum eſſe ait, quòd cum ipſa proditionis mercede, autor vno portis laqueo figeretur. Sleſwicẽſibus extrema minatus, extorſit cenſum Sueno. Ruſſorũ merces eo loco copioſè aduectas diripuit, ſtipendiumq; militibus perſoluit. Vrbi autem perpetuum perinde iuſtitium induxit, quòd mercatores inde auerſi, alia deinceps emporia requirerent. Saxones prædabundi diffunduntur. Auſtrales Iutij ad interiora delapſi, Borealibus, vbi maior erat rerum hominumq; copia, ſe coniunxere. Interim Waldemarus apud Sialandiam audito Suenonis reditu cum Saxonum viribus, concitò traijcit in Iutiam, robur exercitus inde contracturus. Vbi viſus eſt, tanta accendit alacritate Iutios, vt omnes vno animo arma pollicerentur. Miſit iam è Sialandia Kanuto nuncium, qui à Suecia reuocatum doceret quæ agerentur. Ille non ſegnius curſum conuertit: reuerſusq; in Daniã, nauigationem in Iutiam maturat. Sed tanta erat vis tempeſtatis, vt per multos dies inuiũ mare eſſet. Interim in agmine Kanuti exoritur ſermo, Waldemarũ cum hoſtibus pactam rem omnem pace diremiſſe. Id ne militum mendacio cõpoſitum, quòd nauigationis illos tæderet, an aliunde ſit confictũ, incertum eſt. Ruſticum hominem diſſeminaſſe rumorem ferebãt. Kanutus vbi audiuit, ægrè tulit integerrimi viri famam loquacitate tentare. Parcite, inquit, milites, linguas huiuſmodi contaminare mendaciis: ego Waldemari integritatem noui. Interea Waldemarus in Iutia ſubauſcultans quid apud hoſtes ageretur, nihilominus exercitũ validum cõtraxit. Vbi audiuit adeſſe Henricũ quendam, cui nuper familiariter in militia cognito conſobrinam dediſſet vxorem, quàm occultiſſimè nũcium mittit, pro veteri familiaritate deprecans, ne ſinat, quod in eo ſit, ducẽ ſuum retrocedere niſi pugna commiſſa. Fama volat magnũ à Waldemaro parari prælium: cuius rumoris gratia dux Henricus Henricũ (quem diximus) militem ſuum, percunctatur ioco quid regulus ſuus agat. Ille nõ minus cachinno reddito, percunctatur & circũſpectat latibula: ſed ad

Waldemari probitas & integritas.

ſeriam petitionem conuerſus, Dic, inquit, per ſacramentum quod Romano debes Imperio, quid tibi ſuper belli mole cõpertum ſit. Tanto admonitus pignore, Rem, inquit, verã dux audiſti. Nam tanta mole bellum inſtruit Waldemarus, quãta nullus ex hominũ memoria ante illum in Dania. Quid igitur cenſes? expectandã hoſtium molitionem? Omnino, inquit. Nam terga dare meticuloſorum eſt. Nõ eius gratia introiuimus vt fugiamus, ſed vt pugnantes vincamus. Ita vir prudẽs & Waldemaro poſcenti ſatisfecit, & duci ſuo requiſitus, quale debuit vir fortis reſpõſum edidit. Sed ea fuit temporum qualitas, vt ingruente vere, ſolenne ſtatumq; eccleſiæ ieiunium immineret: in cuius obſeruantiam parũ aut nihil comeatus dux ipſe prouiderat. Igitur aut properè redeundum, aut religioſum tempus profanis eſibus fuit violandum: quorum in altero militiæ pudor, in altero Chriſtianæ pietatis trãſgreſſio fuit. Sed præponderauit in agmine Chriſtiano obſeruantia religionis. Itaq; redibant, ſed tanta (vt ferunt) çeleritate, vt iter ingredientiũ ſemeſtre, triduo reuerſionis adæquarent, multis etiã ſarcinis poſt terga relictis: quæ res timoris ſignificationem ingerebat. Interea Kanutus iam nuncium de Waldemari rebus ſpeculãdis miſſum recepit. Omnia diligenter perſpecta: nihil aut pactionibus aut præliis attentatum.

PER eam tempeſtatem tanta Wandalorum manus ſe in Fioniam diffudit, vt ſi altera talis clades immineret, actum de inſula videretur. Nã cultu vacua remanſiſſet. Sueno autem quum peruincere precibus apud Henricum ducem, vt maneret, non præualeret, orauit vt nihil Wandalorum viribus qui parerẽt Henrico, reduceretur. Ea fuit non parua manus eorum, qui ab Aldenburga in Trauenam per Wiagriam maris littora incolerent. Idq; impetrauit. Nam claſſe eorum in Fioniam reuectus Sueno, tanto populi accurſu ſuſcipitur, vt nemo vnquam alacrius. Spondẽt rerum corporumq; præſidia. Multi quũ audiſſent reducem, viſendi eius gratia viri ac mulieres, ex cæteris Daniæ partibus adnauigarunt. Ita enim calamitoſi iacentis fortuna miſerationem extorquet, cuius florentis promeruit inuidiam. Kanutus atque Waldemarus comportatis in Fioniam quas cõtraxere viribus, facilè Fioniam oppreſſiſſent, etiam multorum viribus exterorum fulcitam: ſed reliquiarum commiſeratus Waldemarus, populo parcẽdum, pro rege quondam ſuo fideliter agenti. Nam autore eo res in colloquium verſæ, condictumq; vt Sueno cum adſcripta ſibi clientela, Lalandiam cõcederet, ibiq; propemodum ſolitarius degeret: quoad inter ipſum & duces de pace plenius conueniret. Die poſtero Othenas Fioniæ vrbem lauandi gratia repetens Waldemarus, Kanuto, ob inſidiarum metum balnea communicare non auſo, à Suenone, eius amicitiam ambiente, elatis obuiam ſacris religioſę proceſſionis ordine ęxcipitur. In Albani deinde ædem ab ipſo perducitur, arbitrorũ nemine, præter Abſolonem admiſſo. Tum Sueno intra ſacellum ſedens, Siniſtra mihi, inquit, iampridem Waldemare fortuna, conſortium tuę familiaritatis inuidit: quanquam & animum de te ſemper bene geſſerim, & à patris tui interfectore enſis meus nõ ſolùm vindictã exegerit, ſed etiam ſuſcepto aduerſus patruũ bello, parens meus, ſalutem tuam inter parricidales manus, ſine cuiuſquam præſidio conſtitutã, plenis pietatis armis ab exitio vendicauit. Poſt quem Ericus iunior, ne parentis mei, cui diu militauerat, cœptum excidere pateretur, vt regni, ita quoq; tui curam arripuit. Tertius ego pueritiæ tuæ propugnator acceſſi: nec mea parcius quàm priorum opera ſeruatũ te ſcito. Pro capite tuo necdum in ætatem perducto, aduerſus hunc, cuius fidem ſocietatemq; exoſcularis, arma ſuſcepi: quæ niſi fœlicius auſpicatus fuiſſem, filio Magni immerens pœnas luiſſes. Qui niſi me tertium extimeſceret, haudquaquam te ſecundum pateretur. Dum viuo, vitam tibi aduerſus eius inſidias prorogo: extinctus, vt meũ, ita tuum quoq; diem finio. Igitur eò tutius ad opem tuã decurrerim, quò plus eam beneficio meo debere cognouerim. Et nũc charitatis fiducia, arbitrũ te pacis in me faciendę conſtituo, cõtentus qua me cunq; ſorte donaueris. Tantum apud exteros calamitatis perpeſſus, vt priuatus aut egens intra patriæ fines degere, quàm exul denuo cẽſeri malim. Arbitror quoq;, vt quum ſingula iuſtius æſtimaueris, inter probra ducturus ſis, potius parentis tui interfectore quàm vltore procreatum excolere. Hęc & ſimilia replicantem Waldemarus interpellare non dubitans, Fruſtra meã, inquit, & Kanuti amicitiã conuellere pergis:

CAP. 39. Waldemarus vt populo parcat, etiam inuito bello abſtinet.

Suenonis ad Waldemarum oratio.

Waldemari reſponſio.

quum & ipſe paternæ culpę affinis non fuerit, & mihi in eius expiationem olim iuſta perſoluerit. Quòd aũt vlterius tibi militare non tuli, non meæ leuitatis, ſed tuæ perfidiæ crimen reputa. Nõne olim me peregrinationis tuæ comitem, in carcerem necandum ſocero ſtatuiſti? Atqui niſi prauitatem tuam eius honeſtas viciſſet, inter vincula moriturus abierã. Quoties meam, quoties Kanuti ſalutem per inſidias attentaram, fraudulentis conſilij niſibus obruere voluiſti? Qualiter autem pares ferre poteris, quos milites habere non es paſſus? Verùm ne cum reprehenſione propinquum auertere videar, res tuas aduerſus caput meum reſtaurare tentabo, plus miſeratione fortunę tuę quàm credulitate promiſſionis inductus. Quã humanitatem quum ſcelere & fallacia repenſaueris, ſimplicitatem noſtram artibus tuis circumuentam ne exiſtimes, ſed potius fidem pietatemq́; periculis locũ dediſſe. Tũc Sueno verbis in ſimulationem cõpoſitis, perfidè ſe acturum negare, ſincera fide eorum amicitiam experiturum promittere: præſertim quum nec ſibi, qui ex morbo ſuperuiuere vix poſſit, aut liberis, quos nullos habeat, conſulturus videretur. Quid ergo niſi culpam & ignominiam perfidia quæſiturũ? Malle itaq; quantumuis triſtes fortunas excipere, quàm maximo famæ dehoneſtamẽto ſceleratã ſui memoriam per totum terrarũ orbem diſiicere, breuesq́; regni fructus extrema famæ turpitudine comparare. Dimiſſo Waldemaro Lalandiam ipſe conceſſit, copias vndecunq; adaugens, ne per impotẽtiam iniquas pactiones ſubire cogatur. Venit cõſtituta dies, & in locum pręfinitum Waldemarus & Kanutus cum omni nobilitate ſe recipiũt. Solebat familiaritate fretus Waldemarus, cum paucis adire Suenonem: quo more & nunc properans in colloquiũ Suenonem petebat. Ille diſpoſitis armatis, ſi vterq; accedat, excitata rixa, mãdatum dedit ambos opprimere regni æmulos. Sed Kanutus ſe aditu cõtinebat, veritus quod acciderat: quum autem ſolum Waldemarum conſpicerent, continuere manus. Sed res induſtrium virũ latere non potuit. Itaque poſtero die vocatus Waldemarus ab Suenone in colloquium, nõ aliter affuturũ ſe dixit, niſi ſolus cũ ſolo loqueretur: nullius congreſſionem veritus, vbi vir virũ legit.

Sueno ab inſidijs non temperat.

CAP. 40. IGITVR in medium ambo progreſſi diu colloquuntur. Aduocatis inde Kanuto cum proceribus, Sueno arbitrium totius ſummæ in manus collocat Waldemari, ſi idẽ Kanutus factitarit. Non dubitauit ille. Waldemarus tanta rerum mole in ſe ſuſcepta, regni concilium euocat: aliquandiu cum illo deliberat. Inde procedens in medium, pronunciat: tribus ex æquo nomen regium decernit. Prouinciarum autem diſtributionem hoc modo facit, vt ipſi Iutia, Scania Kanuto, Suenoni meditullium regni, Sialandia, pareat, cum cæteris inſulis. Fides pacti ſacramento componitur, vt religionis metu perfidia pelleretur. Inde manus tenduntur in cœlum: autor rerum Deus in concionem vocatur. Pontifices quoq; cenſuræ ſuæ partibus interſertis, iis qui pactũ rupiſſent, execrationis ſententiam intentabant. Cõdictum etiã, delatorum mutuò ſeminaria prodi debere, quò citius in ipſo aditu flamma opprimeretur. Quo tempore Kanutus, comitante Waldemaro, Scandiã, quam iam in poteſtate habebat, petiuit, hoſpitio excepturus Suenonẽ. Qui poſtridie aduentans, Ryngſtadiũ petit. Kanutus obuiam illi profectus, vt inuitaret in Roſchildiam, in ipſa profectione conuenit occurrentem religioſæ domus præpoſitum. Is cernens inermem Kanutum, Suenoni, inquit, nuncium venit, properare te armatum. Hauſit cum ſuſpicione cautelam: & declinans in concionem populi, quæ illo fortè die non longè agebatur, vitauit congreſſum. Waldemarus autem, apud quem bonæ fidei ſemper fiducia præponderabat, Suenoni fidentius quàm cautius occurrit. Stabant vtrinque iuxta Suenonem armati: vtroſq;, ſi ambo veniſſent, perempturi: ſolo autem Waldemaro conſpecto, compreſſere gladios. Quid, inquit Waldemarus, ea ſibi manus vult armatorũ? Sueno quid de Kanuto acceperit, reſpõdet. Tum grauius obiurgans Suenonem, Hoc eſt, inquit, quod crebrius experti in te formidare debemus. Sed ille ſe purgare fruſtra conatur. Procedunt Roſchildiam, Kanuto (cui iſthic ius erat) inuitante. Et primam quidem noctem in vrbe Sueno per ludos & comeſſationem exegit. Diluculo Thorberni vicum haud procul ab vrbe inuiſit: quòd paruulam illic filiam, quam inuiſere pergebat, haberet. Ferunt Thorberni vxorẽ, Suenonis familiaritate loquacem, dixiſſe, iam rex tertia parte rerum conten-

Regnũ tripartitò diuiditur.

Sueno ad ingenium ſemper redit.

contentus es,qui totum tenebas.Deſcēdit ſermo fœmineus in cor eius profundius quàm putaretur.Itaq; diem extraxit in veſperum:quo aſpirāte, mittit Kanutus qui cœnatum accerſiunt. De mora percunctantibus Thorbernus ait, balnearũ vaporem caput regis infeſtaſſe,quò tardius ad cœnam iret:ipſe rex moras purgans,delinitum ſe ait puellæ blandimentis. Ipſa reſponſi varietas percunctantibus notabilis erat. Venit in triclinium: medius honoratiori loco pro ætate accipitur: diſcumbitur.Menſis remotis poſt epulas,quũ minutioribus poculis paſſim ac variè (pro more) diſcurrentibus,conuiuij hilaritas augeretur,aleā popoſcit Sueno:quòd ea, dum exularet,tempus terere conſueuiſſet, vno hoc ſolatij tum genere delectatus. Quæ calamitatis recordatio nonnullos mouit,quòd nō boni moris res inſtitueretur. Sed tabulato non ſuppetente,ne luſui quidem vacatum eſt. Inter cætera cātor Germanicus fugam Suenonis exiliumq; cantilena complexus, varias ei contumelias,formatis in carmine conuitiis obiectabat. Quem ob hoc acrius à cōuiuis increpatum, Sueno diſſimulata moleſtia, fortunas ſuas liberius recinere iubet: quoniam libenter ſe poſt ærumnas malorum meminiſſe confeſſus. Crepuſculo appetente, illatiſq; ex more luminibus, miles Suenonis Therleuus, qui paulò conuiuio egreſſus fuerat,reuerſus in regiam, occaſionem edendi facinoris oculis animoq; tacitus perluſtrabat. Quumq; paulíſper attonito ſtupentiq; aſſimilis cōſtitiſſet, Kanutus propaſſo in terram amiculo ſedere ſibi proximum iubet. Ille tantæ eius dignationi gratias habens,æde excedit: eueſtigioque egreſſus,exiguo capitis motu Suenonem accerſit. Quem, ſigni tam latentis ignarus Kanutus, a Therleuo euocatum edocet. Cui quum Therleuus aſſurgēti paulum inſuſurraſſet, quotquot Suenoniarum partium adfuere,eis in colloquium admixti,collatis in orbē capitibus, nemini remotiorum exaudienda tractabāt. Tunc Kanutus perinde ac inſidiarum præſcius, Waldemarum brachiis attrectatum, oſculo petiuit. Cauſam blandimenti,quum minimè ſic ſe agere conſueuiſſet,ab eo cuius oſculum tulerat interrogatus, ſuppreſſit. Interea Sueno relictis in æde militibus,per poſticum in conclaue diuertit, prçeunte puero luminis gerulo.Mox in Kanutum & Waldemarum à ſubornatis ferrum diſtringitur. Sed Waldemarus ocius ſede exiliens,manum amiculo obuolutam,non ſolùm applicatis capiti ſuo gladiis obiecit, ſed etiam Therleuum acrius in ſe ruentem, pectoris impulſu humi præcipitauit: cum quo pariter & ipſe collapſus,femore quam grauiſſimè ſauciatus eſt. At vbi primùm pedibus ſe excepit, recepti vulneris immemor,dum perruptis obſtantium globis, foribus exiliret, quidam obſcuro loco obuius,arrepta cinguli ipſius penſilia, retentare eum conatus abrupit. Interea aliis,ne noctis errore facinus impediretur,feneſtras reſerāribus,Therleuus humi reſidens, Kanutum dextram gladio obtendentem,fronte confodit. Excipit ſemianimũ Abſolon, Waldemarum in tāta perturbatione eſſe ratus: fluidumq; cruore caput manibus ac ſinu complexus, inter ipſos armorum ſtrepitus, ſalutem ſuam quam regis curam negligere prçoptabat, reliquiis ſpiritus adhuc in eius pectore palpitantibus. Tandem Kanutum à ſe teneri, cultus indicio expertus, permixtum mœrori gaudium habuit. Igitur noctis obſcuro neminē diſcerni patiente,in eos qui valuas propius acceſſiſſent, ſtricto ferro proruebatur: quia tenebrarum acceſſio, hoſtéſne an commilitones eſſent,incertum fecerat. Regum ſatellites aut in ipſo conamine reſiſtendi,aut in fuga opprimuntur. Abſolon obuoluto manu pallio, inter denſos elabitur: nomen rogatus, obſtinato ſilentio non edit. Obuios omnes aut ictus fruſtratus,aut virtute vltus eſt: donec ad Auſtrales Trinitatis ædes progreſſus,quorũdam amicorum præſidio tectus,vrbe etiam elatus, ad villicum noctu pertranſiſſet. Inde vegetiorem equum nactus,in vicum cui mater inerat,media nocte peruenit, caſus edocens occiſi Kanuti, vulnerariq́ue Waldemari. Ille verò duos ex ſuis conſecutus famulos, illorum inhærens humeris, debilem greſſum trahebat: vires quas natura negabat, à timore mutuatus. Sciebat enim de ſuo capite agentem Suenonem non quieturum. At ille ſupra vires ambulans: donec equo à ſuis impoſitus, ad eundem vicum media nocte peruenit, quò illum ſui caſus nuncius Abſolon iam præcedebat: quem ex villico inde recenter ad matrem tranſiſſe cognouit, prçuiis locotũ peritis eò cōtendit. Adeò corpoream eius debilitatem, duratrix humanæ infirmitatis

Inimico reconciliato ne fidendũ.

Kanutus inſidijs necatur.

Waldemari fortuna.

neceſſitas cōfortabat. Illic procurato vulnere, femoreq́ʒ faſcia circumligato, noctis reliquias exegit. Diluculo Sueno collectis ciuibus, nocturnis æmulorū inſidiis appetitum ſe queri: amiculum, quod de induſtria confoderat, oſtēdere: Kanutum & Waldemarum hoſpitalitatis violatores, periuros, latrones, homicidas vocare: gratias Deo replicare, quòd amborum facinus, alterius nece propulerit: aduerſus ſuperſtitem implorare auxilia. Aſſertis eius, quia fraus in propatulo fuit, nulla habita eſt fides. Deinde vt Waldemarum maritima fuga prohiberet, omnes omnium locorū naues perfodi iubet, nec refici. Solitudines, quibus obrepſiſſe crediderat, diligentius perquirit. Ille autem tribus ſolis fretus comitibus, per loca minus ſuſpecta reptabat, Esbernum iubens ſe aliquot locis Waldemari ſpecie oſtentare. Ille quoqʒ multis idem locis per alios fieri curat, vt diſtractus incertusq́ʒ fiat indagator.

Cap. 41. Inttrim peruenit Waldemarus in locū, vnde ſumpto nauigio tranſire parauerat. Sed refectione opus erat: ad fabrum quendam diuerſi, eam poſtulāt. At veritus ille Suenonem, cogi volebat. Aderat Esbernus, & hominem abſtractum vi impulit refectioni. Ita vtriqʒ videbatur ſatisfacere, dum hinc obſequium, inde coactio prætenderetur.

Tempeſtas horrenda Waldemarum vexat.

Naui refecta, mare ingreditur, Iutiam petiturus. Sed tāta coorta eſt tempeſtas, vt omnes mallent ferro periiſſe. Nimbi cum grandine ita frigore membra contraxerant, vt ne attrectando velo vis ſupereſſet: interim procellę nauis latora quaſſabant. Gubernator temone relicto, ventis nauim permiſit. Crederes latrones & perditiſſimos homines nauigare, quibus infeſtū cœlum omnibus viribus incurreret. Sed tempeſtas inſulam illis permiſit, in quam expoſiti reficerentur. Nauis autem quia ad anchoram ſtare non poterat, & fortè non erat qua figeretur, roboribus arborum per foros diſtentis firmabatur. Refecti vectores, poſtero die pacato mari Iutiam perueniunt.

Waldemarus Suenonem apud Iutos accuſat.

Ibi in concione Waldemarus parricidium accuſabat, hoſpitalitatis iura cōculcata, fide publica falſa alterum peremiſſe, ſe graui (quod oſtendit) affeciſſe vulnere. Coorta eſt omnium iuſta indignatio, arma in perfidū promittentium. Interea Sueno refectis quæ forarat remigiis, opprimere hoſtem imparatum contenderat: ſed fœminę Waldemaro fauentes, noctibus abripi fecerāt, quod ille per dies refecit. Peruicit tamen regium imperium, vt nauibus ad tranſportandum exercitum coaptatis Iutiam peteret. At omnes portus iam hoſtis præſidio firmauit, vt nuſquam aditus eſſet Suenoni. Quo comperto, redibat in Sialādiam, edicto per illam perq́ʒ Scaniam emiſſo, vt omnes arma pararent: totis viribus petendū regni hoſtem Waldemarum. Ille interim Wibergam petens, nuptias peregit, potiſſimùm vt Kanuti (cuius ſororem duxit) milites ſibi conciliaret, tantò impenſius occurſurus hoſti. Multi pręterea ex Suenonis militia, facinus eius peroſi, ad hoſtem tranſierunt. Et quoniā Sialandia receptaculū & perfugium regis erat, inuadere ſtatuit: ſed celeritate & animi magnitudine perfecit Sueno, vt prius in Iutiam duceret, quàm ille exercitum tranſportaret. In flumine enim Diurſam ſe contulit: & cū expediuis militibus in terram egreſſus, Wibergenſiū fidem ſtatuit pertentare. Waldemarus viros præmiſit primarios ad eius claſſem, quę erat Sialādenſium atqʒ Fioniorū: vt ciuili bello abſtinentes, ſceleri non aſſiſterent. Perſuaſi Sialandenſes abiere: ſed Fionia claſſis magnis periculis, cædemq́ʒ perpeſſa, fugere & illa cogebatur. Quam rē ægerrimè tuliſſe Sueno putabatur. Sed miſſus à Waldemaro Randruſiū petente Esbernus, vt hoſtiū conſilia ſpecularetur, ad Wibergā profectus, vidit hoſtes iā certiores de Waldemari profectione, petere Randruſium. Ille vt erat magna animi viriūq́ʒ virtute præditus, nouiſſimos agminis aggreditur, equo perturbans.

Cap. 42. Suenoniani hoſtes adeſſe rati, feſtinār in ęquiora loca, vt explicato agmine aciem ſtruant. Quò quum peruentum eſſet, vident Esbernum cum paucis: cuius contemptu multi in eum concurrunt. Ille aūt, quo erat militari robore & exercitatione, incurrentes excepit, multos ſtrauit. Vbi autem ingraueſcere pugna cœpit, celeri ſiſus equo abibat: nec erat qui niſi de longinquo ſectaretur. Obuios interea de ſuis nactus, collocat in inſidias: quò inſequētes ſe hoſtes deducere cogitabat, niſi ſe quidā ex latentibus, moræ impatiens, oſtendiſſet: quo viſo abibant ad ſuos. Præcurrens ergo Esbernus per cōpendia, hoſtes docet propinquare. Waldemarus autem nec dum copiarū ſatis contraxerat, quib. ad prœliū vteretur: igitur ducendum tēpus

ſtatuit,

ſtatuit, quoad cõfluerent. Pontem ergo qui ſuper amnem oppidum iungebat continenti, partim abrumpens, ſuis tutamẽtum, hoſtibus interclusionem fecit. Iuuentus tamen miſſilibus certabat, nolens animum torpeſcere deſidia. Interim Waldemaro tantum copiarum affluxit, vt hoſti obuiam in pugnam exiret, amne trãſmiſſo, per vada quæ explorata tenebat. Dum aciem explicat, videt ex latere cuneũ armatorum non contemnendum. Ratus hoſtes, conſtitit: ſed ſtatim edoctus eſſe cõmilitones, in aciem accepit. Tãtæ autem factæ ſunt Waldemaro copiæ, vt decima vix pars ſignorum ordinẽs poſſet intueri. Sueno autem ſpeculatus hoſtiũ multitudinem, recto cõſilio ſtatuit rem in lõgum ducere, non acie confligere, ſed obequitando multitudinem fatigare. Sed erat in militia eius inter primarios Ago quidam, huius diſſipator conſilij, qui ſpei plenus, pugnę auidus erat. Is Waldemaro acceſſuros ſuos minitatus eſt, niſi educeret in pugnam: vnde illi ſuorum diffidẽtia obreperet, admiratus. Solere illum cum paucis ſemper multos vincere. Meminerit virorũ quos in agmine ducit: circũſpiciat hoſtium inermem multitudinem: numero illos, ſe viribus præſtare. Cur longius differat victoriam? Hac oratione Suenonis conſilium ſalutare diſſipauit: igitur educitur in aciẽ. Waldemarus cohortem ferruginea veſte ſuper armis contectam, iubet ex latere dextero depugnare: alios in ſiniſtro cornu præfecit robuſtiſſimos duces: ipſe cũ reliquo exercitu medius incedit. Suenonis acies non tam lata quàm inſtructa proceſſit: primumq; impetũ in ferruginatos, quos nouo armorum genere arbitrabãtur, fecere. Sed vbi veſte, nõ armis vidit innouatos, in robur medij exercitus procurrunt. Sepes erat acierum media, quam pro robore palorum equites trãſire non auſi, pedites Waldemari conuellentes, primi pugnã ineunt: hoſtes retro agunt. Equitũ alæ circumuolantes perurgent. Quippe Waldemari iumenta, proxima nocte nihil paſta, ad curſum agilem circumferebantur: contrà Suenonici equi ventrib. diſtenti, ad curſum ſegniores erant. Vtrinq; ergo vrgentib. de parte Waldemari, facilè Suenonici ceſſere. Signifer vbi ſuorum fugam circumſpexit, rouocãs, in ſtrepitu non auditur. Signoq; humi defixo, quum ſiniſtra teneret, dextram in obuios exerebat: ſed à multitudine victus, cum paucis, quum fortem tamen operam nauaſſet, cadit. Iam vndiq; fuga, nuſquam prælium. Sueno & ipſe fugæ compendia quæritans, paludem ingreditur: equo mergente dimiſſo pedes cum paucis progreditur. Sed neque ſic armatum ferente loco paluſtri, arma etiam poſuit. Longius progreſſus, famulis etiam innixus, viribus deſtituitur: ac ſuis à ſe dimiſſis, præter paucos, qui morte triſtius duxere regem deſerere, in arborum radice ſeſſus reſedit. Superuenere agreſtes, prædam ſecuti: & cæſis qui Suenonem circumſtetere, illum quis eſſet percunctantur. Suenonis ſcribam profitetur. Equo impoſitus, inter captiuos ſeruandus ducitur. Sed à ſuperuenientibus cognitus, ad Waldemarũ ſe duci orabat. Agreſtium quidam, quo feruore incertum, ferro caput eius diſtringit, penéq; præſcidit. Hic exitus Suenonis: qui ſi pares regni pateretur, pacificus diu regnaſſet. Sed perfidia illum iterata perdidit.

Waldemaro exercitus magnus accedit.

Sueno temere cõgreſſus deletur.

ALBERTI KRANTZII
DANIÆ LIB. VI.

Cap. I.

Waldemarus victor & erga victos ſe geſſerit.

WALDEMARVS diui Kanuti filius, primùm eum Kanuto rex declaratus, fugato Suenone, deinde quum arbiter eſſet à cõſortibus factus, ex conſilio primorum, regiũ ſibi cõſortibusq; (Suenoni & Kanuto) decreuit nomen cum honore. Nũc autem oppreſſo per fraudẽ Suenonis Kanuto, ipſoq; Suenone victo atq; perempto, ſolus Danię regnũ accepit: quod diu ac fœliciter adminiſtrauit. Primùm quidem in captos perfidia notabiles animaduertit. Perẽptus Vlſo manibus Kanutianorũ: Therleuus, qui & Waldemarum vulnerauit, & Kanutum perculit, turpi ſupplicio affectus: ad quod ibat plorans muliebriter, quum preces intentatæ fruſtrarentur. Magnus, nouiſſimi Erici ex pellice

filius, quum captus extrema formidaret, ab cognato Waldemaro nõ ſolùm impunitatem, ſed etiam honoratam promeruit militiam. Buriſium Kanutumq́; eius fratrem, præfecturis donauit. Kanutiani autem milites, non contenti quam viderant vindicta, regem adeunt: poſcunt vt omnes participes ſuper occiſo Kanuto conſilij, proſcriptione damnarentur. Rex cernens aũt, quàm latè manaret hoc eorum poſtulatum, meliori ſecum conſilio parcendum eſt ratus. Thorbernum enim, Buriſium & Kanutum, cum magna procerum manu affiecere videretur: quod regni rebus obfuturum magnopere proſpexit. Victus tamen fortiũ virorum inſtantia, promiſit, vt quos illi nominatim dicerent, donec iiſdem precantibus reſtitueret, proſcripturum eſt pollicitus. Tum paucorum editis nominibus, cæteris pepercere. Facilè enim humanus animus ab odio in gratiã deflexus mutatur. Cæteris eiuſdẽ gregis, vt iiſdem potius bonis militibus vteretur, quàm in eos animaduerteret, exoratus ignouit. His iam cõpoſitis, ad reparandum regni ſtatum animum intendit. Flagrantibus enim inteſtinis bellis, Wãdali per occaſionem grauiores incubuere Danis. Nam crebrioribus incurſionibus inſulas Daniæ infeſtãtes, tertiã fere regni partem vaſtam & incultam reliquere. Horũ inſolentiam repreſſurus, ſimul etiã in eos Chriſti fidem per occaſionem propagaturus, quam per partes acceptam crebrius reiecerant, primam expeditionem in eam gentem poſt acceptum regnum decreuit parare. Atq; eius rei gratia, in inſulam Maſnet vniuerſi regni proceres, populiq́; oratores in cõcionem iubet adeſſe. Ibi viſum eſt regni primoribus dilatione ad eam rem opus eſſe, quòd laceræ ſint regni vires, hoſtiumque omnia in expedito. Nam apud illos regium votũ eſſe peruulgatũ: qua de re inſtructiſſimos eſſe. Quòd ſi cõmiſſa manu, victoria (quod abſit) hoſtibus cedat, vno prælio eſſe actũ de Dania, nec ſupereſſe vires renouandi facultatem: vt inſolentiſſimis hoſtibus perpetuo rubore Dania ſeruiat. Minimè ergo vno prælio tantæ nobilitatis vires impendi debere, dũmodo victrices parum gloriæ, victæ dedecoris plurimum ſunt laturæ. In hanc ſententiam totius concionis conſonant ſuffragia. Cuius arbitrio rex expeditionem dimittere coactus, propoſito ſuo ceſſit. Ab Abſolone rex interrogatus, cur tam ſubitò magni propoſiti votum deſtituiſſet, reſpondit, ne tam multos & fortes viros in diſcrimen adduceret. Ergo, inquit, cum ignauis & ignobilibus ingredere, quorum victoria plus gloriæ, pernicies minus damni intulerit. Ita lepidi ingenij adoleſcens indignationem ſuam facetia colorauit, regem tamen admonens quid mallet.

Wandali Danos domeſticis malis laborantes vexant.

CAP. 2.

Sedítio in pontifice creando.

PER quæ tempora Roſchildienſi ſede Aſceri morte vacuata, diuidua plebis vota de ſurrogando altero fuere: quæ vſqueadeo ſimultas creuit, vt exactis vrbe alienigenis, etiam regij numiſmatis rectorem fugauere, domo eius penitus abiecta. Ea res regis animum (vt debuit) grauiter affecit, indignantem tantum eſſe licentiæ populo, vt conciues eiicerent, regiũ publicæ vtilitatis procuratorem malè mulctarẽt. Inſtituit exercitum in contemptricem ſui ciuitatem ducere, contumacemq́; ad parendum compellere. At indignationem eius miſſa legatione, nec non ingentis auri mulctatione complacarunt. Aduentans ergo in vrbẽ rex, cleri ſuper electione pontificis libertatem tutatus eſt. Equidem etſi videretur maiorum ſuorum opibus fundatam eccleſiam in patronatu tenere, iuriſq; plurimum in deligendo pontifice ſibi poſſe præſumere: noluit tamen ſacrorum canonum decreta contemptui ſubiicere, ſed arbitrium deligendi liberum permiſit clero. Illi tantæ regis dignationi nõ ingrati, tres viros virtute præcipuos è ſuo numero regi inferebant: cui ex aulæ familia quartum adiecere Abſolonem: vt rex vnum, quem vellet, ex his aſſumeret. Ille permiſſa facultate non vſurus: iuſſit in vnum in conclaue omnes conuenire, ibiq́; ſcripto quemq; deſignare quem mallet. Quum priores ſuam deſignationem iã rotulæ inuoluiſſent, non ignorauere quò regia voluntas propenderet, quum tamen regis modeſtiam, iuris formulæ parentem, honorarent. Itaque accepta charta ſcripſere, omniumq́; vota ſcripto ſignata: in vnum Abſolonem conuenere. Is igitur pontifex aſſumptus, regia familiaritate & cognatione iunctiſſimus, animi corporiſque dotibus præcipuus eminebat. Animi præſtãs magnitudo, ingenij ſingularis ſolertia, linguæ præcipuus in eloquentia vſus. Audierat is primordio pontificatus ſui, vicinum oppidum incurſione Wãdalorum de mari infeſtũ eſſe. Suorum domeſticorũ manu ar-

Abſolonis electi pontificis bellica virtutes.

nu armata eò contenderat, hoſteſq; numero incomparabiliter præſtantes ſuperauit, fugauit, multoſq; ex eis cecidit, defendendæ patriç primordia victoriarum ſuarum conſecrans. Inde piraticam, quæ increbuerat, auertere adorſus, omnes vires intenderat, neque tempeſtate neq; frigore auerſus, quò minus tutum mare & patriæ incolumitatem præſtaret ciuibus.

EODEM tempore, quum aſſidui Danorum hoſtes Wandali Iutiam Falſtriámque infeſtarent, Falſtrenſes munitione ad mare firmata, ſeipſos quibus poterāt viribus tutabantur. Inerat tū præſidio regius pincerna, quum hoſtes incurrerent: abactiſque illis vtcunque tum perſtitere. Sed quidam Falſtrenſium libera voce pronunciat, priſcos reges in talis aſſueuiſſe calcaribus, hunc verò prima pedum parte punctionibus inſiſtere: cauillatus, quòd nō procerum alicui, ſed miniſteriis vilibus rex permitteret tuitionem prouinciarum. Quod dictum in cōtumeliam miniſtrorum, ille retorſit in regiam maieſtatem. Aures regias quum prōptas haberet, amariſſimam illis indignationem in Falſtrenſes immiſit. Acceſſit (vt fieri ſolet) accuſatori delator, qui Falſtrenſes, quòd Wandalis pro ſua interdum incolumitate aſſentari cogerentur, grauius incuſauit, captos ab hoſtibus ibi carcerari, regium in hoſtes decretum, ab illis ſolere denunciari: cæteraq; in eum modum plurima, quæ regis indignationem pridem accenſam inflammarent. Itaque Sialandenſium ſatis eſſe putauit viribus in eā ducere, quòd Sialandenſes illis pridem inſenſi, faciles ad eam rem haberentur. Abſoloni pontifici dedit partes Orientis, ipſe Occiduas cepit armandas. Sed hunc regis in gentem innocuam motum, ſalutaris ab alto commotio ſubuertit. Equidem apud Ringſtadium coorta regi febris, expeditionem intermittere, deque extremis cogitare peregit. Nam ingraueſcente morbo, Abſolon regi aſſiſtens, deſperatæ penè ſalutis mœrorem accepit: humana quippe ope defecta, cœleſte præſidium inſtituit implorare. Nam ſacra facturus pontificali more, vota pro rege nuncupauit: impletiſque myſteriis, ſupremam ſacrorum communionem regi ſuis manibus afferebat. Qua veneranter accepta, ſudor ingens totum occupauit corpus: vnde morbi vis auerſa, ſpem vitæ reſtituit aſtantibus. Sed tum Abſolon, vel mœrore, vel vigiliis, vel participatione ſpiritus contractam ægrimoniam adeò regiis celauit oculis, vt laboranti grauius laborans deeſſe non pateretur. Attamen breui rerum conuerſione, vterque inſperatæ ſalutis munus à Deo recipiens, agnouit, admonitionis loco cedere illis corporum debilitatem. Vnde rex auerſus expeditionem poſthabuit, & ad gratias Deo perſoluendas cōuertitur, quòd ſalutari caſtigatione corporis auerterit ſe ab innocentium inſectatione.

In regē ſcommata liberius iactum.

Rex ab inſontib. Falſtrenſibus vexādus febris auertitur.

PROXIMA verò ab recepta incolumitate regi cura fuit, expeditionē in Wandalos inſtitutam, propagandæ potiſſimùm ſacræ religionis gratia, intentare: ſed paucis in conſilium euocatis, reliquæ multitudini rem vult eſſe incompertam, ne (vt prius) multitudinis impediatur ſuffragiis. Et quoniam de Sialandenſium alacritate obſequioque nihil dubitat, Scanienſes appellare opus videbatur. Iſthuc traijciens, proceres in concionem euocat, animi ſui propoſitum detegit: rem eſſe & gloriæ & meriti plenam, ſi aſſiduos hoſtes vlciſcatur: & ita vindicet, vt ad meliora transferantur. Eſchyllus pontifex maximus negat, in expedito eſſe claſſem rei opportunam: quippe regionem externis agminibus diſſuetam, paucas habere quas emittat naues. Rex ſubinde, etiamſi vna ſola ſit, exeundum ſibi cum illa, cæterùm omnes cōtumaces ſuo ſe tempore vindicaturum. Eſchyllus vbi firmatum regis propoſitum vidit, operas ſuas pollicitus eſt: domeſticis ſe viribus & amicorū, regi ſpondet affuturum. Lalandenſibus autem ac Falſtrenſibus non antè denunciat expeditionem, quàm ſit ille exiturus: ne ad hoſtes perferendi copia ſuppetat. Landeram peruentum eſt: vbi rex ſpeculandi exercitus gratia, iubet terram ingredi. Portus autē maris anfractibus curuatus, plurima imperitis pericula minatur: & ob id Danorum exiſtimatione infamis euitatur. Proximo autem copiæ in terram progrediuntur. Ibi ſpeculando exercitandoque iuuentutem quindena cōſumitur, ac perinde magna pars commeatuum. Inde nauigare orſi, tranquillo mari labuntur: ſed vt hoſtibus latentior ſit acceſſus, non velis, ſed remigiis inſiſtunt. Abſolonem ſeptem nauigiis præcedere iuſſit, vt ſpeculetur hoſtilia littora. Nihil ille cunctatus paret.

CAP. 4. Rex Wādalicam expeditionē ſuſcipere conſtituit.

Ac propè iam in conſpectu habuit hoſtilia littora, quum nautis admonẽtibus, cernit regiam nauim paſſo velo curſum reflectere, cæteramq́ue claſſem comitari. Stupefactus Abſolon mœſtus curſum conuertit. Quid enim cum paucis in hoſtico faceret, niſi quòd illos faceret de aduentu regis admonitos? Rex ſub inſulam Monæ ſtationem portus occupat. Mœrens ac triſtis Abſolon mœrentes cernit proceres. Vnà (de more) regiam in nauim contendentes, conſident pertinaci ſilentio, vultibus in terram demiſſis. Rex tantę cauſam mutationis miratus, quid ex alacribus triſtes ſint, rogat. Sub noctem petiiſſe ſe portum: quòd opportuna labori dies, nox quieti ſit permittẽda. Tum proceres in Abſolonem reſpexere, vt omnium vice loqueretur. Ille autem fiducia familiaritatis effundit procerum indignationem, mœſtos meritò videri eos, qui gloriam tuam, patriæ ſalutem, honorem Dei his labefactari intelligant, optimam rei gerendæ occaſionem neglexiſſe. Comeatus pro magna parte abſumpti, quid niſi reditum ſuadẽt? Hoc quærere niſi leuiſſimos, quibus auſcultet, contempto procerum cõſilio: vt quum illi defecerint, remeandi cauſam inueniant. Hos eſſe, quibus in æquo ſit conſtitutum, victor an inanis redeas. Altera hæc eſt expeditio (vt cernitur) fruſtrata, ex quo ſolus regnare cœpiſti. Quum prima ſit remiſſa, hæc maiori dedecore intermiſſa eſſe iam penè videtur. Quid ſi tempeſtas ingruat? Quid nobis ſperãdum, niſi vt tu cõtẽptus, nos irriſi, in patriam, etiam hoſtibus ludibrio reuertamur? Hæc & his conſentanea prolocutus, regem quidem exacerbabat ſermonum libertas: tamen ne monitorem impudentius auertere videretur, magnitudinem iræ, quam vultu teſte conceperat, moderatione ſua ad lene & tolerabile reſponſum deflexit, dicendo complures operum ſuorum teſtes extare: nihilq́; tam fortiter ab Abſolone geſtum, quod ſi necdum virtute æquauerit, adhuc factis æmulari non poſſit. Nec plura elocutus, finem facit, pontifice ſubſecuto, non oportere amicorũ monitis grauius ſuccenſere, quòd plena ſint illa fidei potius quàm aſſentationis delinimenta. Nox quæ inſecuta eſt, tantã exciuit tempeſtatem, vt quàm optabile videretur in hoſtico conſiſtere, potiusq́; hoſtibus quàm procellis opponi. Quæ tam vehemẽs incubuit per quatriduum, vt ne in portu quidem naues conſiſtere, quò minus diſiicerentur, potuere. Primores in littus conceſſere, Abſolon, Petrus, Esbernus, Suno, cum quibus rex omnia ſecretiſſima communicare ſolebat. Quos cõſpicatus diuagari rex, cymba traiectus aduehitur: & militibus longius aſtare iuſſis, Pridem, inquit, animo excitatam verbis indignationẽ etiamſi occultare voluiſſem, vultus prodiderat: nec immeritò, dum cõſultorum monita in contumeliam verſa viderentur. Equidem ſi ea quæ poſt factum irretractabile illata ſunt, paulò antè monitionis in morem præiſſent, magnum quatridui ac maioris etiam tẽporis lucrum importaſſent. Seras monitoris partes eſſe, quæ rem, dum in arbitrio eſt, negligentius obeunt, exactam ſollicitudine proſequuntur. Facta aũt infecta fieri non poſſunt, quantiſcunque conuiciis inſectentur. Orituræ verò tẽpeſtatis ſęuitiam præuidere abſq; cœleſtium monitis quis poteſt? Neq; tamen quin ea delictorum pœnas luerit, dubitare. Omiſſis præteritorum querelis, ad tempeſtiua rebus conſilia animum operamq́; deuocare par eſſe. Malle enim ſe ſpiritum ſpecioſo exitu, quàm expeditionem deformi reditu finire. Excipit Petrus, Etſi futurorum ignari ſumus, incertumq́ue ſit, quid craſtina vehat lux, pręſentibus in omne commodum verſis, æquanimiter in vtrunq; fortes animari decet. Tridui ſupereſſe comeatus, hoſtile ſolum in conſpectu: quo attacto, armis cedet quod neceſſitas depoſcit: bono eſſe animo par eſt. Nam quicquid periculi eſſe debuit in aduerſos hoſtes, mari expiatũ eſt: tantò futuros lætiores exitus, quantò ſint primordia duriora. Rex collaudato eo, Abſolonem obſeruare iubet mutatæ tẽpeſtatis rationem. Proxima nocte, quadam ex parte mitigata tempeſtas, animos facit nauigãdi. Speculator regi renunciat eundum, velis pariter & remigiis in curſum attentandis. Rex ait moras fore rumpendas. Ille ſubtexuit, bene operam nauaturos, ſi vnde mane remigarint, eò in veſperum reuertantur. Rex quoque, Tum nobis quę in Wãdalia conſpexeris, renũciabis. Igitur nauigationi ſignum editum ad omnes peruenit: luctantur remigiis portum linquere. Sub terrarum prætextu quietiora, & quæ ſuperari poſſent maria videbantur. At vbi libero cœlo vẽti deſæuiunt, maior incubuit tempeſtas:

Procerũ indignationẽ Abſolon apud regem exponit.

Regis ad proceres oratio.

Petri ad regẽ reſponſio.

Claſsis proficiſcitur.

peſtas, ſummaque vi contendentibus remigibus vix curſum tenuere. Abſolon, ne fortius dixiſſe quàm feciſſe videretur, contra vim nititur tempeſtatis, omnibus remigum viribus peruincens profectionem. Nec ſegnius rex ſuos inſtare iubet. Sed tantus fuit vndarum à vento impetus, vt alioquin validiſſimæ rates cõquaſſatę, inimicum haurire cœperint imbrē. Rex quũ nauis qua vectabatur, ſolutis cõpagum lateribus dehiſcere etiā vltro timeretur, aduocato proximę nauis magiſtro, propius iubet adeſſe: & temerario penè, ſed ſalutifero ſaltu peruenit in aliā, tranſlatis quoq; ſignis. Eſchyllus pontifex maximus forti & perſeuerāti diu animo regē comitatur: ſed victa procellis naui, etiā annuente rege inuitus redit. Tum magna pars claſſis, ſiue errore malo permiſſi reditus, ſiue quòd ita fingerent accepiſſe, retro verſa, pronis ventis ferebatur. Deniq; ex claſſe CCLX. vix LX. permanſere: reliquæ aut neceſſitatis impulſu, aut contumacis animi temeritate reditum in patriam tenuere.

Rex iubet magiſtros nauium in terram deſcendere: vt inter proceres penſato conſilio, quid agendum foret conſtitueretur. Ibi multæ dictæ ſunt ſententiæ. Quibuſdam viſum eſt ex re eſſe, reditum maturare: ne paucitate cõſpecta, hoſtibus ludibrio ſint. Aliis etiam viſum eſt populationi inſtandum: quòd gens hoſtiū ſecura, nullis adhibitis cuſtodibus, pecora ſineret per littora diuagari. Sed ea ſedit omnibus ſententia, vt ſub noctem vadis fluminū pertentatis, proxima à Rugia diuiſa inſula Hithym peteretur: obſeruatis adiutibus, ne à congentilibus auxiliū immittatur. Tanta aūt celeritate res cœpta eſt, vt incolæ productis de feneſtra capitibus, quum equitatum audirent, Kazimarus an Bugiſlaus eſſet, qui ventitaret, rogabant. Sed tela immiſſa docuerunt nō eſſe ſuos, quos putabant legitimos principes, ſed hoſtium globos. Terram verò illam terribili diſcurſu vaſtarunt ferro, incendiis, prædamque ante ſe agebant opulentam: vicem reddentes populationibus, quas crebras ea gens Daniæ intulit. Interim qui relictus erat claſſis cuſtos, à Rugiis impetitur, iam de nauibus ſociorum iniuriam vindicātibus. Et vt multis cum paucis obſiſteret, ex omni claſſe relictos collegit cuſtodes: pauciſque nauibus perarmatis, fortem operam in tuenda ſuorum claſſe impendit, ſecutus etiam in mare impugnatores. Dum autem abeſſet rex, & cum cohorte prætoria in littus veniret, miratur abeſſe naues. Videt poſt paulum è mari ſuum adnauigare præfectum, redeuntem ab hoſtium effugatione. Sed quum Rugianos etiam tum inſtare videret rex, & ipſe cum ſuorum manu in naues ſe recepit, hoſtibus occurſurus. Et quanquam æquata pugnæ iam manus videretur, vna tamen in re ſuperiores Rugiani erant, quòd maris vias tenerent comperta: ideoque ad intima lapſi, vndecunque hoſtem infeſtabant. Dani ad interiora ſequi non auſi, quòd profundo non crederent, variè à circumuectis vexabantur. Abſolon quoque ex præda reuerſus, vbi videt ſuos in mari laborare, præda cuſtodibus permiſſa, cum ſua quoque cohorte naues conſcendit, & quas à terra vidit opportunitates hoſtibus ademit. Per ſingula autem momenta Rugianorum vires incrementa nanciſcuntur, allabentibus ſemper qui recētes vires afferrent: quò magis creuit Danis labor iam non impugnationis, ſed meræ defenſionis. Fatigauit ea res ad extremum Danicas vires. Quo factum eſt, vt magna pugnantium pars, non modò victoriæ, ſed ſaluti diffiſa, quæ prius ſub conſpectu regis fortem operam impendit, tum velis ſublatis fugā inirent: nec pudor deſertionis, nec clamor exprobrationis à fuga potuit continere. Tum Wandali paucitate conſpecta remanentiū, acrius incubuere. Sed rex paucis in conſilium euocatis, quid faciat conſultat.

Cap. 5. Proceres de ſumma rerum conſultant.

Danos in fugam conyciunt.

Absoloni viſum eſt in proximam Hithym inſulam cōcedere, ibique reparatis parum viribus in hoſtes ducere. Petro autem alia ſententia fuit, quòd inſignis illa paucitas, erant enim ſeptem ſolę naues ex LX.) nullam laudem magnam autem cladem poſſet afferre, defectis commeatibus, ſociis dilabētibus, nullo expectato præſidio: quum interim Wandalorum vires per ſingulas horas increſcerent. Igitur pandenda vela, & ferentibus vtendum velis, deq; alia proſperiore expeditione cogitandum. Quam ſecutus ſententiam rex totis incubuit ventis: patriam nō ſine magno ſuorum, qui fugam ante illum inierunt, dedecore repetit. Sed Wandali iam in fugam hoſtem verſum inſectati, omni niſu conantur aut capere, aut mergere tam paucas hoſtium naues. Telis autem Danorū fortiter repulſi, ter fruſtra annite-

Cap. 6.

bantur propius accedere: ter repulſi, clamoribus & inſultatione, quādo armis non poterant, Danos irridebāt. Rex autem obuias ſub patriæ limine naues habuit, quibus tranſitum mutaret. Sed primùm in Scaniam, Eſchyllo pont. max. veniētem excipiente, declinauit. Rex autem huius expeditionis pudorem diu valere nō paſſus, autumno proximo vires ex Scaniis & Sialandenſibus frequentibus renouauit, raris autem ex Iutia nauibus. Aderant ex his, qui prioris fugę maculā portantes, nunc rege ac ſociis teſtibus abolere ſunt conniſi. Quò enim pudentius tum fugerant, nūc impenſius in arma ruunt.

Altera regum in Wandalos expeditio.

Peruenjunt proſpera ſatis nauigatione in hoſticā terram. Areon vrbis ſubiectam prouinciam inuadunt populabundi: magnamq; prædam præ ſe agentes, in littus redeunt, nauibus impoſituri quæ ceperant: & ecce hoſtes de longinquo agmine paruerunt. Suborta autem nebula ex oculis vtrorumq; aſpectum eripuit. Qua durante, & Dani ſtipandis nauibus, & Wandali propinquandi per caliginem hoſtibus viam inierunt, per vada illis comperta, hoſtibusque ignota. Priſlaus erat Danorum perfugio partes ſecutus. Is regionis peritia paulum in caligine excurrens, renunciat è propinquo adeſſe hoſtes: & iam ſenſim ſol diſſipans nebulas emerſit. Rex audito nuncio, inuenire illos reſpondet viros, qui fatū fugæ præſerant: iubetq; in ordines coire pugnaturos. Iam ſub liquido aſpectu ſtant, ordinibus etiam ipſi inſtructi. Dant ſignum pugnæ: fortiter vtrinque concurritur, cadunt plurimi. Duo Danorum equites ita infeſtis incurrunt haſtis, vt ante regem ambo cum equis deciderint. Rex & ipſe in pugnam properans, vtrique ſuperincidit tam graui lapſu, vt ſiniſter terræ cubitus infigeretur. Qui aderant ex primoribus, equis dilapſi regem erigunt. Macte, inquit ille, hæc ruina hoſtibus minitetur: fortes eſte viri. Et in equum reſtitutus, pugnam inſtaurat. Nec diu ſtetit dubia fortuna: quippe victi hoſtes terga dedere.

Dani prælio victores.

Dani ſecuti, multos in fuga ceperunt, aut peremerunt. Fortis Danorum miles longius inſecutus, ab hoſtibus intercipitur: tantamq; accedentium ſtragem facit, vt penè ſolus ſubſiſteret. Demum multitudine victus, ſuper à ſe factam ſtragem occubuit. In ipſo vado trucidari multi, dum victi victoresque paſſim caderent. Ibi Esbernus Abſolonis frater, fortiter pugnans, dum fidētius hoſtem inuadit, penè periit. Fruſtra illum equites conati ſunt extrahere: vnus atq; alter, ac item tertius penè cum ipſo fuerant intercepti. Peditum opera extractus, exanimis aſpicitur: ſed voluto corpore, dum vndā proiicit vomitu, oculos aperit. Percalefactus autem, etiam linguæ recipit officium: ſed diu permanſit exanguis. Tali ſortium virorum opera tum peracta eſt victoria: effectumq; eſt vt ex eo die Wandali in aciem aduerſus Danos non deſcenderent: ſed leuibus præliis aut excurſionibus reliqua bella peregerunt. Hic eſt fructus huius expeditionis. Ingenti autem præda ſtipatis nauibus, in patriam victores rediere.

CAP. 7. 1161.

VERNO tempore aſpirante, anno poſt natum Chriſtū M. C. LXI. rex iam totis viribus incubiturus bello, magnas vndique vires conciuit. Conueneratq; frequens Iutiorum, Scaniorum, Sialandenſium, Fionenſiumq; multitudo: ſtabatq; claſſis in anchoris, nauigationis opportunitatem expectans. Tum Rugiani priori calamitate commoniti, legatum de pace miſerunt Domborum, virum prudentia & facundia clarum. Is quum ſciret quanti apud regem Abſolon eſſet, illum in primis adiit, ſequeſtrum faciens ſuę ad regem legationis. Ille cum legato regem adit in loco, quo (vt diximus) frequens claſſis conuenerat. Simul vt vires Daniæ contuitus in armis, quaſlibet conditiones pacis non recuſabat. Sed euenit vt dum ibi moraretur, Iutiorum comeatus iam penè abſumptus, quòd tempeſtas nauigationem non permitteret, iam illos domum reſpicere coegit, reditum promittentes: ſed Scaniorum atque Sialādenſium abundantia adiuti, perſtiterunt. Fionenſes autem quum idē facere monerentur, acerbius ſe oppoſuere.

Wandalorū legatus pacis conditiones ad Danorū vires temperat.

Quam rem, cuncta diligenter perluſtrās, orator Wandalorum quum comperiſſet, qui antea pacem ſupplex petebat, cōperta diſſenſione in exercitu, æquas pacis cōditiones obtendebat. Sed Abſolon rogat, quibus tandem, ſi impetret deſiderata, modis ſanciri firmariq; velit acceptas cōditiones. Ille ſe pro gente ſua iacto in vndas lapillo, fœdera ſancire reſpondit: vt ſi pacto obuiam iſſent, ita perditum iri mergendique viderentur. Abſolon obſides fore dandos replicat. Domborus viciſſim à Danis obſides repoſcit. Tum pontifex,

Wanda-

Wandalos Danis non ſolùm obſides, ſed etiam claſſem cũ ſupplemento dare conſueſſe: nec vlla factum memoria, vt darent Dani illis aut pignora aut obſides. Ad hæc Domborus, fiducia plenus, Qua es prudentia, tria ſoles expendere tempora: vt non modò præterita, ſed etiam præſentia futuraq; metiaris. Olim quidem ea gentis noſtræ veſtræq; fortuna tulit, vt noſtri veſtris cedentes, acciperent leges ab illis: rerum mutata viciſſitudine, nunc alia depoſcere videtur. Noſtra diis fauẽtibus florent omnia: veſtra qualia ſint, ipſe conſpicis. Fines veſtri armis & exercitibus tutantur: noſtri ſitu marcidi culturæq; inopes iacent. Noſtrarum diffuſio partium vix alendæ quam genuit multitudini ſufficit: & tamen quos omnifariam potẽtiores aduertis, non modò ſuperiores, ſed etiam pares habere contemnis. Tunc demum tributi nos exactione ſollicita, quum & ſortem noſtram ſucceſſibus ęquaueris, & eam malis, quibus tua nunc premitur, affectam conſpexeris. Hæc Domborus. Sed Abſolon diſſimulato indignationis ſpiritu, paucis eum reſpõſis excipiens, ad regẽ quæ acceperat profert. Verùm pertinax freti ſæuitia, nauigationem interpolando, expeditionem fecit euaneſcere. Legatus autem pro more quo inuicem Dani cum Wandalis vtuntur, tam diu tenetur, quoad illum placido reſponſo abſoluant: ne tam ſpeculator quàm pacis arbiter videatur adueniſſe.

Cap. 8.

Saxonum dux cũ Dano arma in Wandalos coniungit.

Rex autem debellandæ prouinciæ maius opus eſſe reputans, quàm vt ſolius eius viribus expediretur, cũ Saxonum principe Henrico, cui Leoni cognomen dederunt, per nuncios agit, vt cõmuni ope à terra, & ipſe à mari Wandaliã aggrediantur. Non inuitus dux ille legationem accipit, iampridem ampliandæ ſuæ in Wandalos ditioni intentus. Igitur facta vtrinq; pollicitatione, vterq; parat exercitũ: rex à mari totis Daniæ viribus, dux à terra aggreditur. Prima illis in Obotritos fuit expeditio: Magnopolenſes nunc vocantur. Nam rex Polam inſulam aduehitur: expoſitiſq; copiis terram populabundus ingreditur. Saxones idẽ ex alio latere factitauere: vt nonnunquam amborũ agmina ſe in campis conſpexerint. Primã rei inclinationẽ paſſi Saxones, pabulatores multos incautius egreſſos, ab hoſtibus interceptos amiſere. Sed huius rei damnũ ſtatim pari clade aut maiori compenſabant. Nã milites armis ſupernè tectis, velut pabulandi gratia ſparſim gradiuntur. Wandali obſeruato tempore proſilierunt. Ibi conuerſi conglobatiq; Saxones, ad vnum omnes ceciderunt. Quorũ princeps Niclotus erat: cæſiq; caput palo defixum circumtulere. Hoc quum in caſtris Danorum vulgaretur, filius eius Priſlaus, qui iampridẽ odio ſuperſtitionis patriam declinans, ad Danos confugerat, cumq; illis militabat, audita patris morte, quum cœnitaret, manum pauliſper ab eſcis retrahit, ſuſpiranſq; ait, Non alia debuit veri Dei contemptor morte interire: nam patrem ille in cœlis indignum duxit agnoſcere. Interea Waldemarus rex, Hẽrico Duci collocuturus de communi bello gerendo, medium in locum occurrit. Ibi in longum ducto ſermone, ab duce rex deducitur in caſtra: ſplendidoq; exceptus epulo, ab illo regio faſtu honoratur. Omnia ad luxum compoſita, ita vt principe dignum ſplẽdorem regiis oculis inferret. Interpoſita deinde mora, quum ex variis pręliis, quæ leuia multa acciderant (nam totis aciebus Wandali dimicare non auſi, excurſionibus hoſtem fatigabant) caſus emergeret, quo opus videretur iterum Henricum ducem interpellare. Quumq; circumſpiciens rex aduerteret animum, quem perquirendi ſtudio ſollicitum mitteret, alterius equus claudicare, alterius effracta arma, nõnunquam etiam valetudo obtendebatur, omneſq; miniſterium recuſarent periculo plenum: Abſolon ſolus ſe exequendæ rei cum expeditis offerebat. Legendorum comitum illi permiſſum eſt arbitrium. Proximum quemque ſanguine delegit, fideliores ratus in periculo. Sed & Priſlaus, quem diximus, Nicloti filius, quem Waldemarus, ſorore in matrimonium data, arctiſſimo ſibi nexu conſtrinxerat, iampridem patriæ pro ſuperſtitione paganica infeſtus, ducem itineris agere pollicetur. Itaq; conſcenſis equis ducem aggreditur inquirere: inuentumque regiis mandatis conſalutat. Quumq; dux illum nocte proxima ſecum rogaret quieſcere, vt exceptus conuiuio pro dignitate tractaretur: ille cauſatus regem anxiè reſponſa demorari, ſibique eſſe quod in ordinanda collocandaque claſſe in primis curaret: ægrè abeundi veniam impetrauit. Quumque inſcenſis equis abire cœpiſſent, quidam è

Saxo Danũ regem epulo excipit.

Abſolon intrepidus & impiger.

Saxonum primoribus adit ducem, increpitans, quòd regios proceres ſine comitatu, per medios hoſtes, in grande mittat periculum. Reuocati, præſidium Saxonum demorari iubentur. Sed Abſolon nouis cauſis moram excuſans, nihil illi opus eſſe affirmat, ſuo malens quàm alieno periculo redire. Denique tam ſe pertinacem egit accipiendo comitatu, quàm ſe egerat in demorando. Alacriter ergo egreſſi, quum in patentes campos abiiſſent, Priſlaus ſuccuſſis frænis accelerare iubet. Ego, inquit, ſi meo res arbitratu ageretur, fortiſſimorum militum præſidium non recuſare vellem. Per medios vadimus hoſtes, iam per equorum veſtigia de noſtro tranſitu certiores. Scio acerba meorum odia: parentem de nobis vindicare, illíque parentare ardentiſſimè cupiunt. Igitur commoneo fortes ſocios, vt manu conſerta cadere quàm capi patiamini. Illa eſt gentis noſtræ in ſanguinem noſtrum ſitis, vt non ſinant impunè abire. Memores ergo quiſque chariſſimorum pignorum, gladiis rem agite. Danica vos gloria commoueat per terrarum orbem vulgata, vt virorum more pugnantes, non vt inertia pecora capiamini. Magnis clamoribus cantibuſq́;, de more gentis, alacritas teſtificanda: minus armatos in medium agmen capiamus. Nec tamen fortuna caruit ea admonitio. Territi enim, vel alacritate vel inaduertentia deluſi, incolume illis iter præbuere hoſtes. In caſtra reuerſi, regem anxium, iam de productioribus horis ſiniſtrum aliquid cogitantem, exhilarauere. Intromiſſis quoque, quum adgratulatum eſſet de ſuperato periculo, vicinum amnem rex petendum admonetur, vt ad ducis properet præſentiam. Magnis nauigijs imperuius amnis, paruis tentandus erat.

Priſlai adhortatio.

CAP. 9. IGITVR defixis per anchoram maioribus, habiles vadoſis locis rates inſcendunt. Iam hoſtes hoc veriti, multis in vnum locum contractis nauigiis, reſtitere. Dani locorum imperiti, ſæpius hærent in vadis: ſed deſiliunt impigre, manibus promouentes quæ remis non poterant, in ipſis vndis conflictati incurrentibus. Sed peruicit Danorum inſtantia, vt hoſtibus fugatis, laxiorem amnis in lacum diffuſi viam tenerent: diſpulſiſque hoſtibus, quacunq; voluere iter tenebant. Sueno cum expedita militum manu vicinam lacui vrbem Roſtock nōdum magnis (vt nūc eſt) mœnibus cinctam, facilè expugnat diripitq́;. Vnde amnem Wernouiam nunc dictum, qui tum Gutacra dicebatur, accipere debemus. Quem in locum Henricus dux cum exercitu venit, traiectuſq́; regi colloquitur de ſumma belli. Interim in littore obequitantes Wandali, Danis inſultant. Præcipuè Pribiſlaus Priſlai germanus, fratri maledicit, quòd cōmunis parentis cæſoribus communione ſocietur: iam enim inter Saxones Priſlaus agebat. Ille conuitia referens, gratias etiã illis ſe debere contendit, qui ſe deterrimo parente deſtituerunt: non illum agnouiſſe patrem, qui ingratus fuerit omnium communi parenti Deo. Dum autem rex colloquium ſerit, ſuperuenit qui nunciaret adeſſe Rugianorum claſſem. Veritus rex, ne ſe amni incluſum claſſe prohiberent, finito colloquio ad exitum properat. Quò perueniens nihil hoſtile conſpicatur: ſed receperant ſe iam hoſtes, ſubductis nauibus in reconditos ſinus: latebantq́;, ſi fortè Dani terram denuo ingreſſi popularentur, ipſi tunc claſſi inuehentes perderent, ſpemq́ue reditus interceptis nauibus adimerent. Rex quoque callidi conſilij non ignarus, artem arte deludere quærit. Mandatum dat vni ex præfectis, vt accepta cohorte vicinum vicum incendat: vt hoſtes conſpicati, arbitrentur vim Danorum in continentem excurriſſe: interim ipſi nauibus quieti demorentur: aduectos Wandalos ita in pugnam excitos, aperta fronte non cōcurſuros. Nec regem ſua fefellit exiſtimatio. Nam fumum cernentes Rugiani, vacuatas naues arbitrati, incurrūt. Sed quidam regij inſtituti non compotes, citius quàm debuere ſe prodiderunt. Quo conſpecto, retro verſi, dolos vitauere.

Roſtock expugnatur.

CAP. 10. MEDIA dies æſtiuum ſolem acrius incaleſcere fecit: vnde Dani productis in ſuperiora nauis velis, intus ſomno incubuere. Superuenit maximus Danorũ pontifex Eſchyllus, Hiſcine, inquit, tumulis milites corpora iam ſepeliſtis, dũ animi exercendi forent? Rex vocem excipiens, Facile, inquit, hos tumulos eſt diſcutere. Tum vicinarum partium biduo facta deprædatione, ad Orientalem regionem Rugianos fugientes inſecuti properabant. Iam ſe milites pugnæ aptabant, iam arma teláque expedientes, quum nihil præter prælium aut cogitarent, aut cuperēt: hoſtes de

pace

Ignem proculexcitare, cuiusrei ſignum.

pace agebant. Nam Domborus initio expeditionis ad ſuos reuerſus, iterũ de pace acturus, ignem in littore excitat, ſignificandi gratia quòd colloquiũ expeteret. Qui etiam clamans de longinquo, non poterat exaudiri. Sed Abſolon cũ rate excipiendum negabat, interdixitq; ne Dani pacis cupidi viderẽtur. Itaq; quum nemo allaturus aduentaret, propria rate de littore conſcenſa, Abſolonis prætoriam expetiuit, obſecrans vt pacis ſequeſtrũ ageret, iam obſides ſpondens cum obſequijs. Contrà Abſolon, quaſi eorum quæ poſcerẽtur ignarus, deſertas Daniæ inſulas numerabat, memor eorum quæ ab eodem obiecta fuere. At Domborus vbi auerſum à cauſa pont. animum aduertit: Non vaçat, inquit, optime pont. quòd perſonam tuã conſtituendæ pacis ſequeſtrã interpellamus, beneficium hoc à domo & familia veſtra, abuſq; aui tui memoria mutuare ſoliti. Ille dũ vixit, prouinciæ patronus eſt habitus. Filiorum eius ſi quis ſupereſſet, legitimũ hæredem conſtituendę noſtræ prouinciæ agnoſceremus. Ad nepotẽ quia res peruenit, ſupplices tibi, quas auo patriq; ſolebamus, manus tendimus. Germanum tantùm tuum natu maiorem tibi poſthabemus, cui te dignitas voluit anteferri. Paruimus dum vnũ in Dania ſentiretis: ſed dũ in viſcera verſi domeſtica bella foueretis, multorum in noſtris alita eſt audacia. Sed tamen hoc prę̄ſtitimus diſcordantibus, vt ad concordiam citius rediretis. Cur ergo pacis portã, quam inter vos reſerauimus, ipſi introire vetamur? Si vaſtationẽ quæritis, ecce ante vos agri noſtri. Nam ita decreuimus, in reliquum vobiſcum non armis, ſed precibus agere: repulſi reuertentur. Si ſeruitutem quæritis, deditionem cũ precibus offerimus: ſi ſanguinem quæritis, iugulos præbemus. Quid eſt reliquum quod à nobis expetitur? Hæc quum dixiſſet, Abſolone nihilominus Daniæ vaſtas prouincias numerante, & inter obiecta replicante quod ille gloriabundus iactauiſſet: ſubiecit Wandalus, Audio altius tibi inſediſſe vocem exprobrationis illius, quã non ſatis digeſtam effudi. Arbitror nos ſatis iam dediſſe pœnarum vnius improuidi ſermonis. Non tam iniuriarum memorem incidit dicenti auditorem adeſſe: itaq; venti verba fuere. Iam ſanioribus cõſilijs & facta & verba pœnitendo retractamus. Igitur quò promptiorem ſupplicibus veniam permittatis, plures eſtis habituri ſeruientes. Iam clades in hac noſtra gente, ſine veſtrarum rerum detrimento eſſe non poteſt: quicquid hinc perit, vobis perit. Ergo ſi Wandalię rebus parcendum nõ ducitis, Danicę ſaltem gloriæ tribuatis, vt quam multos habeat quibus imperitet. Hac ſermonum inclinatione demollitus Abſolon, apud regem effecit, vt acceptis obſidibus, rex in patriam victor cum incolumi exercitu repedaret.

Domborus Abſolonem Verbis flectere conatur.

Obſidib. datis pax conſtituitur.

CAP. II.

HAC foris parta victoria, cœpit intus domeſticum oriri incendium ea de parte qua minus debuiſſet. Nam Eſchyllus Lundenſis archipontifex, quum theſaurum ſuum non contemnendum in Gallia depoſuiſſet, flagrante Ciuili bello: iam pace reducẽdum curauit, miſſis in eam rem viris religioſis. Qui reuerſi Stadium, ſedentes ad menſam, vel iactantiæ cauſa, vel fortè quòd pocula deeſſent multitudini accubantium opportuna, aureum vas protulerunt. Quod nonnulli videre prædis aſſueti, ingentis theſauri ſuſpicionem præferentes, iam de præda cogitarunt. Egreſſos obſeruauerunt, & (vt quidam ferunt annales) in Albim præcipitatos demerſere, aurum auferentes: ſed (vt Saxo ſcribit) in Holſatiam præcurrentes abſtulere. Quo comperto Eſchyllus regem adoritur, efficiat apud loci præſides, vt ea res magno commodo futura amicis, reſtitutioni ſubiaceat. Rex difficultatem obtendit, quòd raptores occulti, præda diſtracta: ſi etiam potentes, maiori difficultate recuperabitur. Illo autem impenſius inſtante vrgenteq;, quum diceret regi, ſi anniteretur, facilè futurum, pro amicitia quæ illi cum Saxonum principibus eſſet: eius importunitatẽ victus, grauatè (quòd res non ceſſura votis videretur) annuit. Quumq; rex apud Sleſwicũ ageret, in conuiuio (vt fit) per hilaritatem irriſit hominis iactantiam, qui inter alienos de aureo poculo gloriaretur. Is ſermo exceptus à nonnullis, pontifici ingrauiſcenter affertur. Qui damni acceſſione turbatus, irriſum ſe à rege putabat: perinde non ignarum neq; animo immunem eſſe rei interpretatur. Hęc prima inter eos amaritudinis cauſa inceſſit. Acceſſit altera, quòd Hocco quidã ante non paucos dies, in Dania põtificatu, quòd ſchiſma ſequeretur, deſtitutus, nunc recenti rerũ diuiſione, quũ de ſummo põtificatu Alexãder & Octauianus cõtenderent, ab

Monachi o- [redacted]

Schiſma regem cũ pontifice committit.

Octauiano ſchiſmatico, accedēte regis fauore, ad Sleſwicēſem eccleſiā aſſumeretur. Qua de re Eſchyllus execrationis in eū gladiū diſtrinxit, qui etiā accito Abſolone, querimoniā illi ſuā de rege innouauit, quòd nuper damnis eius inſultaſſet: & ſe, quòd cōſcius eſſet prædæ, ſi nō particeps, in ea re ꝑdidiſſet: nunc verò ſchiſmaticū ad eccleſiā ſublimari, in contemptū ſui, ſedis apoſtolicæ, & omnia gubernātis Dei. Quocirca eſſe ſibi in animo, tantā iniuriam in regē, eccleſiæ contemptorem, etiam armis vindicare, quum in rem multorum incitamentis amicorum vrgeretur.

CAP. 12. ABSOLON regem ſuſpicione purgare, quòd inſcius eſſet atque innoxius rerum: leue autem verbum quod ore excidiſſet in ſubſannanda vanitate oſtentatoris, non eò reſpicere quòd culpæ ſit affinis, ſed quòd rem alioqui irrecuperabilem, iam perditam cerneret. Hominem verò ſchiſmaticum, non ab eo euectum odio catholicæ partis, ſed quòd importunitas poſtulātis vſa ſit tempore. Quos verò bellorum nunc habeat incitatores, quum ad rem fuerit peruentum, primos experietur deſertores. Se verò pollicetur futurum interpretem, vt res in integrum reuertatur. Sed archipræſul iam à conſilijs auertens animum, percunctatur num ſibi belligeranti in regem futurus ſit ſocius: idque non iam conſulentis in morem rogare, ſed precantis ritu poſtulare. Tum Abſolon: Me tibi quidem ſacerdotij tui gradu ad iuſiurandum deuinxiſti: quo ſincerius tibi verum à me, non blandum prouenire debet reſponſum. Non tamen tibi vſqueadeo ſum obſtrictus, vt amātiſſimum mei herum, cui cùm fidei tum etiam amicitiæ nexibus ſtringor, neglectis charitatis officijs deſeram, illiq́; aliquid imponi ſuſtineam. Iampridem intelligere potuiſti, reges de rerum ſumma contendentes, graue quidem bello laceſſere: at verò grauius credi debet, hunc vnum regni totius viribus incubiturum deturbare. Quid enim expectandum, niſi vt vtriq; cum ſummo dedecore damna temeritatis luamus? Tibi etiam minore dedecore aduerſitas erit, qui ſimilibus in regem conatibus cornua erexiſti: mihi autem inexpiabile crimen futurum, tantum regem, tam fidelē dominum, tam amicum principem oppugnare. Eſchyllus his verbis ad ſummū iræ ſtridorem excandeſcens, per ſacram obedientiæ religionem eum adiurat, mādata ad regem perferenda ſuſcipiat. Abſolon mandatorum perlatione promiſſa, reſponſorum abnuit relationem, quòd inter illuſtres viros inimicitiarum autor nolit haberi. Huic Eſchyllus ægre legatione credita, Gerhardum Eſoronenſis domus prælatū aſſociat, ſciturum an Abſolon fidus mandatorum miniſter exiſteret. Quorum tanta aſperitas mandatorum erat, vt non ſolùm ſimultates augere, ſed etiam amicitias odijs conuellere potuiſſet. Hanc auſteritatem Abſolon quoad licuit temperare conatus, ſpecioſo verborum delinimento, truces mandatorum ſententias caſtigabat. Rex audita legatione, præter morem accenſus, Eſchyllum ſuperiorū regum cruorem combibere ſolitum, nunc & ſuum ſitire reſpōdit: multaq́; ei in hunc modum, per ſummam verborum aſperitatem remandauit. Quibus Eſchyllus per Gerhardum cognitis, impatientiam metu mutauit, tantumq́; illi pauoris ſurrepſit, quantum prius furoris inceſſerat.

Pōtifex bello regē adoriri ſuis muneris eſſe putat.

[redacted]

CAP. 13. IGITVR euitandi periculi gratia, longinquas Werundiæ partes acceſſit, ſalutem ſeceſſu, non bello quæſiturus. Sed rex indignatione plenus, vrbem Lettricæ paludis in plano ſitam, in qua exædificanda pontifex multa contulit, habiturus certum ſaluus ibi profugium, obſedit. Qui intus erant, turbati, quòd nihil tale præuidiſſent, deditionem in diem pollicentur, niſi pax intera ab Eſchyllo componeretur: in quam rem obſidem tradidere nepotem eius, qui apud Eſronem educaretur. Rex obſide accepto parumper ſecedit. Archipræſul quum audiret, remandauit vt cuſtodiæ vrbis inuigilarent: maioris ſibi ponderis eſſe vrbem diuturnam, quàm mortalem nepotem. Rex obſidionem renouat, deditionem expoſcens: illi obaudiunt. Minitatur obſidi peiora: nihil profecit. Interea iuuenis ignotus literas affert Gerhardo (quem diximus) prælato, in Eſronem, vt vrbi immittat. Quarū erat continentia, placere ſibi plurimum deliberato, vt deditione vrbis conſulant optimæ ſpei nepoti ſuo: priora fuiſſe minus maturati conſilij improuida mādata. Autorem ignorabant: regem tamen de compoſitis multi inſimulabant. Gerhardus opem impendit, vt literæ immittantur. Interim ſublimem trabem rex erigit, nepotem ab alto

Pontificis Agathoclea ſtergo.

alto ſtrangulaturus, vt ſimulabatur: cæterùm à moribus eius crudelitas longe fuit aliena. Audiens Gerardus cucurrit, regem orat ſupplicium ad eius reditũ differat, ſeq; portis, impetrata venia, poſtulat immitti. Quũ introiſſet, ſciſcitatus quid literis accepiſſent, illi pandunt. Nihil cunctandũ ſuaſit ille, quò deditione vrbis vitã redimant optimi iuuenis. *Vrbs dedita.* Itaq; rex vrbe potitus, pontificem maximo cõfecit mœrore. Sed inde præmiſſa de pace legatione, Scaniam rediјt, tam præcipiti vſus conſilio in reparãda, quàm vtebatur in ſoluenda amicitia. Nam prædia cũ cenſibus, quę priſci reges eccleſiæ cõtulere, ipſe regi permiſit reſtituens. Vnde ſecutis temporibus maxima ſunt orta diſſidia, dum illicitis profanationibus poſteri reges inhærẽdum putabant. Quum tamen Deo ſemel ſacrata, ad profanos vſus ſint minimè reuocanda.

CAP. 14. PER quæ tempora quidam Chriſtiernus ab vrbe Moguntia, Octauiani antipapæ functus legatione, regi penè perſuaſiſſe videbatur, ſed obſeratas Eſchylli aures reperit. Qui rebus ſuis in Dania non bene cõſtitutis, peregrinationẽ ſibiјr in terram ſanctam, vt medio itinere vrbem Romam inuiſens, ſummum pontificem doceret de iјs quæ à ſe geſta ferebantur, conſiliũ eius atq; præceptũ expectans. Interea quum Esbernus Sleſwicenſis pontifex, orta ſimultate audiret à ſuis loci præfectum occiſum, ceſſit exulans, defecitq;. Qua occaſione Hocco quem diximus, Octauiani antipapæ fretus autoritate, ſedem priſtinam iterum occupauit, magis quàm iure inſedit. *Hocco reſtituitur.* Tum etiam rex tranſmarinã in Wandalos Walogaſti incolas, quòd ex eorum portu crebræ piratarum infeſtationes eſſent deprenſæ, fecit expeditionẽ, permittentibus Rugianis fœderatis comitatum. Nam Walogaſti principatus à reliquis Wandaliæ populis ſemper diuiſus habebatur. Illi vocato in auxilium Bugiſlao Pomeranorum principe, armis ſe tueri cõfidebant. Sed aduocatus Bugiſlaus, paci magis quàm armis indulſit. Nam inter regem ſocioſq; ita componit, vt ipſi in reliquum regi pareant, piratas, quod in ſe eſt, exigant. In quam rem acceptis obſidibus, rex abire ſtatuit. Sed in concione quæ erat Bugiſlao cum Rugianis, iurgia inciderunt inter Saxonem & Wandalum, quæ eò decurrerant, vt quum in principem quiſque ſuum reſpicerent, ex hac occaſione magna ex parte ſit attenuata familiaritas, quę regi atq; Duci Saxoniæ inceſſit. Quumq; per eam tempeſtatem Danorum pontifices, nonnulla legatione accepta, ab Octauiano antipapa ſollicitarentur, eaq; res ad regem permanaſſet, volens ea de re certior fieri, ſcribam ſuum Radulphum, hominem Britannicum, lingua quàm prudentia promptiorem, miſit ad Imperatorem, eiuſq; (vt videbatur) pontificem Octauianum. Certabant autem pontifex & Cæſar hominem honore præuenire, quò ſibi nationem conciliarent. Cæſar audita legatione eius hominis, dolenter ſe videre teſtatur in eccleſia ſciſſionem, cuius rei gratia nuper in Italia ſe habuiſſe conuentum grauiſſimorum hominum: ibi Octauianum ſe iudicio patrum ſubieciſſe, Rolandum verò refugiſſe. *Grauiſſimũ inter Imperatorem & papam ſchiſma.* Quocirca opus ſibi eſſe regum etiam cõſilia vocare, quorum magnam ex Chriſtianiſmo partem, iam parti alteri ſciat acceſſiſſe. Sibi verò prudẽtiſſimi ac illuſtriſſimi Danorum regis exponendam ſententiam: qui ſi adeſſe dignabitur, magnum rei momentum ſit futurus, multarũ ſalutem animarum omni procul dubio facturus: & ne grauis illi tantum itineris ſuſcepiſſe labor videatur, poſſe ab Imperio ſe eam rem cõpenſare, permiſſa illi in Italia prouincia, atq; totius Wandaliæ præfectura.

CAP. 15. NVNCIVS magnis promiſſis plenus, alacris ad dominum ſuum redit, Cæſaris ac Octauiani in illum deſiderium exponens. Capitur rex & ipſe cupidine videndi tantũ Imperiј apparatum, nihilominus quæ adiecerat promiſſor, tacitè expectans. Priuſquam tamen excederet prouincia, Bernardus quidam legationis ſpecie ab Octauiano miſſus in Daniam, concilium edicit pontificum. Sed pauci adfuere, quòd abſentiam archipræſulis prætenderat. Itaque cauſſa & inanis opera fuit, ludibrio magis quàm legitimo ſimilis cõcilio. Rex autem iter ingreſſurus, Abſolonem viæ comitem depoſcit. *Abſolon rogantis regis agre ſe comitem adiungit.* Ille cauſatur & commeatus deeſſe, & turbatam incolumitatem obſiſtere. Tum rex: Quàm diu mihi commeatus ſunt, tibi non deerunt. At ille: Incolumitatem corporis etiamſi præſtiteris, mentium ſinceritatem quo modo ſeruabimus, ſchiſmaticos aditu venerantes? Tum rex, Ad hoc, inquit, ibimus, vt cuncta plenius cognoſcentes, ab errore deprenſo reſiliamus. Abſolone autem pertina-

citer publicæ religionis hoſtes adire recuſante, Hactenus, inquit rex, te ſuper oẽs colui, vt hiſce mihi in rebus adeſſes, quibus ſi à te deſeror, quid ex te in reliquum cõmodi ſuſcipiam? Tum ille, exprobrata ſibi ingratæ mentis indicia arbitratus, Ad deſerẽdam, inquit, tui nominis amicitiam, nullis corporis periculis adduci potero: at quum de animæ negocio agitur, humano timori diuinum præferre fas eſt. Ego verò etſi circumſtantia rerum damna peruideam, tamen vt te in hoc tempore, quo de ſalutis periculo imminet diſcrimen, non relinquam, te rex ſequar. Alios deinde præcipuos prudentia viros aſſumit, Esbernum, Suonẽ, Buriſium, illum præcipuè, ne quid per abſentiam nouaret. Iam publica fide interpoſita, ab Adolpho Holſatiæ Comite ductũ petebat. Aderat ignotus miles ad Eydoram, interrogatus an Adolphi nomine conductũ eſſet præbiturus, ille dominum ſuum eius rei gratia proximè adeſſe confirmat. Cæteri addubitabant ire. Rex primus pontem tranſierat, fiducia plenus. Adolphus illum veneranter excipit, regem conſalutans, etſi ex priſcis temporibus nonnullæ ſimultates (vt fieri ſolet inter contendentes de finibus) interceſſiſſent: proximo tamen oppido regem ſuis impẽſis humaniſſimè diſponebat accipere. Sed rex recuſans, ſuo ære impenſo cibos iuſſit emi. Adolphus, ne quid venderent, ſuis edixit. Et Dani primò quidem elatis domo cibis vtebantur, inde pudore adacti, Adolphi menſam ſepſere, humanitatem eius non auertentes. Rogatus inter eundum quanto poſſet itinere præbere conductum, Ad Bremam, inquit, vſq; ſaluos ſtatuam. Proceres addubitantes, inter ſe muſſitauere, quòd rex tranſito Albi, extra Adolphi ditionem, nullam ſalutis aſſecurationem in Saxonum gentem haberet, Abſoloniq; impoſuere, vt regem admoneret cauere periculum. Ille in mane tentato diſſuaſu, vbi ſe fruſtra conari vidit, cæteris renunciauit.

Adolphi Holſati erga regem comitas.

CAP. 16.

Princeps in alterius ditione verſari parũ tutum.

ESBERNVS autem rem aſſerit grandem, quòd rex cum proceribus, exteris terris, ſine ductore, ſe vanæ Cæſaris promiſſioni permittat. Igitur vbi fratrem impellere non potuit, vt commonitionem, quam fruſtra tentarat, iteraret, Ergo, inquit, adeſte, aures præbituri, ſi linguam intendere non audetis. Cæteri diſceſſere, non auſi tentare quod Abſolon recuſaret. Sed ille fratrem vbi reuocare propoſito non potuit, deſerendum tamen non putauit. Aderat ergo dicenti apud regem. Ille vbi data copia eſt, Nos, inquit, rex, in pericula aſſequi te ſoliti, vbi armati armatis cõcurrimus, ſine timore procedimus: nunc verò inermes, alienæ fidei parẽtes, circũſpicere debemus quò progrediamur. In alieno agimus: ductorẽ, qui ſaluos præſtare poſſit, non habemus. At quò tendimus? Quippe quò regnum tuum ab æuo liberum, immeritam ſeruitutem ſine gladio ſubeat. Quid autẽ ſtultius, quàm nullo impendente periculo, vltro ad deditionem procurrere? Rex paucis iram exprimere ſolitus, Etſi te, inquit, adeò perurgeat metus, vt vix comes eſſe nõ audeas, me tamen trepidationis tuæ ſocium non habebis. Ingreſſos Bremam, loci antiſtes omnibus humanitatis numeris inſtructiſſimus, & liberalitate conſpicuus, impenſioribus hoſpitalitatis officijs proſequendos ſuſcepit. Quum autem de ductu præbendo rogaretur, comitandi ſibi regem, non ducẽdi fas eſſe reſpondit. Complures quoq; Saxoniç principes, quò tutius curiam peterent, regijs ſe ſodalitatibus deuinxerunt, adeò, vt de Danorum familia ac grege eſſe putarentur. Igitur creſcente comitatu, quum multitudo ſpeciem hoſtilis exercitus prætenderet, incolæ virorum baſilicas petiere, quò incolumes eſſent. Rex vbi hæc aduertit, præmiſit qui de pacato eius tranſitu præmonerent. Quumq; ad vrbem Methim veniſſent, rerũ venalium precia ob frequentiam aduenarũ meruere: ſed prouidentia ſenatus effecit, vt huic rei conſuleretur. Iam matres cõperta regis benignitate, paruulos regi offerebant tangendos. Omnium enim Gallicanarum partium habet exiſtimatio, regium tactum vim habere diuinã. Vnde & Franciæ reges ferunt hodie curare tactu gutturis vitia.

Regiarum manuũ contactus aduerſus morbos vim habere creditur.

CAP. 17.

INGRESSO curiam rege, Henricus dux Saxoniæ magnam ei ſuorum partem caſtrorum ceſſit, hoſpitalitatem exhibens, quam Danorum genti ſciebat eſſe præcipuam, regẽmque conuiuio exceptum, perbenignè fouit. Poſtero die Abſolon cum Rodulpho ad Cæſarem mittitur, cum obſequij (vt mos habet) exhibitione. Ibi tum Cæſar ad Imperij maieſtatem reſpiciens, cauſari cœpit quòd rex ſerius adueniſſet, Imperio Romano deuinctus obſequio, quòd regnum illius de manu recogno-

recognoſceret. Tunc Abſolon: Decuiſſet, inquit, Cæſaris fidem, ea potius ante itineris ingreſſum regi exponere, ad quod eum tantis promiſſionibus impuliſſet. Cæſar, per quẽ regi promiſſa feciſſet, interrogat. Abſolon demõſtrato Rodulpho: Hic eſt, inquit, qui credulam regis ſimplicitatem magnorũ promiſſorum cõmentis illexit. Eoq; negationẽ Cæſaris referre non audente, ſeriem totius promiſſionis diſſerit. Inficiante aut diſſimulante Cæſare, Abſolon reducem regi dari depoſcit. Ille plus negocij eius reduci tributurum, quàm aduentui impendere negat. Rex vbi ſo circũuentum videt, tametſi mucronẽ ceruicib. ſuis applicatũ aſpiceret, antè ſe eam ferro, quàm patriam ſeruituti ſubiecturũ aſſeuerat. Æſtuãte eo, opiſq; modum impenſius exquirente, Abſolon liberationis viam à ſe repertam profeſſus, nõ amplius illic regi quàm in patria trepidandum aſſeruit. Siquidẽ trans pontem, quo Gallorũ regnum à Germanico ſecernitur, venationis ſpecie ſæpius illum obequitare iubet: ac demum, quum conſuetudine viciſſet ſuſpicionem, cũ potiore familiæ parte, aliquot è finitimis Galliç oppidis petere: haud dubitaturum quin à rege Francorũ ornatius in patriã dimitteretur. Cuius conſilij executionẽ Cæſar arte præuenit, nam quem præceptis & cõminationibus in ſua iuga cogere non poterat, promiſſis obligare tentabat. Vnde omnes Germaniç principes ſacramento adegit, Wandaliã regi ſubijcere. Quæ res ſi minus procederet, ipſum ab Italia redeuntem rem impleturum, vt deinceps rex Romano imperio iunctus haberetur, non vt in cœtũ vocatus accederet, aut in exercitibus ordines ductitaret, principum aliorum more: ſed magis ſpecie quàm re imperio ſociatus haberetur. Filio ex ſe nato nulla perinde obligatio maneret, nec in reliquos Daniæ reges propagaretur, ſed in ſola Waldemari perſona finiretur. Nec dedecori, ſed honori futurum regno ſuo, quòd ſimili ratione Anglorum reges, Franciæ regibus deuincirentur. In hanc formam vtraq; Cæſari rex manum porrexit: Imperij membrum inde memorabatur.

Dania rex imprudens in Cæſaris manus ſe conijcit.

Prudẽs Abſolonis conſilium.

Cæſaris perſuaſu Dania Imperio ſubijcitur.

TVM Octauianus, qui in pontificatu adulterino Victoris ſibi nomen aſciuerat, vocata concione perdocuit, quàm ſanctè ac iuſtè ipſe, quàmq; irreligioſè Rolandus ad eam ſedem perueniſſet. Sibi per oſtium aſcendenti, omnia iure parere debeant: illi aliunde nitenti, quid reddendum ſit, ex Euangelio, non ſua voce perdiſci. Et vt conuentum celebrem faceret, pontificeſq; deliniret, ſanciuit non antè ad Romanam curiam eſſe prouocandum, quàm ſit cauſa epiſcopali audientia ad plenum diſcuſſa. Finiente eo, Cæſar prouinciarum reges, huius controuerſiæ gratia à ſe docet euocatos: eorum ſententiæ pariturum ſe, cum Octauiano Victore: abſentes non magnifaciendos: quos ideo non adeſſe compertum ſit, quòd in Romani Imperatoris iniuriam, Romanum pontificem ſuo contendant arbitratu conſtituere. Raynaldus Coloniæ vrbis antiſtes, verbum ex ore Cæſaris ipſo annuente ſumens, rem ita proſequitur. Quàm iniurium videretur Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ regibus, ſi in eorum prouincijs Romanorum Imperator deligeret ordinãdos pontifices: tam debet ſentiri temerarium, ab illis in vrbe Roma, quæ titulum & imperiũ præſtat Cæſari, illorum volũtate antiſtitem deſignari. Æquius quidem ex duobus videretur, vt qui imperiũ orbis tenenti ſuccedat Octauiano Auguſto, is in omnem Chriſtianiſmum fas habeat publica iura tueri. Nunc autem Cæſarem ea eſſe modeſtia, vt ſinat quemq; in ſua prouincia agere. Qua ergo temeritate contendant reges, in partem deuocati regiminis, primo culmini præficere præſulem? Hæc tam glorianter ac iactabundè dictitabat, vt mutata ſæpe lingua, de Romana in Gallicã, deq; illa deſcenderet in Germanicam, vt omnibus compertum haberetur, quòd tanta ab illo inſtantia ageretur in concione. Finierat ille: & iam Octauianus execrationes orſas in Alexandrum, accenſis luminibus intentabat, quum Abſolon regem, vt exiret admonuit. Egreſſo illo, Abſolon ſequi inſtitit. Tum Octauianus precibus agere, ne iuſtitiam deſereret. Ille verò regem ſuum, cuius veſtigia obſeruare ſolitus, deſerere ſe non poſſe teſtatur. Ita regem, ne ſchiſmati immergeretur, ſeq; ipſum, ne ſacrilegij particeps eſſet, ſeruauit. CAP. 18.

Antipapa apud Imperatorẽ autoritas aſſeritur.

Succeſſionis ius quàm latè debeat patere.

LIVO quidam Othonienſium electus pontifex, ab Abſolone, ne faceret deterritus, conſecrationem tamen (ne dicam execrationem) ab Octauiano ſuſcepit. Tum omnis ille conuentus conceſſit in oppidum Biſuntium nõ longinquum. CAP. 19.

Dani ex hoſtibus hoſtes.

Dania ven domum ſe recepit.

Ibi primò alimentorum defectio fuit iumentis. Rex precio mercari iubet. Vbi deerat, inſinuatumq́; eſt Cæſari, præcipit, ſtabuli ſui magiſtrum curare de regijs etiam iumentis. Ille ſecum ductis Danorum militibus, ex oppido non longinquo iubet cuncta petere. Ignari conſuetudinis in loco Dani, primùm precio, inde prece quærunt: vbi nihil proficiunt, vis adhibita eſt: expugnato vico etiam incendia miſcent. Quæ res comperta regi, incredibili illum mœrore affecit. Interea Cæſar de Moguntinis, ſuper occiſo paſtore ſuo, quam pœnam irrogaret, in concilio quæſiuit, quum interim regi pabulorũ defectio nunciatur. Suggeritur Cæſari. Ille, quia vicina prædia dotis illi nomine, tanquam Cæſarianæ coniugis patrimonium, conferebantur, iubet etiam adhibita vi quæri neceſſaria. Rex refugit, præfatus, non ſe hoc in alieno acturum, quod in ſuo minimè pateretur. Collaudata virtus. Tum Henricus dux Saxoniæ, Cęſarem admonet de rege hoſpitaliter tractando, eius eſſe regnum commune omnium tranſeũtium hoſpitium, in quo virtus ea præcipua ſit. Cæſar autem præſente rege cuncta liberius iubet exhiberi. Abeunti Moguntinus pontifex binis noctibus hoſpitium inſtruit: cæteri quoq; moniti humanitatem detulerunt. Solus Ludouicus Turingiæ princeps, dum regium comitatum admiratur, equum pręcipuè regium collaudat, & ita collaudat, vt ſe teneri eius cupiditate non diſſimulet. Rex munificus, vbi cõperit, ſtatim elargitur. Vanum principem dixerim, qui quũ hoſpitalitatem liberaliter exhibere debuerat tranſeunti, etiam ſpoliare audet, improbè poſtulando. Quum in Holſatiam reditum eſt, interuentu Abſolonis omnis inter regem & Adulphum Holſatiæ Comitem controuerſia ſuſtollitur, & primùm amicus, deinde etiam miles regis conſcribitur.

CAP. 20.
1164.
Bellum in Wandalos paratur.

ANNVS erat poſt natum Chriſtum MCLXIIII. quum Orientales Wandali, iamdudum Danis infeſti, à rege domari cœperunt. Henricum Saxoniæ ducem belli ſocium rex exciuit, qui etiam aſſiduo bello gentem Deo perfidam infeſtabat. Vtq́; ſocietas belli magno vinculo necteretur, Henrici filiam in cunis filio itidem impuberi deſpondet. Paratur vtrinq; bellum magno apparatu. Tum rex Rugiam adnauigans iam fœderatam, claſſis ſupplementa depoſcit ex formula. Iam quidem in congentiles bello inſtituto, variabant Rugiani, etſi paucis adhuc obſidibus res niteretur. Abſolon dimiſſus ad alloquendos Rugianos, quum in concione eſſet, iuuenis Wandalus quidam, vnius ex pontificis ſatellitibus equum miratus, grande pretium ſe conſtituit, ſi vendatur, ſoluturum: ſed inceſſus gratia pertentandum poſtulauit. Traditur equus: ille inſidens auolat. Defertur res pontifici. Ille in concione queritur violatam pacem abductione iumenti. Indignari vniuerſi publicam fidem violari, armantur ad perſequendum iuuenem. Interim cognati eius, pontificis pedibus aduoluti, cum lacrymis precãtur populum ab vltione reuocet, pretium ſe ſoluturos. Victus ille precibus & lacrymis, reuocari iubet ad vindictam procurrentes. Interim equus reducitur: Abſolon de iniuria ſatellitem increpat. Tetiſlaus rex erat Rugianorum gentis, igitur ex fœdere ſequi regem iuſſus eſt. Henricus autem dux de ſuo latere aggreſſurus à terra, pręmittit expeditioni cohortem equitum ad oppidum Deminam, ibi caſtrorum (vt fecerant) locum occupaturam. Wandali autem, cum parte copiarum, quàm toto exercitus robore præliandum, tutius ducentes, magno animo ducunt in metantes caſtra: cõſeritur graue prælium. Ibi fortiter pugnantes Adolphus Holſatiæ Comes, & quidam Raynaldus, nomine quàm ditione notior, cadunt. Guncelinus Suernenſis, & Henricus Raceburgenſis Comites, correptis ſignis ſocios de fuga colligunt: integrant pugnam, & pulchram de amiſſis commilitonibus peragunt vindictam.

Abſolonis equus aufertur.

CAP. 21.
Demina ſolo æquatur.

INTEREA Henricus cum copijs ſecutus, quum Deminam vrbem obſidere conſtituiſſet, videt incolis fugientibus deſertam: ſolo iuſſit æquari. Ad Coſcouam veniens, ſimili incolarum trepidatione vacuam cernit. Nam diffiſi munitionibus, in inuias paludes cum vxoribus & pecoribus ſe Wandali receperunt. Rex interea à mari aggreſſus Walogaſtum, per amnem Penum, munitam vrbem, miratus quòd illam quoque incolæ deſeruiſſent, neque ſolo æquare, neque concremare paſſus, ſed præſidio impoſito firmandam duxit, impoſito Wethemanno, ab piratica homine notiſſimo. Poſtea tamen melioti conſilio, ne hoſtibus

denuo

denuo pateret, quòd erat opportuna loco, regiq́; ad continendam in fide prouinciam accommoda videretur, Abſoloni ſeruandam attribuit, eiq́; filium adhibuit Chriſtophorum, iam prima militiæ rudimenta perdiſcentem. Buriſium Suenonemq́; Aruſij præſulem adiunxit, quò firmiori præſidio ſeruaretur. Quum autem neq; in aciem hoſtes prodirent, neq; pactionis vlla fœdera depoſcerent, rex animi dubius hærebat quid faceret. Commonuit Abſolon, vt palis, qui amnem facerent innauigabilem, ſubductis, cum claſſe ad interiora procederet. Id quum tentaretur, circumfuſi hoſtes iaculis rem impediuere. Petrus, quidam præfectorum, cum ſua cohorte in terram deſcendens, hoſtibus cõgreditur. Sed dum ille pugnat, ſocij abeunt, illum relinquentes in medijs hoſtibus: qui multitudine magna circumfuſi, facilè paucos multi oppreſſere. Igitur rex cum claſſe procedens, Henrici exercitum nauibus ſuis traiecit. Sed tum rebus ſuis diffiſi Wandali, quòd iunctis exercitibus peterentur, reliquarum etiam vrbium excidium formidantes, regi obſides de pace offerunt, duci nequaquam daturi. Ille ſe ſine belli ſocio non eſſe pacturum reſpondet: attamen miſſo nuncio, docet Henricum quid geratur. Ille remandat, non ſe abhorrere à pactis quæ regi placeant, dummodo in forma caueatur, vt Henricus, quæ a Wandalis cepit, teneat. In has igitur leges fœdera conſcribuntur, vt Wallogaſtum trifariam diuidatur, pars vna Tetiſlao Rugianorum regi, altera Kaſimaro, tertia Priſlauo Nicloti filio, Danicarum partium proceri tradatur. Piratis ex portu prohibitis, rex in ſua reuertitur. Sed Kaſimarus conſortes imperio ciuitatis peroſus, agit vt tædeat illos manſionis. Nam Priſlaus non fiſus congentilibus (quòd defectionis in eo facilitatem damnarent, ipſeq́; illorum horreret perfidiam) in Daniam reuertitur. Rugianos his afficit incommodis, vt ne in patria ſecuri viderentur. Et quum illi magis in Henricum Saxoniæ principem, quam regẽ reſpicerent, animos concepere in Danos rebellandi.

Wandali cũ Dano quam cum Saxone paciſci malunt.

Cap. 22.

Rex Rugianos rebelles, abſque Saxonis ope adoritur.

Rex diſſimulata ab duce iniuria, quòd deſertores ſuos ſuſciperet tutãdos, claſſem parat in Rugianos, primumq́; in prouinciam Arcon excurrit, incẽdio vaſtans rura. Inde in portum Por tranſitum eſt, & vt diuiſis agminibus tenderetur, conuenit. Iuſſus noctu Abſolon Zwinam innauigare, rege protinus ſecuturo. Sed nocturnum pontificis tranſitum, regij vigiles ſomno capti, neglexerunt. Solus igitur cum paucis nauigans, milites excurſuros exponit. Ibi duo viri armis & viribus pares, æmulatione fortium factorum certare videbantur. Quum hoſtes cymbis fugientibus cernerent, adactis equis in amnem procurrerunt, immemores quòd armis graues eſſent. Igitur ab æmulatione virtutis ambo perierunt. Sed Abſolon regionem permenſus, ferro & flãmis omnia populatur. Ingentiq́; præda ante ſe acta, quum ad naues tenderet, videt ingentem hoſtium nauim à tergo imminere. Itaq; vadum vnum atq; alterum tranſiens, quò timorem ſignificaret, hoſtibusq́; difficilem viam fugæ faceret, lentus inceſſit. Duo è ſuis pedites præda onuſti, de longè ſecuti, ab hoſtibus totidem impetuntur. Illi poſito onere, gladios ſtringunt: hoſtes nõ propinquant: itaq; reſumptis fuſtibus procedunt. Plures numero hoſtes circumuolant: illi grauiter pugnantes ſe tuentur. Abſolon conſpicatus auxilia ſubmittit. Paulatim Wandali accedunt, & tali initio totis agminibus concurritur. Fugati demum hoſtes ceſſere: Dani cum præda ad naues properant. Obuiam illis fit agmen remigum ſuorum, auxilio venturum. Hos de præda donat, voluntatem etiam ſine facto remunerans. Interim rex cum reliquo adnauigat exercitu, in terram egreſſurus: ſed præmonitus ab Abſolone nihil ſupereſſe quod agatur, gauiſus quòd parte copiarum bellum ſit peractum, in Daniam redit. Autumni tamen eiuſdem anni tempore, quum iam agri pabulis abundarent, in hoſticum regreſſus Zwingianorum ſolum, & repetita vrbe Arcon, ſubiecta prædia vexauit. Incolæ viribus freti, quòd ſe pares, hoſtium conſpecto numero arbitrarentur, in pugnam egrediuntur. Rex ſimulato timore, quò hoſtes longius ab vrbe detraheret, iubet ſuos paulum hoſti cedere. Inde pugnam ingreſſi, hoſtes ſuos Dani fugant. Illi vrbem fuga repetunt: ſed in aditu ipſiſq; ſub mœnibus periere multi, nec poterant deinde in aciem prouocari.

Abſolonis pontificis virtus bellica.

Insula erat eiuſdem ditionis Iaſmoda, in eam tota claſſe conceſſum. Abſolon

Cap. 23.

inter excurrentes primarius, inter redeūtes nouiſſimus, fortem vbiq; regi operam nauauit. Equitum cohortes ſparſæ ad prædam: rex cum robore exercitus ad ſigna conſiſtit. Interim nūciatur, validam ſuorum manum hoſtibus circumfuſam laborare. Rex euocatis qui propius aderant militibus, eò contendit, ſocijs opem tulit, liberatosq; ſibi ac ſuis reſtituit, multa hinc inde præda coacta. Sed Rugiani expectatam à Saxonibus opem non videntes, damnata promiſſorū fide ad regis fœdera redierunt. Apud Strelam inſulam, (quæ, vt creditur, nunc vrbem oſtendit continenti impoſitam, inſignem, quæ *Straleſſund* etiam hodie appellatur) quatuor obſidibus proditis, pacem à rege petiuit Tetiſlaus, impetrauitq;, interpoſita grandi, qua mulctabatur, pecunia. Interea proceres inter ſe multa contulerunt, operę preciū videri, regium ſanguinem, dum ſupereſſet rex, ad regni participationē prouehendum, ne ſi quid regi humanitus accideret, iterum de regno oriretur (vt ſæpe aliàs) contentio. Rem regi detegunt. Ille non reluctatur: acceſſionem honoris, non detrimētum arbitratus poteſtatis. Res in cōcionem perducta, communi procerum voto & populi conſenſu perficitur. Vnus inuentus eſt Buriſius, qui in concione, cæteris ſuffragia promētibus, tacitus aſtabat. Vbi res annotata eſt, ad regem perducitur. Indignatione carere non potuit, quòd pridem de regni ambitu eſſet notatus. Purgare ſe tamē regi volens: Nihil, inquit, optime rex mireris, quòd tacitus aſtiterim. Stupor me ſilentem tenuit, admirantem rem tantā peragi, de qua neq; tu neq; aliorū quiſquam verbum feciſſet, quod quidem ego noſſem. Simul & iſta me conſideratio auertit, recordantem plurimas fuiſſe contentiones de regni cōmunione. Quòd ſi inter patrem & filium tale quid (quod abſit) oriretur, quam calamitoſus regni futurus eſſet ſtatus, animo voluebam. Satisfactum videbatur regi, indignationē potius diſſimulanti quàm ponenti. Interea ſacramenta nouo regi innouanda erant. Acceſſere cūcti in Kanuti nomine iurantes: ſolus ille reſiſtit, affirmans ſupereſſe, & faxint ſuperi, vt diu ſuperſit, cui ſacramēto obſtrictus teneatur, nunquam ſe Saxonum ritum, de dimidio pluribus præſtito iuramento, probauiſſe. Alterum neceſſe eſt violari, dum contentio inter ambos oriatur. Audijt rex magis quàm probauit purgationem.

Rugiani Saxonibus nō annuētibus, deditionem faciunt.

Kanutus regis filius, regni cōſors aſciſcitur.

CAP. 24. INTEREA profectus in Hallandiam rex comitem adhibuit Buriſium, quo etiam itinere nonnihil attentatum eſt, in quo annotari videbatur. Sed vt ſuſpicioni finem faceret, aperto ſermone regem aggreditur. Quoniam quidē, inquit, rex, dignitatem regiam, quæ hactenus procerum electioni ſuberat, hæreditariam facere inſtituis: ſi in proximos beneficio impenſo perpetuitatem induxeris, tibi in reliquū obligatiores efficeres, vt ad liberos quiſq; ſuos acceptam adminiſtrationem tranſmitteret. Noſti tuorum natales: ſcis non eſſe regno alienos. Fac igitur, tui ſit beneficij, quod aliàs armis poterat vendicari. Mouit regem iam libera poſtulatio: ſed annitente potiſſimùm Roſchildienſi pontifice, bonam Iutij partem accepit, in poſteros legitimo iure tranſmittendam. Aſpirante vere rex expeditionem in Wandalos tergiuerſantes mandat Abſoloni, ac cuidam Magno, primæ nobilitatis viro, Chriſtophoro filio iuſſo inter eos ductare ordines. Igitur Scanienſium, quibus Magnus, Fionenſium, quibus Chriſtophorus, & Sialandenſium, quibus Abſolon præerat, apud quem tamen rerū ſumma conſtitit, nauibus in prouinciam Tribuſanam mouerunt. Tanta tum vicorum fuit aduſtio, vt diu pòſt deſertæ regionis horrida facies remaneret. Iam in littora cū prædis reuerſuro Abſoloni nunciatur hoſtium ſuperuentus. Ille parum feſtinans, lentè procedit ad opportuna pugnæ loca. Venientes ita excipit, vt non veniſſe vellent, nam fugati victoriam illi reliquerunt. Tantus autem inopinatò algor, etiam verno tempore incubuit, vt iumenta terræ infoſſa, à frigore vix ſeruarentur. Reperta in cauernis anguium iam innocuorū ingens fodientibus multitudo, miraculo fuit. Et quāquam Scanienſes præcurrere ſocios temere præſumpſiſſent, orta tamen tempeſtas effecit, vt dilati ſocios nauigationis comites acciperent. Et quoniam multiplex in rebellionem Wandalorum regi cauſa ſuadere bellum in gentem videretur, proxima æſtate magno iterum apparatu mouet in Walogaſtenſes, & vicinos populos, quos cognomine Lenticos appellauere. Communi quidem lingua & moribus Wandali ſunt, ſed hac diſcretione diuiſi à cęteris. Vbi dum rex hoſtes inuadere parat, literis ab Henrico duce monetur acceptis, caueat

Buriſius beneficiū à rege, quod petebat accipit.

Frigoris in ipſo vere magnitudo.

Buriſius regni affectati accuſatur.

ueat inteſtina diſſidia, dum foris belligeratur: nam eſſe domi qui regiũ ſibi nomen requirat. Cui rei ſignum illi ſit futurũ, vt redeunti ab expeditione Wandalica, claſſis Noruagica obuiam ſit ventura. Idem ex Noruagiæ regno regi proditur. Acceſſit Wendilenſis pontificis aſſertio, qui Buriſij milites nouo ſacramẽto diceret obſtrictos, vt quicquid ille tentaret, illi perſeuerantibus animis proſequerentur.

COACTVS tot rerum indicijs rex expeditionem deſerere, in Iutiam adnauigat Buriſium, ſuper cuius nomine iſta nunciata ſunt, apertè conuenit. CAP. 25. Ille ſibi nullius eius rei conſcium fore quàm ſanctè affirmat. Iubetur cum rege cõmorari, quoad nunciorum talium experimenta ſumerentur, incolumem diſceſſurum, ſi vana ſint. Durum eſſe ille refert, capitis ſui ſalutem incertis experimentis committere. Quo verbo etiam ſuſpectior factus, iubetur in cuſtodia, ſed libera, ſeruari. Eius autem rei exitum, ad Noruagię res pertinentem, in ea deſignatum, huius rerum multitudine cõmoniti, libenter hîc tranſilimus. *Lib. 4. c. 30.* Sed per hæc tempora quum rex in aſſiduos hoſtes Wandalos exercitum cõparaſſet, traiecifſetq́;, Bugiſlaus iam ad fidem amicitiamq́; cõuolauit Henrici ducis Saxoniæ: qui comperto quòd rex iam in hoſtico ſolo teneret exercitum, magnis itineribus contẽdit ad Krempinum fluuium, iuxta quem regi colloquium ſuper rerum ſumma indixit. Rex non inuitus eò peruenit. Ibi dux iam tenuatis priſtinæ viribus amicitiæ, regẽ acerbius aggreditur, cur militem ſuum Bugiſlaum, nõ antè coram ſe accuſatũ, bello petat. Rex nihilo mollius reſpondet, nullius ſe reſpectu omiſſurũ, quò minus iniuriatores ſuos bello premat. Si amicus ſit Henricus, æquo illi ferendum animo: ſin eſſe nolit, non hoc regis multũ intereſſe. *Regis & Saxonum diſſidium.* Ita fide pariter cum colloquio euaneſcente, inimicis animis inuicem diſceſſere. Ferunt tamen, inter alios Henrico adfuiſſe primarium è ſuis virum, iam annis grauem, ſed conſilio & prudentia exquiſitum. Ab eo referente auditum memoratur, Henricum, quum puer eſſet, patris morte multorũ iniurijs & damnis ſubiacuiſſe, miſeratos præcipuè viros quatuor pupilli iniurias, ſuſcepiſſe animo vt illum tutarẽtur: ſed ad altare delatum, voto ſe illumq́; obſtrinxiſſe, ſi vnquam compos foret prouinciarum, perpetuum ſe futurũ hoſtem Chriſto perfidis, quoad ſacram eius religionem amplecterẽtur. Vnum ex quatuor iam ſenio grauem, in medio ſediſſe nuper concilio, quum de rerũ ſumma tractaretur, ſtertentem dormitaſſe. Rogatum inter alios quid ſentiret, ductandum in Wandalos reſpondiſſe. Quod erat in corde, ſonuit in ore: quum ea de re illo tempore ne verbum fuiſſet. Ipſum ſe in prælijs aduerſus eam gentem duo excepiſſe vulnera. Si terna denuo poſſet excipere, quàm iocũdum ſe futurum in die nouiſſimo, quum numero ęquata viderentur ſua illis, quæ in omnium ſalutem præferret accepta futurus iudex vniuerſorum.

POST non multos dies falsò regi nunciatur eruptio Saxonum in Iutiam. CAP. 26. In quam præuertendam quum ſe totis viribus comparaſſet, comperta rei vanitate, facilè magnum intermiſit apparatum. Iam tamen is erat regni ſtatus, vt nihil magnũ conari rex poterat, vndiq; circumſeptus difficultate. Inde enim Noruagij infeſtabant, inde Wandali incurrerunt. Saxones quoq; minarum pleni, non diu videbantur quieturi. Sed ex his difficultatibus, paruo rerum momento Dania euoluta eſt. Erat vir in Dania primarius, multa familiaritate Wandalorũ principibus inſinuatus, quòd linguam gentis callens, nonnunquam communium rerum gratia ad illos commearet. *Gothſcalcus aſtutè Wandalos à Saxonũ amicitia diſiungit.* Ille Abſolonem adortus, animo ſe concepiſſe rem non cõtemnendam, quæ patriæ difficultatem reſolueret, aſſerebat. Callere ſe Wandalorum mores, quòd impetu pleraq; magis quàm certa ratione cõſtituant: eſſe propemodum ſibi fidem cum ea gente. Tranſiturum, non legationis officio, ſed proprij inſtinctus cauſa prætẽta, effictis etiam alijs, ſi videbitur, profectionis cauſis: & apud primores gentis (quod ſperaret) effecturum, vt ſocietatis quæ illi cum Saxonibus ſit, finis fiat. Admonet pontifex, ſi id moliatur, proſpiciat ne quid regis aut regni nomine polliceatur: ſincera enim fide, nõ fucis & fictionibus, rem Danicam ſemper conſtitiſſe. Ille ſe omnia rectè curaturum ſpondet, proficiſcitur. Vbi peruenit, ſermonis occaſionem introducit apud eos, qui rem penè omnem adminiſtrant. Mirari ſe, inquit, quo pacto gens illa fortunata ſe in fœdera ſocietatemq́;, imò (vt verius dicã) in ſeruitutem coniecerit Saxonũ ſuperbæ & auaræ gentis, quæ hoc ſemper moliatur, vt

ditionem occupet, terrã imperio premat, Wãdalos ſuos ſeruos habeat. Iam Zwerinum, Illogam, Raceburgam illis abſtuliſſe, nõ quieturos, donec ſummam rerum conficiant. E diuerſo meminiſſe illos poſſe, quæ fuerit eis cum Daniæ regno concertatio, non de imperio, ſed iniurijs: contentum eſſe regem ſua ditione, nihil quærere niſi pacem prouinciarum. Cui ſi gens illa ex fœdere iungeretur, longè illam futuram videri fortunatiorem. Eius generis quum multa ac ſæpe replicaret, peruicit, vt moti primores, omnia Saxonum præſidia, quæ ſuis locis eſſent impoſita, protinus eijcerent: &, vt colorem rebus prætenderent, Daniæ regis nomine illa intentarunt. Ea quum perfeciſſet Gothſcalcus, in patriam eſt reuerſus.

CAP. 27. *Rex Saxons Wandalorũ exitio recõcibatur.*

AVDIVIT rex gentis huius ad Saxones diſſidium: miratusq́; tam ſubitam interueniſſe cauſam, audit ab Abſolone, ſuo cõſilio, Gothſcalci viri fidelis miniſterio rem perfectam, bonam deinde ſpem rerum gerendarũ conſecutam, quum alteros adoriri quàm ſimul iunctos, optabilius videretur ac longè facilius. Henricus autem huius gẽtis in ſe rebellione comperta, eadem arte nixus eſt ad recuperanda, quæ illi abſtracta videbantur. Nam Henricum Raceburgenſem, & Lubecenſem alterum, pontifices, regi mittit oratores, redintegrandæ familiaritatis gratia, filiam eius iuniorem filio regis iungendam exhibentes, (nam quę primò illi deſponſata erat, iam fatis conceſſit) inde ad colloquiũ in Brammenſem prouinciam, quæ Wandaliæ pars videtur, prouocarent. Rex audita perbenignè legatione, quum ad deſtinatum locum ſe accingeret, obuium habuit Guncelinum Zwerini comitem, qui ducis valetudinem aduerſam teſtatus, breui tamen quacunq; ratione poſſet, ad Eydoram fluuiũ ſe regi ferret obuium, colloquio eius, cuius magno teneatur deſiderio, fruiturus. Venit tandem dux in deſtinatũ locum: initoq; cum rege amiciſſimè colloquio, in Wãdalos arma paribus votis inſtituuntur: & quàm primũ potuit rex, copias nauibus impoſitas traiecit in hoſticũ ſolum. Dux Daminam, rex petit Walogaſtum: firmũ oppidum ſponte prętergreſſus, vicina arua populatur. Oſne quoq; oppidi, poſt recẽtem cladem malè reſtituta mœnia iterum deiecit, incendioq́; perdidit renouata. Nec minus à duce terrarum percurritur, vaſtationisq́; plurimũ infertur. Wandali nuſquam ſe in aciem obiecere hoſtibus, diffidentia virium, quòd

Pax auro emitur.

à duobus fortiſſimis exercitibus intercipi formidarẽt. Sed pactione interpoſita, ingenti hinc auro perſoluto, regem ducemq́; placauere. Rex autẽ in patriam reuerſus, Noruagici belli intermiſſam operam excitauit, magnaq́; claſſe inſtructa, duxit

Lib. 5. c. 15.

in hoſtem. Sed quoniam huius etiam rei ſeriem in Noruagia recenſuimus, nihil opus eſt hoc loco introducere. Sed dum rex longinquę regioni bella infert, Wandali Rugiam, in aduerſum longius hoſtem, per contemptum ducere cœperũt, pactorum capita violantes. Proſpexerunt tamen ſibi, vt impune quod facerent eſſet. Virum prudentia & eloquentia pręcipuũ delegere, quem in Daniam proficiſci diſtinendi regis gratia iuſſerant, populi factum benignius interpretãdo, vt bello regem auerteret. Ille quidem operam patriæ bonam impendit placandi regis: ſed erat res apertior, quàm vt tergiuerſatione celari poſſet. Vbi ſe fruſtratum vidit, ſed omni conatu bellum parari, noluit præcurrens infauſtum patriæ bellum nunciare, ſed orabat Abſolonem, vt ſe domeſticũ pateretur, quoad ſua gens operas eius depoſceret. Rex autem magno ſuorum agmine nauibus impoſito, Rugiam aduehitur. Et varijs quidem in locis primùm excurſiones fieri iuſſit, inde totis viribus conuerſus in Arconam vrbem obſidendam, quòd ſuperſtitionem loci illius, cunctis eius gentis accolis venerabilem, euertere in primis cuperet.

CAP. 28.

MAGNIS conatibus rex bellum inſtruxit, certus ſemel prouinciæ imponere iugum, ne deinceps annuis expeditionibus ipſe cum populo fatigaretur. Intentauit autem, hoſticum ſolum ingreſſus, oppugnationẽ munitiſſimæ vrbis in ea prouin-

Arcona Rugia caput, oppugnatur.

cia Arconæ, quæ caput eſſet in ea gente totius ſuperſtitionis, per abominandum idolum quod ibi coleretur. Eam verò oppugnationem qua inſtantia & perſeuerantia rex peregerit, quo labore & ingenio vrbem diu laceratã acceperit deditam, quo ardore templum genti ſanctiſſimum ſubuerterit, idolum Suantouiti frendentibus cunctis cõfregerit, populum impoſitis ſacerdotibus, ſacris Chriſti initiatum ac baptizatum erudiri iuſſerit, vrbesq́; alias ſimili ardore in deditionem acceperit, ſubuerſis

Lib. 5. c. 12.

uerſis ſimulacris: quia diligentius in Wandalia noſtra executi ſumus, hoc loco ſatis duximus, tempora & ſummaria rerũ capita deſignare. Sed inter hæc ſtupor eſt, aduertere quãtum poſſit multorum temporum acceſſio, quid non mutet æui longæua vetuſtas. Rugia tum gẽtis & omnis natiotis (vti ferunt) caput, & omnis Wandaliæ decus eximium, vrbibus floruit Arcona & Carentina, quarum hodie nulla ſunt veſtigia: aut maris exũdatione ſubuerſæ, aut principum ira deletæ, aut tumultuantis populi indignatione ſublatæ, aut in nouam propinqui littoris vrbem, quæ nunc Straleſſund dicitur, tranſlatæ: res enim in obſcuro eſt. Niſi quòd de ſimilibus ad ſimilia facimus coniecturam: vt quomodo cum eadem gente vrbs quondam clara & magna, Magnopolis (gentis vocabulo *Mekelenburg*) in vicinam trãſijt Wiſmariam: ita illius prouinciæ vrbes, & earum habitatores, emigrarint in propinquam Straleſſund vrbem. Sunt enim ambarum exordia nõ longis temporibus diſparata. Militaris generis in Rugia viri quidã in ea permanſere ad noſtra vſq; tempora, quidam in cõtinentem tranſiere, alij etiam cum regibus in Daniam abierunt: quorum ſtirps in hodiernum vſq; diem permanſit. Ex hoc autem tempore in multos annos durauit Rugiæ ad coronam Daniæ ſubiectio, vt ſemper regi fideles militarint, & fecerint imperata. Nouiſſimè autem, quum omnes Wandali reliqui ſuis principibus parerent, ſubduxerunt & Rugiani colla iugo: quum mortuo eorum principe, non relicto corporis ſui hærede, dominium tranſiret ad principem Walogaſti, & deinde Pomerani. Nam Walogaſtenſis principatus, idem Bardenſis dictus, nunc conceſſit in idem imperium ducis Pomeranię. Vnde factum eſt vt Sundenſis vrbs, prius Bardenſi (hoc eſt Walogaſtenſi) principi ſubiecta, cum Rugia nunc vni pareat Bugiſlao principi clariſſimo, quum Stetinenſis, Walogaſtenſis, Bardenſis duces, ſine prole tranſierint in fata.

Rugia diu Danicæ fuit ditionis.

Cap. 29.

1171.

Qvo tempore nuncius & oratores rediere, quos rex ad vrbem Romam miſit, teſtificandi gratia de miraculis quæ ad tumulum diui Kanuti fierent, quo rex patri poſthumus filius natus eſt. Erat autem annus poſt MCLXXI. Tum apud Ringſtadium, vbi paternus erat tumulus, omnem conuentum omnium de regno conciuit rex, literis à ſede apoſtolica proditis. Ibi diuus Kanutus ſolenni precationum genere de tumulo leuatus, aræ cõſecratus imponitur. Quo etiam conuentu rex filium, nuper regio nomine inſignitum Kanutum, nunc & oleo ſancto deliniri, coronaq; iubet inſigniri, gemina patris & filij medius ipſe ſolennitate feriatus. Interim verò qui mare pacatum ſeruare ſunt egreſſi, commonitiq; fuere cautius quàm fortius cum hoſtibus dimicãdum, (quòd callidum genus vbi inſectari ſe conſpiceret, terris ſe tutaretur, ſyluisq; reconditum magno vix labore & periculo adiretur: ſed hoc caſu curandũ, vt nauigia illis adimerentur, aut merſa lapidibus, aut forata protinus inutilia redderẽtur) progreſſi Holandiam peruenere, inſulam Suecis parentem. Et quãquam ea tempeſtate inimicitiæ Danis & Suecis (vt ferè ſemper) eſſent, quia tamen non niſi piratis infidelibus comprimendis exibant, à Chriſtiana gente manus continuere. Admoniti tamen ab incolis ſuper Eſtonũ Curonumq; latrocinijs, quibus locis deliteſcerent, quibus portubus egredi regrediq; ſolerent, in illos ducunt. Cernentes autem memorati piratæ hoſtile agmen mari innauigare, quum impares ſe illis arbitrarentur, magis autem ad prædam quàm pugnam ſoliti, artibus ſuis inſtitere: in terram profugientes, nauigia, vt poterant, ſubduxere in aridam. Secuti Dani, pars nauibus rumpendis inſtitere: alij feruore correpti, in hoſtes, etiam terrã digreſſi, pugnam obtulere, immemores præceptorum quæ illis inculcata fuere: & quamuis fortiter pugnantes, ad vnum tamen cæſi ſunt omnes. Alijs etiam locis ſimili cõſpectu prouocati, fugientes in terram piratas ſecuti, graue quidem prælium diu cõſertum tenuere: ſed ad extremum cæſi perierunt. Conſpicatus Chriſtophorus, regis filius, ſociorum periculum, terris propinquat, vt ſocijs ſuppetias ferat: ſed antequam ille appropinquaret, confecti perierunt. Inceſſerunt autem de promontorijs ducem lapidibus grauiter in periculum obluctantem, nam terris abire non facilè potuit, ventis auerſus. Perijſſetq;, niſi Esbernus Abſolonis frater, qui curam adoleſcentis in primis egit, periculum in ſe deriuaſſet. Nam interius allapſus, propior fit hoſtibus, vt interim Chriſtophorus reſpiraret.

Kanutus annumeratur inter diuos, nepos inter reges refertur.

Dani à piratis bucca dantur.

CAP. 30. *Esbernus grauiter periclitatur.*

CERNENTES piratæ paucitatem hoſtium, multis antè cæſis, in naues ſe inijciunt, Esberno occurrẽtes. Graui prælio conſerto, multi paucos oppreſſiſſent, ſi non viuida virtus ducis ſe tutaretur. Socij eius aut cæſi, aut deſperantes ſalutem, deſilierunt in mare. Mira relatu res eſt: vno comite ſe defendit Esbernus. Sæpius lanceis petitus, lapidibus ictus concidit: ſed reſtituente ſe Chriſtophoro pugnæ, ægre ſubducitur nauibus piratarũ iam ſemianimis Esbernus. Excedit fidẽ Saxonis hoc loco narratio: ideo tranſilienda fuit, vtcunq; factũ eſt. Tum manibus hoſtiũ exuti Chriſtophorus atq; Esbernus, laceras vires ægre tutati ſunt. Sed quũ ea quæ interceſſit nocte, variæ Danos exagitarent cogitationes, alijs fugã meditantibus, Lucas Chriſtophori ſcriba, homo Britannicus, hiſtoriarũ tenaciſſimus, cœpit ſuos hortari verbis vehementibus, Danicam gloriam ante oculos ponere, quàm frequenter exili manu magnas ab illis hoſtium fuſas eſſe copias: in ſola perſeuerantia ſtare victoriã: plurimum ſupereſſe virium, ſi pergãt in hoſtes: magnis animis paratam eſſe victoriam. Incredibile memoratu quãtam alacritatem adiecerit. Nam reddito terris ſole, nihil præter pugnam expetiuere, paucis in loco relictis, qui & claſſem ſeruarent, & hoſtibus fugam adimerent: ipſi aliquantò diuerſius ab hoſtium caſtris in terram exiliũt, & quadrato agmine pergunt in hoſtẽ. Excurrunt piratæ ſine ordine, prioris diei victoria alacres, & terribili clamore edito, infirmiores quoſq; poſtremi agminis vertunt in fugam. Sed qui in acie ſtabant, tanta animorũ pertinacia prȩlium ineunt, vt breui hoſtes in caſtra repellerent: ſecuti pugnã continuare, nihil remittentes. Ibi aliquot ſortibus, priuſquam caſtra expugnarentur, cadẽtibus, ad extremum caſtris iam captis, ad vnum omnes cæduntur piratæ, vt nuncius cladis non ſupereſſet. Dani interim diſtributis inter ſe ſpolijs, quæ opima repererunt, clarorum ex ſuis virorum corpora ſalientes, in patriam reuexerunt, ignobiles eo loci tumulantes. Interim apud Ringſtadium Lundenſis archipræſul, diui Kanuti reliquias in aram euexit, Kanutiq; nepotis regis conſecrationem impleuit. Quod tempus obſeruãtes Noruagiæ regis oratores, gemini pontifices, pacem orãtes aderant. Aſſecutiq; ſunt apud regem, per patris ſacram religionem, perq; filij nouam benedictionẽ exoratum, compoſita pacis fœdera quæ voluere: quorum formã in Noruagia poſuimus. Sed quum Esbernus regem Noruagiȩ Erlingum honoris gratia redeuntem comitaretur, ab illo plurimis arcubus donatus, quũ reuerteretur apud inſulam Oldam, audit regem ſuum iam arma contuliſſe Wandaliam. Rogati ab illo incolæ, ſi quas piratarum naues conſpexiſſent, quadraginta ſe vela in proximum portũ contuliſſe ferebant: ſed piratȩ an mercatorum fuerint, incertum eſſe. Statuit ſub noctem profundo ſe credere, littus vitare, vt falleret ſortè ad prædam excubantes. Sed proditus exorta luna, à Wandalis impetitur. In proram progreſſus, iubet armatos ſe circumſiſtere, telis hoſtem infeſtare. Diu pugnatur, Wandalis ab vna naue plurimũ ſanguinis haurientibus. Semel, iterum, ac tertiò repulſi, quum virtutem mirarẽtur, rogant quis nauis præfectus ſit. Fruſtra, inquit Esbernus, de præfecto ſciſcitatio, quãdo prædæ imminere non poteritis. Captiuorum apud Wandalos quiſpiam vocem agnouit loquentis. Esbernum, inquit, capere non poteſtis. Tum illi partim pudore, partim furore inciti, pertinaciter inſiſtunt vt capiant. Fortiter oppugnati ſe defendunt, donec abſumpta penè tela viderentur. Tum iubet, accepto ſilice vnũ ex ſuis malum inſcendere, inq; ſummitate excuſſo igne flammã oſtendere. Wandali rati ſignum dari ſocijs nauibus, abſiſtunt: ſic in patriam tum incolumes reuertuntur.

Piratæ internecione delete.

Esbernus fortiter Wãdalorũ impetũ ſuſtinens, aſtu tãdem elabitur.

CAP. 31. *Waldemari de perfidis ad Chriſtũ adigendis propoſitum.*

INDVXERAT Waldemarus rex clariſſimus in animum, labori non cedere, quoadusq; gentem Wandalorum Chriſtianis ſacris adigeret, ſimul etiam prædãdi in mari & in inſulis Daniæ finem faceret, qui genti Wandalorũ, ſicut & Danorum, priuſquã Chriſto crederent, quotidianus erat quæſtus. Igitur rex hoc tempore nouam in Wandaliam fecit expeditionem: iam faciliorem nactus rationem belli gerendi, quòd Rugia iam illi pareret, & ad auxilia, quoties vocaretur, prompta deſcẽderet. Iulinum igitur, præclarum illa tempeſtate oppidum in Pomeranis, ſtatuit rex oppugnare, quod crebras inde fieri in mare & in Daniam excurſiones compertũ haberet. Quum autem in vicina eius vrbis veniſſet loca, per Zwinam fluuium (Tacitus Zwenum vocat) ſtatuit oppidũ oppugnare. Sed potis qui traduxit in eam vrbem,

bem, non ſatis viſus eſt oppugnationi fidus: ideo ad contermina vaſtanda diuerſis cohortibus duces excurrerunt, ſi fortè ciues ad pugnam foras elicerentur. Maior autem belli huius difficultas ibi fuit, quòd Dani lacum illum grandem (quem ante maris ingreſſum tria confluentia ibi flumina cōficiunt, Panis, Zuenus, Diuina) iam innatantes, non haberent qui vada diſtinguerent, difficilia loca monſtrarent euitare (eſt enim lacus ille pleriſque locis infidus & innauigabilis) maximis perinde difficultatibus laborarent: interim à circumfuſis Wandalis laceſſiti iaculis. Sed viuida virtus Danicæ iuuentutis omnia exuperat. Duces aduerſæ partis ſe cum agmine oſtentarunt: ſed congreſſionem vitauere. Ille tamen fuit eius expeditionis exitus, vt pro rei difficultate ſatis haberent Dani, ſi ſe modò explicarēt caſſibus, quibus ſe imprudentes ipſi implicuerunt: hoc ipſum pro victoria computantes, quòd inter acerba hoſtium ſuorum odia, incolumes modò in ſua reuerterētur. Quam rem qui plenius noſſe velit, requirat in noſtra Wandalia diligenter explicatam. *Lib. 5. c. 27.*

PRINCIPES interim Pomeraniæ, Bugiſlaus & Kaſmirus fratres, indignati, quòd rex in eorum ditione iſta violentus perageret: quū non ſatis fiderent ſuis ſe viribus in aciem regi obiectare, potentiſſimum Saxoniæ ducem Hēricum Leonem implorauere, vt illius armis à rege Danorum tuti eſſent: renouare cupiētes apud illum priſtinas pactiones, quas plebs incauta, inuitis principibus violaſſet. Dux amplificandę ditioni vbiq; intentus, non grauatè annuit poſtulatis: vnde factum eſt, vt fidentius arma regis expectarent. Sed Henricus dum ſubiectionem quærit (quā illi refugiunt, ſola fœdera depoſcentes) euenit vt nihil inde nouaretur. Rex aūt, quolibet etiam acceſſore contempto, mouit in Wandalos: perque magnum quem diximus lacum, Oderam fluuiū nauigans, Stetino præclaro oppido copias admouit: & magno diu labore oppugnatum oppidum, accepit deditum. Sed quum tempus piſcandorum ſub Rugia halecum accederet, rex ipſe expeditionem libens breuiauit, ne publicis ſubditorum alimoniis obſtarēt. Qua in re perpendi debet, tēporaneam eſſe gratiam in memorata piſcatione, quæ tum ſub Rugia gerebatur: iam verò ab aliquot etiam ſeculis ſub Scania erogatur. Tum verò abiturus rex, præſidia reliquit in ea prouincia, ne reductis (quod verebatur) armis, à fide deficerent dedititij. Eam curam atque prouinciam quum multi recuſarent, Abſolon Roſchildienſis epiſcopus lubens ſubibat. Is non modò propinqua reddidit ſeruauitq; pacata, ſed omne adiacens mare cum vniuerſis Daniæ finibus tutatur. Quam rem in Wandalia plenius explicantes, nunc breui temporum & rerum ſignificatione contenti, præterimus: ne in longum ducta narratio, faſtidio delicati lectoris ſit proxima.

Cap. 32. Pomerani Saxonum amicitiā adverſus Waldemarum ambiunt. *Lib. 5. c. 27.*

QVVM autem Abſolon circūnauigans pro rege, Chriſtophorum regis naturalem filium ad arma acueret, multaſq; faceret Wandalis in mare excurrentibus armorum congreſſiones conflictationeſq;, inter multa prouenit, vt Wagari quoque Wādali, qui tum Holſatis parere coacti, veterem tamen in mari quæſtū non intermitterent, cū nauigatione ob oculos. Secutus Abſolon, in ſuos portus cōfugere perpulit: auſus etiā copias in terram exponere, hoſtibus illis pedes peditibus ingruebat. Qui verò tū Holſatiam, pro comite nuper apud Deminam cæſo, imò pro paruulo eius filio adminiſtrabat, Henricus de Orlemunde comes, Danis ſe de mari aſcendentibus opponebat. Et tum varia quidē fortuna pugnatum eſt: quum Dani ſe de Wandalis ſatis vindicaſſe viderentur, ipſi verò Wandali cum Holſatis pro victoria ducerent hoſtibus obſtitiſſe, ne in interiora penetrarent. Deliberatum tū ferunt inter Holſatos de bello ob eam cauſam Iutiæ inferendo, quòd dux Henricus, ſuperior dominus, longius abeſſet, Imperatorem ſecutus. Et quū variæ in eam rem ſententiæ dicerentur, Bernardus Comes Raceburgēſis ſe inter primos obiecit, ne quid tale per ducis abſentiam tētaretur: non paſſus vaſtari terram, in qua iam plura poſſideret. Coniectura erat, regio illum beneficio ibi iam aliquot feuda tenere: vt ſolēt reges, vicinarum prouinciarum nobiles habere obæratos. Quo etiam tempore rex Waldemarus expeditionem in Wandaliam renouauit: & ducēs in hoſtes, oppido quod primū incurreret, incēſo, omnes ad vnum mares trucidauit. Mirabili autem labore peruenit, paludē tranſiēs intranſibilē: & inexpugnabile viſum oppidum oppugnans, expugnauit. Cuius rei ordinē qui noſſe volet, requirat in noſtra Wanda-

Cap. 33. Abſolonis pontificis res geſtæ. *Iulini devaſtatio horribilis.*

a

lia: nunc Danicis rebus ſatis intercidentibus, hoc loco, breuiandi ſermonis gratia omittimus.

Cap. 34. *Waldemari magna erga Saxonum faſtum modeſtia.*

Interea Henricus dux à Bauaria reuerſus, ad Eydorā regi collocuturus occurrit. Sed iam indignatione rerum per eius abſentiam incurrentiū, pontem tranſire, regemq́; (vt prius) conuenire detrectauit, ipſo in pōte occurſurus: ne ſuperiorem fateretur. Rex tamē dignatione humanior quàm faſtu ſublimior, occurrit: rebusq́; colloquio vtrinq; firmatis, pacificè diſceſſere. Abſolon interim præternauigans littora calculis frequentia, in nauem iuſſit cōportari: nouo præſidio, quod ad portum Mercatorum erexerat, proſpiciens. Nam telorū hoc genus non vile tum habitum. Inde quum eo loci in balneis ageret, audiuit nauis ab Aquilone venientis, veluti piraticæ, inter ſocios fieri mentionem. Intermiſſo quo venerat lauandi impendio, veſtem iniicit, tubicinem canere iubet: vt remiges nauigio, quod promptū ſtabat in anchora, aptarentur. Duas e veſtigio naues perarmat: ille velo, alternis magiſter remis inceſſit. *Abſolon in piratas.* Piratæ velo deiecto, in obliquum, quò venientem Abſolonem ventus non fineret, remigio flexere curſum. Sed comes illos inſequitur, telis inceſſens. Illi primùm in aduerſam partem cōſultò concurrere, quò latus hoſti obiectum, altius muri ſpecie obtenderent. Sed expugnati ex his nonnulli mare inſilierunt, alij præciſis capitibus interiere: quū interim figerentur in palos ad nouum Abſolonis oppidum, terrorē piratis illatura. Per idem tempus Esbernus cum Wethemāno egreſſus, quatuor nauigiis in ſeptem incidere piratarū: conſertaq́; pugna, quum Mirotus ſpectati roboris pugil, Wethemanno confligeret, aduncis (vt fieri ſolet) ferramētis inuicem cohæſere, diuq́; fortuna conflictati ſunt. Ad extremum Mirotus fiducia virium in Danicam nauim tranſiliit: cadentibusq́; cęteris, Wethemannum habuit obuium: cumq́; illo diu colluctatus, quū neuter caderet, in ſuam ſe recepit nauim. Esbernus præteriens, aliis manus iniecit, ſuę fortunæ pugiles permittens. Capti deinde omnes piratę perierūt: ſoli Miroto, ob virtutem, permiſſum eſt vt ęre lueretur.

Cap. 35. *Eſchyllus pontificatu abit, monachus factus.*

Qvo etiā tempore Eſchyllus archipræſul, iā ætate feſſus, rerumq́; geſtarū multitudine cōſpicuus: quū ab negociis iā abhorreret, quod reliquum ætatis erat quieti impēdens, ægre multisq́; precibus à rege impetrauit vt ſuccederet. Petiuit aūt Galliæ cœnobiū, quod Claram vallē dicunt, beati Bernardi, iam recēns vita functi, nomine percelebre. Interea Walogaſtenſes, anguſtias mœniū ſuorum prolatātes, ſudibus in amnē fixis, magnis ſaxis deuolutis, immeabilē hoſtibus amnē fecere. Rex tamen in eam gentē ducere iam annuū cœpit habere: igitur armata claſſe Zuinam ingreditur. Iulinū aggreſſus facilè expugnat, quòd adhuc priſtinæ cladis meminerint. Incolę diffiſi, Caminū magna ex parte cōmigrarunt. Itaq; captū oppidū prędæ ſubiecit, mouēs in Caminenſes. Sed quoniā validior erat oppidi munitio, quàm vt facilè caperetur, in prædam contrahendā agmina ſua rex dimiſit. Inde in Oſnam vrbem duxit: eamq́; obſeſſam terrere voluit. Vbi nihil moti ſunt ciues, excurſione latè facta in Daniā rediit. Verno tēpore expeditionem renouauit. Sed Wādali iam rerū feſſi, oratorem de pace mittunt Pribiſlaū. Hic in claſſem incidit iā paratā mouere ex Dania: magnæq́; pecuniæ interuentu, biennij pacē reportauit. *Chriſtianiſmus in plebem vt ingerendus.* Nihil tamen de Chriſtianis ſacris regioni inferendis in pactis fuit, deſperatione rerū peragendarū. Equidē etſi nonnulli ex principibus iā Chriſto crediderint, tamen vulgus pertinaciter ſuis erroribus inhærebat, nō niſi in manu forti accepturū ſuę ſalutis monita.

Cap. 36.
1187.

Interea Henricus dux Bauaria rediens (erat autem poſt LXXXVII. annus Chriſti millenus centeſimus) regis colloquium apud Eydoram depoſcit. Sæpius (vt fieri ſolet) de finibus deq́; cōmunibus fœderatis ſimultatum cauſæ inciderāt. Quæ res peregit vt crebris reconciliationibus opus haberetur, vtrinque alterutros accuſantibus, quòd non integra fide res conſtiterint. Solent multa intercurrere per miniſteriales, quæ principum culpa vacent. Sed tamē Saxonica leuitas à Danis accuſatur, Danica inuicē perfidia à Saxonibus coarguitur: ita (vt fieri aſſolet) quód quiſque ſuarum rerū non æquus eſt arbiter. Re integrata grata tamen ſocietate inuicē, rex atq; dux amicè diſcedunt. Externis aūt bellis, quæ multa rex geſſit, tum domeſtica inciderunt, inopinanti ſanè. Nam Magnus Erici filius, cum Kanuto & Carolo, qui regi paterna neceſſitudine erant obnoxij, in caput regis coniurarunt, tanto perni-

Waldemaro gratum in ſe conſpiratio nunciatur.

pernicioſius, quòd à Magno (quem Suenonis bello captum nō ſolùm impunitate) ſed magna præfectura donauit) nihil tale formidaret. Emicuit autem proditio per hanc occaſionem. Duo ex ſatellitibus Magni per Holſatiam digreſſi, hoſpitio ſubeunt in caſellam cuiuſdam ſolitarij: nocturnæq́; quietis locum habuere vicina cella, ad cubile hoſpitis, ſolo ligneo intercedente pariete: vt totus ſermo peruius eſſet: idq́; minimè cauentes, libere confabulantur: mirari ſe, regem, tot ac tantis petitum inſidiis, adhuc luce frui: non niſi diuinitatis deſuper ope protectum, poſſe viuere. Nominant coniuratos, exponunt loca quibus patrandi ſceleris inſtituta ſit, ſed diſcuſſa molitio: quoties fruſtrati iterauerint, quoties rex non humano cōſilio, ſed mirabiliter præter ſuam conſuetudinem agens, conatus eorum neſciens diſcuſſerit. Hæc vbi eremita diligenter perdidicit, illis abeuntibus, deq́; hoſpite nihil ſuſpicantibus, cuidam monachorum primario, qui regis curiam inuiſere cōſtituiſſet, detexit, hortatus, vt nulla interpoſita mora rem regi denudet. Rex audiens obſtupuit: memorq́; locorum quæ ille, vt audiuit, retulit, rem ita vt narrauit accidiſſe ſciens, omnia conſonare perſenſit. Tum apud ſe meditabundus, Abſolonem in diuæ Trinitatis ſacram ædem deuocat: cuius conſilio, vtpote fidiſſimi amici, cuncta permiſit. Ibi quum ſederent, iubet adeſſe ſenem, profariq́; quæ antè detuliſſet. Ille Abſolonis vultum reueritus, quòd coniurati quidam magna illum propinquitate contingerent, rex præueniens, Hoc, inquit, te periculo liberum præſto: nihil hunc offendes veritatem conteſtatus. Tum ſenex repetit ea quę antè ſuggeſſit, loca commemorat, dicta & facta recitat. Omnia conſtant quadrantia. Ibi rex, illo egredi iuſſo, miſeram ſuam deplorat ſortem, quòd nulla benignitatis inclinatione, nulla largitatis munificētia auertere poſſit à ſcelere, quos ipſe aut beneficiis iuuerit, aut impunitate donauerit, aut ſanguine proximos ſummis honoribus extulerit. Quid igitur faciat? Differre rem periculo non vacat: præcipitare ſententiā, ſpeciem habet crudelitatis, quando nec dum compertis ſceleribus vindicaret.

Cap. 37.

Absolon nec minus ſuſpiria ducens, diuinis muneribus referēdum ait, quòd inter tot pericula incolumis ſit: rectè illum ſentire confeſſus, quòd neq; præpropera vltio, neq; omnimoda diſſimulatio integritatē illius deceat. Munire latus cuſtodibus interdiu noctuq́;, neque ab armis illos diſcedere: quo coniurati conſpecto, ſe proditos agnoſcant: interim diu latere, quod tam multos habet conſcios, non poſſe. Rex conſilium exequitur. Carolus autem iam antequam res pontifici proderetur, illo interpoſito, prouincialis beneficij à rege gratiam depoſcit, ſiue tegendæ cōſpirationis gratia, ſiue deſperatione perficiendæ. Rex primùm de ſuo fiſco ſtipendia promittit, quoad vberius conſular, tegens vultu ſermoneque quod iam reſcierat. Quumq́; ille Abſolonem iam rerum conſcium perurgeret, ne ille quidem cōſcientiæ ſignum dat: ſed verbis differt, bene ſperare iuſſum. Interea Benedictus quidam, memoratorum Kanuti & Caroli germanus ex patre (cæterùm pellice natus) quum inter commilitones ad menſam regis accumberet, cultellum quem edendi gratia tenuit, ſæpe verſabat, quaſi vulnus facturus: tum gremio recōditum per interualla reſumpſit, regemq́; terribilibus nonnunquam oculis deſignabat. Gertrudis puella, regij filij ſponſa, hęc oculis obſeruans, allacrymata regem admonet. Ille Nicolaum quendam diſſimulanter accitum, menſæ præpoſitum, fortem ac fidelem militem, præmonet, Benedicti geſtus oculis metiatur, manusq́; obſeruet. Interim multorū attentio pudorem incuſſit furenti, & ſecum paratum ſcelus iam agitanti: cultellum loculo reſtituit. At rex Abſolonis conſilium mente reputans, doluit ſe hactenus diſſimulaſſe. Sed tum euocatis in locum militibus, quibus aderat idem Benedictus, compertum inquit ſe habere, caput ſuum multorum, quos noſſet, inſidiis peti: armatos ſemper eſſe iubet, nec proximo fidere: ſcire ſe tamē multos habere fidiſſimos milites, quorum opera fidat: illos præmonitos eſſe iubet, vt validiſſimas inſidias excipiant, nunquam gladiis diſcedētes. Tum milites inter ſe frendere, noxios nudet, morituros, etiamſi regi ſint cognatione proximi, qui ſint ſceleris conſcij. Illa hactenus dixiſſe ſat eſſe ducens rex, vigilare iubet in reliquum. At Benedictus malę mentis cōſcientia, proditam ratus coniurationem, in Iutiam tranſit, Magno quæ audierat detecturus. Ille vbi audiuit, Lubecam adnauigans, Henricum ducem petiuit,

Coniurati rem cognitam arbitrati, dilabuntur.

nullo ſe Daniæ loco tutum arbitratus. Carolus atque Kanutus eodem nuncio fratre perdocti, ad Birgerium Gothiæ ducem exilio demigrant.

CAP. 38. ESCHYLLVS maternus adoleſcentum auus, vbi fugam illorum accipit, ſimul & cauſam audiens feſtinatæ emigrationis, ad regem Wiburgum contendit, nepotum, ſi fieri poſſet, cauſam emendaturus, & veniam, ſi daretur, tentaturus. Rex illum diſſimulata ſuſcipit indignatione: nec pontifex aliquid ſigni edit, vnde ille in ſuſpicionem deueniret. Eſchyllus quoque, ne & ille conſcius rerum videretur, ſilentium agere, quàm ſupplicem ſe fieri pro nepotibus, ſatius duxit. Magnus autem apud Hericum ducem ſedulò agebat, vt reconciliator integritatis apud regem fieri dignaretur, tegens cauſam exilij. Ille autem literis ad regem pro Magno datis, reconciliationem ſeriò procurabat. Rex non reſcribere, ſed nũcium mittere conſultius duxit. Henricum ſtabuli ſui magiſtrum, Saxonicę vocis gnarum miſit, vt doceret qua in cauſa Magnus apud regem delatus eſſet. Ea quum apud ducem præſente Magno exponeretur, ille impudentia armatus pernegare: duellum offert in eam rem deferenti. Hic verò ſe non in eam cauſam teſtatur miſſum, ſolùm aũt vt reum moneat, ſi fidat innocentiæ, patria ſe lege purget. Rogat dux quæ ſit lex purgationis. Ferrum, inquit ille. Tum conuerſus in Magnum, Audes illo innocentis animi periculo decertare? Ille verò, Non ſemper, inquit, ea ſors miraculum oſtẽdit: compertum eſt innoxios aliquando ſic periiſſe. Quid ergo, inquit dux, præſidij à me petis, ſi patriis legibus ipſe diffidis? Paulum meditatus Magnus, addit, Quemcunque exitum res habitura ſit, ſi impunitatis mihi præſtetur ſecuritas, regem adire polliceor. Tum nuncius fidem ſuam obſtringere, ſeq́ vadem fieri promittit, quòd patriis legibus etiam conuictis præſtetur dilabendi facultas. Ille nullius quàm Abſolonis interpoſita fide, verbis ſe credere ait. Nuncius iſta quum ad regem retuliſſet, rex miſſa ad ducem epiſtola. Abſolonis fidem interponit. Gauiſus Magnus, tanta celeritate fertur in Sialandiã, vt prius in Abſolonis domo viſatur, quàm regi de eius aduentu epiſtola nuncia veniret. Superuenit illò & pontifex, Magnum bono eſſe animo iubet. Deinde interpoſita mora, ad dicendũ in Ornſienſi cõuentu cauſam narrare iuſſus Magnus, tantum fiduciæ verbis Abſolonis concepit, vt ſine timore iam in Iutiam ad ſua tranſiret. Sed non potuit malè ſibi conſcius animus conquieſcere. Quippe literæ eius deprenſæ ſunt, quas in regem miſerat, regiq́ allatæ. Ille vbi ex itinerantibus deprenſas, & ad regem perlatas intellexit, apertè queri ſignatorium ſe pridem annulum amiſiſſe, eumq́ ab æmulis repertũ, facultatem illis præſtitiſſe Magni calumniandi. Quam rem etiam Abſoloni prætendebat, iam Scanienſium Sialandenſiumq́ optimaribus ſtipato, in conuentum eunti.

Ferri candentis purgatio.

Magnum cõiurationis criminis affinem, culpã mira calliditate eludit.

CAP. 39. SED defecerat iam Magno fiducia in eundem conuentum eundi. Tanta enim homini trepidatio inceſſit, quæ moribus priſtinis diſſimilis videretur, præſertim quòd priſtinis calamitatibus (vt ferebat) accederet infœlix iſta ſignatorij amiſſio: vnde adulteratæ epiſtolæ, velut illius circumferrentur. Sed Abſolone perſeueranter dicente, etiamſi criminis confeſſionem iam edidiſſet, manere illi abeundi libertatem: credidit, cum illo profectus. Vbi in concionem peruentum eſt, rex omnium rerum in eũ benignitate expoſita, reum agere cœpit læſæ maieſtatis, pietatem ſuam parricidio rependere auidum: quod eius fuga, non violenter ingeſta, ſed à ſolo reatu conſcientiæ profecta, recenter prodiderit. Ad hęc Magnus, ſe non delicti cuiuſpiam conſcientia, ſed minacis nuncij per Benedictum accepti impulſu, dilabendi conſilium accepiſſe: tutius è lõginquo rationem irato regi redditurum. Mirari quo pacto rex cognatum, quem omni ſolet benignitate fouere, in eam ſuſpicionem adduceret. Tantò, refert rex, ingratioris in te animi maleficia coarguo, quò in te ſemper profuſior fui. Inde iubet in mediũ literas dari, alteras iam apertas, clauſas adhuc alteras. Primis Scanienſes hortatur in regem conſurgere, quòd iam multos per potentiam opprimeret: ſe libertatis futurum autorem, ſi quid fortiter audeãt. Alteras Carolo & Kanuto conſignatas, vt in Scaniam ſe transferant, nouis rebus ſtudeant: ſe Iutiam commoturum: futurum vt maioribus prouinciis occupatis, facilè rex opprimatur. Iubet circumferri per manus pontificum ſignacula: vt diſcernant, ſi verè ſit Magni ſignaculum. Res luce clarior ab omnibus iudicata. Sed augebat hominis

Regis accuſantis & Magni ſe purgantis colloquium.

noxiam

noxiam cauſam, quòd tanto ſilentio iam obmutuit, vt ne verbum quidem reſponderet. Tum Abſolon rem interpretatus, nihil mirandum aſſeuerat, ſi magnitudine rerũ inopinata territus fiat elinguis. Igitur iubet pauliſper ſecedere: & amicis quos velit in deliberationem euocatis, reſpõſa maturet. Gauiſus ac perinde reſpirãs Magnus ſecedit. Abſolonemq́; & Tukonem Wendilenſium præſulem, præfatus veniam, aduocat in deliberationem. Is Tuko parenti eius ſcriba fuit atque diaconus. Conuenit vt ſtupore depoſito, vel ipſe, vel per interpoſitum amicum, deliberationis ſpacium in craſtinum poſtularet: idq́; non difficilè impetraturum. Conſenſit rex. Et iam cunctis proceribus regem deducentibus, Magnus Abſolonis latus non deſeruit, percunctatus quod illi defenſionis genus aſſumendum ſecurius videretur. Nullum, inquit, vacat periculo. Nam tot indiciis rem deprenſam purgare difficile: patrias leges ſubire duello, anceps: cõfeſſionem agere, quam nulla veniæ certitudo præcurrit, durum. Magnus, ſi veniam ſpondeat Abſolon, cuncta ſe ex ordine dicturum aſſeuerauit. Si quid, ait ille, ſecretum cõmittis, omnem tibi fidem poſſum & polliceri & exhibere. Cæterùm ne ſacramentalis fides ſecreta, velut ſacerdoti, prætendat, ſuadet: viros fideles & induſtrios ſecreti ſeruatores adhiberi, Sunonem atque Esbernum fratrem. Quibus accedentibus, cuncta pandit ex ordine, tempora locaq́; deſignans: complures nominat. Illum bene ſperare dicentes, iubẽt conquieſcere: nam mollium colloquiorum obſeruanda ſunt tempora. *Magnus ſperata venia, rem prodit.*

Vbi viſum eſt adeſſe horam, regem aggrediuntur: cõtemplari orant cauſæ exitum. Si pernegauerit, non eſſe tutum indemnatum dimittere: nec ſecurum, confeſſionem ſine impunitatis promiſſo agere. Si verò ſponte cõfeſſus veniam impetret, eſſe regi decorum, veniam dare: ſecurum, hoſtes detegi. Spondet rex eorum conſilio acturum omnia, quorũ forti ſemper vtatur opera. Productus in iudicium Magnus, quid reſpondeat rogatus, nihil ille ſe habere quod facto prætendat, niſi regis clementiam: deprehenſum ſe: ſi pugnare contendat, facilè conuinci. Omni ordine geſta confitetur, & genibus nixus veniam orat. Rex priſcæ familiaritatis nobilitatiſque reſpectu, conſurgere iubet, veniaq́; donat, ſed familiaritati non reddit. Miratus tamen, perſeuerat rogare, Méne petitum inſidiis obtruncare ſtatuiſti? Quid, inquit ille, rogitas? Nec animum nec manum nec gladium defuiſſe, ſed fortunam: quo etiam diuina te ſolùm ab alto miſeratio ſeruauit. Ad Kanutum Carolumq́; deinceps mittere mandata interdicit. Ille verò, Si quid aliud comperias, ait, indignum venia ipſe me prædico. Interea ex iis quos ille conſcios detexerat, quia veniam rogabant, vita & rebus donatos in ſecurum abire permiſit. Cap. 40. *Reo confitenti rex clementer ignoſcit.*

Hoc tempore Eſchyllus pontifex maximus, de nepotibus ſuis, exemplo Magni, ſpem veniæ præſumpſit, miſſis in eam impetrandã Abſolone & Aſcero. At illi nihil placitum a rege referentes, præſulem ſupra modum contriſtauere. Aderat per eos dies feſta ſolennitas, quo rex accitis Suecorum primariis, filio nuptias celebrauit regio luxu. Ibi Eſchyllus iam ſenio fractus, regi ſecretius inſinuat ſe rem illi præferre magni ponderis, quam animo recondi precatur. Diu ſe anxia cogitatione deponendi põtificij teneri: iam in eam penitus veniſſe ſententiã, vt quàm primum ponat, regiæ dignationis in eam rem precatus conſenſum. Rex arbitratus illum ſuo nepoti Aſcero ſtudere, quem ſecundũ a ſe in eccleſia præſidem habebat, quemque rex poſtea, quòd conſcius coniurationis fuerit, etiamſi non approbarit, pro eo tamen quòd celaret, exilio mulctauit: nunc tamen diſſimulata re illa, hoc ſolùm obtendit, non poſſe illum inconſulto Rom. pont. preſulatui cedere. In quã rem promptum iam reſponſum Eſchyllus habebat, quòd iam literas teneret ſummi pontificis non modò ſuper renũciatione, ſed etiam ſuper ſucceſſoris electione. Regem obſecrabat vt rem apud ſe maturatam, clam aliis ſeruaret, ne quid nouaretur: & exacto menſe cum omnibus prouincialibus epiſcopis dignaretur intereſſe non ſolùm renunciationi, ſed etiam deſignationi ſucceſſoris. Sed rege iam abeunte, ille ad populum in concionem deuocatum regreditur, dicens quãta illos complexus ſit charitate, qua illi viciſſitudine in ſe grati extiterint: nunc laborum tædio & ætatis grauedine ferre pondus non præualens, abire conſtituat, curam illorum diuinæ miſerationi permittens: a qua & illis in ſe peccantibus veniam, & ſibi in quenquam negli- Cap. 41. *Eſchyllum pontificatu ſe abdicare rex grauiter fert.*

gentius agenti impendi precatur, ſacramento ſibi militiæ deuinctis laxamenta tribuẽs. Suffuderat oculos vniuerſæ cõcionis lacrymis, tam miſerabili voce ꝓlocutus.

Cap. 42. Interim appetebat tempus conſtitutum, & inter primos redeuntem Abſolonem præmiſſis equis hoſpitio inuitat. Non refragatur ille. Vbi primùm ventũ eſt in conſpectum, rogat Eſchyllum, vt quid populum tanta impleuerit mœſtitia ſuo diſceſſu. Ille refert non ſe diutius pondus pro ætate ferre poſſe, exilioq́ue nepotum propriam ſe domum odiſſe. Accedere quoq;, quòd Bernardo Clarçuallenſi quondam abbati ſit pollicitus, pontificale culmen dimittere, priuatamq; quæ ſuperſit agere vitam. Venerat rex cum cæteris ad diem pontificibus: in ædem diui Laurentij conuenitur. Ibi coram cunctis Eſchyllus pontificatus inſignia, baculum & mitram cum annulo, in aram deponit: iubetq́; proferri de ſacrario cuncta quæ ab olim fuerant, quæq́; ipſe addiderat ſacra vaſa & ornamenta. Præfatus, labores & ærumnas, quas pro eccleſia tulerit, Chriſto ſe illa debuiſſe: nunc iam pro ætate veniam ſibi & requiem permitti, quòd amplius nequeat oneri ſatisfacere. Rex verba eius ſubſequitur, etſi crebras cum regibus ſimultates geſſerit, ſacrum tamen pontificale munus, nihil ſe minus impleuiſſe: nunc regem & pontifices Romani præſulis autoritati libenter cedere. Vnum tamen in publicum edere iubet, an vlla ſua denunciatione, aut impulſu, aut faſtidio, vel preſſura pondus detrectet. Tum Eſchyllus directis in aram manibus iurare, & præſentia ſacra teſtari, ſe non odio regis, aut vllius iniuriæ ex eo receptæ violentia, ſed perituri honoris faſtidio, perpetuoq; ſtudio in hoc perueniſſe propoſitum. Grata regi reſponſio fuit, cupienti vera põtificis confeſſione calumniç vitare ſuſpicionem. Tum rex quoque rogat, num diſſimulanter in eos egerit, quos pontifex cenſura diſtrinxerit. Neque hoc factum apertè teſtatur. Tum Romani pontificis literas in publicum legi imperat: quæ hoc habuere, diu ſe Lundenſis pontificis miſſionem petentis votis reluctatum, ad extremum ceſſiſſe, permiſiſſeq́; vt ſua voluntate renunciet. Tum exurgens, publica ſe voce abdicat, pontificaliaq́; ornamenta aræ imponit. Excuſſæ ſunt cernentibus lacrymæ. Tum conuerſus in regem, aliis literis prolatis, legatum ſe docet apoſtolicum pro ſucceſſore deligendo. Auditis & perlectis literis, clara voce denunciat, permiſſam ſibi in ea parte poteſtatem, clero (cui eligendi ius ſit) refundere: ne eccleſiam, cuius ſemper ſit tutatus dignitatem, honore deſpoliet. Rogatur obnixius, vt conſilium ſuum illis nunc (vt ſemper) impertiatur. Rex quoque plebis in ea parte vices peragit: monet vt voce deſignet, quem idoneũ muneri deputet. Tum Eſchyllus, ſe inter diuinam humanamq; formidinem fluctuare teſtatus, graue ſibi fore voce ſignare quod ſentiat. Nam niſi virum maximè rebus idoneum deſignet, diuinæ ſe iræ vltionem metuere: ſin quod ſenſerit edicat, tum ſe hominẽ amiciſſimum, alibi laudabiliter præſulatum adminiſtrantem, grauiter ſciat offendere, quòd honorem illum ſummis conatibus recuſet. Cunctis iam præuolantibus animo quem ſignet, orant tamen perloqui. Et ille, Roſchildienſem, inquit, antiſtitem mihi propinquitate, vobis exiſtimatione notum, deſigno. Tum exurgens Abſolon, imparem ſe oneri impoſito cauſatus, nulla ratione adduci poſſe affirmat, vt eccleſiam ſuam, quam graui labore inter pericula ſeruauerit, & ex tenuitate in ſplendorem qui cerni poſſit, euexerit, deſerat: proinde rem fruſtrandam protinus auertant, de alio cogitantes. Eſchyllus autem clerum Lundenſem, cui deligendi ius eſſet, increpitat, quid ſileant: ipſo ſuas exequente, cur non illi partes etiam ſuas exequantur. Tum illi paribus votis in Abſolonem collatis, non ſolùm voce, ſed etiam iniecta manu, in ſedem ab Eſchyllo vacuatam protrahere conituntur. Primus Eſchyllus prehenſum trahere cœpit: ſecuti illi. Interim ſolennis cãtus in laudem Deo inchoatur, cunctis concinentibus, populo etiam plaudente. Solus Abſolon reluctatur, etiam manu ſe tutatus. Iam res in rixam peruenit. Nam ille pugno ſe tutatus, quoſdam per indignationem abiecit in terrã. Eſchyllus, ne ſe diuinis voluntatibus obuiũ faceret, rogat: rex quoq; vt omnium voluntati cedat, hortatur. Ille ſilentium depoſcens, vbi primum audiri potuit, appellationis vocem emiſit. Tum Eſchyllus, Quando inquit, friuolè obiectaris omniũ votis, noſſe te volo, meam tua, in ſede prima Romanæ vrbis poſtulationẽ fore potiorẽ. Nicolaus quoq; Roſchildiẽſis chori ſenior, ſuper irrogata vi [illegible]

Eſchylli põtificatus ceſſio ſolennis, & Abſolonis ſurrogatio.

Abſolon delectus, militari modeſtia munus recuſat.

pontifici

p[illegible]ci prouocauit. Sed tum in ea re quies interpoſita, miſſæ ſolenni locum fecit. Qua ex ritu feſti ſolēniter peracta, Eſchyllus benedictionis munus in fine officij ad Abſolonem iam legitimè delectū deriuauit. Ille pertinaciter recuſans, ſi non alio, tamen legationis munere ad Eſchyllum pertinere. Itaq; vt contētioni finis eſſet, benedictionē ipſe peragit. At Abſolonē deinde in cubiculū vocans, etiam genibus nixus, precatur cū lacrymis, ne Dei, regis & populi votis tantopere repugnet. Ille propoſiti tenax, ſenem amplexus leuat, indignum ſe vociferans ea precatione. Hic fruſtratus, aliud permolliendi genus excogitauit. Splendidos equites nuper à ſe ſuis ſacramentis dimiſſos, Abſoloni mittit iuſiurandum præſtituros. Ille nihil motus, non ſe eſſe ait cui debeant tanti viri obnoxij fieri. Qua illos à ſe perſeuerātia repulit. Demum in arcanam veſtibuli partem hominem deducens, oſtendit quę relicturus ſit eccleſiæ donaria. Ille animo & oculis auerſus, ſi qua Deo (ait) offerat, non eſſe vnde pœniteat. Tum ferunt excanduiſſe ſenem, Quandoquidem tanta pertinacia obluctaris, minora quàm ſtatueram, eccleſiæ relinquā. Deinde regi aureum poculum dono dat, memoriale perenne: Abſoloniq; nō diſſimile: cæteris inde amicis pro dignitate cuique impertitur: neminem ex amicis indonatum præteriit. Inde corporis debilitate commonitus, quum igne quem ſacrum dicunt, tangeretur, fugam maturauit. Scania abiens, Abſolonis prius excipitur hoſpitio: eius deinde nauigio Sleſwicum vectus eſt. Et quum poculū illi argenteum vicariæ charitatis nexibus offerret Abſolon, Eſchyllus non accepit, teſtatus ſe deinceps nullis talibus vſurū. Regem obuium habens in ponte, quū illi valefaceret, penè defecit. Inde lacrymantiū amicorum amplexibus ægre diuulſus, quum in currum leuaretur (nam equitādi vſum ſenex amiſerat) flens flentes dimiſit. Regis deinde legati cum Scaniis, cogēdi Abſolonis gratia Romam petituri, primùm Claramuallem adeunt, vt Eſchylli literis (cuius non vilis erat auctoritas in vrbe Roma) iuuarentur. Abſolon quoque cum choro ſuo, refellendæ poſtulationis gratia, nuncios cum inſtructione miſerunt.

INTEREA quum rex cum proceribus Roſchildiæ ſacram Paſchæ ſolennitatem perageret, Scaniæ præfectus Toko regi defert magnatibuſque, Magni, necdum quieſcentis, nuncium celeri curſu tranſiſſe, adeò omnium oculos præteruolantem, vt detineri haud poſſet. Vnde Baltici maris omnia littora cenſent occupanda: vt interceptus, quid rerum moliatur patefaciat. Neque enim leue poteſt eſſe quod tanta feſtinatio peregit. Adulpho cuidam, propter littus Baltici maris, negocium datur, vt reuertentis hominis, cuius habitu corporis & veſtium facta ſignificatio, veſtigia ſeruet. Ille militum manu accepta, eaq; locis opportunis ſparſa, inſinuatum hominem intercepit. Magnus adhuc regis curiam ſequebatur: qui quum de his rebus perquireretur, ſumma cum diſſimulatione rei ſe conſcium pernegauit, venia indignum ſi comperiretur. Deprenſus nuncius, quum diu perſtitiſſet, negans, ad extremum minis quæſtionum intentatis, vbi euadere non potuit, rem detexit: nullas ſe literas, ſed dimidium lignum, cuius altera pars apud Kanutum & Carolum ſit, ſe ſigni loco gerere. Ea ſumma eſt in Danis fidei teſtificatio. Rogatus ſuper Magni nomine, conſcium aperit & detegit: nuncius Abſoloni ſeruandus traditur. Interim Magnus latibula circumſpiciens, opera Nicolai ſtabularij extrahitur, Tobernique cuſtodiæ in vrbem Laterenſem mittitur, carcere marcerandus potius quàm morte mulctandus. CAP. 43.

Magnus ad ingenitam perfidiā reuerſus, in vincula cōiicitur.

EA tempeſtate Wandali ſæpe fracti, ſæpe victi, etiam pacti, quum armis Danorum pares eſſe nō poſſent, à rebellione tamen minimè abſtinuerunt, durante odio penè natiuo nationum. Nam & veterem quæſtum ſuum, adhuc Chriſto perfidi Wandali, intermittere non potuerunt, dulcedine prædæ ineſcati. Victi terra mariq;, redibant in idipſum. Deprehenderant tum in mari nauem regi Waldemaro deferentem arma plurima, & reliqua ex ſocero xenia. Eam rex magnifaciens, cui precium & æſtimationem vehementer adauxit mittentis affectio: ſimul & cōtemptus nominis ſui in Wandalis, angebat regē toties illorū victorem. Ergo mittit oratorem ad Pomeraniæ principes, quorum portubus cōſtitit egreſſos prædatores, repoſcentem quę adēpta dicerentur, nullius antè belli facta denunciatione. Poterant ignorare principes, quæ in latiſſimo mari, ab ſuis incertū, an ab alienis patrarentur: CAP. 44.

Wandali nauē regiam prædantur.

Qui miſſus fuerat, ſine magno fructu redierat, verba pro verbis referens. Ad arma erat redeundum, vt exprimeret bellicus labor, quod quieta poſtulatio non impetrauit. Mirum ſic eſſe natura comparatum, vt littore maris habitantes, ad piraticam ſint improbitatem cæteris propẽſiores. Quocirca Cn. Pompeius quum maris purgandi ab Romanis, illa tempeſtate latè imperitãtibus, accepiſſet poteſtatem: ſemel ac iterum edomitos Iſauricos, quum mari arcere non poſſet, ſuperatos tranſtulit in mediterranea: vt longè ſubmoti, non haberent in oculis quod ad prædam inuitaret. Identidem Wandalis factum cernimus: quos Saxones nouarum vrbium habitatores, ad mediterranea detruſerunt, dedignati intra vrbes, etiam in officiis vilibus agere, iam nunc ad eximiam paucitatem redactos. Huius autem expeditionis exitum in Wandalia requirat, qui ad plenum id noſſe velit.

CAP. 45.

Abſolon dignitatem quam recuſauerat, ſubire compellitur.

PER quod tempus, veteri iam diuturnoque in Romana eccleſia per Romanorum Imperatorem Fridericum conſopito ſchiſmate, Alexander verus & indubitatus Petri ſucceſſor agnoſcitur. Apud quem Lundenſis eccleſiæ Abſoloniſq; perſonæ cauſa, vtrinque pari partium inſtantia diu agitata, illũ accepit exitum, quo vtrique poſcentium ſaus fieret. Nam miſſo in eam rem Galando legato, perfecit vt Abſolon Lundẽſis archipræſul & eſſet & haberetur, priorem tamen eccleſiam ſeruaret commendatam. Galandus in prouinciam veniens, clerum Lundenſem Roſchildiam euocauit: ibiq; mandata peregit apoſtolica, minatus execrationes terrificas Abſoloni, ſi repugnaret. Deinde in eccleſia metropoli pallio illum honeſtauit. Aſtititq; ſacro miniſterio, quo nouu. metropolita Homerum Ripẽſis eccleſiæ electum conſecraret epiſcopum. Ita & regis & cleri, populiq; impleta ſunt vota. Aſſecuta eſt quod volebat Lundenſis eccleſia: non deficit tamen Roſchildienſi: quæ illo ne careret, neque ſumptibus neque laboribus duxit parcendum Romanus legatus hybernis in regno peractis, accepto tempore Romam regreditur.

CAP. 46.

Regia claſſis in Wandalos ducitur.

HIS ita compoſitis in regno, regem adurebat recordatio accepti nuper à Wandalis damni: magis autem contumeliæ irrogatio, cui necdum ſatis pœnarum expendiſſe viderentur. Igitur renouata expeditione, ſolis Iutiis ſeptentrionalibus veniam remeandi permiſit: cæteri cum vniuerſi regni viribus egredi conſtituunt. In quibus Fridericus Sleſwicenſium antiſtes, infœlici auſpicio ducens, quum pleniori velo quàm ferret nauigium incederet, ſubuerſa naui cum omnibus periit. Necdum repertum eſt corpus antiſtitis, quum cætera tollerentur: inuentum aũt multo pòſt tempore, nulla corruptionis documenta prodebat: quæ res ſanctitati eius adſcripta eſt. Abſolonem tamen amici mors priuatim magno luctu contigit. Rex collecta iam claſſe vires probauit: ſed iam ingraueſcente ætate, domi manere conſtituit, Abſolonem Kanutumq; filiũ rebus præficiens, pręfatus quòd illorum victoria æquè magnam gloriam, detrimentum minorem ignominiam referret. Illi itaq; cum legionibus nauigationem ingreſſi, aucti etiã claſſe Rugianorum, Oſtroſnam vrbẽ aggrediuntur: tam inexpectati hoſtibus, vt antè prouincia popularetur quàm reſciſſent, niſi quidam incautius incendia miſcuiſſent. Germarus Rugianorũ princeps, quum duo eius gentis hoſtes in ripa decurrerent, intento arcu alterũ proſtrauit. Cuius ſocius vindictam meditatus, quum viciſſim iacientem arcu petere ſtatuiſſet, videns Rugianorum eſſe principem quem peteret, arcu proiecto in fugam ſe coniecit. Tantum in ea gente principibus venerationis impenditur.

Walogaſti obſidio.

Inde Walogaſtum petiuere, ponteq́ue ſuperato mœnia oppugnauere. Sed tardum militiæ genus faſtidientes, excurſionibus tam latè inſtiterunt, vt qua parte hoſtis occurreret, haberẽt incertum. Cernentes autem Wandalorum principes vitiũ ſuarum imparitatem, colloquiũ de pace poſtulant: nec detrectauere Danorum duces. Ibi Cazimarus princeps verba faciens, parui ſe pendere teſtatur, paucorũ iugerum vaſtationem: facilè ſibi gentiq; ſuæ in ſuperiora Pomeraniæ loca, quæ vel latiſſima ſunt, receptum patere: aliis tamen ſe cauſis de pace ſermonem introducere. Nicolaus Falſtricus non tulit iactantiam, ſed protinus refert, fruſtra de prouinciarum latitudine gloriari: quando & ſuperiora a Polonis, & citima a Danis infeſta ſentirẽt. Inde propius colloquia admouent optatæ paci.

Pacis conditiones.

Nam & oratores regis, quos captos tenuerunt, ad vſque libertati donare: & duo millia talentorum in compenſationem ab-

latorum,

latorum, Abſoloni quoque atque Kanuto ducibus centum libras nummûm ſe daturos conſtituunt. Abſolon ſeorſum vocatis Danorum primoribus, cõditiones offerri dicit ſpecie magis quàm re placituras. Siquidem pactione interpoſita pacem reportare, regem ære magno augere ſpecioſum quidem: ſed longè ſpecioſius, penè debellatos hoſtes ad iuga cogere, deditionem exprimere. Tamen ſe ſuo arbitratu nihil cõſtituere: in illos reiecit electionis arbitrium. Omnes penè elegere, vt his cõditionibus, quæ illis fauoris plurimùm parerent, ſatis afferrent gloriæ, vterentur. Ita conſtituta pace reuertentes, expeditionem ſoluere. Præmiſſus Esbernus regẽ optato implere nuncio, vbi ex ipſa venatione veniens, paucas conſpicatus naues, fugam primò ſuorũ putauit. Sed audiens rei exitũ, nuncium ipſum magnificè excepit, ducibus gratias habuit, legiones collaudauit. Per quæ tempora Kanutus & Carolus exules, in Hallandiã quibus poterant copiis cõceſſere: ſperantes incolarũ fauorem. Quem vbi non perſenſere, retro cedentes, aciem inſtruxere nemore vicino, quod Gothiam dirimit ab Hallandia, ad fugam freti. Sed tamen ea pugna illũ habuit exitũ, vt captus Kanutus in carcerem iret, ad Magnum coniurationis ſocium: Carolus exceptis vulneribus, paulò pòſt repertus eſt ſeceſſu non longinquo mortuus.

Cõſpiratio-nũ cũ Magno participes.

HOC erat illud tempus, quo Henricus Saxonum dux, offenſo grauiter Cæſari, ob negata in obſidione Mediolani arma, ex ipſa Bauaria fugatus cederet, auxilia in eum circumſpiciens. Igitur euocato rege in colloquium ſuper Eydoram, iam non dubitauit pontem tranſire: quem antea faſtu inflatus, quum regi non cederet, ſuperare recuſabat. Adeò ſuperbiæ neceſſitas imperat. Vbi vẽtum eſt in colloquium, arma rogat auxiliaria in Cęſaris ſuperbiam, multis verbis accuſatam. Rex præfatus, ſe nullo vinculo illi iam eſſe obſtrictũ, quem Henricus toties poſthabuiſſet: tamen ſi paritum fuerit conſilio, non defuturũ auxilium. Percunctatur quod ſit illud conſilium. Tum rex, Si primùm cœleſti Imperatori recõcilieris, arma tibi in terrenum poſſem polliceri. Alioqui illo tibi aduerſante, tu cum omnibus auxiliis hoſti eris ludibrio. Eccleſiarũ bona quæ pontificibus à te feruntur detracta, ſi reddas, auxilio tutum dimittam. Ille refert, plura ſe ab Epiſcopis beneficij nomine tenere: quæ ſi reddenda forent, ipſe nudus reſideat. Adiecit conuicij nomine, corraſæ attonſæq; ceruicis homines, non tanti apud ſe eſſe, vt vltro opibus careat. Tum regem orare, ſi arma non præbeat, recuſationem tamen clàm habeat, ne ſui à ſe deficiendi ad Cæſarem inueniant occaſionem. Infecta re rediit. Regreſſis inde Danis, mirũ dictu prodigium incidit. Nam infinitus murium grex collectus, ſpõte mergendum ſe aquis intulit: miraculoq; fuere cadauera littoribus appulſa. Abſolonis veſtem ſorices ea nocte roſerunt. Præcinuerunt ſuperſtitioſi rem magnam portendi. Quũ verò grauis tum in Scania tumultuatio, quòd tributis, collectis & exactionibus plebs grauaretur, exorta nunciaretur, futuri præſcij credebantur ſuperſtitioſi. Quotidie aũt ingraueſcentibus malis, in conciones clamoribus plenas, præfecti multitudinem placare aggreſſi, fugantur: & niſi ſacris ædibus recepti, tuti non erant. Mittitur legatio archipræſuli, vt veniens tumultum manſuetudine & ſuaui oratione comprimeret: ſine eo enim audiretur nemo. Diſſuaſere amici, rem dicentes cõpoſitam à primoribus, vt capiti eius periculum immitterent. Sed publicæ ſaluti regiæ incolumitati, ſuam poſthabuit. Perductus in concionem, primores habuit auſcultantes, quum ſe errata emendaturum polliceretur. At longinqua multitudo, quæ orãtem exaudire non potuit, clamore excitato rem diſpulit. Archipræſul rem maiorem, quàm quæ verbis pacaretur, conſpiciens, præfectos coarguit, quòd ſe mendaciis prætentis in periculum deuocaſſent. Tamen multitudinem partiendam ratus, trifariam diuiſit, indicta primùm concione in Auſtralibus Scanię. Qua etſi primò grauis clamor eſſet, quendam ex regiis officiis, maximè à populo incuſatum, ſibi proximum conſidere iuſſit, vt periculo eximeretur. Ita concitationem placauit, vt ea pars populi etiam grates pontifici quieta perſolueret. Tum apud Album fontem grauiorem audit conſurgere tumultum. Pręmiſſis qui populum pacatis verbis ad audientiam inclinarent, quum vidiſſent opinione ſua grauiorem, indignantibus non auſi proferre mandata, conticuere. Id autem dolo an metu fecerint, incertum eſt.

CAP. 47.

Saxonis faſtũ neceſſitas minuit.

Murium ſponte ſe mergẽtium prodigium.

Abſolon ad plebem tumultuantẽ prodire non dubitat.

PONTIFEX aũt vicinam inſulam, tutamento proſpiciẽs, inſedit. Aucta mirum CAP. 48.

eiis & criminationibus agendum. Id ſibi rex curandum deſumit, gratias agẽs, quòd voto pareat. Militiam quoque eius regis expeditioni iungendam depoſcit: non reluctatur. Sed milites charitate pontificis ſui, iam oculos pro indignatione lacrymis ſuffuſi, apertè queruntur ſe aliena ignauia, non ſua, herum ſuum relinquere coactos: cuius auſpiciis vbique victores, etiam nunc inter aduerſa nihil aut laborũ aut periculorũ recuſent. Retro abeunte cum paucis pontifice rex procedit, vbiq; graues conciones expertus. Nam vbi armata conuenit, Iutij qui regem circumſtetere, plebem collaudatam grauius inflammauere: malè de rege meriti, cuius partes adiuuare venerant, impedientes.

Cap. 50.

INTERIM defectis comeatibus rex primores iubet adeſſe in Sialãdia, vbi præſente pontifice, in cuius caput omnia referebantur, cauſa tractaretur. Reuerſo regi pontifex occurrit, Scanicæ plebis oratores adſunt: cauſa inſtituitur. Ibi Abſolon tanta dicendi copia refellebat obiecta, vt facilè quiuis intelligeret eſſe friuola quæ intentarentur, ipſique oratores innoxium faterentur: ſed ad plebis conſilium cuncta relaturos, ſine quo nihil illis conſtituendum. Reuerſi, rem ipſi deteriorem fecere. Coactus pontifex ſuo in contumaces vti gladio, ſacris interdixit vniuerſæ prouinciæ, quoad decimas perſoluerent. Ea mandata ad clerum perlata, populo erant publicanda. Conuenit magna multitudo ad ædem in Lundia diui Laurentij. Ibi duo ex clero pontificis mandata plebi inſinuare procedunt. Plebs autem nihil moderata ſibi, binos ad clerum viros remiſit cum mandatis huiuſcemodi, clerum populo, non pontifici, ſua alimenta debere: niſi officia in eccleſiis peragerent, patria cederent. Neutrum facientes, non ſolùm rerum amiſſionem, ſed membrorum etiam truncationem demorarentur. Ad ea clerus, neque ſe exilij neque paupertatis metu, neque etiam trũcationis aut mortis comminatione auerti poſſe, quò minus pontificis imperata facerent, quæ & honoris & æternæ ſalutis ipſorum detrimenta, ſi contemnerent, inducerent. Tam conſtanti cleri reſponſo emollita plebs, minas prece mutauit, ſuperſederent ſaltem executioni, quoad Abſolon ipſe peteretur. Facilè conſenſere. Pontifex quoque petitas inducias non recuſauit, clerũ ſuum pro cõſtantia remunerans: interim tamen nihil à plebe emendatur. Aſpirabat vernum: & peracto ſacro ieiunio, chriſma cõficiendum erat à pontifice. Rex cum expedita manu Scaniam petens, Iutios, Fionenſeſque, plus detrimenti quàm profectus aliàs procurantes, omiſit, cæteris militibus ductis. Scanij vbi audiuere adeſſe pontificem, mox miſſo de more per omnes ſtipite, qui conuentus mandata præferat, libertatis prætextu ad arma conciuerunt. Aquilonares cum Hallandenſibus agmine denſo mouent in regem. Rex à pontifice rogatus, vt fuſtibus quàm gladiis rem agere mallet, hominibus, non canibus ſe conflictare reſpondit. Cõcurſum eſt ad pontem apud Dyſiam: conſertoque prælio diu pugnatum eſt, dum illi trãſitum pontis petunt, iſti reſiſtunt. Non contemptibiliter pugnauere agreſtes. Sed archipræſulis milites immiſſis equis, flumen aut vado aut natando tranſiuere: repulſiſq; hoſtibus, tranſitum regiis aperuere. Non tum diu hæſit victoria. Nam fugati cæſique, ac partim merſi tumultuantes Scanij, contumaciæ ſuæ pœnas dedere. Vix rex Lundiam rediit, audiuit Oriẽtalium quoque magnam manum iuſti exercitus ſpecie tendentem. Nihil moratus, obuiam ire contendit, Lundienſes ſequi iuſſit. Audit depoſcere tributorum laxationem: annuit rex, tempori inſeruiens. Sed illo educente poſtremi egrediuntur: non longè tamen ab vrbe deſident. Sequi iuſſi, vrbis ſuæ cuſtodiam agere reſpondent: opus eſſe, ne capiatur ab hoſtibus. Rex ducit in hoſtes iam pontem occupantes, multiſque cõgeſtis lapidibus illum tutaturos. Sed rex vado, non ponte tranſiens, ſuperuenit palãtibus: & inermem multitudinem facilè diſſipauit. Nec longùm morati, proiectis armis manus tendunt, veniam rogant. Rex iam à pontifice præmonitus, non difficilis ad impertiẽdam gratiam fuit. Inde per omnem Scaniam exercitum circumtulit, obſides accipiens: facileq́ue ad omnia paruere, præter decimarum iura, quæ pertinaciter orabant aboleri. Rex motus tanta populi inſtantia, verbum facit pontifici de abolendis decimis, quibus tantopere reclamet omne regnum: prouidendumq́ue ne caſus incidat Kanuti Otonienſis, ob eam cauſam oppreſſi regis. Pontifex nihil ſe relaxaturum de iure

Abſolonis purgatio, et de ſoluendis decimis inexorabile decretum.

Tumultuãs populus cæditur.

Idem accidit Orientalibus.

De decimis nihil remittendum.

diuino reſpondit: ſi omnes etiam diſcedant, ſe executurum quod prædeceſſores mollius attigere: & ne regem in periculum ponat, remittit illi omnẽ pro ea re ſollicitudinem. Adiecit rex, gratiis actis, vt dilationem etiam exigendarum faceret, ne conſilio rex communicaſſe videretur.

Cap. 15.

Henricus Leo fortunis à Cæſare ſpoliatur.

Hæc ſunt illa luctifica Henrico duci Leoni tẽpora, quum ille pulſus à Cæſare Bauaria, deſcenderet in Saxoniã, quum (vti diximus) pertentato ad fœdera Waldemaro rege nihil impetraret. Venerant regi tũ ab Imperatore nuncij, qui hoc ipſum agerent, ne ſe Henrici rebus implicaret, & de iungẽda affinitate inter liberos vtroq́ue. Cui negocio nõ ſatis propẽſum inuenere regẽ, quòd meminiſſet quo modo à Cęſare de longinquo euocatus haberetur. Regina tamẽ magni faciebat Imperatoris affinitatẽ, orans coniugẽ, ne rem tantam antiquaret. Sed vt plenius de omnibus interloquiũ fieret, poſcebant Imperatori regẽ obuium fieri ad Trauenã, quum eſſet Cæſar in Saxonia, deſcenſurus in Lubecam. Quæ omnia ex ordine implentur. Venit obſidere Lubecã Imperator: de mari rex illi occurrit. Fiunt obuij: conſalutãt ſeſe, & rem ex ſententia conſtituunt de futuris alternæ ſobolis nuptiis. Eam rem quia in Saxonia & Wandalia pertexuimus, nunc ſola tempora ſignaſſe nobis ſat ſit.

Lib. 6. 43. Et lib. 6. c. 15.

Cap. 52.

Sed dum in Wandalos renouaretur expeditio, eaque per Iutios euaneſceret, ipſe Abſolon cum regio filio regem petit. Ille iam de feneſtra proſpectans redeuntes, ominatus eſt deteriora: quæ res etiam morbum regis pridem contractum auxit. At ingreſſo ad patrem filio, ita Waldemarus vultũ ſeruauit, vt morbum omnino diſſimularet. Vocato tamen poſtea Abſolone, ſacræ pœnitentiæ amplexus remedia, eccleſiæ ſalutaribus ſacramentis ſe ad exitum præparauit. Omnes quidem meliora ſperabant, ſolus Sueno auguratus eſt regem non diu ſuperfuturum: Kanuto circumſpicienda omnia, ne quid illi noueretur. Vocatus è Scania Ioannes quidam abbas, medicinæ iactantior quam peritior, regem nihil mortiferum pati, breui conualiturum denunciat: confectis in medicinales modos potionibus, atq́ue aliis eius generis collyriis, bene de illo promittit. Opertum deinde veſtibus, quum ſudore diffluere videret, ſalutare fore liquamen teſtatur. Sed ſtatim ſine voce viſum, iuſſit operimento continuato ſudorem non intermittere, quas inter operas ſpiritum efflauit. Ingreſſi, ſoporatum putauere: ita nihil color variauit, ſed paulatim pallore ſublabente, extinctum viderunt. Quantę omnis generis hominum lacrymæ, communem patriæ patrem plorauere, agreſtes, ciues, milites, matres, atque pueri communi planxere luctu. Ringſtadium funus ad patrios ciues defertur. Ibi Abſolon ſacra peragens lacrymis aram ſparſit, tantoque luctu oppletur, vt vix preces continuaret. Longa familiaritas & viſceralis amor hoc mœroris genus etiam viro forti imperauit. Sic commendatus quieſcit rex ſempiterna dignus memoria. Cuius res geſtas diffuſius in Saxonia noſtra peregimus. Saxo quidem in eius rebus deſcribendis iuſtæ hiſtoriæ legem impleuit, vtpote ſuorum temporum acta perſcribẽs, quæ viuo Abſolonis teſtimonio potuit perdiſcere: in aliis autem regibus, quòd annales ſobrios haberet, breuius cuncta executus. Ergo quòd verboſiores ſolito fuimus, autori tribuatur, quem in hoc rege commemorando, tanquam diligentiſſimum, non putauimus deſerendum.

Waldemari mors, medico ſalutem pronunciante.

ALBERTI KRANTZII
DANIÆ LIB. VII.

Cap. 1.

Kanutus Scanijs parum pacatis ſtetur.

Kanutus filius, etſi regium nomen & oleum ſacrum iam viuo patre meruiſſet, non tamen potuit non timere, ne quæ ſæpe patrem iniqua fortuna iactauerit, ſibi quoq́ue aduerſariam concitaret. Peractis iam rite in funere patris ſacris, Iutiam contendit, paternos amicos & milites ſibi conciliaturus, quòd ea inter potiores regni partes, parẽti eius crebros excitauit labores: præſenti autem rerum ſtatu, amicior videbatur prouincia: quòd

Scania recenti clade alienos ferre animos videretur. Igitur apud Wiburgum concione contracta, proſperos exitus habuit, cunctis in nomen eius ſacramenta renouantibus, operamq́; in rebelles pollicentibus. Apud Vrnam nonnihil turbæ expertus eſt, ſed maiori parti cedens, facilè comprimi potuit. Apud Scaniam longè alia rerum facies. Nam populus à recẽti clade quam accepit, necdum reſpirauit, ſuſpirante vnoquoq; chariſſimos affectus eorum, quos in prælio amiſerat. Igitur ad regis nunciatum exitum, ad libertatem proclamauere. Ad quem tumultum accitus Abſolon archipræſul aduolauit, in ipſo primordio incẽdium, ſi poſſet, oppreſſurus. Tentauit in concione placare populum: ſed quamuis dulciſſimè loqueretur, præcordia mouere non poterat eorum, qui regium odium imbiberant. Vbi ſe fruſtra conari vidit, rediјt in Sialandiam. Seditionis autores (qui ex nobilitate fuere) plebeios dulcedine prædæ ſibi conciliabant. Direptæ procerum domus, Tordonis atq; Esberni, vix elaberetium. Cæteri illorum exemplo territi, rem familiarem in amicorum fidem collocarant, ipſi ſibi fuga conſulentes. Nonnulli ſupellectilem ſuam mari quàm tumultuantibus credere maluerunt. Interea factionis principes, quum intelligerent priore bello rem ſine duce infeliciter ceſſiſſe, Haraldum quẽdam regij ſanguinis virum, ſed neq; animo acrem, neq; lingua promptũ, neq; viribus pollentem, ſolùm quòd regio ſtemmate duceret ſanguinem, è Suecia deuocantes, regem appellant. Regij ſatellites atq; archipræſulis in Scania, miſſis nuncijs & epiſtolis, regem atq; pontificem de rerum ſtatu docuerunt. Sed re longius ducta, quum memoratus Haraldus regis Sueciæ, ducisq́; Byrgerij armis in Scaniam veniſſet, auctus eſt populari concurſu: primaq́; illi opera fuit, Lundiam metropolim obſidere. Fluctuabant incolæ inter medios, dubij cui inclinarent. Tamen obſidionem ferre cœperunt, demum cum victoribus, quicunq; forent, partem iuncturi.

Haraldum regem ſeditioſi ſibi præficiunt.

INTEREA equites memorati pro rege atq; pontifice adunati, quum fruſtra foris auxilia demorari viderẽtur, inuicem ſe cohortantes, impetum faciunt in hoſtes, iræ magis quàm militari diſciplinæ indulgentes: tantoq́; feruore ducunt in obſidẽtes, vt illis nullus eſſet reſiſtendi animus. Maius à vento obſtaculum quàm ab oppugnatis ſenſere, quòd ille impetu magno clypeos reiecerit. Igitur vulgus promiſcuum cum rege ſuo fugam init: magna pars capitur. Lundenſes egreſſi victos perſequuntur, gratiam regis & pontificis ineuntes. Sed neq; ea conſternatio ad quietẽ turbidos inclinauit, quò minus inita conſpiratione tractarent de nece procerum & omnis nobilitatis, quibus quia adunatis pares eſſe non poterãt, ſingulos adoriri ſtatuerunt. Sed confregit hanc molitionem archipræſulis aduentus cum armatis cohortibus, qui ſignis clam habitis populum in concionem deuocauit, placidaq́; oratione ingreſſus, non ſolùm à ſeditione reuocauit, verùm etiam leges per tumultum antiquatas renouauit, coëgitq́; vt Haraldum abſentem, quem adulterinum regem dixiſſent, manifeſtis ſuffragijs abrogarent deteſtarenturq́;, vt non ſolùm armis victus, ſed etiam ſuffragijs eſſet condemnatus. Nemo iam mutire audebat, principibus factionis iam ſe ſilenter in turbas miſcentibus: quòd ſæpe armis victi, nunc, etiamſi occurrerent, vincendi, nullam ſpem præterquam in tranquillitate & ſilentio ducerent. Abſolon rebus compoſitis, Esbernum fratrem regi cõſternato nuncium mittit ſuper reddita trãquillitate. Rex iam cum exercitu è Fionia mouerat, propius acceſſurus. Qui vbi Esbernum de longinquo agnouit, tetrioris fortunæ nuncium interpretatur: propius autem factum, quum pacem nunciaret, perbenignè habuit, cumq́; illo in Scaniam nauigauit, primamq́; eius partem Froſtam incendio vaſtaſſet, ni pontificis interuentu rex precibus motus abſtinuiſſet. Ære tamen mulctati ſunt à rege, quotquot factionis Haraldianæ rei ſunt depreheſi: veniamq́; dedit Abſolonis precibus multis, qui ſanguine ſuo crimen expiaturi viderentur. Sed noluit bonus adoleſcens primordia regni à ſæuitia mutuare.

CAP. 2.

Seditioſorũ exercitus profligatur.

Haraldus abrogatur.

Moderata in ſeditioſos animaduerſio.

INTEREA multis Cæſaris literis & interpellationibus curiam inuiſere iubetur, vt paternæ familiaritatis promiſſionisq́; iura conſequeretur, tenere illum quid de Wandalia parenti eius ſit pollicitus. Sed Kanutus, per amicos commonefactus, parentem nõ magnopere lætatum de Cæſaris viſitatione, reſcripſit ſe regni rebus nouis implicatum abeſſe non poſſe, multa proſpicere, quæ per abſentiam eius nouari

CAP. 3.

Kanutus ad Cæſarẽ, licet accerſitus, nõ venit.

poſſent. Cæſar autem Fridericus, vbi ſe contemni vidit, plenas minarum epiſtolas remiſit, Daniæ regnum, niſi veniat, alienæ facturum poteſtatis. Cui rex Kanutus non aliud reſcripſit, quàm quòd priuſquam alij donauerit, primùm in ſuam recipere ſit opus poteſtatem, quod donet. Cæſar nihil actum literis videns, Sifridum Turingiæ principem, qui ſororem regis teneret vxorem, mittit in Daniam, eadem acturum cum rege. Qui primùm expoſito quanta illi ob ſororem deuinctus eſſet affinitate, ac perinde charitate, niſi ex re ipſius videretur, non ſe ſuſcepturum tantæ peregrinationis laborem. Cæſaris vires extollit: benignitatem illius potius quàm arma ſuadet amplecti. Tum ad partem ſeductis Abſolone, Esberno, Suenone, primis ad regis conſilia, docet qua fide adoleſcentis regis ætatem iuuare teneantur, optima conſulentes, quòd pater illos filio tutores & curatores regni reliquerit. Cæſaris beneuolentiam regno profuturam: ſin bellum malint, videant quibus viribus Imperio reluctentur. Abſolon contrà, ſe libenter quæ regi regnoq́; ducant profutura, ſuaſuros: ſed in petendo Cæſare quid illi ſit collocatum, nondum ſe tenere, memores quo fructu parens eius Cæſaris curiam inuiſerit. Æquum eſſe vt nouerit Cæſar, tantum eſſe Kanuto iuris in Dania, quantum illi in Imperio: quid opus ſit, ſine vlla neceſſitate ſua iuris alieni facere? Sifrido per iram turgente, multáq́; comminante: An tu, inquit Abſolon, Daniam Turingiamq́; æquo iure penſas? Cæſarem vt in tuam, ſic in noſtram prouinciam poſſe incurrere? Si venerit, viros ſe inueniſſe comprobabit. Proinde abi, regiq́; tuo reporta, Kanutum Friderico nulla obſequij parte deuinciri. Cæſar non tam bello quàm odio regem inſequitur, expectans domeſticum aliquem in regno motum, quò facilius inteſtino bello laborantem adoriatur. Interim Bugiſlaum iam pridem defuncto fratri in ius ſuccedentem, commonefacit, vt bellum in Daniam ſuſcitet. Ille regis viribus impar, Iarimarum auunculum ſuum, Rugiæ præfectum, laceſſit. Is regi, cui paruit, rem defert. Rex ad Bugiſlaum mittit oratores, ſcrutaturos quid illi cauſæ ſit in Iarimarum. Multa ille commemorat, ab alto nectens cauſas. Conuenit inter partes, vt ad certum diem miſſis oratoribus vtrinque, per regios etiam oratores cauſa audiatur, ac terminetur. Apud inſulam Samſam conuenitur: ibi multis vltro citróque dictis dies ducitur: nihil agitur. Pollicentur tamen Bugiſlai oratores, ducem ſuum quolibet loco regi placito occurſurum, futurúmque vt res facilè ſopiatur ante bellum. Dum iſta geruntur, viri militares Daniæ, ſub Waldemaro expeditionibus crebris aſſueti, pacis tempora grauius ferre videntur, vires, niſi prælio exerceantur, queſti dilapſuras. Placuit piraticam in Eſtones agere, gentem perfidam Chriſto, & quæ aſſiduis excurſionibus mare infeſtum habeat, vt nihil in eam peccatum videatur, ſi ſuis artibus impetatur, hoc ſuſtinens quod ſolet inferre. Interea Bugiſlaus Cæſaris voluntatem perſpiciens, quingentarum nauium claſſem contrahit, inq́; Rugiam Danis ſubiectam ducit, Cæſari nuncium mittens, qui doceat quantis viribus Daniam petat. Cęſar ducem collaudat, nunciumq́; magnis donat præmijs.

Cordata Abſolonis pro Dania libertate oratio.

Imperator hoſtem Danis regi ſuſcitat.

Cap. 4.

Bugiſlaus viriũ præſidentia ſecurus, turpiter vincitur.

Bvgislavs habuit perſuaſum, Danorum regem tantis ſuis in mari viribus territum, ne in pugnam quidem deſcendere. Quem enim non terreant quingenta expeditarum nauium vela? Et ideo negligentius cuncta habuit, vbi hoſtem ſuum contempſit. Ad ſpeciem ſolam, quaſi ſub oculis Cæſaris Wandali iam nauigare videbantur, comeſſationibus ſolis indulgentes. Hoc necdum compertum habuere Dani: idcirco cunctis viribus inſtitere, vt hoſtibus occurrerent. Præerat claſſi Abſolon archipontifex, vir ad militiam promptiſſimus, & vbique fortunatus. Qui vbi contemptim nauigare Wandalos cernebat, ſuos in pugnam acuit, & nihil metuentibus hoſtibus violentus incubuit, tantaque cæde ſtrauit paratus imparatos, vt diu cladis meminerint. Quam rem expreſſius in Wandalia ſumus executi: inde qui volet deſumat. Cæſar vbi audiuit caſus Wandalorum, Daniæ occupandæ ſpem poſuit. Non tamen Dani quieuere: ſemel enim in pugnam prouocati perſeuerarunt, ſingulis penè annis renouantes in Wandalos expeditionem. Vrbes paulò illuſtriores aut euerterunt, aut diripuerunt, vt parum lætari viderentur Wandali, quietos Danos ad arma deuocaſſe. Walogaſtum, Iulinum, Oſna,

Cami-

Caminum,& quæ fuere minora,hoſtibus Danis in prædã ceſſere. Quam in Wandalia, qui volet, rem plenius executam peruidebit: nos rebus interim Daniæ alijs intendimus explicandis.

Cap. 5. Cæſar belli cauſam quærens, legatos ad regem mittit.

POST primam illam interpellationem Imperatoris ad Danorum regem ſuper hominio præſtando, alia via pertentauit, mittens ſolennes oratores, equis quadringentis comitatos, ad regem, ad poſtulandam ſororem eius cum parte dotis, quæ coram Lubeca, nuper filio Imperatoris à Kanuti patre Waldemaro erat deſponſata. Primarius eius legationis archiepiſcopus erat Bremenſis, Sifridus frater Marchionis de Brandenburg. Apud Eydoram, vbi eſt regnorum limes, conuenerant. Adolphus comes hoſpitaliter exceperat oratores, largiſſimè explens ſumptibus atque epulis. Rex iamdudũ auerſum gerebat Imperatori animum, quòd ab illo nuper hominium poſtulaſſet: & niſi iuramentum à patre interpoſitum regem commouiſſet, omnino irritaſſet ſponſalia. Pacta autem dotalia hæc erant, vt quum puella mitteretur, pars dotis (erat autem tum ſeptennis) & reliqua legitimis annis, nuptiar[redacted]argẽti marcæ, quod inſtituerat Carolus Magnus, venirent ponderandæ. Quòd ſi quid horum minus impleretur, irrita omnia forent. Ea quum Kanuto regi renouarentur per legatos, indignationem maiorem concepit: diſſoluiſſetq; omnia, niſi ſacramentum & religio patris illum deterruiſſet. Igitur tradidit ſeptennem puellam, cumq; illa quatuor millia talentorum argenti, mediocri apparatu, non regali præditam familia. Erat & illa inter Imperatorem & regem diſſenſionis non vulgaris materia, quòd ſocerum ſuum Henricum Leonem, cuius rex filiam tenebat, ducatu & rebus omnibus exuiſſet. Sed patre viuente non ſe poterat filius pro ſocero cõmouere, præſertim quum omnia regni iura apud patrẽ permanerent. Idem quoq; rex quum Rugiam ex patre accepiſſet, ad Obotritos quoq; ditionem propagabat. Nam quum Burwinum principem captum à Iarimaro teneret, factus arbiter inter fratrueles, ita dirimebat vtriuſq; ditionem, vt in vtraq; ſibi ſeruaret ſuperioritatem, & vt recognoſcerent ab illo dominia ſua. Alia quoq; affinitate idem rex ſibi deuinxit principes Germaniæ. Nam Ludouicus Lantgrauius Turingiæ, quum coniugi titulum conſanguinitatis opponeret, repudiauit illam, accepta coniuge matre Kanuti regis, relicta Waldemari, fœmina mediocris ætatis, citra quadrageſimum ætatis annum. Quæ cum multo theſauro & ſupellectile fœminea, à regia regnũ egreditur: ad Eydorã à Lantgrauio excipitur honore plurimo. Aderat Adolphus Holſatiæ comes, qui honeſtiſſimè per terram ſuam deducens, locis opportunis, lautis epulis, præcipuo apparatu hoſpitaliter habuit.

[redacted]

Causa diſſenſionis cũ Cæſare.

Cap. 6. Odia gliſcũt inter Cæſarem & regem.

LONGO pòſt temporis interuallo, quum euolutis annis nuptiæ intentarentur filij Imperatoris cum germana regis Danorum, miſit Imperator ad eundem regem, qui aliam dotis partem ex eo depoſceret. Rex ipſe fortè interpretatus aduerſum ſe quæri occaſionem diſcedendi à fœdere, indignationem plurimam, quòd ante impletas legitimè nuptias pecunia depoſceretur, oſtendit: quorſum pertineret, non ſe ſatis intelligere, ita vrgeri & emungi ære, niſi quòd aliqua poſceretur iurgandi & expoſtulandi materia. Si ita videretur Imperatori, vt pactorum pœniteret, nihil ſe refragari: cæterùm nihil ſe miſſurum. Imperator vbi accepit tergiuerſari regem, (quum iuſtiores ipſe haberet ſuccenſendi cauſas, quòd hominium ei negaretur, quodq; Imperij fines ingreſſus rex Wandalis implicaretur) regi ſororem ſuam, cum eo quem accepit apparatu, intactam remiſit. Quod Kanutus grauiter accipiens, manifeſtas ex illa die inimicitias contra Imperatorem cœpit exercere, vt omnem terram Wagarorum, Holſatorum, Sturmariorum, Polaborum, vſque ad Albiam ſui iuris eſſe diceret: & eam per Wandalos Orientales, quos (vt diximus) ſibi aſciuerat, iuſſit euaſtari. Mater deinde regis, à Ludouico lantgrauio (qui ex ſorore nepos erat Imperatoris) repudiata, & ad terram ſuæ natiuitatis ſine honore reuerſa, conqueſta eſt in multis ſe à marito iniuriatam. Vnde etiam magis inſtimulatus, iuſtam ſe cauſam contra Teutonicos habere arbitratus eſt. Per occaſionem autem Hartwici archiepiſcopi Bremenſis, per eius tempora Thietmarſi ab illo armis preſſi, ſe coniunxerunt regno Danorum, ſua ſponte ſe ſubmittentes Waldemaro

Societates utrinq; cõciliantur.

Sleſwicenſi epiſcopo, & perinde Danicæ coronæ ſubiecti, aut (ſi hoc dicere magis conuenit) ſociati. Sancto enim Petro ſe ſubdidiſſe perhibent, qui in vtraq; eccleſia, & Bremenſi & Sleſwicenſi, patrocinium habet.

CAP. 7. *Epiſcopus regno inhians, capitur.*

WALDEMARVS inde Sleſwicenſis epiſcopus, quum & nuncijs & literis egiſſet apud amicos querelam de regno ſibi paterna ſucceſſione debito, quũ eſſet Kanuti filius, & ille Magni, is autem Nicolai: obtinuit non contemnendam ex Noruagia claſſem ad inuadẽdum regnum. Ex Germania quoq; commouit, quos ſciebat regi ob offenſam Imperatoris infenſos, Ottonem marchionem, Bernardũ Saxoniæ ducem fratres, Adolphum Holſatiæ comitem, qui nuper ex peregrinatione terræ ſanctæ rediens, terram ſuam inuito Henrico Leone recuperauit. Quumq; à mari inuaderet regnũ Waldemarus, à terra oppugnauere Otto marchio, & Adolphus atque Bernardus comites, ingreſſi Daniæ regnum, tranſito flumine Eydora. Erant qui Waldemaro epiſcopo ſuaderent, vt non armis, ſed tractatibus apud regem ageret: quod æquum videretur, conſtituendum à rege & proceribus, præſertim [redacted] Perſuaſus ille credidit: & vbi publica fide interpoſita agendum putauit, vinctus, catenatus, & in carcerem cõiectus eſt. Adolphus nihil horum ſciens, cum armatis proceſſit graſſabundus vſque in Sleſwig. Marchio aliquandiu moratus, quum regem occurrere non cerneret, reduxit agmina: Adolphus verò in armis permanſit. Ob eam rem infenſus rex Adolpho, ſiue (vt alij tradunt) vt ſocero ſuo Henrico Leoni placeret, arma tulit Nordalbingiæ, ſiue vt Imperatori rebellionem (quod cupiebat) oſtenderet, ſiue omnibus his, ſiue quibuſdam cauſis, ſiue harum vna, cœpta res eſt labore pleniſſima. Quumq; rex virtute illa procederet, vt nulla ei ex parte Adolphus poſſet viribus reſiſtere, intermiſſis amicis ære placandum duxit, vt a vaſtatione ceſſans agmina reduceret. Nam mille quadringentis marcis denariorum numeratis regem fecit in regnum redire.

CAP. 8.

NEC immemor rex Kanutus, Ottonem quoque marchionem in ſe arma pro Waldemaro vertiſſe, claſſem perarmat, Wernouiam immittit. Ductorem facit epiſcopum cancellarium ſuum, cum Durberno fratre: ipſe monti cõſidens, ſpectatorem ſe præbet. Nam diu cunctatus Otto, tranſgreſſis in terram Danis, qui iam Wandalorum arma haberent auxiliaria: ipſe quoque Saxonibus ſtipatus & Wandalis, hoſti obuiam pergit. Vbi conſeruntur manus, effulſit Saxonum virtus: Dani cæduntur. Cadit in primis Durbernus epiſcopi frater, ipſe capitur epiſcopus: reliqui ſe fuga præcipiti in naues contulere, lacere reliqui ad regem nauigant, ductoribus a tergo relictis. Epiſcopus tamen quum præter religionis ſuæ votum ſe armis immiſcuiſſet, carcerem expertus eſt. Sed dum illum ſimulatione ægritudinis laxiorem impetrat, cum ſubærato cuſtode fugam init, elapſuſque redit in regnum. Hic fuit exitus infœlicis illius expeditionis in marchionem. Et quum proxima bruma marchio, iunctis Adolpho armis, vaſtaret Daniæ ſubiectam Wandaliam, regis in ſe indignationem idem Adolphus fecit recrudeſcere. Quocirca rex, appropiante iam verno tempore, reparauit agmina, moturus in Nordalbingiam, & peruenit ad terminos Eydoræ, vbi eſt arx Reynoldi, limes vtriuſque ditionis. Comes autem intrepidus illi occurrit, copijs non paucis vndecunque contractis. Hartwicus archiepiſcopus Bremenſis, Otto marchio, Simon de Tekenburg, Mauritius de Aldenburg comites, manus contulerunt, Adolpho ſuppetias ferentes: quum ille omnium neceſſitatibus proſpiceret, mirantibus cunctis vnde ei tanta rerum copia ſuppeditaret. Dirimebat eos fluuius: nec rex tranſire conatur: nec comes tanti facit, vadum tranſilire. Rex tertiò ducebat agmina ſua: & comes amicis vale facto, ſe paribus obſequijs deuincit. Vix hyems tranſierat, comes ad communitionem eius arcis animum intendit, vt clauem terræ corroboret. Sed tempus ei non permittitur: nam ante conſummationem inchoati operis rex expeditionem renouat, ac ducit in comitem. Stabant vtrinque agmina minantia. Sed comes iam longè impar viribus regis, amicos ſubmittit, qui rem dirimerent tractatibus. Rex placari non potuit niſi arce in manu eius tradita. Tum illam magnis conatibus rex communiuit, vt inde, quoties vellet, in apertam Holſatiam

Cum epiſcopi voto & religione pugnat arma tractare.

Adolphus arce tradita ſibi regẽ placat.

tiam detonaret. Strauit pontem ſuper flumine, vt liber illi ſit tranſitus in terram.

CAP. 9.

Louenburg arx in Holſatia comitũ poteſtatem venit.

QVVMQVE per idem tempus Adolphus cum Adolpho de Daſſe, Louenburg Henrici Leonis iam arcem oppugnaret, nec fideret defenſores tueri, occultò mittunt ad regem Kanutum, illi arcem offerentes. Ille non ſegnis, ſubmittit qui eius nomine accipiat, regis ſigna de turribus promat. Sed ita vrgebant obſidionem, vt fame defecti, priuſquam aut nuncius regis, aut eius arma venirẽt, comites deditam arcem acciperent. Hæc noua indignationis cauſa in Adolphum comitem. Adolphus interim de Daſſe, ab Wandalis regis iuſſu pulſus ditione, cum Adolpho Holſatiæ Thietmarſiam ingreditur: & quia regi fœderata fuit, in eam ſe vindicantes, multam inde prædam retulerunt. Interea cauſa extitit qua Adolphus quoſdam ex militaribus de terra proſcripſit, alios ære mulctauit, qui ſe omnes ad ducem Waldemarum in Iutiam contulerunt. Hi quotidie ſemina bellorum diſſiparunt & diſſeminarunt, attrahentes in partem regis & ducis fratris quos poterant, ex amicis quoſdam pecunia, alios feudis, alios promiſſionibus allicientes, ita, vt comiti difficilis, duci autem facillima fieret ratio gerẽdi belli. Quid enim poterat comes, alioqui regi & duci viribus impar, ſine militibus? Waldemarus ergo dux, rebus ita cõparatis, agmina ducit in Holſatiam: Comes ille quibus poterat viribus, occurrit in loco qui dicitur Stilnoue. Collatis vtrinq; armis, longè impar comes multos ſuorum amiſit, alios cæſos, alios captos. Ipſe vix fuga elabitur, receptus in Hamburgũ, oppidum ſibi ſemper fidiſſimum.

CAP. 10.

Hamburgẽſes duci Waldemaro ſe dedunt.

QVO tempore progreſſus dux Itzeho capit, Plune etiam oppugnatum accipit deditum: Segeberg atque arx Trauemunde ſolæ reſtiterunt. Dux quoque fortunam ſecutus indulgẽtem, Hamburgum progreditur, obſidione firmaturus. Comes autem, quia non ſatis communitam vidit vrbem, exijt ea relicta, vbi ducem appropinquare cognouit. Ciues autem rerum deſperatione ceſſere victori: obuiam profecti, cum honore ſuſcepere venientem, nec vlla illi arma obiecerunt. Erat tum annus ducenteſimus poſt mille. Inde mouens poſtero dux die venit Bergeſdorp, & inde duxit in Louenburg, quod adhuc tenebant Adolpho fideles. Raceburg, Gadebuſch, Wittenburg, quæ iuris etiam comitum erant de Zuerin, ceſſere venienti. Deinde Lubecam ciuitatem tum floreſcentem, & vehementer augeſcentem, vno victoriæ curſu in deditionem accipere contendit. Facto autem oppugnationis & obſidionis apparatu, ciues rebus ſuis diffiſi, quum defenſorem non haberent: longè illis Imperator, Henricus profugus, item Adolphus comes. Igitur neceſſitati parentes, duci ceſſerunt, præſertim quòd æſtate proxima, quum comes Thietmarſiam vexaret, ciues eorum & naues piſcaturæ in Scania inſtantes, detinerentur captiui. Pacta ergo ciuium ſuorum libertate & veteribus conſuetudinibus, duci, & perinde regi ſe permiſerunt, anno milleſimo ducenteſimo primo. Tum dux per Holſatiam ad ſe pridẽ confugientes, à comite proſcriptos vel emunctos, præficit arcibus: ex ciuitatibus autem accepit obſides. Et reuerſus eſt in terram ſuam.

Lubeca ſe duci ſeu regi dedit.

CAP. 11.

Adolphus Hamburgũ recuperatũ incautè inſidens, deditionem turpem facit.

IAM omnis Nordalbingia in ditione regis erat, cum Lubeca ciuitate primaria Wandalorum, quum Adolphus comes Stadenſem à ſe pridem occupatum teneret comitatum. Inde quantis potuit viribus mouens, Hamburgum contendit. Oppidani autem erant iuſtis de cauſis comiti coniunctiſſimi: vnde facilè eiecto ducis Sleſwicenſis (quod ille reliquerat) præſidio, ſub Rodulpho præfecto, vrbem occupauit. Erant in Holſatia quoque, qui ſpem illi facerent recuperandæ ditionis: qua fiducia in oppido ſuo permanſit ad Chriſti vſque Natalia, non proſpiciens (quod futurum erat) per brumam ſibi fugam difficilem, vbi propinquaret hoſtis. Waldemarus verò dux vbi comperit Adolphum rediſſe Hamburgum, iam ſe in caſſes conieciſſe illum arbitratus, per brumam reduxit exercitum, & obſedit oppidum necdum ſatis communitum, neque commeatibus ſtipatum, vt obſidionem diu toleraret. Dux magnis ſuorum copijs omnes adinus atq; exitus obſeruabat. Albis fluuius erat algore intranſibilis, nam glacies necdum bene firmata, neque naues neque veſtigia perferebat. Comes in arcto poſitus, quò ſe verteret ignorabat. Eruptionem pertentare, & armis peruadere tantum exercitum, deſperationi deditum

conſilium videbatur: expugnationem demorari, extrema omnia minabatur, & atrocem ab irato hoſte exitum. Dedirio reſtabat, quando nihil erat vſquam ſuauius. Sed erant in caſtris ducis, qui comitis ſortem miſerarentur: inter quos Guncelinus Zuerini comes, qui etſi dudum duras partes fecerit Adolpho corã Henrico Leone iam defuncto, nunc tamen non æquis animis accepit regis imperium: & locutus cum duce pro Adolpho, ad hoc rem deduxit, vt reddita in manus ducis arce Louenburg, quam homines comitis tenebant, liber eſſet. Quam rem vt perageret, vrbe Hamburg egreſſus, ſub cuſtodia erat Guncelini. Thietmarſi, qui erant inter auxilia ducis, vbi audiuerunt eo mitem eſſe in caſtris & manibus Guncelini: irruptione facta tumultuãtes eum volebant occidere, quòd proximè terram eorum vaſtauerit. Guncelinus cum ſuis defenſionem ſuam oppoſuit. Et niſi acceſſiſſent copiæ ducis, ip ſum cum Adolpho perdidiſſent. Progreſſus dux cum agminibus, Louenburg contendit: ibi Adolphus monuit, hortabatur, precabatur, etiam obſecrabat arcis cuſtodes, vt ſuam ſortem miſerari, traderent arcem duci. Illi adamante duriores, nihil mouebantur, ſperantes neſcio quid, aut fortè comiti ex quibuſdam cauſis infenſi. Comes ipſe mox compedibus & manicis vinctus, per Holſatiam quõdam terram ſuam trahitur, hoſtibus Danis ludibrio, ſuis verò mœrori: & perducitur in Iutiam, carceri traditus cum Waldemaro epiſcopo.

Irruptio in Adolphum.

CAP. 12. ANNVS hic erat poſt natum Chriſtum MCCII. quum Adolpho capto dux
1202. omnem teneret Nordalbingiam: mox affinitates inijt cum principibus Germanorum. Nam Otto Romanorum rex, germanam ſuam deſpondit Waldemaro duci, ac nuptijs peractis in Hamburg ei tradidit. Viciſſim regis & Waldemari germanam Helenam accepit Ottonis regis frater Wilhelmus, Henrici Leonis ambo filij, habentes fratrem etiam Henricum palatinum Rheni. Lætata eſt omnis terra Holſatorum, ſperans cum ſorore Kanuti regis, totam habiturum in dotem: ſed ſpes illa deſtituit expectantes. Ipſe tamen Wilhelmus, Daniæ regis ſororius, ſæpius à rege & fratre eius duce in multis honoratus, dignitatem nominis ſui multis præferebat. Proxima igitur æſtate rex Kanutus venit in ciuitatem ſuam Lubecam, & gloriosè ſuſceptus eſt à clero & omni populo. Ad cuius introitum redditum eſt præſidium in Trauemunde, quod hactenus fideles comiti tenuerunt: vnde rex non paruam accepit lætitiam. Prouinciales quoq; concurrentes, omni hilaritate & alacritate ſe obſequio regis obtulerunt. Rex ergo procedens vſq; Molne, & acceptis obſidibus pridem neglectis, ad ſua reuertitur, fratre duce procedente contra Louenburg. Quod quum capere non poſſet, reſtaurato præſidio Haddenberg, (quod Louenbergenſes euertere) firmatiſq; præſidijs ad ſua & ille reuertitur. Interim ducales obſidioni Zegeberg, quod pro comite ſeruabatur, inſtiterunt: at diu fruſtrãtur. Sæpius erupere obſeſſi: & ſtrage peracta in hoſtes, comeatus eorum abſtulere. Superueniens autem dux grauius vrgebat obſeſſos oppugnationibus: ſed nihil ad rem. Ipſi intus fiducia pleni, calcem ſparſere, quò farina crederentur abundare. Vix autem in ſua dux redierat, & triſtis illum nuncius conuenit, fratrem ſuum regem immatura morte ſubtractum. Quocirca nihil ille moratus, cõtendit in regnum: quod illi omnium vnanimi conſenſu, regis germano clariſſimo, mox delatum eſt.

Rex Lubecã veniens, ſolẽnitèr excipitur.

Regis frater Waldemarus ſuccedit.

CAP. 13. WALDEMARVS Waldemari regis filius, Kanuti proximi regis frater germanus, in regnum peruenit. Regalem de more benedictionem illi D. Andreas Lundenſis archiepiſcopus impendit. Et eodem anno circa Auguſtum, cum magna gloria & innumera ſuorum multitudine Lubecam ciuitatem ſuam intrauit: ibiq; rex Danorum, Wandalorum, ac dominus Nordalbingiæ ab omnibus ſalutatur. Prima illi expeditio fuit ad oppugnandam diu deſideratam arcem Louenburg. Quam multiplici iure depoſcebat, quòd Adolphum comitem, eius captorem, teneret: quòd Henrici Leonis filiam coniugem haberet: quòd à leuiris ſuis illi permiſſa eſſet. Igitur omni bellorum apparatu, Danis, Wandalis, Thietmarſis, Holſatis renouat obſidionem. Fortiter oppugnant: qui intus fuere, animosè defendunt: multi cadunt, vulnerantur plures: labor improbus non ceſſat. Cœpit interim pœnitere arcis cuſtodes, quòd dominum ſuum Adolphum nuper pactionibus non redemiſſent: igitur colloquium depoſcunt. Quod quum permiſſum

Louenburg obſidione ad deditionem cõpellitur.

permiſſum eſſet, interuẽtu pontificũ res in eum modum cõponitur, vt tradita arce comes liber foret, ſed vt rata manerent quæ agerẽtur, obſides darentur. Pro comite placuit vt comes duos daret ex filijs proprijs, & vnũ ex filijs Adolphi de Daſſe, inſuper & vnũ ex filijs Henrici comitis de Dannenberge, & octo filios miniſterialium, hoc eſt vaſallorũ. Firmatumq́; eſt ex regis parte, vt poſt decem annos obſides liberi eſſent: ſi tamen intra decem annos aut rex aut comes decederent, omnino obſides redderentur. Sic libertati donatus comes in Schowenburg redit, nec vnquam credo illum in hanc rediſſe terram. Nam quæ poſtea ſub nomine eius facta leguntur, ad filium eius referenda ſunt. Sic ſuadet ætas. Iam enim quadragenarius erat hic Adolphus, quũ rediret poſt captiuitatẽ in terram ſuam. Igitur quæ poſt XXX. & XL. annos facta memorantur, eius annis non congruunt, nauigaſſe in Liuoniam, bella multa contuliſſe cũ Danorũ regibus. Hæc enim is Adolphus peregit, qui poſtea ordinem introiuit diui Franciſci, quem huius extitiſſe filium cõtendo, eum videlicet, quem puerũ ferunt impetratum à patre, per nobilẽ fœminam Deſt, aduectumq́; in Holſatiã. Cuius auſpicijs Holſati Danos cœperunt primùm Zegeberge, deinde reliquis ſuæ terræ arcibus propellere, donec magno prælio victũ regem Waldemarũ à ſuis abigerent ceruicibus. Sed hæc infrà: & plenius in noſtra diximus Saxonia. *Lib. 9.*

COMITE ergo vinculis ſuis ſoluto, concaptiuus eius Waldemarus, Sleſwici epiſcopus, in vinculis perdurabat. Sed pietate domini Andreæ archiepiſcopi, & aliorum qui pro ipſo interueniendum putauerunt, à captiuitate tandem relaxatus exiuit hoc pacto. Quia enim idem D. Waldemarus vir nobilis erat, regis Kanuti, quem Sueno perdiderat, filius, magni patrimonij hęres: & contra Kanutum proximum regem, & Waldemarum (tunc ducem, nũc regem) ſenſerat, pernicioſa multis eius liberatio timebatur. Cõſilio inito, negotium perlatũ eſt D. apoſtolico. Quo per nuncios agente, Waldemarus iſto pacto relaxatur, vt nunquã in ea vicinia cõmaneret, in qua regibus aut formidabilis aut ſuſpectus degeret, quod ipſe ſacramẽto ſuo confirmauit. Rex ergo datis ſumptibus, ad D. apoſtolicum illum miſit, vt ibi conſiſteret, donec alio põtificatu donaretur. Waldemarus tamen eas malè impleuit conditiones, quia Philippo Romanorũ regi (qui Ottoni colluctabatur) ſeſe coniunxit, queſtus iniurias ſuas: & inde de archiepiſcopatu Bremenſi contendit: quod in Metropoli noſtra diximus. Sed quod huic conſentaneum eſt loco, quum circa annos Domini MCCVII. Hartwicus Bremenſis archiepiſcopus vita exceſſiſſet, grauiores per Waldemarum eccleſia motus excepit. Nam multorum in electionis negotio illuc inclinabat ſententia, vt Waldemarus, olim Sleſwicenſis epiſcopus, nunc Bononiæ agens, poſtularetur. Fuerunt tamen qui illi electioni ſe ſubduxerãt, quorum primarius Burchardus, maior præpoſitus, cum quibuſdam cohętentibus. Hamburgenſes autem canonici, propter regem Waldemarum, cui iure ſuberant, ſuſpecti in hac poſtulatione ducebantur. Qui videntes ſe contemptos, & in electionis negotio præteritos, huic contradicebant, præferentes eccleſiam ſuam eſſe matricem, vnde fluxerit metropoliticus honor. Bremenſes tamen miſſis legatis honoratis tam de clero quàm de miniſterialibus Waldemaro, electionem canonicẽ factam inſinuarunt. Ille autem ſumptis profectioni neceſſarijs, vnà cum Bremenſis eccleſiæ oratoribus apoſtolico ſe conſpectui præſentauit.

Cap. 14. *Waldemarus epiſcopus, quibus conditionibus è carcere dimiſſus fuerat, non ſtetit.*

1207.

De ſedis primatu controuerſia.

GRATVLATVR pontifex de profectione aliàs deſtituti, ſed non præcipitauit implere quod in diſputationẽ præſumebat caſurum. Superuenere Hamburgẽſium nuncij: & electioni (ſiue eam quis poſtulationẽ putauerit, quũ eſſet tamen antea à ſua abſolutus eccleſia, nõ poſtulatio, ſed electio dici debuit, ſi modò canonica extitiſſet) ſe oppoſuere. Venit quoq; regis orator, Petrus Roſchildienſis præpoſitus, ſine literis, quas in itinere latronũ incurſatione ſe querebatur amiſiſſe. Hic commonefecit ſummũ pontificem iuriſiurãdi quod feciſſet, nunquam ſe in eum locum collaturũ, in quo regi grauis eſſe poſſet: at hic omnino eſſet regi ſuo & ſuſpectiſſimus, & moleſtiſſimus. Quibus cognatis Waldemarũ papa per aliquot dies demoratur, quoad uſq; de fratrũ ſuorum conſilio deliberatus, conſtitueret quid de eo ordinaret. Waldemarus autem videns ſe in arcto poſitum, illicẽtiatus abſcedens, ſe ad regem Philippum contulit, quem ſciebat Ottoni & Danorũ regi contrarias fouere partes.

Cap. 15. *Waldemarus à papa, quòd nõ accepta venia diſceſſiſſet, excommunicatur.*

Apoſtolicus autem miſſis epiſtolis ad omnes Germaniæ & Galliæ eccleſias, Waldemarum inobedientem diſtrictè excommunicauit. Bremenſes tamen hoc diu ignorabant, quia literas apoſtolicas nemo illis diu exhibere præſumpſit, donec in publica miſſa quidam inter offerentes deliteſcens, eas imponeret altari. Crediderim ego Bremēſes hac maximè ratione inclinatos Waldemaro, vt per eum virum regij ſanguinis, & qui multos haberet in regnis ſibi affectos, recuperarent Bremenſis eccleſiæ antiquum honorem ſuæ legationis & ſuperioritatis per regna quæque Aquilonis. Sed ea ſpes cum Waldemaro euanuit. Philippi tamen regis nutu intrauit diœceſin, & exceptus eſt ab ijs qui eum elegerunt.

Ius Bremē ſes autoritatis amiſſum.

CAP. 16. REX autem Waldemarus audito introitu cognati ſui (quem hoſtem ſuum non dubijs ſignis cognouerat) eum impedire, & alium ſubſtituere venit cum exercitu. Iam tamen Guncelinus comes, & Hēricus frater eius, à rege auerſi, pro hoſtib. habebātur, quòd pridem Ioannem Gans, regi fideliſſimū, atce ſua Grabaw deſtituiſſen. Miſit in eos rex cum parte copiarū Albertum, quem iam Nordalbingiæ præfecit. Hic primùm arcem Boytenburg, comitibus parentē, excepit, deinde omnem terram peruaſtauit. Hunc Albertum, quis & vnde fuerit, multi diſſimulāt. Ego aliquando Wilhelmi de Braunſchweig filium arbitrabar, natum ſorore Waldemari regis, quod nonnulli annales eum regem auunculum teſtantur Alberti. Sed nō patitur annorum ratio, vt anno ſecundo celebratis nuptijs (vt diximus) poſt mille ducentos, iam inde natus puer annos octo x. vel XII. ductaret exercitum. Vnde in illorum tranſeo ſententiam, qui comitē de Orlemunde aſtruunt fuiſſe Adelbertum, filium Henrici, qui occiſo apud Demin ſecundo Adolpho, tutor paruuli Adolphi erat, matrem eius coniugem ducens. Vnde potuit Albertus eſſe viuentis Adolphi, & in Schowenburg agentis, frater vterinus. Waldemarus epiſcopus quum intelligeret regem in ſe hoſtiliter venire, & ipſe copijs contractis ditionem eius inuadere tentauit. Sed detinuit eum Burchardi præpoſiti (qui & ipſe ad archiepiſcopatum aſpirabat) conatus, vſus Hamburgenſium & quorundam Bremenſium fauore. Et in primis regem Daniæ ſibi conciliabat, atq; ab eo inueſtituram accepit, præſertim de ea ditione quæ vltra Albiin eſt. Quumq; perinde Hamburgū pro ſe teneret, per amicos regis Stadium quoq; ſibi conciliabat. Iam fortè Adolphus arma regis fugiens, illud dereliquit oppidum. Waldemarus autē epiſcopus ordinatis inſidijs Stadium occupare conatur: ſed cura eorum qui pro præpoſito agebāt, Waldemarum excluſit. Quū autem inſidię non procederent, vim adhibere properauit. Nam contractis vndiq; per diœceſin Bremenſem armis, obſedit Stadium, & expugnauit, & diripuit, vix elabentibus qui pro præpoſito ſenſerant. Poſtea tamen Burchardi pars rurſus inualuit, & capto oppido habitauerat ibi. Rex enim facto iam ponte trāſiuerat in pleriſq; locis Albim: vnde equitatum circummittens, Waldemaro epiſcopo terram fecit inſecuram. Firmauit autem arcem Horburg ad præſidium eius electi, quem rex ipſe aduerſus Waldemarum epiſcopum ſuſcepit defenſandum.

Lites de pōtificatus ſucceſſione ab ipſis pontificibus ferro decernūtur.

CAP. 17. TRANSIERANT in hac conflictatione dies plurimi, quum Bremenſes Waldemarum, rex Burchardum tueretur. Sed interueniente nouatione propter Gerhardum Oſnaburgenſem, præpoſitum confirmauit: & rex viribus reuocatis in regnū Waldemarum iam alijs oppoſitum reliquit. Ille quoq; à Bremenſibus relictus, Stetingos, quos primū habuit aduerſarios, cœpit pro ſe eccleſię immittere. Hi dāna plurima intulerunt. Sed Waldemari partes cum Philippo Rom. rege cōciderunt. Venit quoq; idem epiſcopus ad calcem viuendi, nam finem ei properarūt & curæ & labores. Interim rex Daniæ Waldemarus, mortua prima coniuge, Ottonis ſorore (cum qua etiam finijt familiaritas quæ regibus interceſſit) duxit filiam regis Boëmiæ Ioannis Margaretam: ſed neq; illa diu ſuperſtes erat. Et accepit tertiam, quæ erat ſoror Fernandi comitis Flandriæ, mulierem pulchrā nimis. Interuenit autem cauſa qua rex idem, iratus Stadēſibus, (fortè quia Waldemarum epiſcopum fouerant, vel quia comes Adolphus inde Hāburgo inſidiaretur: incerta enim cauſa fuit) multis nauibus Albim intrauit, Stadium inuaſurus. Sed palatinus Rheni, frater Ottonis regis, impediuit. Iam enim quibuſdam ex cauſis, quæ non apparent in annalibus, diſſenſerant Saxonum fratres principes à rege, intercidēte affinitate per mortem

1215. *Hamburgũ rex ab Ottone IIII. captum recipit.*

tem reginæ. Deniq; Imperator Otto, anno Chriſti x v. poſt millẽ ducentos, cum fratre & Marchione de Brandenburg (quum adhuc viueret & intereſſet epiſcopus Waldemarus) Hamburgum obſedit: & quum firmum ſatis perferendæ obſidioni non eſſet, dedidit ſe Imperatori. At anno ſtatim ſequenti rex Daniæ Waldemarus, cõtracto graui exercitu per brumam, rigente iam Albi per glaciem, Stadium petiuit. Sed quum illa iam liqueſceret, formidans redeundi difficultatem, omnem vim ſuam contulit in Hamburgum. Firmauit igitur præſidium forte ad Albim infra vrbem, (eo crediderim loco qui nomẽ ſeruat Nouæ arcis, in parochia ſancti Nicolai: tum enim ea ciuitas, præter diui Petri parochiam parum includebat) vt inde ſeruaret, ne quid vel importaretur vel exportaretur. Et comes Nordalbingiæ Albertus aliud firmauit præſidiũ ſupra vrbem. Cuius rei difficultate preſſi ciues, muros quidem defenderant, ſed fami dominari non poterant: ideo regi ſe iterũ dediderunt. Et hanc arbitror extitiſſe cauſam, cur oppidũ iſtud Imperio ſine medio ſubeſſe putaretur ætate noſtra, quia ab Ottone IIII. expugnatũ, ſacramẽta præſtitit Imperio. Nec diu tamen potuit implere, quum indefenſum ab Imperatore, iterum Danorũ regi ſubeſſe cogeretur. Per quæ tempora labor iſte eximius in Liuonia fuit, vt ad Chriſti fidem cõuerteretur. Eò nauigabat Albertus Nordalbingiæ comes. Nec diu rex ipſe Waldemarus cum agmine graui ſecutus eſt, quum & apprehenſa terra extruxit Reualiam, & poſſedit aliquandiu: quo iure etiam nunc ſibi dicitur vẽdicare. Sed hoc certum eſt, quòd eccleſiaſticum ius illius dirionis ex Dania pendet. Deinde proximis annis Lealenſem terram occupauit cum Alberto comite, & in ea vrbẽ extruxit. Sed eo in ſua redeunte, pagani omnia euerſa redegerunt in vaſtitatem.

CAP. 18. 1223.

ANNVS erat poſt mille ducentos XXIII. quum Henricus Zwerini comes, fide publica in Daniam euocatus, ad reconciliationẽ & gratiam regis aſpirabat. Cui quum rex duras conditiones oppoſuiſſet, & difficillimam faceret viam reconciliationis, obſeruabat tempora quibus rex in caſtris manens, à ſuis nõ ſatis obſeruabatur. Serum erat tempus: & Danis pro ſua conſuetudine potis, indiligenter excubiæ ſeruabãtur, vtpote qui in regno longè ab hoſtibus nihil hoſtile formidabant. Henricus autem antè cuncta proſpiciens, quum negligẽtiam regiorum cuſtodum non ignoraret, fortè in venatione rex erat, & quieti deditus profundius ſoporatur. Henricus iam naue procurata, regis papilionem ingreditur, (audax facinus!) & occluſo ſpiritu oris vinctum extrahit regem: ac cominbus ad vim præparatis, regem deducit in nauim, impoſitumq; ſecum perducit in Dannenberg, ibiq; cõſeruat in carcere. Obſtupuere qui audierãt vniuerſi fiduciam viri. Exemplum huc ſecutus eſt Friſonis, qui veſte coriaria ſubſtrictus ſe miſit in vndas: & emergens prope alteram ripam, deſpaciantem Fridericum I. Imperatorem circũplexus, voluebat in harena, vt ſecũ traduceret per amnem. At ſuperueniens vnus & alter, gladijs effugauerunt latronem. Ille quidẽ exitu fruſtratus: ſed Henricus quod cogitauit peregit. Proximo autem anno Henricus rex, Imperatoris Friderici II. filius, deſcendit in Bardewicum, curiam ibi pro more regalem inſtruens. Cauſa aduentus erat, vt de liberãdo Danorum rege ageretur. Aderat quoq; Colonienſis archiepiſcopus. Et quum multa tentaſſent, non profecerũt. Rege autem iam capto, quum quieta viderentur omnia, comes Adolphus de Schowenburg inuitatur ab Henrico de Zwerino & Henrico de Werle comitibus, & ab archiepiſcopo Bremenſi Gerardo, inſuper à terrę potentioribus vt veniat, terram in ditionem recipiat, & amiſſa iura recuperet. Iam enim (vt Holſatorum ſunt annales) Zegeberg & quædam alia caſtella recuperauerant, quum tenellum ducem puerum habentes, ſe in libertatem vendicabant. Fecit Adolphus quod monebatur: exceptus ab amicis, hoſtibus occurrit. Albertus comes ſe venienti opponit. Et cõmiſſo prælio idem Albertus ab Henrico de Zwerino capitur, & ad auunculum ſuum regem mittitur in carcerem.

Rex à comite Henrico per inſidias capitur.

Albertus comes regis ſocius carceris adiũgitur.

CAP. 19. *Rex pretio è carcere liberatur.*

REX autem proximo tẽpore, quum alia via non eſſet, argento ſe redemit, datis XLV. millib. marcarũ argenti: exceptis iocalibus hinc atq; inde per amicos diſtributis, ad preciũ & æſtimationẽ trium millium marcarũ. Sed vt Albertus comes laxaretur, regis fideles, qui arcẽ Louenburg adhuc tenuerunt, pro Alberti relaxatione, duci Saxoniæ Alberto, Bernardi filio, tradiderũt. Iã rex ipſe omni in Nordalbingia

deſtitutus fortuna, ſolam Lubecam tenuerat. Comites verò, qui regis arma veriti ſunt, reuerſuri, inuitabant Albertum ducem, vt veniens reciperet quæ olim ſuæ ditionis rex proximis annis occupauit, & inter alia Lubecam præclaram vrbem meretur. Sed ignorabant nobiles, iam ſibi ciues cõſuluiſſe de ſua libertate apud Fridericum Imp. I I. obtenta conſcriptione & liberatione imperij, quum obſeruato tempore, arcem quæ erat in ſua vrbe, deturbatis cuſtodibus exciperent, & confractam in alios vſus verterent. Rex autem his ad plenũ compertis, quòd in ſe conſpirarent vicini nobiles cum vrbe Lubeca, parauit quanta potuit arma, ad recuperandam Nordalbingiam. Comites ipſi quoq; ſibi cõſuluerunt: nam arma contraxerant vndecunq;. Aderat archiepiſcopus Bremenſis Gerardus cũ copijs ſuis, Albertus dux Saxoniæ, Henricus de Zwerin, Adolphus de Schowenburg. Ego filium cum patre affuiſſe conіecto, quòd tantum adminiſtrare bellũ adoleſcens non poterat, ſed ſeptuagenarij patris potius cõſilijs quàm armis fretus, tantam ſit aggreſſus rem. Aderant quoq; Wandaliæ nobiles, Henricus de Werle, & filij Borewini, cum ciuibus Lubecenſibus, quanta poterant multitudine perarmatis. Regi autem venit auxilio de Lunenburg Otto, natus Wilhelmo & ſorore regis. Et copijs iam quiſq; pro ſua parte combinatis, cõcurrerunt die Magdalenæ in planis Bornehouede. Statim autem vt contulerunt manus, fortuna regis inclinauit: & multis cæſis atq; captis, rex cum filio fugam inijt: Otto capitur: victoria fit Nordalbingiorum. Mira rerum cõuerſio! Iſte ducatũ adminiſtrans, & in primis regni annis erat victorioſiſſimus: nũc vbiq; victus, omnia amittit in ætate virili, quæ in adoleſcentia acquiſiuit. Sed quum non diu pòſt Henricus Zwerinenſis comes diem ſuum obijſſet, Guncelinus Ottonem dimittẽdum putauit, vt maiori eius in reliquum tempus gratia & fauore veteretur. Solus enim ſuperſtes fuit ex ſemine Leonis Henrici. Nam Otto & Henricus, fratres Wilhelmi patris eius, ſine prole deceſſerũt maſcula. Sed obſtitit dux Albertus Saxoniæ, qui niſi dimitteret illi Otto Hiddeſacker, liberationi eius noluit conſentire. Waldemarus autem Daniæ rex, quum tres ex nouiſſima coniuge filios ſuſtuliſſet, affectione incredibili in minorem ferebatur, nomine Waldemarum: vt illum viuens ſecum regem iuberet conſecrari: fratribus eius natu maioribus, non æquis ea oculis (vt credi poteſt) aſpicientibus. Vxore autem accepta rex iunior illam ſtatim amiſit, nec longum tempus in medio, ipſe ſecutus eſt præmorientem. Patet autem filio regi ſuperſtes, regnum, quandiu ſuperuixit, ipſe adminiſtrauit, quòd filijs alijs malè fideret. Dux autem Abel, duorum iunior, filiam Adolphi comitis Nordalbingiæ duxit coniugem. Hunc ego quartũ accipio Adolphum, qui poſtea fratrum Minorum ordinem ingreſſus, Abelem fecit ſuorum liberorum adoleſcẽtum curatorem: quod in Saxonia noſtra diximus.

Belli apparatus vtrinque.

Nordalbingij regem in fugam conijciunt.

CAP. 20.

Rex Lubecã nequicquam obſeſſa, domum ſe recepit.

REX Waldemarus ſenior, quum iam arbitraretur vrbem Lubecã, magis magiſq; per ſingulos dies augeſcentem, in ſe & in Adolphum Holſatiæ comitem (cui iam bene volebat) ſuperbire, bellũ ei cum dicto Adolpho indixit: & ipſe rex à mari, comes verò à terra infeſti fuere vrbi iam Imperiali. Ad oſtium verò Trauenæ duo erexere vtroq; latere præſidia: & hinc atq; inde ductis catenis, aditum & exitum intercludere voluerũt. Rex autem quum magnam claſſem teneret in mari, ex grandioribus & iam vetuſtis vnam elegit nauim, quam ſaxis oppletã demerſit obſtruẽdo portui. Quo facto rex claſſem retro parum egit, vt quid agerent ciues ſpecularetur. Illi egreſſi foſſionibus inſtiterant, alueum alium flumini præparãtes: quod facilè factu ſunt arbitrati, ipſo fluxu decurrentis fluminis adiuuante. Dum ibi conarentur, venit Reualicia claſſis: & pleno vento adnauigans ferreas catenas cõfregit, peruiumq; reddidit portum antè clauſum. Qua in re magnã inijſſe gratiam cum Lubecenſibus referuntur. Ego illos ipſos fuiſſe Lubecenſes ciues arbitror, qui adnauigauerunt. Reualia enim, noua ciuitas, necdum in eum profeciſſe creditur modum, vt claſſem emitteret: quãdo nec ætate noſtra multum ſuis viribus poſſit, nixa ſocietate Lubecenſium, & eorum qui in occiduis partibus agunt mercatorum. Ea claſſe aucti Lubecenſes, obuiam regi ire contendunt, ſex maioribus ex omni claſſe nauibus perarmatis. Rex autem declinauit in Wernouiam, ibiq; conſedit. Lubecenſes nũcio admonuere Wandalos Borwini filios, vt regem à terra, illi à mari adorirentur.

tur. Nihil erat opus multis ſtimulis in eam gentem, quæ ab olim ſua ſponte Danis ſemper conflictati ſunt. Igitur rex vtrinq; expugnatus, in Lubecenſes vertitur: & illis retro pulſis, claſſe ſua redit in regnum. Ciues autem dictis præſidijs portum ſuũ in antiquum modum reformauere. Waldemarus autem in regnũ rediens, componendis vtcunq; rebus inſtitit: & poſt annos quatuor huius nouiſſimi belli, in pace quieuit, anno XLII. poſt mille ducentos: quum per annos quadraginta regnum varia fortuna adminiſtraſſet, fortunatior iuuenis quàm ſenex.

Waldemari mors. 1242.

CAP. 21.

Erico patri ſuccedenti frater moleſtus eſt.

ERICVS inter filios eius natu maior, patri ſuccedit in regnum. Et quoniam pater non ætatis ordinem ſecutus, vtroq; iuniorem fratrem illis in regno præpoſuit, Abel dux Sleſwici, patris in hoc ſecutus iudicium, fratri ſe quoq; præponẽdum putauit. Vnde factũ eſt, vt principio fraterni regni Abel duros motus excitauerit: ſed tamen Ericus in regno vtcunque perdurabat. Cuius temporibus Adolphus Holſatiæ comes, poſtquã in Liuonia aduerſus perfidos diu pugnaſſet, reuerſus, in nouam S. Franciſci religionem, tum efferueſcentem, pro recentia facti ſe tranſtulit, genero ſuo Abeli, duci Sleſwicenſi, permiſſa tutela filiorũ: quos ad literas erudiri cupiens, magnis ſumptibus in Pariſiorũ gymnaſio iuſſit creſcere. Interea rex Ericus Lubecenſibus infenſus, patris iniuriam cõſtituit vindicare. Et primùm quidem ciues in Dania piſcaturæ inſtantes cepit: quod ex paterno facto inoleuit, per eam vim extorquere volens quæ cupiebat. Sed liberatis per quamcunq; occaſionem ciuibus, ipſi armatam claſſem mittunt in Daniam populaturam. Peruenientes autẽ in portum, qui dicitur mercatorum, vbi rex plurimũ conſederat, arcem proximo ſeculo ab Abſolone archiepiſcopo fundatã oppugnant, & ſolo deiecto complanant, onuſtasq; prædis naues reducunt victores. Hic rex quũ eſſet Deo deuotus, honore pręcipuo excoluit ſanctũ martyrem Wenzeſlaum Boëmiæ ducem, quem frater eius occiderat. Quum autem rex eſſet ſoporatus, vidit per quietem eundem ſibi dicentem martyrem ſanctum, Cõfide frater: adſum quem colis. Nuncius tibi venio, eodem te genere martyrij abſumendum quo & ego. Prius tamen monaſterium volo conſtruas in honorem Dei & nominis mei. Euigilans rex, certus nõ fuiſſe vana ſomnia, in terra Reualienſi cœnobiũ cœpit erigere, quod ei viſio præcepit. Sed priuſquam cõſummaret, morte ſubtractus eſt hoc ordine: Viſionem ſuam duxit in longa tempora cõſummandam, præſertim fiſus quòd necdum expleſſet iniunctũ ædificandi monaſterium. Simul fretus fraternis viribus, (quòd ſuperiori anno recõciliati eſſent ex longinquo diſſidio) fratrem ſuũ Abel in ditione ſua duxit viſitandum. Venit, fratremq; conuenit amiciſſimè. Ille venientem regem hoſpitaliter excepit, vt apparebat: ſed vixit in corde eius odiũ inexpugnabile, quod nullus fraterni ſanguinis reſpectus, nullus compoſitionis modus, nulla familiaritas potuit exuperare: Nihil timentẽ regem, quum ad ſcacos (calculos vocant latrunculos) cum quodam milite rex luderet, & omnem ſecuritatem in fraterna domo præ ſe ferret, à fratris militibus captus eſt, & in nauim perductus. Lago quidam ex Dania miles illi præfuit, capitalis regi inimicus, quem vbi rex vidit, mala ſibi ominatur. Ille ait: Moriendum ubi ſcito rex ſine vlla cunctatione. Sciebam, inquit rex, vbi in tuas manus perueni, eſſe de me actum: veruntamen ſacerdotem mihi iube adeſſe, vt animę ſempiternæ conſulam. Quo adueniente, ſinceram ex animo peccatorum confeſſionem peregit, & abſolutione percepta, Sciebam, inquit, mihi à fratre meo mortẽ impendi, ſed non tam ſperaui properatam. Peccata quidem mea depoſcunt quod patior: ſed non erit melior exitus fratri, niſi quòd reſipiſcat à malitia. Solent morituri nonnunquã vaticinia edere. Et rex quidem in naui, ipſo in lacu Slya, ad oppidũ Sleſwicenſe, cæſus ſecuri eſt. Inconſueta mors regi. Cadauer ſaxo coniunctum mergitur in profundum: non tamen diu pòſt inuentũ eſt ſupernatare, ceruice adhuc per cutem adhærẽte corpori. Inde tranſlatum, tumulatur in oppido Sleſwig apud fratres prædicatores. Monſtrant tamen in eccleſia maiori locũ, vnde furto ſubtractum, in ſepulchrum regium ferunt tranſlatum. Frater autem, iam rex, vbi intellexit inuentum fratris regis corpus, iuſſit effoſſum deportari in regium ſepulchrũ. Erat aũt annus poſt natum Chriſtũ milleſimus ducenteſimus quinquageſimus primus, quum annos non plenè nouem in regno peregiſſet. Qui huius necis conſcij fuere, omnes

Rex ſomnio de mortis genere monetur.

Rex indigna morte afficitur.

1251.

malè perierũt. Lago ipſe executor ſceleris, in Holſatia obtrũcatur à colluſore. Hermãnus quoq; Kerkwerder miles, (qui tum quum rex caperetur, cum illo ludũ peregit) quum conſcius factionis putaretur, à foſſoribus ruſticis confoſſus perijt.

CAP. 22.

Abelus ob caſum fratrem, non diuturnum regnum.

ABEL regis proximi frater, ſuperioris filius, fratri ſurrogatur in regnum, quod malè partum, & fratri per vim extortũ, non potuit eſſe diuturnum. Nam in ipſa ſua Dania, prę ſertim in Sialandia, bello impetitur ab Henrico de Mildorpe milite. Cui rex cum copijs ſuis congreſſus, vincitur atq; fugatur, multis ſuorum amiſſis: victores in naues præda congeſta, redierunt in ſua. Creditum eſt, motum illum veniſſe regi ex Friſia atq; Thietmarſia. Nam proxima æſtate vindicare ſe volens rex Abel, arma collegit plurima: & primos quidem impetus vertit in Friſiam Aquilonarem (Nortſtrand vocant) inde proximo traiectu tranſiturus in Thietmarſiam. Vnde cõiectura eſt, inde prodijſſe priores, qui eum laceſſierunt, hoſtes.

A Friſis opprimitur.

Sed quum improuidè depugnaret in Friſia, à ruſtica plebe, rex tantus, & tantà prę ditus armorum multitudine, cadit oppreſſus. Tum impletum eſt morientis fratris vaticinium, qui prædixit, niſi conuerteretur à vijs malis, proximè ſecuturũ. Non hanc regis expeditionem fuiſſe in Holſatiam quiſquam prę ſumat, quum ſemper amiciſſimè vixerit iſte rex cum leuiris ſuis, quorum tutelam gerebat, quũ illi abſentes eſſent pro literarum ſtudio: & redeuntib: in Hamburg, prę ſente archiepiſcopo Bremẽſi liberrimè reſtituit ditionem, nihil ſibi iuris reſeruãs, fretus etiam eorũ armis in fratrem Ericum. Non enim ſemel tantùm arma promouerat archiepiſcopus Bremẽſis cum Ioanne Holſatiæ comite: ſed & filium Abelis Waldemarum (qui cum comitibus Holſatię, auunculis ſuis, ſtudio literarũ deditus erat in Francia) redeuntem, apud Coloniam, (incertum quibus cauſis) captum & detentum, idem Ioannes ære ſuo redemit poſt patris mortem, datis (vt ferunt) ſex millibus aureorum. Hic Waldemarus patre cæſo reuerſus, à patruo Chriſtophoro rege permiſſus eſt adminiſtrare ducatũ Sleſwicenſem. Peregitq; æuum diu pacificũ cum comitibus Holſatię auunculis ſuis, ſemper memor puerilium ſtudiorũ, memor ſanguinis proximi, memor beneficij quod ei Ioannes impenderat, quum eius opera ex captiuitate Colonienſi liberaretur.

CAP. 23.

Crebra regũ mutationes perniciofa.

CHRISTOPHORVS proximorum regum germanus frater, Waldemari regis itidem filius, ſuccedit in regno iam dudum impacatiſſimo crebris regum mutationibus, quæ ſecũ afferunt omnium rerũ innouationes. Veniunt noua conſilia, noua miniſteria, noui mores. Hic Chriſtophorus diu nullos expertus eſt magnos caſus in regno, ſed quietè ſatis egit vſq; ad tẽpora morientis Waldemari, ducis Sleſwicẽſis. Hic erat regis ex fratre Abele nepos. Reliquit autẽ Waldemarus ex ſorore Ioannis & Gerardi comitũ, filium Ericum, cuius adminiſtrationem in ætate minori ſibi rex deſumpſit, arbitratus regno conducere vt vnum iterũ corpus integretur, extincto ducatu Sleſwicenſi.

Rex aliena inuadere ſtudens, victus capitur.

Sed quũ regis conatus intelligerẽt comites memorati, pro ſuo nepote Erico arma ſumpſere: & regi nunciantes hoſtilia, occurrerunt venienti cũ expedito agmine, in loco qui dicitur Leoheyde, ibiq; ſigna contulerunt: vbi diu fortiter extracta pugna, inclinauit fortuna regis. Cæſi plurimi, capti nõnulli: in quibus rex ipſe capitur. Non aberat longè regina: illam quoq; cũ rege captam comites perduxerunt in Hamburgũ. Sunt tamen qui hanc rem non Chriſtophoro, ſed filio eius Erico narrent contigiſſe, vt caperetur. Nam Chriſtophorũ tradunt obijſſe anno LIX. quum triennio pòſt in Leoheyde confligeretur, rege capto cum regina. Et eam rem de filio Erico teſtificantur annales Danorum. Inde poſt multos dies, multis argenti libris in redemptionem perſolutis, relaxatur. Sed Ioannes comes Holſatiæ, quum adhuc victrices cohortes ſuas teneret, memor iniuriæ quę nuper illi Lubecæ prouenerat, quum immunitatem vrbis violaſſet, & vix tumultuantiũ ciuium manus euaſiſſet, vindicare ſe conſtituit: & mouens in prædia Lubecenſiũ, ferro & igne cuncta vaſtabat.

Lubecenſes acceptã iniuriam vlciſcuntur.

Sed ciues diſſimulata in tempus inuaſione, quum ille agmina ſua diſperſiſſet, illi quoque, inuocato Alberto duce Brunſwicenſi, reddunt vicem comiti. Wagriam illi peruaſtant, oppidum Kilonem obſident, & oppugnant: & incendijs vaſtationibuſq; peractis, cum præda reuertuntur. Chriſtophorus autem in pace omnia adminiſtrauit, paſſus vnicuiq; ſuum eſſe, quæ pridem illi cauſa malorũ

1259. erat. Inde ad annum Chriſti MCCLIX. in fata conceſſit.

CAP. 24.

Ericus Sleſwicẽ ducatũ abolere conatur.

Frater fratrem peregre redeuntem à regno ingreſſu arcet.

Ericvs adoleſcens patri Chriſtophoro ſurrogatur in regnum. Hic quum ad legitimam perueniſſet ætatem, Agnetem duxit vxorem, filiã Ottonis marchionis de Brandenburg. Cuius regni tempore Ericus Sleſwici dux abiit in fata, duos relinquens paruulos, Ericum & Waldemarũ: quibus rex Ericus præeſſe voluit iure ſanguinis, multum recuſantibus de Holſatia comitibus, Ioãne II. & Alberto vnà cum Henrico Gerardi filio. Rex tamen peregit quod voluit, renouata arce in oppido Koldinghum: vnde, quoties vellet, frænum iniiceret vniuerſo ducatui Sleſwicenſi. Imò, rex ipſe multum reluctãtibus cum duce comitibus, totũ penè ducatũ in ditionem ſuam redegit, paucis relictis in manu ducis. Præualuit enim rex: nec momentum habere potuit quod aduerſus molitiones eius (vtpote incomparabiliter maiores) comites cum duce conarentur. Quum tamen Waldemarus, qui ſolus remãſit, adoleuiſſet, per incrementum cõmunium amicorum factum eſt, vt dux recognoſcens feudum ab rege, quod prius noluiſſet, omnem terrã recuperaret quæ dudum ducatui debebatur. Quumq́; bellum illi diuturnum eſſet in ducem Iutiæ (hodie vocãt Sleſwicenſem) collatis viribus ducem cepit, arcem Tunderen ſubuertit. Reintegrata tamen deinde eſt gratia inter illos. Per huius regis tẽpora Waldemarus rex Sueonum, pro Chriſto peregrinatus quum abeſſet, regnum eius inuaſit frater eius Magnus: nec tedeuntem paſſus eſt ingredi. Ille diuertit ad Ericum Daniæ regẽ hoſpitaliter exceptus. Quod ipſum Magnus inuaſor ferre non ſuſtinens, quum adhuc reges in ſe nihil molirentur, præueniens mouit in Scaniam, eamq́; ferro & igne deuaſtabat. Huius regis temporibus Guido cardinalis legatione fungitur in Dania. Cauſa legationis hæc fuit, quòd Chriſtophorus, huius pater, Iacobum archiepiſcopum Lundenſem captiuũ habuit in cauſa decimarum: & quum annis ferè nouem duraſſet ob hoc poſitum interdictũ, Guido rebus cõpoſitis relaxauit. Ericus autem longæuę pacis inde tempora ſortitus, ad annum Chriſti peruenit poſt mille ducen- 1286. tos octuageſimum ſextum: & quum nihil foris hoſtile experiretur, ſuorum impetum euitare non potuit. Nam domeſtici eius (incertum quibus ex cauſis) cõſpirantes in eum, hoſtiliter confoderunt. Crediderim, gentem motibus aſſuetam creberrimis, non æquanimiter pacem ac temporum tranquillitatem toleraſſe: & quum deeſſet quod foris cum laude peragerent, verſi in caput ſuum regem, pro quo omnes mori oportebat, ipſi ad mortem prouexerunt. *Neſcia mens hominum fati.*

CAP. 25.

Waldemarus regni procurator inſidiatores delet.

Ericvs, trium Erici filiorum natu maior, adoleſcens tamen procerũ voluntate in ſceptra ſuccedit, futurus magnificus & ſplendore gloriæ inſignis rex. Waldemarus Sleſwici dux, legitimã pro minoribus ſubiit adminiſtrationem. Inter principes agnatos maior, & cui plurimum fideret regina, rebus pluſquam ciuili bello in regno perturbatis, erat Waldemarus, procurandis rebus ſollicitus. Quumq́; ſtaret in concilio incumbens, rebus gerẽdis, audit inſidias ſibi tendi ab iis qui ſibi de morte regis malè etant cõſcij. Nam præuenire conati vindictam, ipſum quoq; Waldemarum opprimere ſunt cõniſi, certi quòd niſi eo extincto ſalui eſſe nõ poſſent. Ipſe ad pericula intrepidus arma poſcit: & acceptis, in illos qui detecti fuere deſæuiit, alios ſtrauit, nõnullos vulnerauit, quacunq; occaſione manus eius effugientes quoſdam captos in Alſen deuexit, & vinculis mancipauit. Ericus quum ad legitimos annos perueniſſet, coniugem duxit Sueciæ regis Birgerij ſororem, quum pridem ipſe Birgerius coniugem haberet germanam Erici. Ita geminatis affinitatibus, fortius inuicem ſunt deuincti. Hic rex grauem cũ archiepiſcopo Lundenſi gerebat ſimultatem, ob quædam regni & eccleſiæ iura: quum quiſque ſuam partem (vt fit) iuſtiorem reputaret. Cedere coactus archiepiſcopus maiori potentiæ, Romam ſe contulit: prius tamen carceratus euaſit. Et quum ſummo pontifici rem aperiret, miſit ille Iſaruum ad regem nuncium. Quem rex prò Ioanne depulſo fecit archiepiſcopum: regnũ tamen manſit in interdicto. Suffertur Ioannes ad ſedem Rigenſem: aliquanto pòſt tẽpore iterum trãſfertur ad Bremenſem eccleſiã: Iſaruus ad Salernitanam, vt careret eccleſia quam non erat antè ritè cõſecutus. Nec diu pòſt rex cancellariũ ſuum miſit in vrbem, rebus componendis: quod ita impleuit. Extitit deinde cauſa, quæ Waldemaro Sleſwicenſi duci regem faceret infenſum: ſimultas primùm verbis expoſtulata, in apertum bellũ proceſſit. Vtriq; cõparatis ſibi armis, contractisq́;

Interdicti terrore papa reges cogit in ordinem.

auxiliis, duxerunt in inuicem. Maior erat longè ducis exercitus: nec incertus poterat videri pugnæ exitus, quũ ex hac maiori parte ſtarent pugnaciſſimi plurimi. Sed interuentu communium amicorum, quum iam ad pugnam parata ſtarẽt agmina, res ita dirimitur, vt duci Lalandia permittatur: quę diſſenſionis videbatur materia.

CAP. 26.

EISDEM remporibus, quũ princeps Wandaliæ apud Roſtock (quem puerum dixere) contempta filia Alberti marchionis, duxiſſet coniugẽ congentilis ſui D. de Walogaſto filiam, iratus Albertus malè minabatur cõtemnenti. At ille ſe ſubiecit Erico Danorũ regi: qui miſſis expeditis militibus, ſubditũ ſuum egregiè defendit. Inde rex Ericus, quũ cerneret res omnes in Suecia turbari, & magno ibi bello confligendum, operas impendit ad pacandas res vicinorum principũ: vt illorum vteretur opera ad bellũ memoratum. Intendit ergo animũ ad pacandos vicinos Holſatos. Nam comites ſuccenſi militaribus, plures eiecerunt de terra: rex interpoſita opera pulſos reconciliauit dominis ſuis. Quumq; Magnopolenſibus inciderent ſimultates ad vrbem Lubecã, duci quoq; Sleſwicenſi & comitibus memoratis turbata erat ſinceritas, euocauit rex Albertũ Saxoniæ ducem & omnes quos diximus, in inſulam Cimbriam, quam corruptè vocant Imbriam: ibiq; dedita opera omnes & ſingulos, quibuſcunq; ex cauſis diſſidentes, conciliauit inuicem: vt datis dextris, regis nutu omnia pacarentur. Qui de Lubeca miſſi ſunt, quum cernerẽt regis tantam paci deditam operam, perſuaſis ciuibus, regem decennio elegerunt defenſorẽ, per ſingulos annos mille illi marcas dependentes. Ex iis quos diximus principibus, nobilibus atq; ciuibus, rex fortem & expeditũ cõflauit exercitum, mouens in Sueciam, Birgerium ſororium ſuum liberaturus: quem fratres eiuſdem Birgerij, Waldemarus & Ericus, regno deturbatum in vinculis eſſe iuſſerunt. Veniẽs autem Ericus rex, omne regnum, omnes portus, vrbes & arces atq; caſtella, ita reperit Teutonicorum impoſitis præſidiis eſſe cõmunita, vt nihil ipſe cum vniuerſo exercitu ſuo perageret. Ibi perierũt labores & impenſæ plurimæ, incaſſum amici fatigati: qui tamen omnes regi erant voluntarij, maiora etiam pro illo ſubituri. Nec diu pòſt Otto Brandenburgenſis marchio, quũ antiquas exerceret in regẽ ſimultates, audita magna eius & mirabili magnificẽtia: non paſſus ab eo diutius diuelli, in oppido Ribeniſſe occurrit regi: conuenitq; vt anno proximo Roſtock cõfluerent: ibiq; marchio ipſe centeſimus: inter quos erant XX. principes, qui cingulũ ſumerent militare de manu regis. Quam ſolennitatem quia in Wandalia deſignauimus, hic tranſilimus.

Rex pacis inter diſſidentes componendo ſtudioſus, à Lubecenſibus defenſor eligitur.

CAP. 27.

PER quæ tempora patefacta eſt coniuratio grauis in regem Ericum, hoc ordine: Ericus dux Lalandiæ diem ſuum obierat. Relicta eius quum ad filiam regis tum de ſacro fonte leuandam vocaretur, prompta venit. Et vt regi gratum quid faceret, literas exhibuit multis ſigillis communitas: vel ignara quid proderet, vel maligna in viuentes, quando marito ſuo, iam mortuo, noceri non poterat. Erant autem literæ illæ coniurationis initæ in caput regis. Quibus acceptis, paulatim ſumpſit pœnas de omnibus coniuratis quos literæ prodiderunt. Ita plurimum ſanguinis effuſum, vt nequam coniuratio vindicaretur. Ducatum aũt regno conſolidauit, quum dux prolem nõ liquiſſet maſculã. Bellum deinde ortum eſt regi magnum, quum Waldemarus illi marchio multa minaretur: occaſione (vti arbitror) orta de Wandalis, qui regi quàm marchioni erãt prõmptiores. Proceſſit res, & ſerpſit latiſſimè: quiſq; partibus ſuis adglutinabat quos potuit. Regi cohærent Ioannes & Gerardus, Holſatiæ comites, Ericus dux Saxoniæ, Henricus de Magnopoli, Werſlaus de Rugia, Henricus de ZWerin, & vrbs noua Gripeſwaldis. Marchioni verò adhæſere Otto dux de Stetin, Werſlaus de Walogaſt, Ottonis frater: Sundenſem ac Roſtokcenſem vrbes in hac parte conſtitiſſe ferunt. Lubecenſes verò ſe partibus ſubtrahentes, in neutralitate conſtitere, quòd ſine pernicie ſua nuſquam poterant inclinare. Nam regem ſibi elegerant defenſorem: marchionem verò cognouerunt, imperij proximum ſibi principem, nonnihil ab imperio reſpectus in ciuitatem habere. Quum ita maximi vtrinque bellorum fierent apparatus, mors marchionis rem omnem diremit. Nam ſanguinis ſui nullũ reliquit ſucceſſorem, qui bellũ propagaret: peruenit enim feudum illius mox ad Imperium. Ericus autem iam ingraueſcẽs annis & morbo, quum adeſſe ſentiret diem extremũ, cõuocatos proceres monuit,

Coniurationis patefactæ affines pœnas luũt.

Marchio bellum cum rege facturus moritur.

ne fra-

ne fratrem ſuum Chriſtophorum (quem ille pro ſuis demeritis regno expuliſſet) regem poſt ſe facerent: & inde conceſſit in fata, ad annum Chriſti poſt mille trecẽtos 1321. viceſimum primum, quum in regno triginta quinque annos peregiſſet.

CAP. 28.

Chriſtophorus contra deceſſoris voluntatẽ rex creatur.

CHRISTOPHORUS defuncti Erici frater, quamuis moriẽs rex hoc vetuiſſet, vterini fratris ſui Ioannis Holſatiæ comitis opera in regnum peruenit. Erant multi qui illi ducem Sleſwici Ericum præpoſuiſſent: idq; maximè iure comprobarunt. Multiq; Germaniæ principes in eam partem inclinabant: nec erãt in regno pauci, qui voluntatem Erici proximi regis iuſtificabant. Sed vicit omnia Ioãnis fratris ſui inſtantia, vt in regnum ante alios perueniret. Erãt inter proceres, quos naturalis reſpectus permoueret, quòd regis frater & filius ad coronã proximus haberetur: ſperabant enim, iam deferueſcente adoleſcentiæ calore, futurum modeſtiorem. Multa illi bella cum ſuis, multa cum exteris. Quumq; in ducẽ Sleſwici exterminandum verteretur, occurrũt illi comites Holſatiæ. Tamen priuſquam ad eam rem veniretur, bellum vertit in vrbem maritimam Straleſſund: quòd regi obnoxia diceretur, fundata à primo Waldemaro: illa autem Walogaſtẽſi principi D. ſuo parebat. Rex magnam inſtruxit claſſem, inuitãs à terra principes fœderatos, hos ſcilicet, Ericum ducem Saxoniæ de Lowenburg, Albertum ducẽ Luneburgenſem, Gerardum & Ioannem comites Holſatorum, Adolphum de Schowenburg comitem, Guncelinum de Wittenburg, Henricum de Zwerin comites, Henricũ de Mekelnburg, & Pribiſlaum Wandalorũ principem. Hi mouerant à terra. Ceterùm à mari venerant Chriſtophorus ipſe rex Daniæ, Birgerius rex Sueciæ, Sueno dux Sleſwici, Kanutus Pors, dux Hallãdiæ, incomparabilis vni expugnandæ vrbi exercitus. Hos omnes agmine ſuo præuenerat Ericus dux de Lowẽburg, & metatus eſt caſtra in loco qui dicitur Heynhold. Ciues qui de muris ſpecularẽtur aduentũ eius, quum ſcirent incõparabilem ſubſequi exercitum, expeditis armis ſuis ad ſolum egreſſi, fortiter oppugnauerunt. Ille quoad licuit, ſeſe defendit: ſed fatigatus ceſſit multitudini: captus, & cum ſuis in ciuitatem protractus eſt. Reges & principes quum ſuperueniſſent, audito quid de duce factũ eſſet, indoluerunt: & oppugnationem vrbis grauiorem inierunt. Sed quũ ciues animosè defenderent ſua mœnia, in vanum laborauerunt: diuq; fatigati in ſua quiſque abierunt. Dux autem captus traditur duci de Walogaſto: ac ingẽti ſe pecunia redemit, ſedecim millibus marcarum argẽti puri.

Ericus à Stralcſſundĩs, quos obſeſſum venerat, capitur.

Regis irrita expeditio.

CAP. 29.

CIRCA hæc tempora rex Chriſtophorus adiuuit partes principũ de Mekelnburg, aduerſus maritimas ciuitates: in quo bello magnæ vtrinq; calamitates illatæ, ita vt inuicem ipſi principes non æquis ſe oculis aſpicerent. Vnde factũ eſt, vt communibus amicis rem intercipientibus, eò deduceretur, vt rex accepta pecunia, dominium Roſtock, quod regi prouenerat, aut feudi aut belli iure in perpetuum permitteret dominis Magnopolenſibus: apud quos permanſit in hodiernum. Rex eò delatus inſtructa claſſe, caſtra poſuit ad oſtia Wernouiæ: vbi erãt reliquiæ arcis demolitę Denskeburg. Ibi aduentum Ludouici Romanorum regis operiebatur: venturum enim pollicitus eſt ad deſpõſandam regis filiã, Ludouico marchioni, Rom. regis filio. Sed illo vel procraſtinãte nimium, vel omnino venire recuſante ob cauſas neceſſarias, rex in ſua regreditur. Quo etiam tempore, rex quum multos procerum ſuorum inſimulaſſet, quòd aduerſus ſe tradimenta conſtituiſſent, volentes rege deiecto, fratrem eius regem habere (quum tamẽ, vt multorum fert opinio, fuiſſent innoxij) ſuſpendio necauit. Nec diu pòſt, quum Ericus Sleſwici dux mortem obiret, paruulo relicto decenni puero Waldemaro, rex iterum adminiſtrationem ducatus quærebat: ſed obſtitere Holſatiæ comites. Et magnum inde bellum formidabatur. Nam rex Ericũ ducem Saxoniæ adiutorem inuocabat: nec minus comites arma parauerunt. Sed interuentu bonorum virorum res tota ſine bello quieuit. Nec longùm poſthac, venit cum apparatu magno multorum principũ Lubecam Bertoldus comes de Hennenberg, ducens marchionis Ludouici filium puerũ nouennem: & exinde traiiciens in Daniã, magna adhibita ſolennitate, deſpondit puero filiam regis Chriſtophori. Aderat inter alios Henricus D. de Mekelnburg: cui quum magnam teneret partem Wandaliæ in Marchia, pollicitus eſt rex magnam ſe daturum pecuniam, vt ſibi permitteret eam partem ditionis. Ille ſciens quid rex

Proceres proditionis inſimulatos rex ſuſpẽdio necat.

Qui potẽtiori quod poteſt, denegare vult, vt ſe gerat.

in ſuo poſſet, deliberationem vnius diei depoſcit, vt ſuorum conſilio rem perageret. Negare quum formidaret, minus annuere voluit: quamprimū potuit, inſcenſa naue abijt. Comes peracto negotio ſuo, & ipſe rediјt cū adoleſcētulo principe ſuo. Et reuerſus in terrā conuenit Henricum memoratum, vt à ſe accepta pecunia, potius quàm à rege traderet ditionem antè dictam. Placuit vtrunque, & conuenit de pretio. Quo numerato ad marchionatum rediјt, terra prius inde deducta.

CAP. 30.

Rex regno depulſus, nulla vi poteſt reſtitui.

QVVMQVE Rugianorū princeps tempore illo obiiſſet ſine prole maſcula, omnes Wandaliæ principes in eam coniecere oculū, duces Stetinenſes, Pomerani, Walogaſtenſes, marchio, domini Magnopolēſes: omnib. autē tum excluſis, Chriſtophorus rex, iam vetus dominus, eam ditioni ſuæ vendicauit. Sed quum necdum conquieſcerent odia inuicem Danorum & Holſatorum, Gerardus & Ioannes comites, adſtipulātibus Iutijs nauigarunt in Daniam, & incolis ad ſe concurrentibus, regē penitus regno depulerunt. Ceſſit, perueniēs Roſtock. Ibi cōtractis vndecunq; auxilijs, rediјt in regnum. Sed non potuit conſiſtere in conſpectu aduerſariorū, qui Waldemarum Erici Sleſwicenſis ducis filium, regem creauerunt. Is procerū voluntate curiam celebrās, auunculos ſuos comites, qui eum regem fecerant, remunerabat. Nam Gerardo conceſſit ducatum Iutiæ, quem Sleſwicenſem dicimus, Ioanni Lalandiam Cimbriam, & quædam alia. Miles quidam ex Teutonicis, arcem tum tenebat Werdingburg, ſatis inexpugnabilem: cui Gerardus pollicitus eſt daturum ſe quatuor millia marcarum, ſi redderet arcem. Ille accepta fide de pecunia, mox tradidit. Conſignatum eſt illi æs promiſſum in arce Zegeberg, vt arcem teneret (ex more) in pignus, quo aduſq; acciperet. Ille adiit, poſſedit. Sed quum nihil ſibi timeret (ſcientibus an neſcientibus comitibus, incertum) noctu tranſcenſis muris arx capitur: Ille cum ſuis muro deturbatur, proditoris ſumēs prēmia ſolita. Poterat tamen vtcunq; fieri, etiamſi nihil inde comites aut ſciſſent aut mādaſſent. Sed dum bellum traheretur, fierentq; viciſſitudines & mutationes plurimæ. Ericus Chriſtophori filius vſqueadeo inualuit, vt auſus ſit obſidere arcem Gottorp. Qua in obſidione tantum ſpei fouit obtinendæ arcis, vt nullo Holſatorum timore angeretur.

CAP. 31.

Ericus vulnere in obſidione accepto moritur.

Rex comitibus placatis reſtituitur.

ABERAT ex quibuſdā cauſis Gerardus vir fortiſſimus: Ioannem verò cōtempſit. Ille aūt adunatis armis obſidentes Danos inuaſit: & cōmiſſo prælio Ericus vulneratus eſt lethaliter, quo ex vulnere breui pòſt obiit: & ſoluta eſt obſidio. Proxima autem æſtate rex Chriſtophorus Lubecam veniēs, interpoſitis amicis pacem meruit à comitibus. Erat aūt pactionis hæc forma, vt rex comitibus perſolueret octoginta millia marcarum argenti puri: & in pignus, donec numeratio impleatur, acciperent ſyluam quæ dicitur Danica, cum octo circumiacentibus huius parochiis. Rex Werdingburg reducitur in regnum. Sed Danorum proceres huius compoſitionis formam non approbantes, reſtiterunt: regemq; in ea arce obſederunt. Sed quum regi adeſſent comites memorati, facilè ſuperauit aduerſarios. Omnium nouiſſimi fuere Iutij, qui regi ſe opponerēt pro ſuo Waldemaro, quem regem creatū defenderant. Nam arcē Gottorp noua oppugnatione adorti, cinxerūt obſidione. Ioanes aūt Chriſtophori vterinus frater, iam pro fratre agens, contractis copiis inſtitit obſidionem ſoluere. Et cōmiſſo prælio, ceciderunt ex Danorū numero nongenti. Ipſe victor obſidionē diſſoluit: multos ex Iutiis nobilioribus ſecum captos abduxit. Extitit deinde cauſa qua comites fratrueles, Ioannes & Gerardus grauiter inter ſe diſſiderent. Rex fratri Ioanni ſuppetias tulit, ſatis ſciens, vbi Gerardum ſuperarit, de Ioanne ſe facilè acturū. Ioannes cōtractas copias in Todeſlo collocauit, regem ſibi coniungendū demoratus. At Gerardus hoc cauens, ne copiæ iungerentur, regis ex Sleſwico ducentis iter præoccupauit: & venientē excipiens, manū cum illo cōtulit. Erat aūt regis agmen duplo præſtans numero. Sed comes inuictus cōſerens prælīū, facilè regis agmen dirupit, cæcidit multos, aliquot cepit: vix rex elabitur cum filio Waldemaro, in oppidū Kilonem cōfugiens. Ioānes audito prælij exitu, ad fratrem venit, illumq; reduxit in regnū. Nec diu pòſt cum fratruele Gerardo egit ſuper relaxatione captiuorū, quos ſuperiore anno ille abduxit de exercitu regis fratris ſui. Nec tamen res ad ſolum ſpectabat Gerardum: nam auxilia plurima aliunde cōtraxit. Erant cū eo Wilhelmus de Orlemunde, Burchardus de Zwalenberg, comites

Rex à Gerardo pulſus, à Ioāne reſtituitur.

Henricus

Henricus de Brunchorſt, Nicolaus ac Guncelinus de Wittenburg: his enim pars erat in captiuis. Sed tum accepta Fionia, Gerardus vix cęteros reddidit quietos. Attamen Dani malè fidē ſeruabant. Nam eodē anno in Lundis repertos Holſatos obtruncauerūt: & obſidētes arcem Helſingburg, & quicquid in regno Gerardus habuit, receperunt: quū illi quos pręfecit Gerardus, nihil hoſtile timerent. In his laboribus ætatem terens Chriſtophorus, quum ad maturam perueniſſet ætatem, anno poſt MCCCXXXIII. vitam finiuit, quum in regno duodecim egiſſet annis. 1332.

WALDEMARVS eius nominis tertius, Chriſtophori filius, regno ſuccedit. Cuius frater Otto, renouatis in Holſatos bellis nihil profecit. Nam ei occurrens in Iutia Gerardus, ductor fortiſſimus, nō longè à Wiburgo collatis manibus, vicit: & multis cæſis Ottonem cepit, perduxit captū in arcem Zegeberg. Romanorum interim rex miſſis nunciis in Lubecam ſolēnibus, Gerardo de Hennenberg comite, cum conſortibus, mandauit ciuibus, vt quantas poſſent vires interponerent, ad laxandum captiuum Ottonem Chriſtophori filium. Illi parētes dicto, quod poterāt fecere: at nihil profecerunt. Ad extremum tamen pactis conditionibus dimittitur: quorū quædam dum non legaliter implerentur, Gerardus bella renouare coactus, exercitum duxit in Iutiam. Ibiq; dum caſtra haberet non ſatis diligenti ſuorum cuſtodia, a Danorum quodam nobili, qui conſuetudinem caſtrorum eius noſſet (nam diu illi militauit) noctu velut vnus excubitorum, ingreſſus cum ſexaginta viris, comitem in ſtrato ſuo occidit, & cum eo capellanum, & militem Henricū de Witighoue: & clàm regreſſus elabitur. Ad primam lucem comperto ſcelere ingens in exercitu luctus erat, quòd vir incōparabilis, ductor ſemper fortiſſimus, qui Daniam omnem gladio ſuo ſæpe concuſſerit, tam negligenter perierit. Hēricus tamen filius eius (cui ex robore Ferrei nomen poſtea acceſſit) peractis funeralibus ex more, cōſolatus exercitum, in Daniam illū duxit, vbique ſæuiens igne ac ferro: nec obuium ſe ferre illi quiſquam præſumebat. Nec quieuit, donec caperet patris ſui iugulatorem. Quem rotis membratim diſciſſum, vulturibus deuorandum obiecit.

Cap. 32. Waldemarus III.

Gerardi in ſtrato occiſi mortem filius vlciſcitur.

IAM Waldemarus rex Chriſtophori filius, regno pulſus exulabat. Waldemarus autem, pridem dux Sleſwici ſub Chriſtophoro creatus, nunc regnum ope Holſatorum ambiebat: & peregit vt rex pelleretur. Sed mortuo Gerardo, quum filij eius multo tempore rem ſuſtinuiſſent, & vindictam paternæ necis egregiè peregiſſent, & iam audirent Lubecam vēitaſſe Ludouicum marchionem ex quibuſdam cauſis: illum adeunt comites: rogabantq;, vt ille interpoſitis partibus ſuis, regem regno reſtitueret. Ille dedita opera peregit. vt dux Sleſwici Waldemarus, coronā poneret, regi Waldemaro redderet, accepturus quæ ab olim omnia paternæ fuerunt ditionis. Dux ex fide omnia peregit. Et vt in reliquum tēpus ſolida perſtaret familiaritas, ſororem ſuam regi deſpondit in Singderburg: peregitq;, vt ex omni regno proceres coeuntes in Wiburgum, reciperent & agnoſcerent regem, ſacramētis ex more renouatis. Et tamen iniquis ſemper oculis aſpexere inter ſe Holſatos diuerſantes, quum Fionia illis pareret. Ergo adunati, arcē eius terræ Scalingburg cœperunt oppugnare. Holſati, qui intus agebant, fortiter repugnauere: miſſo nuncio in Holſatiam, qui filios Gerardi de rerum ſtatu facerēt certiores. Illi ſexcentos armauere, perq; mare immiſerunt. Quos quum ex propinquo eſſe obſeſſi cernerēt, quadrato agmine incedentes eruperunt: & inſtituta pugna, in obſidentes fortiter præliantur. Superuenere ſexcenti pugnantibus: & interceptos Danos, ad internecionem cęcidere. Cæſa ſunt ad duo millia promiſcui ordinis: inter quos & capitaneus omnium cauſa malorum, qui in necem Gerardi fertur conſpiraſſe.

Cap. 33.

Waldemarus in regnum, e quo pulſus erat, reſtituitur.

WALDEMARVS dux, quibuſdā ex cauſis Holſatis auerſus (quos ſemper coluerat, & quorū inſigni opera ſæpe vſus eſt) cepit in eos hoſtilem animū. Holſati nō armis, ſed inſidiis agendū rati, obſeruabant tēpus venationis ſuę. In qua captum ducē abduxerūt in Newēburg, arcem Fioniæ: & duobus annis tentus eſt, donec magno ære lueret captiuitatē ſuam. Waldemarus quoq; rex inuidit Holſatorū fortunæ, quòd meliores in regno arces tenerent: quas ſe exulante, ſtipendiū militiæ ſuæ acceperunt. Obſedit ergo terra mariq; arcem Callingburg. Sed Henricus comes à mari adnauigans, obſidētibus, inſtituto prælio magno, Danorum aliquot cæſis, ali-

Cap. 34.

quot etiam demerſis,& captis nonnullis: ſoluit obſidionem. Inde verò quum Otto frater regis, Theutonicorum ordinem ingreſſus, militaret in Pruſſia aduerſus perfidam tùm gentem Lituanorum, Waldemarus rex in eandem ſe expeditionē perarmauit, ſumpto ſecum Erico iuniore duce Saxoniæ. Et primùm quidem adnauigabat Lubecam, ibi ducem excipiens: inde cōtendunt in Pruſſiam. At illo veniente, non erat is ordo rerum, vt bellum innouaretur. Vnde fruſtratus rex, ſine fructu rediit in regnum. Et ſtatim pòſt, eodem Erico aſſumpto, longam iniit peregrinationem in terram ſanctam: vbi apud Dominicum ſepulcrum, rex ab Erico duce creatus eſt miles. Reuerſus inde rex, cæteras Holſatorum arces cœpit oppugnare, & in Lalandia obſedit Werdingburg. Ioannes autem Holſatiæ comes, quum id audiſſet, armatis aliquot nauibus, ſuppetias ferre conſtituit obſeſſis. Non eſt paſſus rex Sueciæ Magnus rem armis peragere. Nam ille intercepto negocio peregit, vt rex octo marcarum argenti millibus perſolutis comiti, reciperet Lalandiam ſuam. Et conſenſit comes: ſedataq; eſt materia controuerſiarum.

Rex in Lituanicā expeditionem fruſtra profectus ſanctam peregrinationē ſuſcipit.

CAP. 35.

Marchio adulterinus nō caret quorūdam ope.

INTEREA cauſa extitit, per quam ludificati principes multi (in primis Albertus iam dux Magnopolenſis, & Otto archiepiſcopus Magdeburgenſis, Rodolfus dux Saxoniæ, & Albertus comes de Anehold) marchionem adulterinū defenderūt aduerſus Ludouicū Rom. regis filium, iamdudum illo principatu inueſtitum. Rex aūt Waldemarus partes fouit Ludouici, magno agmine mouēs in ducem Magnopolenſem Albertum: & peruenit agmine ſuo per Pomeraniam ſibi paratam, ad oppidum vſq; Stargard: quod non diu reſiſtere potuit oppugnanti. Secutus regem Albertus, obſedit eum in oppido memorato. Sed quum audiret Albertus ſuperuenire Romulum marchionis fratrē cum exercitu, vt regi ſubueniat: ne inter duos interciperetur, obſidionem relinquens, occurrit Romulo. Ibi cōſerto prælio, grauis pugna fortiter editur: ſed victoria fuit Alberti: nam multis cęſis, ad quadringentos cepit: Romulus cum paucis vix elabitur. Rex audita fortuna partis ſuæ, oppido egreditur: & auctis copiis per ducem Stetinenſem, in vicina ducis oppida ducit: & aliquot captis, in Berlinū contendit obſidendum: quę vrbs ſenſerat pro Waldemaro, quem adulterinū marchionem Rom. tum rex Carolus fertur ſuppoſuiſſe Bauaris. Ibi aliquot per regem creatis militibus, obſidioni fortiter inſtatur. Secutus Albertus dux cum copiis ſuis prælio ſe aptabat. Nec minus rex ſuos inſtructis ordinibus tenebat, paratus excipere venientē. Tum vtriuſq; principis ſeniores adequitant, inter ſe locuti, Quid tanto petatur apparatu, niſi Chriſtiani ſanguinis profuſio copioſa? Cōducibilius fore pacis requirere conſilia. Et inter ſe deliberantes de illis, retulit quæque pars principi ſuo. Cōuenitur vt arbitrum cauſæ facerent Magnum Sueciæ regem: qui proximo Pentecoſtes feſto rem omnē dirimat. Ita diſceditur. Veniente aūt præfinita die, rex auditis partiū allegationibus, ita rem diremit, vt marchio Romulus, ſupra pecuniam quam pro redimēdis captiuis duci debebat, remitteret homagiale ſeruitium quod habebat in quibuſdam terris olim Wandalicis, quas nunc tenebat dux Magnopolenſis. Inſuper Romulus acciperet Ingeburgam, filiam Alberti ducis, in coniugem, dos eſſet oppidum Lentze cum territorio ſuo, Romulus pro vitaliciis daret ſponſæ Arusberg, Werben, Parleberg, cum attinentiis.

Romulus ab Alberto victus, poſtea Sueciæ regis arbitrio reconciliatur.

CAP. 36.

De adulterino marchione diſputatio.

IN hunc modum diremptis cōtrouerſiis principum, rex Waldemarus, Romulus marchio (cui frater Ludouicus eam prouinciam permiſit) Ericus dux Saxoniæ, adito Rom. rege Carolo, ſciſcitantur cur adulterinū hominem marchiæ impoſuiſſet, in graue præiudicium veritatis, & principum: quum in veritate Waldemarus, quem idolum illud pręferebat, eſſet defunctus. Rex illis ſatisfaciens reſpondit, non ſe leuitate vlla aut malignitate inſtinctū, hoc egiſſe: ſed Ottonis archiepiſcopi Magdeburgen. Rodolphi ducis Saxoniæ, Alberti de Magnopoli ducis, & Alberti de Anehold comitis ſacramentis deceptum: Tum rex Waldemarus, Et nos, inquit, parati ſumus oſtendere melioribus ſacramentis, eos peieraſſe. Ergo ſereniſſime princeps muta decretum. Quumq; ad eorum voluntatem Carolus Romulū declaraſſet marchionem, adulterinus ille id intelligens latuit: & in ditionem comitis de Anehold concedens, in paupertate & calamitate vitā finiuit in oppido Deſſow. Rex autem Waldemarus terris ſuis redditus, nihil duxit antiquius, quàm pacem vbiq; quantum

quantum poſſet, latiſſimè conſtituere:in quam rem ſolennem Lubecæ curiam indixit. Conuenerant eò omnes vicini principes, Romulus marchio Brãdenburgenſis, Wilhelmus dux Luneburgenſis, Rodolphus de Saxonia, Ericus de Lowẽburg & Saxonia, Caſimarus de Stetin, Werſlaus de Walogaſt, Albertus de Magnopoli, Ericus de Sleſwig, Kanutus de Hallandia duces: Henricus & Nicolaus de Holſatia, Adolphus de Schowenburg comites: multi item milites aurati, militares ſine numero. Ibi conſilium agebatur de temporum tranquillitate & communi vbique pace. Omnibus autem rite conſtitutis, torneamenta militaria, ludi, choreæ, & principum illic inſignis apparatus viſebatur.

Celeberrimus principum de pace conuentus.

Cap. 37.

PROXIMA regi expeditio fuit in Godlandiam, ex nonnullis cauſis, quæ in annalibus non extant. Terram ferro & igne peruaſtabat, oppidum Wiſlon arctà cinxit obſidione, terra mariq; oppugnans. Ciues quum nullum cernerẽt profugium, regi ſe permiſere, gratiam expetentes. Ille acceptis iuramentis, quum interim miles eorum præda onuſtus locupletaretur, victor in ſua reuerſus eſt. Interea quum Albertus Magnopolenſis & Ericus Saxoniæ duces de finibus contenderent, & viciſſim arces ſibi ademiſſent: occupauit Ericus Plaue: quum Albertus teneret Godebuſch & Boytenburg, quæ iuris ferebãtur Saxonici. Rex interpoſita pactione, hoc modo litem diremit, vt quiſq; alienum redderet. Credulus Ericus pactioni ſatisfecit, reddens Plaue. Quum autem Albertus nõ pareret, indignatus rex, Helſingburg, quod præfectus Alberti tenebat in Dania, recepit. Ericus quoque ducens in Magnopolim congreditur Alberto: & victoria potitus, plus quàm quadringentos cęcidit ac cepit. Dum iſta fierent, comites Holſatiæ, pro Alberto ſentientes, oppugnauere arcem Krummeſſe. Supervenere ducis Erici milites, & conſertis manibus, LX. equites ſtrauerunt atque ceperunt. Ita vtrobique pars iuſtior Erici ſuperauit.

Erici Saxonis aduerſus Magnopolẽſem victoria.

Cap. 38.

DEINDE diſſenſio grauis orta eſt inter regem atque vrbes maritimas Wandalicas, quæ in apertum proceſſit bellum. Armauere ciuitates aliquot magnas naues, claſſem validam: & duxerunt in regem. Cõgreſſi, pugnauerunt in mari. Et ſatis incerta fuit victoria: niſi quòd filius regis Chriſtophorus, ictus lapide, non diu ſuperfuit. Hic caſus diremit prælium. Tum copiæ ciuitatum terris impoſitæ, incedunt vaſtabundæ ad prædam, negligentius habita claſſe. Rex autem ſubmiſit quoſdam, qui ſex grandiores ex omni claſſe naues caperent & abducerent. Ob quam rem præfectus claſſis, ex vrbe Lubeca, Ioannes Wittenburg, capite plexus eſt. Interea Nicolaus Holſatiæ comes, arcem Bramberg in Fionia, ſui (vt putabat) iuris, obſedit, & penè ceperat. Tum ſuperueniens rex maioribus copiis, cum comite cõflixit. Ille etſi fortiter repugnaret, multis vtrinq; cæſis, ad extremum cedere cogebatur multitudini. Captis penè omnibus qui de ſuis ſupererant, vix ipſe cum paucis euaſit. Idem quoq; rex quum claſſem petarmaſſet, duxit in Cimbriã, quam comites Holſatiæ tenuerunt. Inde verò quum totis non indigeret, partem copiarũ ſub præfecto Petro miſit in portum Wiſmarienſem, vt prędaretur. Ciues aũt, vbi innotuit, in naues ſe armati contulerunt: & inita pugna Danos ſuperarunt, capto Petro cum centum ſexaginta ſuorũ: qui poſtea ſingulari ingenio elapſus eſt è manibus eorũ. Nam cuſtodes ſuos ebrietate conſopiuit: & effractis catenis, apprehenſum vnũ ex ſociis, qui æger erat pedibus, in dorſo portauit, tendens in portũ. Nemo illum ex captiuis eſſe cõiectare poterat, cunctis arbitrantibus quòd fideli cuſtodia manerẽt in compedibus. Obuios vigiles, ſciſcitãtes quò iret, quiſve eſſet, hoc reſpõſo deluſit. Ebrioſus, inquit, iſte meus (quem malè perdant dæmonia) ita potu ſuffunditur, vt ambulare non poſſit: illum itaque in nauim deporto, vt ibi confrigeſcens edormiat ceruiſiam qua madet. Illi credentes dimiſerunt, ſic elabentem de manibus eorum.

Wãdalicarum ciuitatum cũ rege bellum.

Prudens à vinculis ratio elabẽdi.

Cap. 39.

REX deinde, quum ſuſpectam haberet fidem ſuorum in regno, conſpirantiũ (vt ille coniectabat) cũ Wandalicis ciuitatibus, enauigato mari, cum ingenti theſauro peregrinationẽ iniit. Mulis tamen fertur rebus in marchia ad Priſlauiam ſpoliatus. Sed inde profectus, petiuit Gallias, peruenitq; Auinionem: vbi papa etiam tunc curiam fouit. Excipitur hoſpitaliter, & in ipſa quadrageſima honoratur de more data roſa. Quum autem reuerſus eſſet rex, nec mercatoribus in regno ſuo permitteret antiquas libertates, conſilium inierunt per oratores ſuos in Colonia ciuitate, vt ex

Roſa principes à papa donantur.

oppido Cãpenſi enauigarent in regna: quaſi non maritimarũ (quę vocantur Wan-
dalicæ) ciuitatũ cauſa eſſet, ſed omnium mercatorũ. Multa per Daniæ inſulas edita
eſt vaſtitas, multa incẽdia, infinita præda: rex ipſe ceſſit regno, vbicunq; peregrina-
tus. Ciuitatũ, imò mercatorũ agmina armata, arcem Coppenhagen obſidione cin-
gentes, oppugnauere vehementer, & expugnauerunt, multa inde præda conuecta
Quũ ergo copias vbiq; victrices circũtuliſſent, multas arces oppugnando & expu-
Daniæ proceres, cum mercatoribus, quorũ metu rex profugerat, paciſcũtur.
gnando, proceres terræ regẽ nõ habentes, perpetuæ regni ruinæ proſpiciẽtes, inito
tractatu, terrã Scaniæ ſedecim annis ciuitatibus cõſignarunt cum ſuis prouẽtibus,
in recuperationẽ & cõpenſationem damnorũ, quę per aliquot annos ciuitatibus ex
regno prouenerant. Quibus annis decurſis, ciuitates ſuam implẽtes fidem, terram
ipſam cũ omni iure reddiderunt regno. Eodem tẽpore inualuit cõtrouerſia ipſa de
nuptiis Eliſabeth, quæ ſoror fuit Henrici & Nicolai comitũ Holſatiæ: quæ primùm
Aquino Noruagiæ regi, inde etiã Magno Sueciæ regi deſpõſata fuit, vtrobiq; reie-
cta. Quam rem in Saxonia exequemur. Waldemarus aũt rex pertæſus lõgæuæ pe-
regrinationis, in regnũ redire contendit, cõprobatis conditionibus pactis inter pro-
ceres & Wandalicas ciuitates. Ibiq; non diu manens, infirmitate correptus, quum
ægritudinem augeret aduerſitas, in pace Chriſti quieuit, poſt mille trecẽtos ſeptua-
1375. ginta quinq;: poſt mortem patris, per annos quadraginta duos regno variè iactantis.

CAP. 40.
Margareta tribus regnis, magna prudentia præeſt.
Lib. 5. c. 32.

MARGARETA Waldemari vnica filia, quia prolem virilem ille non reliquit,
quum coniugio teneret Aquinum Noruagiæ regem, ex quo paruulũ ſuſcepit Ola-
uum, & quum Aquinus nõ diu ſupereſſet, pariter duo regna moderabatur, mulier
virago, & pluſquam mulier animo & cõſilio. Nam ſic voluẽte fortuña, regnum et-
iam Sueciæ illi, capto pòſt Alberto rege acceſſit. At interea dux Magnopolẽſis Al-
bertus, quum iam filiũ Albertum (quod in Suecia diximus) illi regno præfeciſſet,
Henricum Daniæ præponere cogitauit. In quam rem, audita morte Waldemari,
magnã claſſem cõparauit: & admonito in Suecia filio vt occurreret, enauigauit in
Daniam. Sed rebus per fœminam cõſtitutis prohibitus eſt, nec potuit ad vota rem
procurare. Vnde rediẽs, magno rerũ diſcrimine iactatus in mari, multa fertur ami-
ſiſſe. Margareta aũt regina, profecta in Iutiam cum Olauo filio, proceres regni Da-
niæ ſibi deuinxit: filioq; iurare coegit. Iam enim Scaniam receperat magnopere flo-
reſcentem, poſt annos ſedecim, de manibus ciuitatum Wandalicarum. Euocatis
aũt Holſatię comitibus, Nicolao & Henrici filiis (nam ille iam in fata conceſſit) vni,
quem ipſi mallent, ducatũ Iutiæ permittere ſpopondit, ſic tamen vt de manibus re-
gis recognoſceret beneficiũ. Nicolaus pro ætate recuſabat. Filio ergo Hẽrici Ferrei
maiori Gerardo, ducatũ Scleſwicenſem deferebat. Et inſtituto de more ſolenni ap-
paratu, vexillũ illi per manus filij tradidit, ducemq; creat illũ, regniq; vaſallum mul-
tis ex regni proceribus aſtantibus, & rem omnẽ verbo & opere cõmendantibus. At
1387. filius illi Olauus nõ diu ſupererat. Nam anno LXXXVII. poſt mille trecentos, con-
ceſſit in fata, quum iam illa duodecim annis Daniam gubernaſſet. Circumiens aũt
totius regni præfectos, omnia innouauit: & rebus diligẽtiſſimè procuratis, ſtatim e-
uaſit locupletiſſima. In Newẽburg iuſſit omnes prælatos & regni ꝓceres cõuenire.

CAP. 41.
Feudi ducatus Sleſwicenſis ratio.

ADERAT inter alios Gerardus dux Sleſwici, cum patruo Nicolao & Adolpho
fratruele. Ibi renouata eſt ratio feudi, quòd ducatus Sleſwicenſis perpetuo iure ad
ſeniorem ex Holſatorũ huius lineæ comitibus pertineat, ita tamen, vt (iuxta regni
iura) feudũ à corona recognoſcat, & inde præſtet obſequia: quodq; ſucceſſione le-
gitima feudum ad proximos perueniat. Et ſi vnquam aliqua oritura ſit differentia
inter Danos & Holſatos, Dani ex Holſatis geminos, & viciſſim Holſati ex Danis
totidẽ eligant cauſę arbitros. Qui ſi dirimere controuerſiam non poſſint, eſſet apud
illos poteſtas quintum ſibi ſociandi: qui omnia per maioris partis deciſionem ter-
minaret. Orta deinde ſimultate inter reginam & Albertũ Sueciæ regem, per occa-
ſionem nouæ arcis per regem inſtitutæ (cui aliam regina oppoſuit in ſuo, vnde faci-
lè omnis commeatus ad arcem regis inuehi impediretur) primùm ex rixa præfecto-
rum contentio, ex contentione bellum ſuboritur. Rex auxilia plurima ex Germa-
nia contraxit: regina ſuos perarmat ex duobus regnis expeditiores. Stabant armatę
acies mutuis in aſpectibus. Palus erat in medio: quam animoſus rex trãſire volens,
tantum

tantum ſibi peperit laboris, vt Danis relinqueret victoriã. Captus cum filio, ſeptem annis tenetur, donec ciuitatum quarundam fide interpoſita, magnis conditionibus (quod in Suecia diximus) laxaretur. Summa rerum fuit, vt hoc quoq; regnum duobus accederet, & fieret Margareta trium regnorum potentiſſima regina. Moderabatur ea fœmina prudenti conſilio tria regna, nec erat qui ſe commoueret in eam. Inuentus eſt tamen iuuenis, corpore & habitu ſimillimus filio eius Olauo, qui ſe Olauum mentiretur: effingens fabulam, quomodo pro ſe alius tumulatus ſit regio funere, & ipſe elapſus. Multa reginæ ſecreta nouit: multa pueriliũ actorum recordabatur, inſtructus à nutrice dicti Olaui. At ſagaciſſimam reginam, quæ certa fuit de filij ſui funere, fallere non potuit. Vnde factũ eſt, vt detecta falſitate, & omni techna patefacta, publico condemnatus iudicio, in Falſterbode concremaretur.

Regina Sueonum captũ regno exuit. Lib.5.c.32.

Crematur qui ſe pro Olauo mortuo gerebat.

ALBER. KRANTZII DANIÆ LIB. VIII.

CAP. I.

Ericus adoptione rex Sleſvicum ſibi vendicat.

1411.

ERICVS Pomeranorum dux, a Margareta regina trium regnorum, adoptatus filius, in regem aſſumitur. Iam ſolertiſſima fœmina ingraueſcẽs ætate, laborum ſuorum requiẽ quærebat. Erat aũt poſt natum Chriſtũ MCCCCXI. annus. Prima regi cura fuit, recuperandi ducatus Sleſwicenſis. Nam Gerardus illo inueſtitus, in Thietmarſia cæſus occubuit: ob id feudũ extinctum reputauit. Contrà, triũ paruulorum quos Gerardus reliquit, principes tutores ſentiebant tranſiſſe legitimũ feudum ad liberos. Rex ad arma peruenit. Duces Brunſwicenſes, auunculi paruulorũ, & Adolphus comes de Schowenburg, armata manu valida Iutiã introierunt, ſuorũ iura defenſuri, & amiſſa recuperaturi. Regina ſenex ab annis, ſed animo non defecta, ſe interpoſuit mediã: vt tractatibus res ſopiretur. Dum colloquuntur principes, Adolphus comes poſitus eſt in cuſtodiã & velut excubias, vt obſeruaret Danorũ conatus, ſi quo ſe modo cõmouerent, non imparatus occurreret. Quod præuiderunt principes, accidit: nam in mediis tractatibus exorto tumultu, incertũ vnde, Dani ad arma cõclamant. Adolphus mox cum expeditis excipit tumultuantes: & grauiter eis oppreſſis, multos eorũ proſternit. Regina verò cautior euentum pugnę excepit. Cernẽs veniſſe germanos ad pugnã, hoc peregit placidis vtrinq; ſermonibus, vt res in treugas ſtatueretur. Interim quum cõmunitas Lubecenſis conſilium ciuitatis eieciſſet, & ipſi propulſi, tamen ſuam proſequerentur innocentiam apud Rom. regem, obtentaq; ſententia aduerſus cõmunitatem Lubecenſem, executionẽ literarũ requirebant: viſus idoneus Ericus Danorũ rex. Is requiſitus, literis regalibus parendũ duxit, pręmonitis tamen antea ciuibus. Sed quũ indurati nõ acquieſcerẽt monitis, eos qui piſcãdi gratia tum verſabãtur in Scania, detinebat, velut regalibus mãdatis cõtumaces. Magna ergo virtute idẽ rex vrbẽ Lubecenſem ſomno diſcutiẽs, quũ viris bonis ſine cauſa, ꝓpulſis graſſarẽtur, ſtatui ciuitatis cõſulens: captis mercatorib. in Scania piſcaturę intẽtis, perfecit vt ſuã in ſedẽ pulſus ſenatus reponeretur. Nec ingrati Lubecẽſes, diu ſunt regi in his bellis ſuper ducatu obſecuti.

Tumultus in pactione oriundus.

Rex tumultus Lubecẽſis ſedandi autor.

CAP. 2.

SED quum iam vtraque pars, tam ſcilicet rex quàm duces ipſi iuuenes, ſtipendiarios (verius gregarios milites) ſuopte lucro & damno miſiſſent in mare, facta ſunt latrocinia ſine numero. Quæ res regi ciuitates abalienauit: complacuitque eis ducibus, vt illis cohęrerent. Multa ad hanc rem pertinentia prætereo: quę in Wandalia noſtra, in perſecutione rerum vrbis Lubecanæ locum ſuum tenent. Cęterùm Cimbriam rex adnauigat, ferro & igne cuncta peruaſtans: aliquandiu ad arcem Clambeke res demoratur. Sed expugnata arce, rex illã firmauit: reliquam terram deditam accepit. Etant qui pertinaciter reſiſterent de eccleſia. Hos velut dedititios euocari iuſſos, Dani contrucidarunt, inuito (vt creditur) rege. Ferunt bonum principem, omni æuo ſuo luxiſſe ſtragem, quam talis (neceſſe eſt) incurſus habet, fœminarum & virginum cõſtuprationem, & omnium ſacrorum profanationem. Tum verò XX. acceptis obſidibus, pro totidem marcarum millibus, in ſua rediјt. Creuit in immenſum belli moleſtia. Multus erat fauor ducum iuuenum, faciente pro illis omni conſuetudine Romani regni: ſed illam ad Daniam pertinere pars regis non putabat. Humiliter inſtabat Henricus, ex tribus fratribus ſenior, apud regem, vt

Lib.8.c.33.

Belli fructus ipſis victoribus iniucundi.

ſe de memorato ducatu inueſtiret: rex econtra depoſcebat, vt omne ius in manus eius collocaret, expectans ſi rex illi redderet. Eam inſolitam inueſtiendi formam nullus principum comprobabat. Vnde factum eſt vt multi in auxilium ducum ſua ſponte deſcenderent. Henricus ergo dux, cum conſortibus, Henrico de Holſatia comite, patruo ſuo, & Baltaſſare D. de Wenden, multis præterea ex Saxonia & Weſtphalia ſpõtaneam militiam ſubeuntibus, armato agmine Iutiam inuaſerunt: & capta arce Tunderen, præſidioque impoſito, Friſiam illi ſubiectam ad ſua iuga coegerunt, pecuniam ſoluẽtes, ac ſacramenta præſtantes. At quum illi reduxiſſent exercitum, Dani non ferentes Friſios parere Holſatis, in eos magna multitudine ducunt, vt regi ſacramenta renouarent. Et primò quidem proſpere videbãtur agere. Inde autem cõglobati Friſij, fidem primam irritam facere nolentes, repulerunt Danos, aliquot millibus ex eis proſtratis. Prædam verò ſi quam primo impetu Dani abſtraxiſſent, Friſij inſecuti recuperarunt, multam ſtragem edentes. Rex autem magna claſſe perarmata conſedit in mari, nulli ſe terræ applicans. Holſati Caſtorem dixere, quòd aquis caudam non educeret. Sed ille prouido nimis vſus eſt conſilio, quòd ſciebat duces aduerſarios, magnam auxiliorum manum magnis impenſis ſuſtinere: vt diuturnitatis pertæſi dilaberentur. At ipſi ſibi præda ingenti vndique circumacta conſuluerunt, & ſuis ſe impenſis aluerunt: quò ducibus rem facerent tolerabilem. Aderat Albertus dux Magnopolenſis, qui etiam ius ſuum bello in regem inſequebatur de Suecia nuper amiſſa.

Friſiã Dani ſibi ademptã fruſtra recipere conantur.

CAP. 5. REX tandem terris applicans, dicto citius vrbem obſedit Sleſwig, cui ſciebat ineſſe Albertum ducem memoratum: nec diu oppugnatam obtinuit. Alberto duci permiſit, vt gratiam poſtulans obtineret. Exiuit ad regem: & ſacramento ſe obligauit, tria ſe regna nunquam oppugnaturum. In hæc iuramẽti verba cum ſuis dimittitur. Ciues autem Hamburgenſes quum audirent regem Sleſwico potitum, commiſeratione tangebantur ſuper calamitate ſuorum principum: mox illis ſexcentos baliſtarios auxilio miſerunt. Principes quoque Bernardus de Braunſchweig, Wilhelmus de Lunenburg duces, Otto de Hoya Comes, Albim tranſgreſſi, auxilio venere. Et primo quidem congreſſu pacis conſilia pertentauere: vbi illa euanuerunt (ſtante parte quaq; in rigore iuſtitiæ ſuæ) ad arma ventum eſt. Principes Germaniæ ſexcentis equitibus & triginta peditum millibus rem peregerant, obſidione vallantes arcem Kunigsburg. Dani autem maiori equitatu ſuperuenere, mille quingentis equitibus, pari peditum numero. Et commiſſa pugna obſidionem ſoluerunt, ac hoſtes retro egerunt. Ne tamen fruſtra venerint, arcem Stubbe cingentes expugnant, ac ſolo coæquarunt. Rex inde Friſiam Egdorenſem intrauit, quòd audierit eos Holſatis inclinare: & infinita ſecum de iumentis abducta præda, octoginta numero ſeniorum ſecum duxit obſides futuræ ſemper in ſe fidei. Thietmarſi deinde calamitatem miſerorum augentes, introierunt vicinam Friſiam: & reliquias auferentes, coegerunt populum in verba ducum iurare: viginti etiam ex maioribus obſides ſecum trahentes, vt XX. marcarum millia ducibus perſoluerent.

Regis hoſtibus magna fit ſociorum acceſſio.

Friſij vtrimque prædæ patent.

CAP. 6. TEMPORE eodem gregarij ſatellites, pro Holſatis in mari digraſſantes, interceperunt nauim quæ portabat omnia iocalia regis, pontificum, in auro, argẽto, veſtibus, ſerico & pannis precioſis. Non fuit facile æſtimationem rerum captarum dicere. Omnia militum & cæterorum nobilium precioſa quæque perierunt, nauigio illo intercepto. Intercepta aliquando res eſt opera ciuitatum, vt treugis conſtitutis pars quæque nominaret principes, quibus arbitrium eſſet rem omnem dirimendi: pars autem quæ iuſtis decretis non pareret, ab omnibus eſſet inſectanda. Acceptauere partes rem vtrinque: at veniente termino rex non comparuit. Quæ res animos ciuitatum ducibus magis inclinauit: nam tergiuerſatione vti rex videbatur. Cimbria in medio poſita, crebros motus excepit. Nam poſt nouiſſimam regis expugnationem à Danis, Holſati iterum occuparunt, magis magiſque futuræ oppugnationi ſe præparantes. Rex eam denuo inuadit claſſe. Incolæ freti Holſatorum præſidio, quod duces immiſerant, fortiter reſiſtunt: nec ſinunt regios in terram deſcendere. Grauiſſima pugna cõſurgit nitentium & obſiſtentium: multi Danorum cadunt: regi ingreſſus nulla vi permittitur. Contendit in ſacrũ Portum: ibi ingreſſus

Rex arbitrium controuerſiæ defugit.

ingreſſus terram vicina populatur, abductis prædis & captiuis. Inde naues denuo ingreſſus redit ad Cimbriam: pertinax iterum pugna. Dani iam firmauere animũ, certi aut terrã capere, aut immori. Quid non labor improbus obtinet? Fortiter quidem incolæ cum Holſatis diu obſtitere: vicit tamen pertinacia, freti multitudine. Tum ſæuitia Danorum ſine exemplo: ſtetit in oculis cædes, quã in multos nobiles, ingreſſum impedientes, feciſſent. Nemini parſum eſt: furiunt ſine more: ſacra profana in æquo ſunt: virgines, maritatæ, iuxta proſtitutæ. Mira calamitas regẽ ipſum exterruiſſe fertur. Arcem ex pugnãt, præſidium corroborantes: ſacris locis & rebus nulla parte delatum, omnia latrociniis exhauſta: ſitim auaritiæ & ſanguinis explere non poterant. Ferunt regem commiſeratum, graſſantem militem reuocare nõ potuiſſe. Quumque euaſtata inſula rex declinaret, Holſati denuo ingreſſi pertentarunt arcem capere: ſed fruſtra tum conniſi abierunt. Tum Hamburgenſes XII. nauibus inſtructis, Iutiæ latus occiduum depopulantur, obuios Danos excipiunt prælio nauali: tres inde naues mergunt. Cæterũm ad magnum cæſis numerum, centum viginti captiuos reduxerunt, ſuo commodo illos argento emungentes. Henricus dux collaudatis ciuibus, & ipſe militiam inſtruit. Octingentos fertur equites habuiſſe, triginta millia peditum. Arcem & oppidum Haderſleue obſedit. Oppidani, ne ad vnum omnes perirent, ex promiſſa pecunia trium millium marcarum, ſe vexatione redemerunt. Dux autem vicina omnia depopulatur, & onuſta præda cum ſuis redit, non alio tum magnificè peracto militari opere.

Cimbrorũ Danis victoribus bis duæ ſtrages.

CAP. 5.

Papa autoritate pax cõponi nequit.

INTEREA Lubecenſis epiſcopus Ioannes, vir præcipuæ eruditionis & exquiſitæ virtutis, literas accepit apoſtolicas: vt illarum autoritate ſe implicaret negocio, & omnia componendæ pacis remedia quæreret. Profectus ille ad regem in Coppenhagen, conuenit eum in perſona: & multis in cauſam peroratis, eò regem perduxit, vt conſentiret in conuentum in Flensburg, ad proximam Martini diem. Idem apud ducem agitur. Venit dies conſtituta: & vtroque principe comparente, pontifex omni opera dedita eò rem perduxit, vt treugæ inirentur ex die Catharinæ in proximum Michaelis, fideliter obſeruandæ, vtriuſque principum ſigillo roboratæ. Intra quem diem, ad feſta pentecoſtes quæque pars ſeptem nominaret principes: è quibus tres de quaque parte ad minus comparerent, cauſam ex fide tractaturi. Nominati pro parte regis Fredericus marchio Brandenburgenſis, Ioannes dux Magnopolenſis, Otto & Caſimirus de Stetin, Werſlaus, & Bernam de Walogaſt, & Albertus comes de Neumgarden: pro parte ducis deſignati Bernardus dux Braunſwicenſis, Wilhelmus de Luneburg, Ericus de Lowenburg duces, Adolphus comes de Schowenburg, Ericus comes de Hoia, & Baltaſſar D. de Wenden. Venerant quidem ex his ad præfinitum diem & numerum: & cauſam tractare incipientes, quum quique ſuę parti nimis affecti viderentur, nihil peregerunt: ſatis afflicto pontifice, qui multiplicem laborem cum expenſis cernebat euanuiſſe. Redibat res in bellum. Vt autem literis & apoſtolicis mandatis ſatisfaceret, cœpit publicè monere omnes eccleſiarum effractores, qui ſacra profanaſſent, vt ſub maximis cenſuris ſacra ſacris redderent. Quæ res regis animum, pontifici pro zelo pacis deditiſſimum, illi fertur abalienaſſe. Scripſitq́; in eam cauſam Lubecenſi ſenatui, vt auerterent epiſcopum, ne in ſe illo quoque gladio depugnaret. Pontifex, vir bonus, ne deteriora contingerent, rigorem mitigauit. Res bello protrahenda videbatur: varius vbique labor.

CAP. 6.

Dani e muris, quos ſcãdere conabantur, deturbati.

OBSEDERE Dani arcem Tundern, & oppugnauere. Holſati velut dormitantes, diſſimularunt obſidionem. Hoc vbi cõpertum eſt in exercitu, negligenter obſeſſos agere, ſtatuunt clàm murum inuadere ſcandentes. Applicatis ergo quàm occultiſſimè ſcalis, rem inuadunt. Intus Holſati nihil ſe cõmouere: donec in circuitu muris iam repletis, vno impetu trabes muris impoſitas prouoluerunt, & omnem illam multitudinem in momento detruſam oppreſſerunt: cæteros baliſtis & bõbardis abegerunt. Inuenti in circuitu penè quadringenti viri mole trabium oppreſſi, præter eos qui vulnerati abibant. Interim verò Lubecenſes, Roſtokcenſes, Wiſmarienſes, coniunctis nauibus magnã claſſem perfecerũt, vt mercatoribus ſuis, in Dania piſcantibus, ſecuritatem facerent. Rex aũt Hollandinorũ naues quæ multæ

ibi ſtabant in anchoris, militibus implere decreuit, & claſſem ciuitatũ abigere. Sed præuentus conſilio præfectorũ in mari, qui naues illas armaturis ſpoliarent, anchoris, gubernaculis, velis. Vnde rex fruſtratus, oſtẽdi fecit ciuitatibus voluntatẽ ſuam ad conſilia pacis, loco dieq; conſtitutis, quibus ea remedia quęrerentur. Cõpertum eſt aũt, non hoc alio factum conſilio, quàm vt ciuitatibus hanc faceret inutilem expectationem: & ſi quos in vrbibus motus à plebe inde poſſet excitare. Dum hæc agerentur in orientali mari, Hamburgenſes in occiduo laborabant. Nã omni quam habere poterant iuuẽtute perarmata, inſtructaq; claſſe, quantũ poterãt deſcendentes per Albim, latera Iutiæ pulſabant. Repererunt nuper ciuibus ademptas naues, quibus ignẽ immiſerunt: & expoſitis in terrã armis, prædã quantã voluere nauibus ſuis inuexere, ne gannire quidẽ Danis audentibus: & onuſti præda reuertuntur.

Rex cur pacem ſtudeat præ ſe ferret.

CAP. 7.

Pacis ſequeſtrem nõ parũ promotam, perficere morte prohibetur.

RVMPOLDVS interea dux Sleſiæ, miſſus ab Imperatore, ſe rebus cõponendis veniſſe teſtatus, Lubecæ hoſpitaliter excipitur. Inde progreſſus in Flensburg, in ſerum veſperum regem petens venerat. Primo mane ſequentis diei Henricus dux Sleſwicenſis, habens in conſortio militiæ Wilhelmum Luneburgẽſem ducem, & Adolphum de Schowenburg comitẽ, magna manu (nihil iam formidantibus eius oppidi cuſtodibus, quòd pacis ſequeſter veſperi introiſſet) portas geminas deiecit, & irruit formidabilis. Dani euigilantes fugam circũſpexere. Rumpoldus inermis obuiã progreſſus Hẽrico duci, inſinuat ſe veniſſe ab Imperatore pacis ſequeſtrum, regem primùm à ſe conueniendum: certiſſima ſe ſpe teneri, rerum omniũ bonum exitum propediem futurum. Principibus verò qui aſtitere, grauibus verbis ſuaſit, vt quæ pacis ſint conſilia inſpirent, ducibus per ætatem iunioribus, & ſpe ſecũ optima ad concordiam niterentur. Perſuaſit vir & morum grauitate & verborũ comitate præcipuus, vt in ſua quiſq; poſitis armis rediret, expectans rerũ inclinationem. Perueniens aũt Rumpoldus ad regem, ſecum duxit legationis ſuæ conſortẽ, Ioannem Lubecenſem epiſcopum, pacis zelatorem feruentiſſimũ: perfecerũtq; apud regem, vt primùm quieto, deinde etiam inclinato foret animo in Henricum. Conuenerant in mutuũ colloquium: & rex iam propenſior, muneribus etiã honorauit Henricũ. Oratores quoq; ciuitatũ Wandalicarum, qui aderant, & quorũ cauſę per eundem ducẽ agerentur, rex vnumquemq; pro ſuo gradu donis honorabat: præcipiens per regnum præfectis, vt mercatoribus beneuoli ſpoliatis ſua cuiq; permitterent. Hãc optimã pacis formulam, triſtis caſus turbauit. Nam idem pacis ſequeſter dux, epidemia tactus, lecto proſternitur moriturus. Quũ adeſſe iam extrema ſentiret, regem per nuncium orat, vt in viis pacis à ſe conſtitutis, & ab Imperatore comprobandis, permaneat. Quod rex ipſe pollicitus, triſtis diu de tanti viri ſubtractione permanſit: nam illum non paruis donis honorabat, & affinitate ſua cumulabat, deſpondens ei filiam ducis Pomeraniæ. Sed hæc omnia mors interuertit. Defunctum rex principali apparatu in Haderſleue iuſſit tumulari, quamuis ducis familia excoctum aromatibus corpus ſecum in patriam ferre concupiſſet.

CAP. 8.

1424.

ERAT tum annus MCCCCXXIIII. quum rex ipſe natiuum ſolũ inuiſens, aliquandiu ibi cõſtitit. Remiſſa aũt magna parte familiæ in regnum, quadraginta comitatus equitibus, Imperatorẽ adiit in Vngaria, citariq; fecit Henricũ ducem, cum fratribus. Duces aũt euocati, pro ſe miſere Ioannem epiſcopum memoratũ, in Imperiali curia notiſſimum, vt cauſam eorum perageret. Apparet autem ex iis quę gerebantur ibi, compromiſſum fuiſſe in omni cauſa in Imperatorem: quia regnũ non agnoſcit ſuperioritatem Imperij. Veniens autem epiſcopus cauſam ex fide peregit. Sunt qui dicant Henricum ipſum ducem vnà profectum: ſed hoc ſub dubio relinquo. Ibi tum is fuit exitus, vt examinata cauſa pronũciaretur pro rege, Henrico aũt Adolpho, & Gerardo fratribus ſilentiũ imponeretur ſuper omni ducatu Auſtralis Iutiæ. Laudũ verò reduxere ducum procuratores ad arbitriũ ſummi pontificis. Et eſt cauſa tum per Nicolaũ Sachou, in Lubecenſi põtificatu ſucceſſorem diligenter curata: vt cõmitteretur archiepiſcopo Colonienſi. Rex aũt accepta pro ſe ſentẽtia, abiit implere peregrinationem in terram ſanctam. Ferunt tum nobilem quendam ex Orientis regno, militaſſe Imperatori. Is pictoris induſtrij vſus artificio, regis faciem iuſſit effigiari: eamque præmiſit amicis, vt eius imaginis vultum obſeruarent:

Controuerſia ab Imperatoris arbitrio ad ſummum pontificem defertur.

Rex Hieroſolyma adiens, vultus effictâ imagine proditus, fere deditur.

regem eſſe trium regnorum, qui magno ſe ære redimeret. Rex omnium ignarus, Venetijs hoſpitaliter exceptus familiam arctauit: & vulgari habitu ſe cæteris conformem fieri paſſus, peregrinis peregrinus ignotus eſſe, ac à ſuis habere mandauit. Profecti veniunt in terram ſanctam. Magno tum erat opus conductu, propter vim Catalaunorum, quam nuper irrogarunt. Conſtituit enim Soldanus, vt Chriſtiani non admitterentur, niſi damnis tū irrogatis ſatisfieret. Sed patronus, cui pro famulo adhæſit, ſingulari gratia perfecit vt admitterentur. Perſoluit rex votum, & poſt eum iter incluſum. Quum autem in nauim redirent, nobilis qui ductabat, euocato regi dixit in aurem, Credis, te apud nos incognitum? Ecce faciem tuam, (& oſtendit effigiem) regem te ſcimus trium regnorum. Quid faceres, ſi apud te noſtrorum quiſquam, tali habitu deprehenſus, innoteſceret? Stupefactus rex hæſit: ſed tamen interuentu patroni pecuniam accepit, quantam rex corrogare potuit: & dimiſit. Ita non per Venetias, ſed alio itinere reuerſus eſt rex in ſua.

Post reditum autem gnarus iam factus conſuetudinum, quibus ſuperiorum regionum principes in ſua æraria vertant multa, de moneta cogitauit alteranda. Nam cupream totam excudi mādauit, de omni reliqua præcipiens vt in officinam monetariam perducerent. Potuit res ſine fraude fieri, quo modo cernimus in Italia. At mercatores hoc in ſuam iniuriam trahebant, res pro rebus cōmutantes, non mercantes, præſertim quum extra regnum deuehi moneta ſine omni iactura non poſſet. Multa inde in regem obloquia, multæ (vt fit) creuere denigrationes. Ferunt reginam (non tamen, vt ſciri poteſt, ſine nutu regis) aliam meliorem cudi mandaſſe monetam, vt finem facere oblatrationum. Quo tempore piſcatura Scanijs ſolita euanuit, piſcium halecum infinita multitudine ſolitum tranſitū declinante. Id maleuoli in regis vindictam detorſere, quum ſit rerum omnium ſub cœlo quædam alternans viciſſitudo. Sic enim cum cœlo, omnia quę cœlo teguntur, verti neceſſe eſt & alternari. Sed quid facies improbæ linguæ? CAP. 9.

Moneta innouatio mercatoribus damnoſa.

Halecum ex ſolito trāſitu migratio.

Rex deinde ſententiæ ſuæ, quam reportauit, executor futurus, omni qua potuit virtute trium regnorum, ſe conuertit in duces fratres, vt è manibus eorum extorqueret ducatum Iutiæ Auſtralis. Illi non ignari rerum, contractis quæ poterant armis, vrbem Sleſwig vallis & foſſatis communierunt: arcem quoq; Gottorp, quibus poterant præſidijs firmauerunt. Illuc enim omnem belli molem cōuertendam præuiderunt. Nec falſi ſunt opinione: nam rex veniens cum innumera multitudine, & ciuitatem & arcem vna premere cōſtituit obſidione. Montem quem vocant Equinum, (quum ſit medius arcis atq; vrbis, ad cuius radices ad lacum iter eſt ab arce in vrbem) fecit foſſionibus ita diſcindi, vt hoſtibus impedimento, & ſuis eſſet munitioni. Interea Henricus comes Holſatiæ, electus Oſnaburgenſis, patruus ducum, Hamburgenſes ciues exciuit, vt ducibus ſuis accederent. Illi haud difficulter perſuadentur ſuppetias mittere: & primas quidē literas, in quibus hoſtilia regi nunciarentur, accipiunt. Acceſſere Hamburgenſibus ex gregarijs ſexcenti, qui hactenus regi militarunt. Horum opera vſi rem aggrediuntur, prima principibus ſuis auxilia mittere. Exhilaratus dux Henricus quum audiret, miſit qui Lubecenſes adoriretur, renouans patrum in eam vrbem beneuolentiam. Admoniti, ſatis inclinauere. Vocantes tamen ciuitatū Orientalium oratores, cum illis cōuenerunt, regem denuo ſuper pace pertentare. Submittunt ſolennes ad illum nuncios, de legibus vnionis tractaturos. At illi regem paci auerſum repererunt, ſoli iuri parto per ſententiam pertinaciter inhærentem. Dani interim cum Holſatis ad obſidionem Sleſwici colluctantur. Obſtruunt Holſati portum, Dani reſerant: multis inuicem leuibus prælijs vires exercent, rebus nullus eſt exitus. Interim Orientales ciuitates Roſtock colloquium miſcent, inter ſe fœdera ſanciunt, idem cum ducibus factitandum cōueniunt. Quum autem intelligerent regem in ſua inſula (quam putabat) demorari, vno die omnium literæ regi perueniunt, hoſtilia omnia & capitis periculum denūciantes. Tum ſoluta eſt obſidio arcis & vrbis. CAP. 10.

Hamburgēſes ducibus in regem opem ferunt.

Abeuntibus inſultauere Holſati, poſterioribus (vt fieri ſolet) incurrentes, capti cæſique viciſſim hinc atque inde. Claſſem ſuam ciuitates etiam ante brumam iubent ad Candidum, quem vocant, portum cōuenire. Audiunt Gerardum CAP. 11.

ex ducibus tribus iuniorem, claſſi non contemnendæ præfectum, demorati venientes. Sed quum diu ventum expectarent, nec acciperent, atq; interea nubes tempeſtateſq; crebreſcerent, bruma quotidie item magis magiſq; appareret, ſoluta eſt ſine fructu grandis illa & ſumptuoſa expeditio. Quo tẽpore, quum non ignorarent qui Cimbriæ pro rege cõſeruandæ arci Glambeck inſederant, regem ſoluiſſe obſidionem, ciuitatumq; grãdem eſſe claſſem in mari, non ſine cauſa rebus cœperunt diffidere. Holſati quidam aſſumptis ducẽtis ex gregarijs, Cimbriam intrauere noctu. Oppugnationem arcis inchoant magno apparatu, clamantes adeſſe ciuitatum omnium arma: vt accelerent, hinc atq; inde inuocantes iam Lubecenſium præfectos: ſimul bõbardis & arcubus inſonuere. Cuſtodes arcis, vera rati quæ audierant, quum ſcirent tantæ ſe multitudini reſiſtere non poſſe, nec auxilia ſub brumam ſperarent, deditionis verbum fecere: & permiſſi abire, arcem tradunt Holſatis. Quum deceptos ſe cernerent, iam non habebant quod agerent. Henricus interea dux expeditis copijs duxit in Molendinum, iam à rege communitum, vt iter in Flensburg impediret. Certè pro rei magnitudine magnos impendere ſudores par erat: erat enim magnum Danis præſidium, Holſatis obſtaculum. Fortes viri inſederant defenſantes: ſed vicit inſtantia, & vrgens ad omnia dux præſens. Magno laboris multiq; ſanguinis impendio ceperunt, & demoliuntur. Sexaginta viros & equos quadraginta inueniunt, ac in prædam abducunt.

Glambeck noctu fraude capitur.

CAP. XII.

INTEREA ver appetit: ciuitates Wandalorum maritimæ ad expeditionem redeunt, claſſem renouant, in Daniam ducunt: & per inſulas digraſſati, ingentem prædam nauibus ſtipant. Aderat dux Gerardus, qui præda expletos milites paſſus eſt in naues redire. Tum præfectos nauium appellauit: conſilium init quod à fratribus accepit, occupandum oppidum Flensburg, terra marique gerendo bello ſemper opportunum futurum: ſe cum claſſe à mari inſtitutos, Henricum fratrem cum copijs ſuis omnium ordinum à terra inſiſtere oppugnationi. Adnauigant illi ſub montem Flensburg. Cæterùm Henricus dux cum copijs ſuis terreſtribus equitum peditumque, ſe opportunis locis ad caſtra metanda comparauit. Dies erant Rogationum: & conuenerat vt ante lapſam feſtiuitatem Aſcenſionis nulla fieret oppugnatio, quòd bellicus nondum adeſſet impedimentorum apparatus. Nauales interim tuitioni ſuæ proſpiciebant, funibus ſupernè ſe contegentes, vt magnopere de monte lædi non poſſent. Friſij in terris fodientes, foſſata duxerunt, vt ab incurſionibus tuti conſiderent. Vigilia erat Aſcenſionis dominicæ, quum ſatellites Hamburgẽſes, neſcio an poti plus quàm videretur, ſub noctem ex ignitis telis proiecere in hoſtes. Id conſpicati nonnulli, ſiue quòd ducem ad arma excire volebant, ſiue quòd per errorem ita putabant, ad tentorium ducis, iam cunctis quieſcẽtibus, clamauere, Eia, nobilis Holſatorum ſanguis id patietur, vt priuati ciues apprehendant hoſtium munitiones? Iam Hamburgenſes ſeptem tranſgreſſi, hoſtibus colluctantur. Excitus princeps, indecorum ſibi reputabat quòd non in periculis primus conſpiceretur. Vix lorica præcinctus, ſcalam apprehendit, nec perpendit quanti illum, aut ſi omnino quiſquam ſequeretur. Is feruor erat adoleſcentiæ, ea gloria primæ iuuentæ, neminem periculis admittere propiorem. Quum omnia apud ſuos & etiam hoſtes quieta videret, ſcalam ſepi inclinauit: & ea inſcẽſa, videre voluit quid hoſtes molirentur. Henricus de Aneuelde prudens ac ſtrenuus miles, quum proximè aſtaret principi, ait, Quid eſt domine? Quid ſibi vult inconſiderata temeritas? Luctũ nobis & periculum veſtro capiti præparatis. Ea vox etſi ſecretius diceretur, audita eſt intus. Vbi audiuit Danus miles, eſſe principem in ſcala, cuſpide ſepem penetrans, ſubitus per loricam principis penetralibus illam intruſit. Mox ad aſtantes, Tollite, inquit, me hinc, actum eſt de me. Illi triſtes, labentem eidem impoſuere ſcalæ, vt in tentoria referrent. Per incuriam delapſus, vulnus duplicauit: vix tentorijs illatus ſpiritum efflauit. Dici non poteſt quis mœror in caſtris, quæ lamenta vbiq; omnium, ad quos principis illius virtus promanauit, rari lacrymas tenuere. Non ſic Abſolonem planxit Dauid, non ſic Hectorem ciues, nõ Iudæi Ioſiam, non poſteri Machabæũ. Vna vox omnium, principẽ immortalitate dignum, miſerrimè deperiiſſe. Adolphus proximus ætate frater allatus, præfectus turmarum, ipſe conſolatio-

Bellicꝰ triũ ducum cum ſocijs apparatus.

Henricus ſcalam inſcẽdens, accepto vulnere moritur.

ſolationis egens, conſolabatur: obſecrabat vt nihil minus propter quod venerant, implerent, ſe fratris loco ſubiturum curas & labores. Apud Lubecenſes peruincere non potuit vt manerent: ſublatis velis abierunt: idem alij factitarunt. Præfectus iſte Hamburgenſium, cuius vel malignitate (quod difficile creditu) aut negligentia res tanta prouenit, capite plexus pœnam ipſe perſoluit.

PER eiuſdem anni æſtatem (erat enim XXVIII. poſt mille quadringentos) vrbes Wandalicæ claſſem ſuam renouarūt, & in mare mittunt. Aderant tū Hamburgenſes nauibus etiam ſuis inſtructis. Præceptum verò acceperunt omnes, vt in mari Nordſund ſe cōtinerent, donec Baiana claſſis ab occiduo, & Prutena ab Wiſla prænauigaſſent, vt eſſent illis præſidio contra Danos. Conuenerant in locum conſtitutum. Non ignorabat rex expeditionem ciuitatum. Ipſe quoq; claſſem numeroſam perarmabat, ſemel confligere cōſtituens, ac prælij naualis fortunam pertentare. Viderant vrbici regiam claſſem de longinquo: nec tamen immemores mandatorum, ſe primùm continuere. Vbi vident Danos appropinquare velut ferratos montes in mari, præfectus Hamburgenſium (quem pro dominis ſuis res magis angebat) interpellabat Lubecenſium ductorem: Ecce, inquit, hoſtes propinquant, quid facimus? Ille ſub hæc, Armati ſumus, conſerendæ ſunt manus, victoria noſtra eſt. Rectè, inquit ille, mones. Et apparatis rebus, propinquantes Danos exceperunt. Lubecenſes cum exteris fortiter hoſtibus incurrunt, ſuſtinent incurrentes: diu anceps prælium fuit. Veruntamen aliquot hoſtium cæſis, & aliquot captis, Danos abegerunt. Hamburgenſes paulò diuerſius pugnabant, ſeiuncti ab amicis: hos ſtatim hoſtes circumuenere. In quorum medio pugnantes pauci cum multis, quum nullas ab amicis ſuppetias acciperent, fatigantur, vincuntur, capiuntur. Qui ſociorum fidem tuentur, aiunt, grandioribus nauibus Lubecenſes ad locum conflictus ducere non potuiſſe. Itaq; cæteri abeunt in ſua quiſq;. Hamburgenſes capti in portum mercatorum ad vincula mittuntur. Pugna fecit immemores mandatorum. Vix illi abierant fugientes: & poſt tres horas venit ab occiduo claſſis Baiana, cui in primis tuendæ deputati fuere. Impetitur ab hoſtibus, fortiter ſe tuetur: extrahitur in noctem prælium. Supra mille ex hoſtibus cæſi, ceſſere tandem Danis victoribus. Magnæ æſtimationis merces inerant XXX. nauibus. Rex non mediocri inde auctus lætitia, ciuitates gemuerē. Mercatores Lubecenſes præfectum claſſis accuſabant, quòd mandatum prætergreſſus ſit. Quumq; non ſatis tueretur, carcerem accepit pro domo, ſeruaturq; annis tribus & dimidio. Hamburgenſes autem (vt diximus) capti manebant, donec ære ſuo captiui laxarentur. Superioris autem facti quod diximus, præfectus capitis pœnam luit. Cap. 13. 1428. *Ciuitatum classem Dani duobus prælijs capiunt.*

REX quum indignè ferret ciuitatum in ſe & ſua regna bellum, etſi proſperè in eorum agmina depugnaſſet, ſciens tamen, rebus ducum faciliorē eſſe exitum illis deficientibus, vt domeſticis rebus implicaret vrbes, concordiam nuper inter ſe & gubernatores vrbium initam, miſit in manus cōmunitatum, ad ſingulas vrbes, poſtulans, vt maiores ſuos admonerent pacta cōuenta implere, ſe, vt ſemper, ita in futurū mercatoribus fauoroſum exhibiturum. Sundenſes iampridem in partē regis à ciuibus defecerant. Roſtokcenſis cōmunitas tumultuatur, LX. viros conſtituens. Articulos ſibi placitos cōſcribit: iubet à concilio approbari. Procōſules rem in craſtinū differendam poſtularunt: interim maturato conſilio placida danda reſponſa. Cernentes verò exitum rerum ſuarum peſſimum, inſcenſis quiſq; ad partem equis clàm abierunt. Poſtera luce vbi cōpertū eſt abijſſe maiores, euocāt, & inde proſcribunt, alijs in locū electis. Wiſmarienſes ſimili inſania vnum ex proconſulibus, ac alium cōſularem publico gladio in foro cædunt: illis imputātes, quòd ſe regi deuinxerunt inconſulta communitate. Lubecēſium recens vulnus ſuaſit vt conquieſcerent. Hamburgenſes tum ſuum cōſularem gladio cædebant: quod antea diximus. Sed nō fuit is belli exitus. Licet enim tumultus in vrbibus eſſet, è bello tamē extero quieſcendum non duxerūt. Nam proximo vere naues quaq; ſuas ciuitas expediebat, claſſemq; cōfecerunt ducentarū ſexaginta nauium, in quibus pugnabant XII. millia hominum. Dux Gerhardus in ſua prætoria agmen agebat Holſatorū. Præter has copias gregarij erant (quos tum Vitalianos dixere) octingenti viri, ſuis lucris & Cap. 14. *Roſtokcenſiū & Wiſmarienſiū ſimilis tumultus.* *Vrbiū Wandalicarum claſſis, nullo profectu cōparata.*

periculis militantes. Conuenerat ea claſſis in portum Wiſmarienſem. Inde nauigans Daniam recto petit curſu,& arcem regiam in portu mercatorũ, in primis oppugnare conſtituerunt. Id rex proſpiciens, naues ſuas in portu locis opportunis armabat,vt aditum prohiberet. Pugnatum eſt ibi diu, miſſa omnium generũ iacula. Vrbium præfecti conſilium ineunt aream trabibus cõſertis in mari compaginare, de qua velut ex campo, miſſilia omnia mitterentur. Inde quoque multiplex labor vtriq; parti. Tanto vtrinq; pugnatur ardore,vt illis portũ tuentibus,iſtis oppugnantibus,vno ſæpe ſono ducentæ bombardæ cõcreparent. Conuenit inter nauiũ præfectos,vt quaq; ex vrbe vnam demergerẽt nauem ſaxis plenam, ad portum Danis obſtruendum. Idq́; dum ex fide geritur,vna non tranſuerſa,vt debuit, ſed in directum ſe collocans, anguſtum Danis liquit exitum. Poterant diutius manum conſeruiſſe, at ſine fructu. Vnde ſublatis velis in ſua redierunt,parum gloriantes inde de magnis ſumptib.& ingenti conatu. In ea tamen expeditione Vitaliani non quieuere,nauigantes in Noruagiam. Sed eam rem in Wandalia peragemus,ſolam nũc Daniã exequentes. Per quæ tẽpora Adolphus dux,habens ſibi coniunctũ Wilhelmũ ducẽ Brunſuicenſem,principẽ victorioſum, quẽ obæratũ habebat, in ciuitates Lubecã,Hamburgũ atq; Luneburg,expeditiſſimis militib.ingreſſi Iuniã, per menſem ex pacto ſunt immorati:infinitã prædam in pecoribus abegerunt. Ferunt ſupra xxx.millia pecudũ tum prędantibus ceſſiſſe,in pretioſa autem ſupellectile,auri argentiq́; pondus infinitũ. Victoresq́; in Gottorp reuerſi, prædã militibus diuiſerunt.

CAP. 15.

HIS autem temporibus non longè Philippa regina fertur clientelam quoq; ſuam, MCCCC. viros perarmaſſe, vt aliquã fortè operam ederent: vt & illa gloriaretur in rebus difficilibus vel aliquid attuliſſe. Inito cõſilio Sundenſem vrbem adnauigarunt. Et primò quidem venientes pręternauigarunt,vt terrerent ciues:interim reficiendis corporibus inſtitere. Ciues autem non ſegniter rem ſuam adminiſtrarunt:omni qua poterant celeritate naues perarmant,tela congerunt,ipſos ſe quãto poterant numero præcingunt,in portu obuiam ituri. Priores ipſi ducunt in Danos: & conſertis manibus,quum aliquandiu victoria nutaret, cœpit inclinare ciuibus: cæſi,merſi,capti Dani,vincula exceperunt: pauci fuga elapſi,reliquias ſuas laceras abſconderunt.

Dani ad Sundenſem vrbem cæſi.

Non ſum neſcius eam rem diuerſius ab alijs expoſiti: & cõmemorabitur à nobis in Wandalia,quum ad hunc ordinem perueniemus. Quo etiam tempore gregarij Vitaliani,quũ ſua fortuna mare ſcrutarentur,inciderunt in nauim regiam, quæ ex Sueciæ regno regi annua ferebat tributa, in mercibus & ære, auro & argento cõſtantia.

Regiã nauim Vitaliani capiunt.

Inerat præſidiũ quadringentorũ virorum. Durũ prælium initur. Quũ magna eſſet in medio victoriæ merces conſtituta, regij viriliter propugnauere: at demũ victi ſunt ab hominib. pugnatoribus, qui deprædationis erant miniſterijs aſſueti. Opulentam prædam Roſtock atq; Wiſmariæ diſtrahunt: erãt enim immixti ciues ſatellitibus. Sed ad publicũ inde nihil prouenit,quãuis in eã partẽ multi rationabiliter inclinarentur. Interea ciuitatũ Wandalicarũ gubernatores prudẽter perpenderunt,ciuibus ſuis mercatoribus, qui quotidianũ in regnis quæſtum facerent,longæuũ bellũ non conducere. Regẽ in locum Nycoping, à cõmunibus amicis deſignatũ,conueniunt: de pace deq́; differẽtijs longos texuere ſermones. Multa viciſſim dicta in exprobrationibus, multa excogitata in pacis conſtituta: ad extremum in hoc res deſijt,vt tribus capitibus approbatis pax eſſet: primùm,damna inuicem compenſarẽtur, aut ab arbitris æquarentur: alterũ,vt quoniam vrbes ab rege ſuo ſine cauſa ex fœdere cõſtituto defeciſſent, eam facerent cõpenſationẽ regi ad iniuriam ſubleuãdam, quam in ſimili caſu ab illo depoſcerent: tertiũ,vt fœdera prima illibata manerẽt in perpetuum. Oratores,limitatã ſemper poteſtatẽ habentes,referendum maioribus ſuſceperunt. Soli Roſtokcenſes pacis cupidi,vinculum ſocietatis initæ cum vrbibus rumpunt,mox approbantes quæ rex popoſcit. Turbati cæteri,quid facerent? Iam ſecreta omnia ciuitatum audierant, & aduerſæ ſe parti applicant.

Roſtokcenſes, deinde Sundenſes, à ſociarum ciuitatum fœdere diſcedunt.

Rex collaudatis illis, mox fecit præconari cum Roſtokcenſibus initam pacem, illos præcipiens per mare quadringentis viris ductari. Cæteri mœſti abierunt,referentes quæ viderant & audierant. Conuenere quinq; cæterarum vrbium oratores, capita tria excutientes: & virum præcipuum Sundenſis vrbis proconſulem,

ſulem, regi ſatis familiarem, ſubmiſerunt, vt omnium nominibus regem inſtrueret ad bonum temperandis articulis modum. Ille iuſſus transfretat: regemq́; conueniens, mandata exponit, multa quæ cauſam adiuuarent, adijciens. Sed nihil ille mouetur, perſiſtens in poſtulatis. Vbi regem comperit inflexibilem, ne nil tanta peregrinatione ageretur, cauſam ciuium ſuorum ſegregauit, Roſtokcenſiū iter ingreſſus. Ita ſciſſa ciuitatum vnione, rex gauiſus, cęteris tantò impenſius imminebat. Per quæ tempora Roſtokcenſium rebus maximopere inſidiatum eſt per vicinos principes, machinatione propulſorum proconſulum. Quam rem in Wandalia plenius exequemur: nunc Daniam exire non licet.

CAP. 16.

NON quieuerunt trium ciuitatum Lubecæ, Luneburgi, Wiſmariæ conſilia, quò minus apud regem de pace pertentarent: deſerti ab Roſtokcenſibus, fraudati à Sundenſibus, priuata commoda publicis præferentibus. Poterant & illi, quos cæteri accuſant, rationabiliter moueri. Sed quis eſt ad quem omnia omnium perueniunt conſilia? Hamburgenſes ſuis principibus obſequentes, iam ſe non ſine cauſa ſubtraxerant tractatui, dum iſtis rebus ex animo operas omnes impēdunt apud regem componendæ paci. Interim Dani magna claſſe inuadunt inſulam Alzen, ducatui Sleſwicenſi ſubiectam. Multorum ibi Holſatorum opes iam tum, vt & modò ſunt, fuere. Non ignari Holſati quid molirentur, (obſeruabant enim omnes eorum conatus) arces ſuas communierunt, Sunderburg atq; aliam: ipſam inſulam viris ad bella promptiſſimis impleuerunt, iunctis etiam gregarijs. Tentauerunt ſæpe fruſtra terræ ingreſſum: fortiter repulſi ſunt. Interim coorta tempeſtate Danica claſſis quaſſatur: decem naues, non minus, perierunt: cæteras vt poterat nauium præfectus (miles is fuit ex Holſato Danus) in portum reduxit. Ipſe regem, iamdudum cū oratoribus ciuitatū tractantem, acceſſit, rem, vt ferunt, omnem iam penè in optimos exitus reſpicientem diſturbauit, & diſcuſſit pacis conſilia, vir paci inimicus. *Pacis conſilia Senatus improbitate turbantur.* Quum ea diſiecta diſſilirent, duces primam intenderunt operam ad capiendū oppidum Flensburg, rebus gerendis terra mariq́; opportuniſſimum. Vſi ſunt opera cuiuſdam propulſi ex eo oppido, quem Dani non ferebant Teutonicū in gente ſua præſidentem. *Flensburg mira induſtria occupatur.* Is effecit, vt quum ciues die Palmarū nihil timentes, diuino miniſterio inhiarent, plauſtrum immitteretur, & in porta conſiſteret, rota longè proiecta. Holſati duces cum ſatellitibus ingreſſi, forum occupauere ſignis ſuis ſublatis. Sparſi per oppidum milites, hinc atque inde ciues cogebant, vt ſubiectionem facerent & ſacramenta. Dani frequentiores in munitionem montis cōtendunt: alij monaſterium ingreſſi, ſe tutabantur vt poterant. Erat in cliuo montis domus lapidea, quam occupauere multi ex ciuibus, inde miſſilium omnia genera proijcientes. Sed Holſati bombardis rem aggreſſi, primùm penetrabilem, deinde inutilem faciunt munitionem. Dani profugiunt in excelſum. Erat non cōtemnendus numerus in præſidio ſuperiori: accurrerunt omni ex parte alij præſidio tuēdo. Creuit numerus obſeſſorum, & per ſingulos imminuti ſunt comeatus. Duces mittunt Lubecam atque Hamburgum, auxilia rogantes, priuſquam ſuperuenientes Dani ex manibus auferant captum oppidum. Interim Friſonum octingenti viri pro ducibus laborantes, foſſatum ducunt grande, vt ad montem aut ab illo nemo decurrat.

CAP. 17.

IAM obſeſſis fames imminebat: quò enim fuere plures, maiori & celeriori famis anguſtia laborabant. Hanc ſuam, vt poterant, preſſuram amicis ſignificauere. Illi non ſegnes, à mari XIIII. nauibus comeatus abunde importabant, vt in multos dies ſuffecturi viderētur. Iam venerant auxilia ducibus ex vrbibus memoratis: impedimenta bellica, machinæ, turres ſurrigebantur: omnis apparatus oppugnationis inſtruitur. Quum autem in ipſis vrbibus audiretur comeatus illatos obſeſſis, vehementer indoluerunt: & in eam rem rurſus impediendam expeditas naues armarunt, omni genere telorum implentes, vt aditum prohiberent. Interim in oppido duces ſederant, intenti oppugnationi. Sed maior ſpes erat in fame: tanta fuit montis à natura munitio. Venerant ſub montem miſſæ naues ex vrbibus: præacutas ſudes figunt, vt aditum poſt ſe Danis intercludant. Ipſi ſibi proſpiciunt, ab alto miſſilibus ne noceant: hoc enim pellibus funibuſq́; prætextis procurant. Non quieuere interim oppugnationes à terra. Aditus omnis à terra mariq́; iam erat obſeſſis inter-

cluſus, erectæ machinæ, de quibus in obſeſſos miſſilibus certabatur. Si quando excurſiones tentauere (vt erant obſeſſi numeroſi ſupra mille viros) reprimebãtur. Augebantur quotidie vires Holſatorum, Danorum verò minuebantur: nec erat illis maius vllum fame periculum. Quantacunq; enim inuecta fuere eſculenta, tanto numero euaneſcebant. Ego ad extremum fame protracta, quum canes & equos omnes exediſſent, nec vllum ſupereſſet auxilium redẽptionis à terra vel mari, deditionis fecere mentionem. Nec duces cunctanter annuerunt: non enim erat certamen de vita, ſed terra. Dedẽtes igitur, ſuis rebus ſaluis abierũt, & ſaluo ſemper cõductu ad propria ſunt reuerſi. Duces montẽ aſcenderãt, & opportunis locis munitionem auxerãt: impoſitoq; neceſſario pſidio, auxiliarijs ſuis & amicis valefecere, vt in ſua quiſq; rediret. Sed tamen priuſquam digrederentur, quã dixere Nouã domum arcem expugnant, demolientes. Runchoſſalia erat hoſtium munitio perniecioſa, eam quoq; aggreſſi, ferro & igne ſolo æquauerunt. Interea verò quũ diem ex die bellantes protraherent, mercatorum per mare res ingenti ſemper ibant periculo, & in regnis nulla fuit negociatio. Quæ res alienis mercatoribus ingreſſum mõſtrabat, vt nouerint Hollandini omnes regnorum & portuum angulos etiam ſepoſitiſſimos. Ergo quoniam ſuperioris anni tractatus inter regem & vrbes Wãdalicas ſuſpenſi ac dilati fuerant in proximũ, conſtituto loco Zuinenburg, ciuitatum concilia eò ſuos miſere oratores. Aderant prælati, proceres regni magno numero. Nemo æquis oculis Teutonicos aſpexit, quòd opera ciuitatũ nuper regijs partibus detractum eſſet oppidum Flensburg cum mõte ſuo. Rex ipſe videri ſe paſſus non eſt: per intermedios res agebatur. Illi ſi ex fide rem egerint, exitus monſtrat. Nihil diu tractantibus ſalutare prouenit: verbis reddita ſunt verba, & tempus tritum inaniter. Fuere qui arbitrarentur longè ſalubrius rem actam, ſi rex ipſe corãm & audiret & reſponderi iuberet: nunc ex arbitrio intercedentium res omnis acta, ad optatũ pacis exitum non peruenit. Ne tamen nihil actum videretur, conuenit inter partes, vt proximo Pentecoſtes tempore in arcem Werdingburg iterũ confluant, adducentes qui de ſua parte mediantes, rem cum Daniæ proceribus ex æquo conſtituant. Ita Teutonum more dietam ex dieta etiam Dani conſtituere didicerunt. Et quanquam per intermedia tempora treugæ literis ſigillatis eſſent conſtitutæ, Dani tamen mare ſemper infeſtũ habuere, mercatoribus inſidiantes. Queſta ſunt ciuitatum concilia per literas regi: admonuere regem proceres: ipſi quoq; regi res omnis diſplicuit. Sed quis longam rerum perturbationem, & aſſuetam tanto tempore nauigationem, breui potuit compeſcere? Ipſi principes multa cernere, multa tolerare coguntur, quæ belli tempeſtas ingerit. Semel commotum mare, diu eſt antequam conquieſcat. Poterant Lubecenſes quoq; par pari referre, & diſſimulanter per ſuos latrocinia permittere: ſed nolebant viri ſeueræ induſtriæ tantã admittere in ſe querimoniam. Vnde longanimiter expectabant, ſi quando eius rei quædam fieret cõuerſio. Semper, vt æquum eſt, deferendum honori maiorum: ſi tamen non voluntaria diſſimulatione, ſed ipſa rerum inuicta perturbatione nonnulla contingant. Silent enim inter arma leges: vt eſt vetus Romani oratoris prouerbium.

Flensburgenſis arcis, poſt grauem obſidionem deditio.

Magno conuentu habito nihil fit.

Bello homines principibus minus dicto audientes redduntur.

CAP. 18.

PER ea tempora regi Erico noua ſurgit in regno Sueciæ turbatio. Nam dum ille implicatur bello Teutonico, ducibus obluctatus & Wandalicis ciuitatibus, arcium ſuarum præfecti in dicto Sueciæ regno inſolentius ſe egerunt, tributis, penſionibus, & nouis ſemper exactionibus populum emungentes. Gemitus primùm, inde clamor oppreſſorum multiplicatur, querentium iniuſtam & intolerabilem preſſuram, ab auaritia præfectorum exortam: qui ſub vmbra regiæ exactionis, ſua impleuere marſupia. Multos regni proceres res miſerabilis commouit: acerbè omnes tulere Danorum in ſe ſuoſque imperia. Inter alios autem erat vir primarius ex nobilitate, ad quem proximè peruenit calamitoſorum commiſeratio. Is communicato cum multis conſilio, nouandarum rerum ſumpſit principium. Nam adunatis viribus cœpit expugnare arces præfectorum, vrbes & oppida regi parentia in ſuam traxit partem, vt inſolitæ exactioni finem faceret. Engelbertus nomen erat viro clariſſimo, & patriæ amantiſſimo. Quem non dominandi amor, non lucri cupiditas, ſed oppreſſorum commiſeratio prouexit ad rem gerendam. Egit apud

Sueci Danos inſolentius dominantes loco mouent.

apud illum rex, vbi intellexit, multis literis, vt poſitis armis conquieſcat, præfectis ſuis pareat: at nihil profecit. Cœpto enim inſtitit, liberandæ patriæ à Danorum (vt dicebat) dominatu.

CAP. 19.

Rex in Sueciam ægre fracta naui venit, vnde ſtatim diſcedit.

REX ipſe proficiſcendi in Sueciam inſtituit animum, inſtructis duabus ad iter expeditiſſimis & ornatiſſimis nauibus. Sertũ roſarum vocabãt, cui rex ipſe ſe commiſit: alteram grãdiorem militantibus viris impleuit. Inſtitutaq́; nauigatione, grauiſſimam ſæuiſſimamq́; pertulit tẽpeſtatem, quæ grãdiorem illam nauim concuſſit effregitq́;, vt ex centum ſexaginta milinibus, qui vectabãtur, vix pauci in fragminibus enatarent. Regia nauis ægre terræ admouetur, vt regem continenti exponeret: & mox in conſpectu omnium procellis quaſſata ſoluitur, cunctis qui cuſtodiæ gratia remanſerant, pereuntibus. Rex inde in Sueciam cum tanta ſuorum paucitate perueniens, concilium euocat: arma in Engelbertum contrahit. Sed vbi paucos videt iuſſa implere, maiorem ac putabat conſpirationem in ſe deprendens: clanculo mutata veſte, cum paucis elapſus, in Daniam ſe recepit. Venerat interea dies cõſtituta, in qua de negotijs pacis inter regẽ & duces, & inde maritimas ciuitates, quæ vocantur Wandalicæ, in Werdingburg ageretur. Aderant regni proceres, ducum & dictarum vrbium oratores. Diu diſputatum, multis vtrinq́; verbis res examinatæ, nec poterat per multos dies de legibus pacis conueniri, ita iuri ſuo pars quæque perſeueranter inhæſit. Viſum eſt tãdem ducibus & vrbium oratoribus fruſtra tempus teri, ſe inanibus rebus protrahi, abitum parauere. Quod vbi regijs innotuit, ſcientes perturbationem regni Sueciæ, prębuere animos Danorum aduerſarijs. Nam vbi Sueci ducibus & ciuitatibus accederent, grauiſſimas regi conditiones belli futuras proſpexere. Itaq́; reuocatis in cœtum oratoribus, tum propius rem egere: & in eas tandem conueniunt pacis leges, vt rex permiſſo ducibus Sleſwicenſi ducatu illos inueſtiat, reſtitutis quæ inde fuerant detracta, Iutiæq́; renunciet, quod per laudum Imperatoris diceretur reportaſſe. Ciuitatibus liquidata damna reſarciat, veterem mercatoribus libertatem permittat: telonea quæ ab annis cẽtum fuerunt, permaneant: non grauentur nec vſquam innouentur regnorũ incolæ in vrbibus memoratis: de nouo nullis exactionibus onerentur, ſed antiqua vbiq́; gaudeant libertate. In has pacis conditiones vtrinq́; confectę ſunt literæ: pax vndiq́; proclamatur. Ex diuturno bello læti omnes reſpirant, nec erat qui non gauderet, poſt longã tempeſtatem tandem aliquando diuino nutu rediſſe tranquillitatem. Oratores in ſua feſtinant portantes pacem, alacriterq́; à ſuis excipiuntur. Erat autem poſt natum Chriſtum annus milleſimus quadringenteſimus triceſimus quintus, quum tantũ orbi noſtro bonum proueniret.

Pacis leges tandem ſiunt.

1435.

CAP. 20.

Rex motus coortentes præuidens à Dania diſcedit.

FORENSIBUS autem bellis pacatis, rex quum intelligeret domeſtica intus bella grauiora cõſurgere, rebus ſuis diffiſus, cogitauit abitum. Nam Sueciæ tumultus alia quoque regna in perniciem inuitare videbantur. Videriq́; regi viſum eſt, in Dania atq́; Noruagia ſimiles motus conſurgere: quibus vndiq́; comprimẽdis, imparem ſe iudicabat. Itaq; cedendi ſecretò ſumpſit conſilium. Nam theſauris in naues exportatis Gdanum nauigat, in tuto locatus, exitum videre volens domeſticorũ tumultuum. Vbi innotuit regem enauigaſſe, turbati omnes, ad reuocandum eum nuncios parauere. Nam qui ſub eo ſecuri videbãtur, maiores ſine capite motus veriſimiliter ſuſpicabantur. Ille Gdani commoratus, placidè reſpõderat nuncijs: non tamen ad reditum feſtinabat. Interea Suecia, quæ motibus initium dedit, in ſua viſcera cõuertitur: inuicem ſe proceres proditionis arguunt. Alij per tumultum, alij etiam quaſi legitimo iure per ſententiam capite puniuntur. Cæſus mactator Engelberti Benedictus Bentz, & multiplicata ſunt mala vehementer. Qui præſentem oderunt, abſentem reuocari orant. Ille verò diſſimulãter omnia permittit, nec rediens, nec ſe omnino ſubtrahens: nam Godlandiam cũ vrbe & arce aliquanta ſuorum manu inſedit. Venerant ad eum duces Pomeraniæ & Walogaſti, inſtructa claſſe magno militũ numero. Decreuit rex nepotẽ ſuum, Pomeraniæ ducem, pro ſe regem ſufficere. Inq́; eam rem perficiendam inſtituit Danorum regno appropinquare, nauigansq́; conſedit ad Rugiam, anchoras demittens. Ibi conuenerant eum Danorũ proceres, rogantes vt in regnum rediret, motibus compeſcẽdis:

Tumultus in Suecia autores, inter ſe tumultuantur.

nulli ſe libẽtius paſſuros quàm ipſi, proq́; illius incolumitate omnes ad vnum morituros. Ille deliberationem ſuam illis detexit, iam ſe in ſenium vergere, laborũ eſſe pertæſum: multis, vt noſſent, curis implicitum, ad quietem reſpicere, eamq́; ex animo cupere. Eſſe præſentem ex fratre ſuo nepotem, ducem fortiſſimum, & laboribus æquum, cum pro ſe regem illis daturum: fauerent orabat votis ſuis, iam ad quietem reſpicientis.

CAP. 21. *Rex nepote, quẽ ſibi ſubrogabat, à Danis recuſato, primatum reliquã ætatẽ tranſegit.*

ILLI replicant, quamdiu rex illis ſuperſit, alium ſe regem nec poſſe perpeti, nec vnquam adquieturos. Illum adoptione, vt meminerat, factum regem, non eſſe illi ius pro ſe alium ſurrogandi. Si omnino (quod ipſi nollent) regnare recuſaret, eſſe incolarum liberam de ſufficiendo rege electionem. Proinde orare vt nõ detrectaret regnum, quod ſibi ex hoc die in tribus æquè prouincijs futurũ eſſet quietiſſimum, in quam rem omnes ſuas vndiq; vires collaturos. Rex vbi intellexit ſe conatu fruſtratum, dimiſſis ad ſe venientibus oratoribus, mox claſſem collectã diſſoluit, vt in ſua quiſq; rediret. Exorta tempeſtas duodecim naues in conſpectu abſumpſit. Rex in Werdingburg nauigans, ibi hyemauit. Quum autẽ conceptę tranquillitatis nulla illi in regno ſpes ſupereſſet, nec poterat efficere, vt quem vellet, nepotem regnis relinqueret ſucceſſorem: tacitus itetũ ſe ſubduxit regni negocijs, enauigans in Pomeraniam: ibiq́; vel coemptis, vel legitima ſucceſſione maiorum prędijs comparatis, quietus diu ſuperuixit, conſeneſcens in arce quam vocãt Rugewold: peruenitq́; viuendo ad annum Chriſti MCCCCXXXVIII. quum regni ſe negotijs ſubduceret. Queruntur Dani, veteres regni gazas cum illo pariter abijſſe: negant alij regem quidquam ſecum euexiſſe, niſi quod legitimo ad ſe iure pertineret. Quis non miretur, tãtum regem ex faſtigio trium regnorum in vitam priuatam deſcendiſſe? Imitatus (ſi non ſupergreſſus) laudem Diocletiani Imp. Rom. clariſſimi: cuius imperio, præter Chriſtianæ religionis odium, nihil à quoquam poteſt opponi. Is non ſolùm purpuram poſuit, nouem poſtea annis priuatim viuens: ſed etiam collegam ſuum Herculium Maximianum, quem ipſe prouexit, vt idem faceret coegit: nec vlla potuit ratione ſuperari vt reſumeret. In cuius rei molitione perijt Maximianus, Diocletianus autẽ priuatus obijt. Quem imitatus Ericus, ex rege priuatus, multis poſtea annis quietus conſenuit, ex alto quietis ſuæ tumulo proſpectans motus ſeculi plurimos, quibus antea mirificè iactabatur. Cui etiam hoc magnificum accidit, vt primus inter reges Danorum, ab exteris in regnum vocaretur, ex Wandalorum natione, quæ fuit à ſeculis Danico ſemper nomini infeſtiſſima.

Diocletiani exemplum.

CAP. 22. *Chriſtophorus III. rex eligitur.*

CHRISTOPHORVS ex Bauariæ ducibus, procerum ex tribus regnis vnanimi conſilio rex eligitur, ſcrutata prius (quod neceſſe fuit) illius deſuper voluntate. Poterant propiorem delegiſſe ſibi principem ex Pomeraniæ ducibus: ſed infeſti erant huic generi, propter contemptum regis ſui Erici. Nec volebant perniciosis exemplis viam facere, vt reges ſibi quos vellent deligerent, ſucceſſores. Ideo ab Erico Pomeraniæ duce diſcedentes, ad Chriſtophorum Bauarum flexere. Nec tamen à Pomeranico regis ſui ſanguine diſceſſerũt: erat enim Chriſtophorus natus ſorore regis Erici. Chriſtophorus autem in regnum vocatus, ſolenni ſuorum apparatu circa feſtũ Paſchæ, anni triceſimi noni poſt mille quadringentos, Lubecam intrauit: vbi
1439. venerabiliter futurus rex à regentibus eo loci excipitur. Ibi ex conſtituto proceres regni fuere, qui magno illum honore ſuſceptum, perducunt in Daniam. Arces illi regni traduntur, ac legitimis illis modis cuiuſcunque ordinis homines ſacramenta compræſtant. Vnctus inde ſacro (de more) oleo, rex conſecratur, cunctis ad nouam regis gloriam plaudẽtibus. Anno deinde proximo, quum regni prouincias obiret, peruenissetq́; in Iutiam, ibi ex compoſito illi Adolphus dux Slesvvicenſis, ac comes Holſatiæ, occurrens, feudi poſtulauit de iure innouationem. Nec diu moratus rex, apparatu legitimo per bannerium inueſtiuit illũ ducatu, acceptis quæ præſtari ſolent iuramẽtis. Tum rex illi iubet reſtitui quæ ex antiquis annis ad ducatũ pertinerent, vſq; ad pontẽ in Koldingen. Multa enim inde Margareta regina detraxit, multa etiam Ericus per bellum diuturnum. Quumq́; ex forma compoſitionis quæ bello ſucceſſit, omnia reſtituenda duci mãdarentur, ad executionẽ tamen plenariam ad hunc vſque diem nunquam eſt peruentum, quòd rex Ericus, ex illo ſemper die abitum

Iuris legitima inueſtitura.

abitum parans,minus intenderet rebus.Sed nunc Chriſtophorus,nō ignarus quid duci deberetur, omnia iuſſit ex fide reſtitui: vt vicinum illum & homagialem fidum experiretur, inter alienos dominari conſtitutus.

CAP. 23.

Ruſticorum in Iutia tumultus reprimitur.

QVO tempore ruralis populus in Iutia, per diuturni belli tempora inſolentior factus,(quòd multa tum licentia videbatur, rege cū proceribus implicatis negocio bellorum)militem quēdam magni nominis, Ezekonē Brock, per tumultū oppreſſere. Rex perniciem exempli veritus, ne impunitas illorū etiam alios armaret, vindicare conſtituit rem tātam atroci ſupplicio. At exercitu opus videbatur, quòd ruralis illa multitudo conſpirans, non facilè opprimenda aut ad quietem reducenda videretur. Arma contraxit, ac mouit in populum tumultuantem, qui nullis tutus præſidijs, nullo duce inſtructus, audet tamē prodire in prælium. Infœlices, qui peſſimum ſecuti ducem, temeritatem propriam, manus contulere cum copijs regijs. Fuſi primo impetu ad ſexcētos, reliqua multitudo capta, ære luit pertinaciam: quū rex parceret infrunitæ multitudini, ne cultoribus agri deſtituerentur. Ita rex nouus & alienigena obedientiam ferro quæſiuit. Circumſpiciens autem rex, ſimul animo ſecum repetens, quanta proximo bello ciuitates maritimæ, quæ vocantur Wandalicæ, incommoda regno inuexiſſent: de repagulis communiendis cogitauit. Et vt cōſilio prius quam viribus rem experiretur, miſſis ad vicinos Germaniæ principes literis, in Wiſnacū, ſub dominio marchionum de Brandēburg, ad cœtum conuocauit. Aduenerant Fridericus marchio Brandenburgenſis, Henricus dux Magnopolenſis, Otto, Wilhelmus, & Henricus, duces Brunſwicenſes, ac multi præterea alij. Ibi quum multa in concilio (quæ vulgò incomperta manſere) agerentur, fama fuit memoratos principes fœdera iniſſe cū rege Chriſtophoro: &(vt ſolet malignū vulgus libere quæ ſentit proloqui, facta miſcens inſectis) ferebāt omnia in ſubuerſionem ciuitatum ibi conſtituta. Rex ipſe non regio apparatu, ſed peregrina veſte, octoginta equis cinctus, eò prouehitur. Adolphus Sleſwici dux nō aderat, princeps bella peroſus, quæ illum à puero vexabant. Quæ potuit eſſe cauſa non adeundi cœtum, ne ſe alienis laboribus, quorū erat pertæſus, implicaret. Eadem libertate tum vulgus rumorē diffuderat, eius principis abſentiam cuncta ſubuertiſſe conſilia cæterorū. Sed quis conſilio aderat, vt enunciaret occulta? Curioſitas multorū cogitationes ſuas ex conjecturis firmat, audenter pronuncians quod vel timet vel ſperat.

Principum Germaniæ in Wilſnaco conuentus.

CAP. 24.

1445.

Chriſtophori nuptiæ celebrantur.

ANNVS erat quintus & quadrageſimus poſt mille quadringētos, quum Chriſtophorus rex de poſteritate cogitans, ad nuptias animum conuertit. Duxit autem vxorem Dorotheā, Ioannis Brandenburgenſis marchionis filiam, quę ad noſtram peruenit ætatem. Eas verò nuptias regali more in Coppēhagen arce regia peractas, honeſtabat multorum de Germania principum pręſentia. Aderat Ioannes ipſe pater ſponſæ, Wilhelmus dux Brunſwicenſis, Fridericus dux Bauariæ, regis Chriſtophori cognatus: Balthaſar de Sileſia princeps, Ludouicus Haſſię lantgrauius, Erneſtus de Honſtein comes, cū multis alijs nobilibus, & pluribus ex varia natione militibus. Nec deerant cum muneribus ſuis ciuitatū oratores: quippe regem, in cuius prouincijs mercatores diuerſantur, non incongruè ſuſpiciunt ac venerantur. De principibus certè memorabile, quòd illos mare, mediterraneis inſolitum, ac terrificum inconſuetis, ab officio non deterruit. Peractis verò nuptiarū ſolennitatibus, principes cum honore in ſua dimittuntur: rex ipſe regnorum obibat negotia. Sueciam putauit inuiſendam, quòd proceres cum populo deſiderantiſſimè vultum regis ſui expectabant. Venit, vidit. Et omnibus ex ſentētia procuratis ordinatiſq́;, quū magnos inde theſauros in naues congeri iuſſiſſet, ſiue de muneribus quæ proceres intuliſſent, ſiue de prouentibus, quos per annos plurimos præfecti contuliſſent: nauigationem inſtituit in Daniam. Ibi exorta tempeſtate ſpes multorum intercidit: periit omne aurum & argentū, quod proximis annis Suecia diues congeſſit. Nam conquaſſata quæ theſauros nauis euexit. Centum millia ac amplius multò intercidiſſe memorant, vix rege cum naue ſua in portum perueniente. Mira Sueciæ fortuna: non patitur exportari theſauros. Si ſinunt homines, mare prohibet: ſi pacatum eſt mare, homines tumultuantur.

Rex naufragio multas opes amittit.

CAP. 25.

SED tum rex Chriſtophorus nullo Suecię theſauro locupletior factus eſt. Nulla

regi per ſua tempora fuere externa bella, quod memoratur. Cōponendis rebus intra regnorum viſcera illi magnopere fuit prouidēdum, cogitanti ſucceſſus prædeceſſorum. Domeſticum illi ante oculos & recens erat exemplum regis Erici auunculi ſui, quem ſimultates & diſſenſiones procerum regno exegerunt. Meditari ferebatur bellum in littora Germaniæ, & præſertim in ciuitatem Lubecēſem, quam non æquis oculis aſpicere ſolitus credebatur, quòd olim Danici iuris, nunc in eam videbatur arrogantiam erecta, vt bellū Daniæ auderet coronæ intentare. Sed ille quàm occultè apparatū facere credebatur belli de proximo in eam gerēdi. Quūq; ad annum nonū regni ſui, in arce Helſingburg, aduerſa valetudine deſperabiliter laboraret, fertur aduocaſſe proceres quos habere potuit, & cum illis de regni negotijs egiſſe.

Regis moribūdi ad proceres oratio.

Et inter alia quæ ægreſcens indies magis atq; magis, illis præſentibus imperat, ferunt dixiſſe: Maleuolis me oculis intuiti, inquit, ſoleus exemplum auunculi in me formidare, quòd aceruatis vndecunq; de regno theſauris enauigem. Nunquam ea res in animum deſcendit meum, vtinamq; non veſtra culpa magis quàm de ſuo ſenſu auunculus fugā paraſſet. Ego quantos potui ſubducere theſauros quotidianis ſumptibus, eos compoſui, bello aliquādo, pro regni gloria, ad Lubecæ muros gerendo. Ea vrbs quo ſit regnis noſtris fato edita, mecum videtis. Nunc quoniā Deus imperat, regno & vita pariter mihi concedendum eſt. Vos rebus rectè cōſulite, & eum poſt me vobis deligatis regem, qui regnis non modò præſit, ſed & proſit. In eum modum rebus exceſſit humanis anno MCCCCXLVIII.

1448.

CAP. 26.

Suecia à Dania & Noruagia deſiſcitur.

CHRISTIANVS ſuorum de Aldenburg, maiorum patricio nomine, (quem Dani more ſuo Chriſtiernum appellauerūt) vnanimi procerum Daniæ & Noruagiæ conſenſu rex eligitur, Suecis ſe à veteri placito retrahentibus: quod habebat, vt non niſi trium regnorum communi cōſilio vnus aſſumeretur rex. Hæc autem electio maximè facta eſt adſtipulatione Adolphi ducis Sleſwicēſis, qui erat auūculus Chriſtiani de Aldēburg & Delmēhorſt comitis: natus enim erat Chriſtianus eiuſdem Adolphi ſorore germana. Inclinauerant autem proceres memorati in eūdem Adolphū aſſumendum, pertentabantq; animum eius, miſſis ſolennibus ex ſuo numero ad eū oratoribus, quos ille familiari cōuerſatione habebat notiſſimos. Vbi ille pertinaciter recuſabat, conſilio eius vſi, ad Chriſtianū eius nepotē (quem ille quoq; in domo ſua ex puero educabat) inclinauere, præſertim vno facto geminam ineuntes gratiam, quòd domum Brandenburgenſem, ex qua prodijt relicta regina, promerentur, illi ſpōſum requirentes. Sic enim illa viſa fuit affectu propendere, vt quē illi regem, ipſa maritum dignaretur, ſi nihil obſtaret aliud. Increbuit autem ſermo, militem quendam, genere, opibus & forma præſtantem, ad regnum multorū propenſione reſpicere. Sed illa aliori ſtemmate prodita, nobilitatem Chriſtiani, quem multæ inſuper virtutes ornauere, præferebat. Igitur Chriſtianus de Aldenburg, veteri ac nobili domo comes, rex Daniæ Noruagiæq; aſciſcitur. Nam Suecia præueniens hanc electionem, præuaricata pactum pridem conſtitutum: peculiarem ſibi regem aſſumpſit ex ſuo corpore, militem opibus præſtātem, Carolū Kanuti: quod in Suecia plenius diximus.

Lib. 5. c. 41.

Chriſtiernus ſolenni ritu coronatur, Dorotheā reginam matrimonialiter ſibi copulauit. Ea erat vtriuſq; gratia, vt ſtatim abolerent opprobrium Danicæ regiæ, vt quæ ſterilitatis incommodo percuſſa, intra annos ſexaginta regni nullum vidit hæredem. Neq; enim Waldemarus nouiſſimæ Margaretæ pater, neq; Ericus, neq; Chriſtophorus regno maſculam prolem reliquerunt.

CAP. 27.

DOROTHEA autem ex Chriſtierno concipiens, intra annū enixa eſt Olauum filium: ſed ille in pueritia deceſſit. Inde verò Ioannem peperit, modernum trium regnorum regem, cum fratre Friderico, itidem duorum ducatuum moderatore: atq; filiam, Scotorum regi nuptam, quæ ſceptris illis longam pollicetur poſteritatem. Proximo deinde anno, Chriſtiernus primam regnis operam impēdit, vt Sueciam per partes duobus regnis iterum coniungeret. Nam armatū duxit exercitum in inſulam quam vocant Godlandiam, Sueciæ coronę parentem. Eam verò vſq; in illum diem retinebat Ericus rex, per omne tempus Chriſtophori per Sueticos præfectos eam gubernās. Sed Chriſtiernus vi recuperauit, expugnato oppido Wiſbu, quondam florentiſſimo emporio mercatorum. Teſtantur fores & feneſtrę ferreæ, quæ

Godlādiam rex vt recepit.

quæ extant in hodiernũ. Diu nauigantes ibi marini iuris tribunal recognouere: vetuſta ibi mercatorũ priuilegia aſſeruabantur, nunc in turiores tranſlata ſedes. Expugnabat & arcẽ, maximè adiutus armis quæ illi iungebat Adolphus auunculus, Sleſwici dux. Per eadem tempora ſurrexit ea in Pruſſia grauiſſima belli contentio, quæ multis annis perdurans, terrã poſuit in ſolitudinem, Chriſtierno ad omnia neutraliter ſe gerente. Quũ verò annus ageretur regni eius ſextus, Bergis in Noruagia pernicioſiſſimo tumultu, mercatores militẽ Olauũ Negelſen, omnibus oneroſum, in eccleſia cũ epiſcopo oppreſſerunt. Quam rem plenius in Noruagia explicauimus. *Lib. 5. c. 13.*

[illegible]

INTEREA verò Sueciæ præfuit rex Carolus, quem (vt diximus) de ſuo Sueci corpore prouexerunt in regnum. Sed is clericis, & omnibus eccleſiaſticis, militaribus, ac omnibus regnicolis, propter tyrannidem & oppreſſionem ſingulorum grauis, & perinde odioſus cœpit haberi. Quod vbi intellexit, ſe omniũ oculis deſignari, collecto clàm omni quẽ poterat theſauro, (quem etiam priuatus habebat copioſum) media hyeme, in ipſa carniſpriuij reſolutione, quando nemo tale quicquã formidabat, omnibus ad crapulã laxatis, ingreſſus nauim, Pruſſiam nauigauit. Proceres autem regni, non minus de ſua exoneratione, quàm illi de abitu alacres, ſolennibus miſſis ad ſereniſſimum regem Chriſtiernũ oratoribus, eum vocarunt in regnum. Venientem autem honorificè exceperunt, regem ſuum cõſtituerunt, & in Stokholm ſolenni ritu inunctũ per manus Vpſalenſis archiepiſcopi conſecrarunt, tribus iterum regnis ad obedientiam vnius regis redeuntibus, quo modo à memoria Margaretę reginæ, quæ prima regnis hoc decus peperit, vt vnis legibus, vno imperio tria moderarentur. Erat autem annus poſt quinquaginta ſeptimus, nonus autem ab initio regnantis Chriſtierni. Poſt duos autem annos ex hoc tempore, quum in fata concederet inclytus Adolphus dux Sleſwici, comes Holſatiæ, non erat dubium, Sleſwicenſem ducatũ coronæ conſolidari, à qua exijt beneficium, quum ille prolem nullã relinqueret. De comitatu autem Holſatiæ magna fuit quæſtio, nam feudum videbatur imperij, quòd ad maſculam lineam crederetur pertinere. Superesat Otto comes de Schowenburg, cum multis filijs, Adolpho, Erico, Erneſto, Bernardo, Ottone, Henrico, Antonio, Ioanne. Hic Otto ad virilem ſpectabat, ſed multis gradibus, agnationem: rex autem Chriſtiernus, cum fratribus, Mauricio & Gerardo de Aldenburg comitibus, ſorore Adolphi erant progeniti.

Cap. 28. — *Carolus Suecia, in qua regnabat, clàm excedit: cui ſuccedit Chriſtiernus.* — 1457. — *Rex aliis ditionibus augetur.*

NOBILITAS omnis diu variè nutabat. Multi in regem propẽderant, defenſorem quæritãtes: alij verò comiti inclinabant, præferentes vetera ſtirpis eius in terra ſuam beneficia, quodq́; maſcula illos linea præferebat. Aliquot vicibus in eam rem tractantes cõuenerant, at abierunt ſine fructu. Nouiſſimè verò in Todeſlo cœtum facientes, interueniente Arnoldo Lubecenſi epiſcopo, qui imperiali vice eius feudi dominus cenſeretur, Chriſtiernus rex comitatu donatur, quietatis ingenti ære comitibus, vt iuri ſuo renunciarent. Fratribus deinde ſuis rex non minorẽ pecuniæ ſummam perſoluit, vt omne ius in ſuam coëmeret perſonam. Ita factum eſt, vt nobilis ille comitatus, qui infinitũ ſanguinem dedit, quò à corona Daniæ ſegregaretur, nunc voluntate procerũ ſe illi coniunxerit. Erat autem annus MCCCCLX. quũ hæc agerentur. Quumq́; ſacramenta ſolenni ritu rex ab omnib. acciperet, venit in Hamburgũ, antiquiſſimã Stormarię ciuitatem. De homagio quidẽ nulla mora, ſed de pſtando iuramẽto fit dubitatio. Oſtendebant ciues regię maieſtati veterẽ obſeruantiã, eamq́; chartis priuilegiorũ aſtruebãt, orantes, vt regia maieſtas illis adquieſceret rebus, quib. omnes ſui in comitatu patres ac prædeceſſores acquieuere. Diſceptatum eſt deſuper longa verborũ altercatione: ſed bonis ciuium allegationibus ceſſit rex moderatiſſimus, permittens veterẽ vrbis probatamq́; diu cõſuetudinem.

Cap. 29. — 1460. — *Ad iuſiurãdũ non adigi, quorundam priuilegium.*

REX eo tẽpore inſtituta in Sueciam nauigatione, iura regni percudit. Et quum de omnibus ordinaſſet, peruenissetq́; ad illum certus rumor de theſauro, quem regno excedens Carolus, in oppido Stokholm apud fratres prædicatores reliquiſſet: cõuenit ſuper ea re fratres. Et quum illi diu diſſimulaſſent, acrioribus ab illis extorſit verbis, vt quod ſupereſſet regi contraderent. Ferunt fama aliquot ſignati æris reperta marcarũ millia, ac vaſa nonnulla argentea, magna eum paruis. Repperit autẽ & in Suecia nunciũ apoſtolicum Marinũ, qui promulgatis indulgentijs in cauſam

Cap. 30. — *Fratres mẽdicãtes theſaurum occultum aſſeruantes.*

[redacted]

expeditionis in Turcam, magno argẽto Aquilonis regna emunxit. Sed vbi intellexit oues ſuas tonderi, pactus eſt partem lanæ: quòd & ipſi pugnandum foret in ſchiſmaticos regnis ſuis conterminos. Totondit Italicus, operã impendens: ſed non iniuſtè paſſus eſt legitimo domino ſuam prouenire portionem. Erat tum annus ſexageſimus primus, poſt mille quadringẽtos.

1461.

Quumq; argentũ ſuum Italicus exactor mercibus implicitum, per currus in Norinbergam deuehi diſpoſuiſſet: interceptis curribus perijt labor emunctoris. Prætenderãt qui accepere, res eſſe Luneburgenſium, quorum id contumacia depoſcebat, vt rebus & corporibus vbicunq; tenerẽtur, quum apoſtolicis mãdatis in cauſa cleri non parerent. Anno deinde proximo, qui fuit LXII. magnus, agente Chriſtierno rege, principũ cœtus indicitur in Wiſnacum, veteris marchiæ oppidum, pridem factum notiſſimum, pro concurſu qui in hunc vſq; diem multorum agitur, pro miraculo quod ferunt in venerabili altaris ſacramento contigiſſe. Rex locum periturus, Lubecam pertranſiuit. Ciues ſummã rerum ſuarum adhibuere cuſtodiam, non diffidentes regiæ maieſtati, ſed vt ea ſecurior à tumultu inconditæ plebis conquieſceret. Nam promiſcuũ ſpectandæ nouitatis vulgus auidum, dum ſe turbis immiſcet militaribus, ſolet nonnunquam tumultus excire. Rex tamen moderatiſſimus, eam rem deducentibus ſe foras proconſulibus honoris gratia, per riſum exprobrauit: illi verò comiter riſum riſu tergebant. Quid tum inter principes ageretur, inconditum vulgus, quaſi conſilio immixtum, enunciabat, omnia in detrimenta ciuitatum Wandalicarum reſpicere, quarum prouectio vrere principum oculos crederetur. Rex verò quum in regnum rediſſet, ciuitatum Wandalicarum concilia mox ſuos ad regem miſere oratores, primùm quidem confirmãdorum in regnis priuilegiorum gratia: inde verò queſtum de damnis & iniurijs, quæ mercatoribus vel in mari à piratis, vel ab exactorib. præfectis in regni finibus irrogarentur. Et quidem de præteritis, quæ temporum regni eius non eſſent, reſponderi quid debuit aliud, quàm vt crimina ſuos tenerent autores? De alijs autem quæ vaſto mari patrata ſunt, vel incertos vel peregrinos præferunt reos, qui in manibus non eſſent. De futuris adhibendam cuſtodiam atq; vigilantiam. Priuilegiorum confirmationem reportantes, in ſua alacres redierunt.

Sed nos in Vetitum credula turba ſumus. Wandalicarum vrbiũ petitio.

CAP. 31.

PER idem tempus rex aſſumptus eſt arbiter ad cauſam Luneburgẽſium, quam prælati in eos inſtituerant, cum duobus de Lubeca & Zwerin pontificibus, terminauitq; eã in cœnobio Reynefeld, quæ diu in Romana curia fluctuabat, & aliquorũm principum in vicinis locis arma experiebatur. In Suecia interim res ad rebellionem ſpectabat. Indoluere enim proceres, adminiſtrationem præfecturarũ Danis permitti. Promiſcuũ vulgus cauſatur abeſſe regem, rarius ſibi de iuſtitia reſponderi, arbitratu præfectorum rem omnem agi: regni theſauros foras educi (viſcera regni) ad libidinem patriæ Danorum. Rex apertam rebellionem præuenire conſtituens, expeditionem parauit in Sueciam. Aliquot nauibus perarmatis Holſaticæ militiæ florem impoſuit, & magno Danorũ apparatu nauigauit in regnum. Reperit autem rex maiorem quàm putauerat in ſe factam coniurationem: nam prodire audebant in aciem, & conſerere manus. Pugnatur acriter, & aliquandiu incertis alis volitante victoria: Suecis inde inclinauit. Cæſi ex regijs multi: rex in naues reducitur, capiuntur multi. Aliquot dum in naues refugiunt, trepidatione nimia, mari merguntur. Archiepiſcopũ tamen Vpſalenſem, quem velut obſidem rex habebat, ſecum enauigans tulit in Daniam. At vbi comperit viri cor in ſe rectum, cum honore remiſit in ſedem ſuam. Interim verò Sueci, nouis ſemper rebus intenti, miſere qui reuocarent Carolum regem ex Gedano, in quam quieturus ſe collocauit. Sed vbi redijt, nec illam quam promiſere reperit integritatem, ſua ſponte ſe regno abdicauit, priuatim victurus communi cum alijs iure. Non quieuit tamen archiepiſcopus memoratus Chriſtierno regi proceres conciliare. Nec facilè potuit ſemel motam ſuo loco fidem in integrum reducere.

Suecos expoſtulantes rex adortus, ab illis victus fugatur.

Carolus in Sueciã reuocatus, vltro regno cedit.

CAP. 32.

Gerardus regis frater, ſuum petẽs placatur.

ANNVS interim erat ſexageſimus quintus poſt mille quadringentos, quũ Gerardus de Aldenburg, regis Chriſtierni germanus frater, in Holſatiam ſe contulit, maiores Holſatorum interpellans ſuper aliquot millibus expromiſſis, dum ius ſucceſſionis ſuæ in fratrem refunderet. Et arcibus in poteſtatem acceptis, legitimum

ſe cum

ſe cum fratre ferebat hæredem. Quid facerent proceres regis germano? Detecta literis res eſt regiæ maieſtati: veniente autem in terram rege indictum eſt terræ concilium. Ibi Gerardus quoq; pro ſuo iure locutus, aut terræ partem aut expromiſſam dudum pecuniam depoſcebat. Æquum viſus eſt poſtulare. Igitur noua illi per regē literis ac fideiuſſoribus cautio firmatur: & quieuit ab incepto pauliſper. Quo tempore quum Dorothea, Adolphi ducis relicta, ex patria ſua deſcēdiſſet in Holſatiam requirere donationem ſuam propter nuptias, itineris comitem habuit nobilem virum Erneſtum de Honſtein, memoratæ dominæ cognatum. Eum, (incertum quibus ex cauſis) Benedictus de Aleueld, vnus ex ducatus primoribus captiuū ſibi fieri coegit. Quid faceret vir nobilis in alieno conſtrictus? Manum dedit. Domina Dorothea apud regem conqueſta, quòd nihil tale in ſuis formidaſſet in ditione regis, quem ipſa in domo mariti ſui Adolphi à puero cum fratribus educaſſet. Proinde orabat, vt ſi non benefactorum reſpectu, (quorum memoriam durare nihil dubitabat) vel communi itinerantium ſorte liber eſſet, quem illa domo extraxiſſet. Mouit regem optimæ fœminæ iuſta querimonia: iuſſitq; captiuum laxari. Sed ea tum erat rerum cōditio, vt ad libertatem, niſi ex promiſſis quatuor aureorum millibus, redire non poſſet. Deformis quidem rerum facies in bene merentem dominam, apud rerum ignaros. Sed mihi perſuaderi non poteſt, ſine magna cauſa rem in eos exitus deueniſſe. Permāſit autem memorata domina in Reynoldesburg, (quæ fuit illi donatio propter nuptias) vſq; ad proximū annum. Et tum reuerſa in Turingiam, præfecit militarem, qui per annos ſingulos de prouentibus reſponderet. Gerardus regis germanus, in Holſatiam reuerſus, immemor & ipſe obſequiorum, quæ puer in domo memoratæ dominæ recepit, omnem illam ditionem inuaſit. Rex vbi intellexit, effecit, vt quotannis auri ſumma, quoad viueret, nobili, ac de principibus bene meritæ dominæ prouenirer. Idq; certis fixum ordinationibus implebatur. *Erneſtus de Honſtein nullo iure captus, precio tamen dimittitur.*

PERMITTENTE interea rege, Gerardus germanus eius in Holſatia res adminiſtrabat. Imminebat autem grauis nobilitati, ruſticam plebem, vt videbatur, tutatus aduerſus vim ſolitam domicellorum. Accidit autem per ea tempora, vt appropinquante ſolutionis termino, quem ſibi militares pro rege fixiſſent cōcilio Lubecenſi, quum fidem ſuam obſtrinxiſſent ea lege, vt in termino præfinito, niſi ſoluerent, Lubecam euocati intrarent, nec abirent niſi ſolutione peracta. Vocati paruerunt, & quibus ſe poterant conditionibus, obligationis vinculo laxabant. Interim Marinus de Fregeno, nuncius apoſtolicus redibat, querimoniarum & irarum plenus, quòd collecta nuper in regnis Lubeck & Luneburg ſub Fionia poſita, rex Daniæ Chriſtiernus, quòd expromiſſam coronæ portionem nō exoluiſſet, abduci curauiſſet. Multam quidem indignationem præferebat. Sed quoniam in reliquū expiſcari voluit, exaſperare principes, quorum venerat tondere oues, conſilium non fuit. Gerardus autem quum omnes penè Holſatiæ arces teneret, & adminiſtrationem ſuam in legitimum principatum vertiſſet, omnia agens quaſi ſolus dominaretur: oppoſuere ſe illi ex Holſatorum proceribus, & ſe regi, non conuiri præſtitiſſe ſacramenta ferebant. Eualuit ea indignatio in tantum vt rex euocaretur. Venit, & Gerardum fratrem non captiuum, ſed libera cuſtodia in arce Segeberg curauit aſſeruare. Honeſta quidem ſpecie ab regina in arcem inuitatur, & ibi inuentus manere iubetur, vt rebus in reliquum rectè conſulatur. CAP. 33. *Indulgētiarum quæſtor acceptū damnum, ſpe maioris lucri patienter fert. Regis frater accuſatus cuſtodiæ traditur.*

EODEM tempore rex quum iuſtam in Anglos præferret hoſtilitatis cauſam, ab antiquo quidem, quòd donatiuum Angliæ corona deberet Henrico quondam Holſatorum comiti, proauo materno regis, qui dictę Angliæ regi diu militauit. Acceſſit altera cauſa, quòd proximo anno præfectum à rege Iſlandiæ Anglici occidiſſent. Quatuor eorū naues mercibus onuſtas tenuit, cepit, & merces diſtraxit. Quæ res mercatoribus Alemannis in Anglia peperit infinitos labores. Nam capti, carceribus mancipati, rebus omnibus deſpoliantur, quòd dicerent, Danorum regem à mercatoribus inſtinctum iſta patrauiſſe: nec voluerunt intelligere, Danorum regem nihil cum mercatoribus Orientis habere commune. Quid multis? Res in magnum proceſſit bellum: damna Anglicis in mari illata ſunt plurima. Anno demum LXVIII. in Traiecto res cōpacantur. Eadem æſtate, quum rex nonnullas armaſſet CAP. 34. *Regi bellū cum Anglis intercedit, quod ſtatim ſedatur.*

naues in Sueciam iamdiu regi rebellantem: nauigauit ex Suecia quidam onuſtus mercibus Lubecenſium: & nihil hoſtile veritus, ſuo itinere mare ſulcabat. Armata aũt regis, quòd ex hoſtica terra nauis veniſſet, hoſtilẽ interpretati, inuadũt, capiunt, diripiunt. At non meliori fortuna alia quoq; ex Liuonia veniens, incidit in manus eorundẽ. Perductæ in manus regias, ab Lubecenſibus miſſo ſecretario repetuntur. Sed ea erat rerũ conditio, vt tum reddi non poſſent, diſtractæ per manus plurimas, vt fieri ſolet vbi arma tractãtur. Lubecenſes nauigatione ſuſpenſa, mare vitant. Res in colloquiũ deducitur: & pactis vtrinq; conditionibus querimonia ſedatur: priuati tamen ſua non recipiunt. Hoc tẽpore in Suecia interim rebus perturbatis, rex tamen arces quaſdã per ſuos inſedit, defenditq;. Iwarus Axel, ex proceribus Sueciæ primarius, agmen ductabat in regias arces capiendas. Quas quũ aliquandiu oppugnaſſet, rex immiſſis ſuis fugabat impugnantes, & ſuos liberauit. Auſus eſt & in Daniam exercitũ tranſportare, & regem etiam iſtic oppugnare. Veterũ more regum Christiernus rex ſuos illi obiecit, qui veniẽtem excepere, & manibus collatis in fugam verterunt, trecentis ſuorũ captis, inter quos erant non pauci generis militaris.

Sueci tumultuantes à Danis caduntur.

Cap. 35. 1469.

Annus erat nonus & ſexageſimus, poſt mille quadringentos, quum interuentu communium amicorum, res inter regem Christiernum & Sueciæ proceres intercepta eſt, vt in Lubeca conuentu celebrato, res quibuſlibet conditionibus pacaretur. Venit rex cum fratre Gerardo, tribus epiſcopis, & multa militũ militariumq; manu ſtipatus. Sueci diu expectati non venerant, quòd ventos in poteſtate non haberent. Interim paſſus rex pro ſua mãſuetudine queri mercatores, terra mariq; ſpoliatos, clementer ſingulis pro ſua cuiq; cõditione reſpondit. In eum tamen res vergebat exitum, vt concilio Lubecenſi pro liquidato ciuium damno, oppidum Kilonem cum arce ſua in pignus daret, ſoluto tamen in præſens ære certorum millium. Pignus vocant, & pignoratitium contractum. Ego ex intentione contrahentium, veram arbitror emptionẽ, cum pacto tamen redemptionis: quod fas & iura ſinunt. Alioqui in ſortem computaretur, ſi pignus eſſet, quicquid eo nomine proueniret. Nunc autem cõtrahentium ea mens eſt, vt fructibus accipiens vtatur pro ſuis, ſorte manẽte integra: quod eſt pactum emptionis. Vulgatus error multos decepit. Tum venere qui in oppido memorato rem gererent: & præſente rege, Lubecenſi concilio ſacramenta dedere. Id tum ea mente gerebatur in oppidi illius portu, vt Lubecenſes ex ſuo commodo vterentur. Venerant deinde expectati Sueciæ proceres: & tractatum ineuntes, nullam inuenerunt cõponendæ paci viam, quòd Carolo ſuo, quem pridem regem elegerant, carere noluerunt. Quum rex poſceret, nec illi magnopere recuſarent, regno cederet: potuit quidem intra ſepta regni manens tutus conquieſcere: quod optabat. Sed rex ſciens promptum ad bella populum nõ quieſcere, vbi perſonam quondam regiam præſentem cernerent: abire iuſſit. Oratores recuſarunt vrgere nolentem. Ita ſine fide diſceditur. Proximo deinde anno rex per anguſtias, niuis tempore, quando nemo venturum præſumebat, ingredi Sueciam pertentabat, regnũ montoſum, & faucibus viarum tranſitu difficillimum. At Suecis vtcunque res innotuit: in aciem prodeuntes, regi ſe obiecerunt. Facile fuit multos à paucis detineri, quando non poterant in via ſtricta niſi pauci ad pugnã prodire. Trucidati à Suecis regiorum non pauciores quingentis, multi inter eos militares magni generis. Retro rex cogitur redire fruſtratus. Quo tempore Gerardus comes pro fratre adminiſtrãs Holſatiam, Lubecam Imperiali mandato euocatur. Aderãt duo de Hennenberg comites. Alter ex illis iamdudum eccleſiã Moguntinã archiepiſcopus gubernat, prælatus eximiæ dignitatis. Impetitur Gerardus ſuper ſpolio, quod in Dorotheam commiſerat, relictam auunculi ſui, ducis Adolphi. Sed ille iuxta omnia pẽſitabat. Illi redibant inanes: hoc tamen à rege, quod ſuprà diximus, reportantes, vt annuam illi pecuniam ſoluerent gubernantes eam partem, in qua illi donatio erat propter nuptias conſtituta. Eam tum vidit vrbis Lubecæ conſiſtentiam Moguntinus, vt affectus vrbi in hunc vſq; diem benignè permaneret.

Regis cum Lubecenſibus ob illatum damnũ pactio.

Rex Sueciã ingredi conatus profligatur.

Cap. 36. Gerardus comes, regis frater, quum difficulter ſe intra præſcriptos limites contineret, regias extorſit literas, quas exhibuit: vnde illi homagium à Friſonibus Eydoræ & vicinis præſtari iuberetur. Non dubitauit vulgus inhærere

Gerar-

Gerardo: ea fuit indulgentia, vt omnino popularis haberetur. Nam militiæ quoad poterat reluctabatur. Venere tamen certiores poſtea literæ, quæ quod priores mãdaſſent, vetuere. Incertum an mutata ſententia, literæ quoq; variarentur: añ (quod nonnulli ſuſpicabantur) primæ extiterint adulterinæ. Rex vbi rem in graue ſuum præiudiciũ cerneret excurrere, deſcẽdit, compoſitis regni negocijs, in Holſatiam. Gerardus autem ſe cõtinuit in paluſtribus Wilſteræ & vicinarum partium, vbi populum adeò ſibi deuinxit, vt pro eo extrema pati non formidaret. Rex, vbi monita non profecerunt, quæ fratri fecit per literas, ad arma venit: & duarũ ciuitatum Lubecæ & Hamburgi viribus inſtructus, ſuam quoque perarmans militiam Holſatiæ mouit in fratrem. Ille vbi vidit arma, quibus par eſſe non potuit, deſertis quos animauerat, noctu cum paucis aufugit, per inuia & longa deuia reuerſus in ditionem ſuam: nec vltrà reuerſus eſt in Holſatiam. Rex autem igne & ferro vix adigere potuit populum, qui iam Gerardo ſacramenta præſtitit, vt iterum in verba ſua iuraret. Qui caput erat gentis profugit in Thietmarſiam, aliquot capti gladio cædũtur, inter quos filius memorati capitanei. Friſones multa vix difficultate ad renouãda regi ſacramenta cogũtur. Gerardus in ſua reuerſus, cauſatur, ciuitatum Lubecæ atq; Hamburgi opera ſe pulſum hæreditate legitima. Quapropter hoſtem ſe mercatoribus illarum publicum agit, ad prędam inſiſtens vſq; hodie, ſi ſupereſt. Nam Flandrenſiũ ſe bello immiſcuit, Hiſpaniam, Angliam, Scotiam nauigans peruagatur, & ad ſtuporem omnium, inter mille pericula vſq; in ſeptuageſimum poſt milleſimũ quadringenteſimum annum peruenit. Sed quo tempore quæ diximus gererẽtur, (hoc eſt anno ſeptuageſimo poſt mille quadringentos) Carolus quondã Suecię rex rebus exceſſit humanis. Et diuiſi rurſus proceres, in varia diſceſſere vota. Alij Chriſtiernum regem euocari, ex re eſſe ſenſerunt: alijs alia fuit ſententia: & ex repugnãtibus ſententijs res manſit in ſecta. Eo tẽpore Dorothea regina, moleſtè ferens querimoniam Dorotheæ relictæ Adolphi, rem omnem ſuſcepit compacãdam. Nam acceptis eius vitalicijs, ſoluit de reſtantijs duo millia ducentos aureorum, & pacta eſt in ſingulos annos octingentos illi dare aureos fructuum nomine. Quæ res ſuum ſortita effectum, nobilem fœminam complacauit. Rex autem, Sueciæ regno iam tempus ratus immittere manus, (quando æmulus eius Carolus iam morte ſubtractus, ſceptra vacuauit) magno vndiq; militum numero cõducto, ex portu Lubecẽſi naues armauit, alias alijs de portubus: duxitq́; in Sueciam agmen infeſtum. Sed neq; illi ſegnes occurrunt. Multa varijs in locis prælia. Sed is tum erat exitus, vt pauci ex multis ſtipendiarijs redirent: opera & impenſa perierunt.

Gerardus in Holſatia res nouas moliens, rege aduenientе aufugit.

1470.

Suecis de rege creando diſſidentibus, regnũ inuadere rex aggreditur.

IAM erat annus LXXIIII. poſt mille quadringentos, quum Chriſtiernus rex, aſſumpto illuſtri principe D. Ioanne duce inferioris Saxoniæ, & ſplendida militia, (peregrini tamen habitu) Romam inuiſere, apoſtolorum adire limina curabat. In ipſo autem itinere ad sereniſſimum Rom. Imperatorem Fridericum declinauere. Regio more hoſpitaliter excipiuntur. Multa primùm de ſtatibus regnorum, deq́; communi Chriſtianorum Republica prolocuti, rex in eum deſcenderat ſermonem, vt diceret eſſe ſuis ditionibus, intra limites Romani Imperij gentem vicinis onerosam, nulli parentem, & pro libertate, quam falsò ſibi deſumeret, inſoleſcẽtem: Thietmarſos vocant. Eam ſibi ab Imperiali maieſtate ſubijci poſtulat, quum non expediat ſine principe populum agere. Comitatum quoq; Holſatiæ atq; Stormariæ, iuncta ditione Thietmarſiæ, in ducatum verti depoſcit. Non grauatus Imperator, mox annuit poſtulatis amici regis. Comitatus titulum extinguit, & ex tribus memoratis ditionibus, vnum creat ducatum, regemq́; præſentem illo ſolenniter inueſtiuit. Literæ deſuper eduntur. Quibus acceptis, iter ſuũ Imperatori valefacto continuant: & in omnibus Italiæ principatibus magnificè excepti, vrbem Romam veniunt. Erat in ſummo pontificatu Sixtus papa quartus. Is trium regnorum potentiſſimum regem, cuius fama venientem longè præceſſerat, (præſertim Gothorum nomine, quibus & ipſe dominatur, in eius perſona renouato) hoſpitaliter excipit: ſecum collocat in palatio. Multa ſæpe cum pontifice per interpretem locutus, multa cum illo pontifex: miratur in tanto principe nullas literas. Plurima in eũ contulit donaria, votũ peregrinationis in terram ſanctam, (quod emiſit aliquando)

CAP. 37.

1474.

Agitur de Thietmarſis ſubigendis.

Regem illiteratũ papa miratur.

cõmutans in largam noui hoſpitalis eleemoſynam: ſancti Spiritus vocant in Saxonia, non longè à palatio & eccleſia diui Petri. Roſam illi pollicetur, maximo omniũ principi, qui poſt Imperatorem Romanam vrbem inuiſerant. Regreſſus inde conuenit Albertum marchionem. Multa cum illo agit de rebus plurimis, pro affinitatis familiaritate: tenebat enim coniugẽ filiam fratris eius natu maioris, Ioannis. Et quũ paulatim appropinquaret Rheno, euocatis principibus quos ad eam rem putabat idoneos, Friderico de Braunſchweig, Magno de Mekelenburg (Ioannes de Saxonia iam cum illo erat) ducibus, & aliquot comitibus, Iacobo de Rupin, & Gerardo fratre, magnã illam controuerſiæ cauſam inter Carolum Burgundiæ ducem victorioſiſſimũ, qui tum pro archiepiſcopo Colonienſi Nuſſiam obſidens, magnis apparatibus oppugnauerat, & eccleſiam Coloniẽſem intercipere tentauit: nõ mediocrem arbitratus operam, ſi tãtum bellũ extinxiſſet. Sed magnis conatibus, multis ſumptibus, tum nihil profecit: donatus à duce, & gratijs illi habitis, cum honore dimittitur. Hîc pro ſua conſuetudine loquax vulgus cauſas qualeſcunq; confingit, fabulans quas regẽ vult in caſtra ducis traxiſſe. Tranſierunt inde aliquot anni, quũ Sueci in tergiuerſatione permanerẽt. Rex quoq; ſæpe aliàs fruſtra intentans regnũ armis recuperare, quum neq; illi regem alium ſufficerent, neq; Chriſtierno parerent, diſſimulãdum putauit, ſi fortè tempus emendaret, quos neq; literæ, neq; viua

Ioannis regis filium, Daniæ rex creatur. vox, neq; arma illata potuerunt. Ioannem maiorem natu filium, Daniæ regem eligi fecit & conſecrari, aſſumpta illi coniuge Chriſtina, filia Erneſti ducis Saxoniæ, marchionis Miſnæ, principis electoris, quam anno LXXVIII. poſt mille quadrin-

1478. gentos, Albertus Erneſti frater, puellæ patruus, magno inſtructu curruum auratorum cinctus, epiſcoporum, comitum nobiliumq; octingẽtis equis vectorum. Magno comitatu, nauibuſq; Roſtock impoſiti, in Daniam peragendis nuptijs ferũtur, regio luxu inſtructuq; magnificè peractis. Albertus dux rediens, Lubecam inuiſerat, ibiq; magnificè pro principali honore tractatus, rem militarem concurſu iuſſit ſuos foro oſtendere. Ipſe in ſuperiori prætorio, ad faces, in veſperum, cuidam nobili, eques equiti, infeſta incurrens haſta, virum fortiter equo deturbauit.

CAP. 38.

1480. ANNO deinde octuageſimo poſt mille quadringentos, Chriſtiernus rex, magnum Holſatiæ in Reynoldesburg indixit conuentum. Euocauerat quoq; ex Lubeca & Hamburgo publici concilij oratores. Et in omnium conuentu præſentibus terræ Thietmarſiæ gubernatoribus, inſinuauit Imperiales literas eiſdem, poſcens, vt ijſdem obſecundantes, ſe Holſatiæ atq; Stormariæ in vnum corpus adunarent, ſeq; ducem ſuum recognoſcerent. Illi reſpondent, Imperatorem non plenè inſtructum, de alieno diſpoſuiſſe. Habere ſe terrã ſuam, temporalem pariter & ſpiritualem dominum archiepiſcopum Bremẽſem, ex eo tempore, quo nouiſſimo Thietmarſiæ comite decedente, Hartwico Bremenſi archiepiſcopo, per Imperatorem Fridericum primum terra ſua ſit illi ſubiecta, & exinde permanſerit, hodieq; ſit in iure eccleſiæ. Rex iuſſit replicari, ex illo die crebram fuiſſe mutationem dominij: aliquando illos Danicæ ſubiacuiſſe coronæ ſub Waldemaro ſecundo, aliquando comiti Holſatiæ. Nunc verò epiſcopi Bremenſis tantùm ad ſpeciem prætendi dominium, quum in facto non pareant. Illi contrà, habere in terra archiepiſcopum præfectos, quæ res iuſtum teſtetur dominium, nullo ſe pacto viuos pati vt alienentur ab eccleſia. Quumq; diſputatio finem non haberet, firmatæ ſunt annuę treugæ, vt interim deliberantes Thietmarſi, de ſua ſalute cogitarent. Per quem annum rex, præter clementiæ ſuæ cõſuetudinem, in Holſatia cœpit multa ſeuerius agere. Magni nominis virũ ex primoribus exutum poſſeſſionibus ad exilium coegit. Ille cum filijs raptim profugit ad Albertum Magnopolenſem ducem, Guſtrow cõmorantem: ibiq; intra annum vitam finiuit. Nullis potuit rex interuentionibus partiũ placari: euertit eius ab imo domicilium. Filij multis vijs tentarunt reconciliari, & in gratiam redire: ſed rex in eũm diem vſq; implacabilis, tum inexorabilis viſus eſt. Quid illum coegerit ad eam duritiem, non ſatis compertum eſt, atrocitas facinorũ, an liberior quàm par erat, in regem lingua. Circa idem tẽpus, euocatos nobiles Holſatiæ in Zegeberg, iuſſit exhibere literas quas prætenderant ſe habere, regemq; ijſce ſibi obligatum. Ibi fertur acerbius diſcreuiſſe inter ſortẽ & vſuram, & multorũ docu-

Thietmarſi regi ſubeſſe recuſantes, cauſam ſuã agunt.

Regis factum ſeuerius quam equum.

Fraudati creditores.

documenta euacuaſſe, ſortem ſe pollicitus exoluturum. Inuenta eſt excreuiſſe debitorum ſumma ad ducenta X L V. marcatum millia: ſed tum compendio multos ſine numeratione abſoluit. Hæc fuit nouiſſima optimi regis in Holſatia memoria. Inde rediens in regnum Daniæ, quum multa prouidiſſet, ad annum octuageſimũ primum poſt mille quadringentos, in arce Coppenhagen debito carnis perſoluto 1481. emigrauit, quum annos triginta quatuor in regno exegiſſet.

CAP. 39.

Hæreditatis inter regem & fratrem hercifcũdæ ratio.

IOANNES filius eius, primus eo nomine, Daniç regnum, iampridem electus & conſecratus, inijt (referebat autem nomen materni aui marchionis) Noruagiam cũ fratre Friderico legitima ſucceſſione poſſidens, niſi quòd ſolus rex teneat imperij adminiſtrationem: frater titulo hæreditarij iuris contentus manet. Sueciæ quoq; electus rex ferebatur, inſertis conditionibus quas nõ probaret: quieuitq́;, donec armis regnum recuperaret: quod ſuo infrà loco dicemus. Prima procerum cura, inter fratres ius hæreditariæ ſucceſſionis partiri. Viſum eſt, ducatus Sleſwicenſem & Holſatenſem (quos ambos hęreditabat vterq;) ita partiri, vt in vtroq; haberet vterq; quod poſſideret. Ita per minutias diuiſere ditionem, vt pręfecturã vnam rex, proximam in quaq; terra dux poſſideret, exæquatis rebus: prout inter fratres principes congruebat. Tranquillitati in præſens conſuluiſſe videbantur, at poſtfata fratrum maximam poſteris perplexitatem inuexiſſe. Quo tẽpore, interuentu amicorũ reconciliati ſunt militares, pridem ab Holſatia cũ patre propulſi, redditis poſſeſſionibus: expromiſſa quoq; pecunia multorũ millium, certis de cauſis nõ prouenit. Inde verò quum Holſatorũ proceres cauſarentur multa ſibi millia ex rege defuncto deberi, literasq́; tenuere purificatas, vt diximus, conſenſu totius conuentus. Ab aratro prouenerunt hi aurei: & inde collecta millia multa, partita ſunt inter creditores, aut (verius) fideiuſſores. Anno deinde proximo rex regni Daniç cœtum conuocauit in Coppenhagen, vt viribus regni recenſitis, ex æquo de omnibus cõſtitueretur. Aderant ciuitatum Wandalicarum oratores, ſuorum mercatorum in regnis priuilegia firmari poſtulantes. Sed erant multa quæ non ſinebant eò perueniri. Iacobus enim comes de Aldenburg & Delmẽhorſt, Mauricij filius, mare infeſtum tenebat, quòd cauſaretur Lubecenſium opera exutum ſe paterna hæreditate. Lubecẽſes & Gdanenſes ſuorum iniurias & direptiones ab illo queſti, ad iuſtitiam peruenire non poterant, quòd tum abeſſet Iacobus, & inauditus condemnari non poterat. Sed ea æſtate viuendi finem fecit ſub littoribus Noruagiæ. Reliquit tamen qui cauſam eius proſequerentur in mari, Hiſpanicas naues ſub promontorijs Angliæ tres mercibus onuſtas capiẽtes. Anglicis autem atq; Danis à longa memoria bellũ erat. Sed merces illæ in vrbibus vetitæ ſunt comparari. Nauigarunt inde diu varia fortuna regis (vt ferebatur) ſatellites, in Anglos, vbi poterant, incurrentes: & quæ illis damna irrogata ſunt, continuò Anglici cauſam omnium in mercatores ciuitatum in regno diuerſantium contulerunt, aſſerentes, conſilio & auxilio mercatorum piraticam in Anglos exerceri. Poterant vulgò cauſam belli ignorare: quòd cauſarentur poſteri Henrici Ferrei cognomento, comitis Holſatiæ, qui atauus erat Ioannis regis & Friderici fratris, obligationem ab Angliç corona factã, non legaliter impletam, quum donatiuum illi expromiſſum non ex fide perſolutũ eſſet. Factum igitur regi Daniæ militãtium, & mari in Anglos incurrentium, Anglici in Orientales mercatores retulerunt, vel (quod diximus) arbitrantes illos cum Danis ſentire: vel (quod veriſimilius eſt) ex Danis nihil ſperantes, ab ijs qui ſecũ in regno diuerſarẽtur, reſtitutionem conati ſunt extorquere. Multis multorũ literis ad regiam maieſtatem expurgata eſt incuſatio, detecta innocentia. Sed potuit regi fides fieri: damnificatis omnino non potuit. Quũ per aliquot annos ea diuerſitas valuiſſet, reges inuicẽ miſſis ad alterutrum oratoribus, veterem querimoniam extinxere: ceſſauitq́; illa in mari vaſtatio.

Mercatores mare infeſtũ eſſe nauigantibus queruntur.

Angli à Danis vexati, mercatores inſontes infeſtant.

Ioanni tamen regi ſemper reſpectus erat in Sueciam, vt armis eam recuperet, quãdo cõditionibus propoſitis regnare non libeat. Godlandiam primò Sueciæ parentem, quibuſcunq; modis ſibi deuinxit, quum (inuito Sueciæ gubernatore, Stenoneſtner milite) is qui arci terræq́; præerat ex multo tempore, Iwarus Axel, iuſto domino electo regi, arcem, oppidum, omnemq́; terram conſignauit, principium bonũ totius regni de proximo ſecuturi. Nam (quod in Sueciã diximus) anno X C V I I I. 1498.

Suecia ſubigenda initium.

Lib. 5. c. 43.

conducta gregariorum militum manu magna, coegit vniuerſos, etiam nolentes, facere imperata, vt ſit in hodiernum trium regnorum rex potentiſſimus.

Cap. 40.

Cauſa de Thietmarſia dominatu agitur.

Cavsam Thietmarſiæ à patre inchoatam, intermittendam non putauit. Euocatis in Itzeho primoribus terræ, literas illis Imperiales proponit. Aderat eccleſiæ Bremenſis nomine legatio pro Thietmarſis, ex capitulo & terræ militaribus. Impetitioni regiæ reſponſum eſt per quendam de capitulo: prætenſa ſunt eccleſiæ iura in terram: commemorata Imperatorum & regum indulta, quibus nulla ex parte, in nouis literis commemoratis, recentes Imperatoriæ derogare nec poterāt nec volebant. Deliberatum eſt in concilio regio: & iam vtriſque ſtantibus ad iuris formam, requiſiti ſunt Thietmarſi. Illi dominum ſuum nominaſſe ſatis eſſe dixerunt, quum interim miſſi ab eccleſia, ius illius non intermitterent obtrudere. Ita diſceditur, quòd manu militari res agēda videretur. Quæ tamen res dilata eſt in non paucos annos. Nam poſteaquam rex Daniæ per gregarios pedites, qui tum terram impleuere formidine ſua, (Guardiam dixere) Sueciam ad iuga coegiſſet: & eadē manus poſtea per biennium diocœſin Bremenſem introiſſet, recuperandæ Hadeleriæ gratia, ad vſum Magni Saxoniæ ducis: rex proxima peditū illorum promptitudine & iam vicinitate inductus, eam conduxit in Thietmarſiam, & magnis apparatibus mouit in illorū terram. At is tum fuit exitus, quem ſignauimus in Saxonia noſtra.

Cap. 41.

Sueci Thietmarſorū ſecūdo prælio ad rebellionem impelluntur.

Secvta ſunt tamen proximè illa tempora, quibus ad eius cladis vindictam, quum rex peruenire non poſſet, iuuennis per Holſatiam, quorum pars auunculi, patrui, ſobrini illa clade perierunt, atrocibus minis victores inſectantur, polliciti, quum primum per ætatem arma ferre potetūt, ſi occaſionem nacti fuerint ducem (quod facilè ſperant) vltores ſe futuros paternæ ac conſanguineæ necis. Interim verò Sueci vbi audiere regem à minori populo retro actum, pudere cœpit illos ignauiæ ſuæ, quòd ceſſiſſent armis, quæ à ruſtica plebe contrita memorarentur. Igitur conſpirauere, rebellionem meditantes. Rex ipſe quum ſperaret beneuolentia potius quàm ſeueritate regnicolas in fide continere, regno decedens, reginam in regia dimiſit, (quam multi prægnantem rebantur) vt in regno parturiens, indubitatū illi daret hæredem. At ea ſpes vana fuit. Abiens verò, regni gubernatorem, D. Stenonem ſtare in litem, in omni honore & adminiſtratione cōfirmauit, eaq; ſecum ſemper eſſe voluit familiaritate, vt inuitatus, regem in regnum comitaretur Danię. Inde honoratus ac muneratus, redijt in Sueciam. Sed gentilis feritas populum non reliquit: quum exagitaret eum pudor, quòd victus ceſſiſſet armis. Dolis rem agere conſtituerunt. Vocatur rex, vt in regnum reuertatur, obiecturus ſe Ruſſis, quorum excurſionem nunciatam accepiſſet. Nihil opus fore armis à Dania producendis, ſolo illos indigere principe, vires armorum regno non deeſſe, copioſos eſſe in Suecia milites Ruſſis repellendis, ſi caput accederet multitudini armatæ. Rex eam non carere ratus inſidijs, noluit tamen de perfidia patenter ſuſpicari, ſed paucis contentus, in Sueciam nauigauit. Venientem cum qualicunq; comitatu paucorum ad cuſtodiam corporis militum, contempſere: & ſæpe mutato conueniendi loco, ſuſpicionem iniecere regi, non eſſe ſinceram & integram illorum in regem ſe deuotionem. Aliquot locis congreſſus, tergiuerſantes deprendit, quærentes occaſionem neſcio quid agendi. Rex aucta in ſe maleuolentiæ ſuſpicione, non ſe illis credidit, ſed quomodo potuit, manibus eorum ſe ſubtraxit. Erupit deinde manifeſtè rebellionis audacia, quum literis miſſis accuſarent aut regem, aut regios in regno procuratores & officiales, de non impletis ex fide promiſſis. Reginā deinde in arce Stokholm circumſiſtunt, oppugnantes & ciuitatem & arcem. Vrbe potiti ſunt poſt plurimum laborem, arcem expugnare armis haud poterant. Fame tentarunt: & profecerunt temporis diuturnitate, quum milites arcis propugnatores, ex inedia & omnis generis incommodo cibo morbum contraherent: vnde magna pars interijt. Arce dedita, reginam deduxere in monaſterium Waſten diuæ Brigittæ. Duobus penè annis in libera habuere cuſtodia, donec miſſo in eam rem nuncio, qui fuit D. Raymundus de latere legatus apoſtolicus, tituli S. Mariæ nouæ presbyter cardinalis, vnà cum legatione conſularium virorum de Lubeca, de illorum manibus eriperetur, ac in regnum Daniæ cum honore reduceretur,

Sueci reginam in cuſtodia habitam, papa autoritate dimittunt.

ALBERTI KRANTZII
DANIÆ LIB. IX.

Cap. 1.

REx interim Daniæ, Sueciæ, Noruagię Ioannes, multiplici Suecorum perfidia infeſtus, arma in illos edomãdos & ad iuga reducẽdos comparauit, mouitq́; in hoſtes ac rebelles. Erant nonnulli intra regnũ fideles viri, quos puduit fraudis & rebellionis in regem, qui etſi ſanũ ſaperent, victi tamen longè maiori numero rebellium quieſcebant. Quod poterãt, regem admonuere, perduelles ea multitudine eſſe in armis Suecos, quòd niſi quinquaginta millia duceret armatorum, nihil profuturum eius aduentum. Factæ ſunt aliquot in aduerſarios excurſiones & leuia prælia: ſed tum irritas copias reduxit. Innotuit perinde regi, eſſe occultam intelligentiam inter primarios vtriuſq; regni, qui miſſis inuicem nuncijs, magnæ in caput regium proditionis crimen molirentur. Id vbi compertum habuit, ſimulabat omnimodam ignorãtiam: cautius tamen adhibitis cuſtodibus ſibi proſpexit. Emerſit inde grauis ſimultas inter militem quendam regi proximum, qui magiſter curiæ illius diceretur, quiq́; proditionis in regem conſcius, imò princeps diceretur, & inter alium quendam militem. Ad quẽ quum regia ſuſpicio in magiſtrũ curiæ memoratum permanaſſet, arbitratus ſe obſequium magnum præſtare regi ſuo, ſi tanti criminis reum de medio tolleret: militem illum ad arcis pontem obtruncat. Stupuere qui viderant, tantum virum corruiſſe, incertum ſi iuſſu, an mactatoris temeritate. Sed quum non longè poſt eam cædem rex ſecuritatem præſtitiſſet cæſori, arbitrati ſunt vniuerſi, rem non ignaro neq; inuito rege patratam. Commoueri grauius viſa eſt cæſi cognatio. Sed quũ videret tantum omnium conſenſum, quòd iure cæſus diceretur, in pręſens conquieuit. Illiq; ſecuti ſunt motus regnorum, vt non incredibile videretur, militem ſenſiſſe cum hoſtibus in perniciem regis, cui magiſter eſſet curiæ.

Suecorum grauis in regem rebellio.

Caditur quidã præcipua autoritatis, conniuente rege.

Cap. 2.

QVVM interea regina, in contumeliam regis, in Suecia detineretur in libera quidem cuſtodia, ſed quæ abire non ſineretur: pro obſide habita. Sed in quos vſus? Quum intentata rebellione regios omnes regno perturbaſſent, mouiſſentq́; vicina regna, vt ea quoq; nonnihil in regem intentarent. Et Dania, amiſſo coniurationis capite, quieſcere videbatur. Noruagia autem, (quod in ea diximus) inſtinctu Sueciæ procerum, rebellionem oſtendebat. Sed aderat Chriſtiernus regis filius, pro ſua ætate dux acer in armis, & naſcentem flãmam in ſui primordio extinxit. Quum interea Lubecenſes mercatores Sueciam pro ſua conſuetudine peterent, & admoniti à rege vt ab hoſtibus ſuis auxilia ac conſolationes retraherent, minusq́; parerent, regem ad iuſtam indignationem pertraherent, vt fineret præfectos regionum, non illo quo ſolebat, fauore proſequi mercatores. Captæ ſunt aliquot naues ab regijs: naufraga bona præfecti in cuſtodiã depoſuere. Aucta ſunt grauamina in diuerſantes per regnũ Daniæ, quando neq; regiæ admonitioni paritum eſt: nec vſpiam appareret, in quo regi (cuius regnis fruerentur ad quæſtum) complacerent. Minorata libertas, onera duplicata, naufragia nõ reddita, aliquantæ naues de mercibus ſuſpectæ Suecorum detentæ, donec cauſa omnis ad diſcuſſionem perueniret. Atq; ea res crebreſcens exciuit ſenatum Lubecẽſem, vt quoniam literis inuicem miſſis nihil ageretur, obſeruato tempore, quum ex regno non plures naues Danorum, importantes quæ comeatui vrbis inſeruirent, eſſent in portu Lubecenſi: ad ſequeſtrũ ponerentur. Indigna res viſa regnicolis, querimoniam apud regem extorſit. Literis res terminari haud poterant. Lubecenſes arbitrati tempus eſſe ad arma reſpicere, quando belli ſocios habituri forent Suecos, cætera quoq; regna non ſine motibus eſſent: expediunt armamenta, vocant gregarios milites ad ſtipendia. Concurritur magna pedirum alacritate, quòd donatiua iuſta ſperarent, & licentioſam prædam ex regnis. Interpoſuit ſe medium regis germanus Fridericus dux Sleſwici & Holſatiæ. Diu cauſa ventilatur: & videbantur Lubecenſes ad arma promptiores. Sed dum ille treugas confecit, nuncios mittit intermedios. Intererat de latere legatus

Lubecenſium aduerſus regem ſimultas.

cardinalis, qui tum agebat in prouincia Germaniæ, dominus Raymundus T. S. Mariæ presbyter cardinalis.

Cap. 3.

Is quum Lubecam venit, nihil duxit antiquius quàm eximere belli neceſſitatem, perfecitq́; vt res cōponerentur pace ſequeſtra. Adiuuabant illū illuſtres principes & domini. Magnus Magnopolēſis, & Fridericus Sleſwici ac Holſatiæ duces: capita autem pactionum literis domini cardinalis firmabantur ad memoriam. Factiq́; ſunt fideiuſſores idem Fridericus dux, & militares Holſatiæ non pauci, polliciti per literas, quòd niſi omnia ex fide impleantur ad conſtitutum diem, ipſi Lubecam reuertantur, inde non egreſſuri, donec ære numerato capita conuentionis compenſentur. Erat diſputatio inter Lubecenſes ac memoratos vades, arbitrantibus de ſua parte Lubecenſibus, quòd memoratus dux Fridericus cū alijs ſe obſtrinxiſſet rediturum in eam vrbem: è diuerſo cōtendentibus memoratis Holſatiæ militaribus, aliud eſſe caput in literis, quo ipſi loqui incipiant, diuerſum ab eo, in quo princeps ab initio locutus, ſermonem ſuum concluſit. Idq́; parati ſint ſubijcere iudicio iuriſperitorum. Rex interim, quum & ille præferat Lubecenſes non impleuiſſe pacta conuenta, non feſtinat eximere damnis & oneribus fideiuſſores ſuos.

Pacis inter regē & Lubecenſes cōditiones.

1504. *5. Maij. Regina è Suecia reditur.*

Is eſt rerum ſtatus in hodiernū diem, anni quarti poſt mille quingenteſimum, ad principium menſis Maij, quo hæc ſcribebantur. Quo tempore regina Daniæ, iamdudum opera memorati cardinalis legati, ante proximam brumam (accedente legatione Lubecenſium, qui ex cōſtituto conſulares viros miſerant, ad interpellandos regni proceres ſuper regis ſui in regnum ſuſceptione, ac ſuper omni controuerſia) nauibus Suecorum erepta, in regnum ſuum deducebatur. Lubecam venit, vota in Sterneburg ac Wilſenaco ſolutura, ſimul viſura filiam, quæ per abſentiam & diuturnam eius captiuitatem nupta illuſtris. D. Ioachimo marchioni Brandenburgenſi, principi electori, matri ex conſtituto occurrerat: votiq́; facta compos, redierat per eandem Lubecam in regnum, præter multorum opinionem. Nam erat loquax fama, ſatietate Daniæ plenam, regnum non reuiſuram. At illuſtris fœminæ religioſa fides, & filiorum amor, non ſinebat in cor eius aliud aſcēdere, quàm quod honeſtas ipſa & fides coniugalis depoſceret.

ALBERTI KRANTZII DANICÆ HISTORIÆ FINIS.

REGVM SIVE DVCVM, QVI IN SVECIÆ HISTORIA A KRANTZIO COMMEMORANTVR, EX SVCCESSIONIS SERIE ENVMERATIO.

SVECORVM REGES.

Ord.	Nom.		Lib.	Cap.
50	*Albertus*		5	31
11	*Alricus*		1	37
19	*Aluerus*		eod.	48
38	*Amander*		5	15
39	*Aquinus*		eod.	16
8.	*Atislus*	I.	1	19
10	*Atislus*	II.	eod.	22
27	*Biornis*		5	4
44	*Birgerius*	I.	eod.	23
47	*Birgerius*	II.	eod.	26
42	*Carolus*	I.	eod.	19
54	*Carolus*	II.	eod.	39
55	*Chriſtiernus*	I.	eod.	40
57	*Chriſtiernus*	II.	6	1
53	*Chriſtophorus*		5	38
34	*Emundus*		5	11
12	*Ericus*	I.	1	38
15	*Ericus*	II.	eod.	43
29	*Ericus*	III.	5	6
32	*Ericus*	IIII.	eod.	9
43	*Ericus*	V.	eod.	22
52	*Ericus*	VI.	eod.	35.36
36	*Ericifratres*		eod.	13
24	*Fro*		eod.	1
22	*Gotharus*		2	23
13	*Haldanus*	I.	1	40
16	*Haldanus*	II.	eod.	44
37	*Halſtenus*		5	14
3	*Haſmundus*		1	14
25	*Herotus*		5	2
7	*Hotbrodus*		1	18
9	*Hotherus*		eod.	21
5	*Hundingus*		eod.	16
23	*Iarmericus*		2	24
21	*Ingellus*		eod.	19
20	*Ingo*		eod.	18
56	*Ioannes*		5	42
40	*Magnus*	I.	eod.	17
46	*Magnus*	II.	eod.	24
48	*Magnus*	III.	eod.	27
49	*Magnus*	IIII.	eod.	28
51	*Margareta*		eod.	33
33	*Olauus*		eod.	10
30	*Oſtenus*		eod.	7
18	*Regnaldus*		1	46
6	*Regnerus*		eod.	17
21	*Ringo*		2	20
1	*Sichtrugus*		1	12
14	*Siwardus*		eod.	42
26	*Sorlus*		5	3
35	*Stinckel*		eod.	12
31.	*Sturbiornus*		eod.	8
	Sueciæ interregnum		1	36
41	*Suerco*		5	18
2	*Suibdagerus*		1	13
4.	*Vffo*		eod.	15
17	*Vnguinus*		eod.	45
45	*Waldemarus*		5	24
28	*Wichſertus*		eod.	5

GOTHORVM REGES ET DVCES.

Ord.	Nom.	Lib.	Cap.	Ord.	Nom.	Lib.	Cap.
1	*Antinus*	1	26	6	*Oſtrogotha*	2	4
13	*Armanaricus*	2	15	2	*Sitalcus*	1	30
3	*Berobiſta*	1	33	10	*Tarnarus dux*	2	8
11	*Cannabas*	2	10	18	*Turiſmundus*	eod.	17
7	*Cinna*	eod.	7	8	*Veducas dux*	eod.	8
5	*Decibalus*	eod.	3	9	*Veſpa dux*	eod.	eod.
17	*Diethmarus*	eod.	17	19	*Walamir*	eod.	17
4	*Dorpaneus*	eod.	2	14	*Witimarius*	eod.	16
12	*Gibericus*	eod.	13	15	*Winitarius*	eod.	17
16	*Hummundus*	eod.	17.				

OSTROGOTHORVM REGES, ET DVCES.

21	*Ageſilan*	4	28	1	*Fritigernus*	2	27
3	*Alaricus*	2	29	16	*Ildonadus*	4	2
11	*Amalaſunta*	3	20	22	*Lenigildus & Lemnia*	eod.	30
10	*Amalricus*	eod.	18	14	*Rendigiſilus*	3	30
17	*Araricus*	4	3	4	*Radagaſus*	2	29
12	*Atalaricus*	3	21	24	*Richardus*	4	31
22	*Athanagildus*	4	29	19	*Theias*	eod.	22
2	*Athanaricus*	2	28	8	*Theodemir*	3	10
5	*Athaulfus*	eod.	32	13	*Theodatus*	eod.	22
25	*Bectericus*	4	32	9	*Theodoricus*	eod.	11
27	*Chintaſindus*	eod.	38	18	*Totilas*	4	4
26	*Chutilan*	eod.	36	7	*Valemir*	3	9
6	*Ericus*	3	8	15	*Vitigis*	eod.	34
29	*Eudo dux*	4	40	20	*Widitis dux*	4	27
28	*Flauius Reſcindendus*	eod.	39				

WISIGOTHORVM REGES.

1	*Sigericus*	2	34	5	*Theodoricus II.*	3	7
9	*Sinkilan*	4	34	6	*Theuda*	eod.	29
8	*Siſebodus*	eod.	33	11	*Tolgan*	4	37
10	*Siſenandus*	eod.	35	4	*Toriſmundus*	3	5
7	*Tendigislaus*	eod.	28	2	*Wallia*	2	35
3	*Theodoricus I.*	3	8				

ALBER.

ALBERTI KRANTZII HAMBVRGENSIS CHRONOGRAPHI, HISTORIÆ RERVM GESTARVM REGNI SVECIÆ, GOTHORVM, OSTROGOTHORVM ET WISIGOTHORVM.

PRÆFATIO.

SVEONIAM, ſiue Sueciam, & (vt vulgò appellant) Suediam, de antiquitatibus ſuis ſerutaturi, ſitum ante omnia regionis, veteribus incompertũ, paucis attingamus, priuſquam ad res geſtas in & ex ea perueniatur. Habet hæc ab occidua parte ſui Gothos, & ciuitatem Scareanam: à Borea Wormilanos, cum Scritenſinnis, quorum caput Halſingland. *Suecia deſcriptio & ſitus.* Ab Auſtro Scaniam, & latitudinẽ Baltici maris. Ab Oriente Riphęos montes attingit, vbi deſerta ingentia, & niues altiſſimæ. Ferunt gẽtem quandam ex montanis in plana deſcendere ſolitam, (ſed incertũ vnde veniat) & facta præda, rurſum auia ſua repetere. Annua eſt illa excurſio, nõnunquam in biennium aut triennium dilata. Quibus niſi viribus touis reſiſtatur, omnem depopulantur regionem. A Riphæis in Auſtrũ Ruſſi morantur, gens magna, olim ad Mæotidas paludes extenta, *Ruſſi.* nunc à Tartaris latiſſimos cãpos tenẽtibus, anguſtius habitare coacta. Adhuc tamen multa centena millia colunt agrorũ, aut paſcuis inſident. Huic genti aſſidua ſunt bella cum Suedis, ad noſtram vſq; memoriam perdurantia. Nunc ferũtur fœdera, agente illuſtriſſimo trium regnorũ rege Ioanne, qui crebrã ab ea gente legationẽ accepit intra proximos annos. Sed non eſt diuturna quies in gente illa. 1504. Sueonia regio, inter Aquilonares fertiliſſima, ager frugib. & melle opimus, pecorũ fœtu ac paſtu omnibus antefertur. Opportunitas fluminũ & ſyluarũ vbiq; magna. Peregrinis mercibus omnis regio plena, quòd domeſticis rebus abundet ad cõmutationem faciendam, pellibus ac metallis, præſertim cupro, abundans. A Normannis & Danis altiſſimorũ iugis montium diſcreta. Et quamuis omnes Hyperboreæ gentes hoſpitalitate ſint inſignes, præcipui tamen ſunt Sueones, quibus eſt omni probro *Sueonũ hoſpitalitas.* grauius hoſpitiũ denegare tranſeuntibus, ita vt ſit certamen, quis aduenã hoſpitem excipiat. Cui omnia exhibens hoſpitalitatis iura, quotquot diebus permãſerit: egredientem cõmendat amicis, itinere quod inſtituit commorantibus. Populi Sueonũ ſunt multi, viribus & armis egregij, equis & manib. æquè fortes, ſtrenuiq; aut mari aut terra bellatores. Ex his proximè Danis habitant Gothi, qui Occidentales dicũtur, nam alij ſunt Orientales. *Gothi Occidentales.* Ad occiduos quidem ſeptem itinere dierum à Scania peruenitur in ciuitatem Scareanam. Inde Oſtrogothia protẽditur iuxta mare, vſq; ad Bircam, pręcipuum olim oppidum. In confinio Sueonum ad Boream, habitant Scritenſinni, quos aiunt curſu feras pręire. Ciuitas eorum Halſingland, quod idem eſt nomen regioni. Hæc eſt ſita in altiſſimis montibus, qui Riphæis confines ſunt,

vbi nix durat perpetua. Homines gelu recocti, domorũ tecta non requirunt: carnes ferarum in cibo, & pelles habent pro indumento. Et (vt antiquitatis aliquid attingamus) nobiliſſima gens Sueonũ templum habuit, quod Vpſola dicitur: ſedes hodie metropolitana regni ibi perdurat, non longè à ciuitatibus Sictona & Birca. In hoc templo (quod totũ fulgebat ex auro) ſtatuas trium venerabantur deorũ, antequam Chriſto crederent. Potentiſſimus Thor, in medio triclinio ſtrato puluinari colebatur. Hinc inde latera eius cingunt Wodan atq; Fricco. Thor, inquiunt, præſidet in aere: tonitrus & fulgura, ventos & imbres ſerenitatemq; gubernãs, fruges adminiſtrat cum fructibus vniuerſis. Alter Wodan, hoc eſt fortior, bellis præſidet, hominibusq; fertur in hoſtes vires ſubminiſtraſſe. Tertius Fricco pacem & voluptatẽ moderatur, cuius etiam ſimulacrum turpitudinem præ ſe ferebat. Wodanem ſculpũt armatum, vt alij Martem: Thor autem cum ſceptro Iouem videbatur exprimere. Arbor iuxta templum ſtabat ingens, patulis diffuſa ramis, æſtate & hyeme iuxtà virens: genus eius nemo potuit edicere. Fons ſcaturiuit ad locũ ſacrificiorum. Sacrificaturi, hominem hîc immerſere viuum, qui ſi facilè mergeretur, fauſtum renũciauere votum. Aurea catena fertur cinxiſſe templum, ad mœniana domusq; faſtigia ſuſpenſa latè, rutilans acceſſuris: nam templũ in planicie ſitum, montibus ambitur. Si peſtis aut fames ingruat, Thor ipſi ſupplicatur: ſi bella, Wodan: ad nuptias ineũdas Fricconi ſacrificabatur. Poſt nouennium totius regni celebritate templum viſebatur, ne regibus quidẽ immunitas à mittendis donarijs. Reges aliquando Chriſtiani, quòd ſacrilego à cultu huiuſmodi abſtinerent, regno ſunt deſtituti. Nouem diebus ſacrificia peragebantur, nouem per ſingulos dies animantiũ genera (in quibus & homo) ſacrificabantur. Sed hæc de ſuperſtitione gentilium ſuprà quàm ſatis dicta ſint, vt cognoſcamus, idem dæmoniorũ genus in omni natione indebitũ ſibi cultũ vendicaſſe. Nunc tamen largiente Deo, omnis vbiq; prouincia, ab annis trecentis & ſuprà, Chriſti eccleſijs plena eſt, hodieq; (qui annus eſt poſt mundo datam ſalutem, milleſimus quingenteſimus) ſincera religione regnum omne perſeuerat.

Vpſola vrbis templũ & idola in eo culta.

CAP. I.

Sueci & Gothi eodẽ dominatu cẽſentur.

HVIVS autem gentis egregiam laudem ſupra modum extulit natio Gothorũ, inde vetuſtiſſimis tẽporibus egreſſa, per Aſiam diu dominata, & in Europa multis ſeculis, multisq; in prouincijs regna conſtituens. Et quidẽ Sueciæ atq; Gothiæ præclaras res vno contextu commemorandas cẽſemus, quòd ſub vnius principis auſpicijs à multis retro ſeculis vtraq; gens degebat, vnius regni finibus incluſa. Nõnunquã verò (vt fieri ſolet) inceſſere ſimultates, quòd quæq; natio principem ſuũ ſectaretur. Sed ea tamẽ diſceſſio non diu valuit, quò minus ad vnius regis gubernacula denuo conceſſere. Sueciæ quidẽ domi & vicinis in locis nomen ꝑualuit: foris aũt & in longinqua militia, Gothorũ gloria ſublimioribus longè titulis inclaruit: quòd Romanis, rerũ dominis, diu ea gens colluctata, aliquoties quidẽ repreſſa quieuit, aliquando magnis Romanorũ cladibus ſe vindicauit, nonnunquã pari manu cõflictans diſceſſit. Demum Romanũ proculcans imperiũ, Italiam peruaſit, vrbem Romã vaſtauit, in eadem Italia regnũ annis multis tenuit: Gallias occupauit, in Hiſpanijs regna fundauit, & ex eo ſanguine nobiliſſimas domos principũ erexit. Qua in re Romani ſcriptores (pace illorũ dixerim) non tam in Barbarorũ, vt ipſi vocant, quàm in ſuorum laude profuſi ſunt. Originem aũt gentium attingẽtes, refugiunt in Scythiæ vaſtiſſimas ſolitudines, ignorantes de magnæ Germaniæ finibus, Gothorũ, Cimbrorum, Wandalorũ examina prodijſſe: quod ſuis in locis, & iam ex parte oſtẽdimus, &, vbi opus fuerit, pandemus. Et quoniã promiſcuè Gothorũ atq; Sueonum res geſtas in ordinẽ digerere propoſitũ eſt, principium ab Gothis ſumere ex re viſum eſt, quòd eorũ egreſſio vetuſtior eſt quàm vlla rerũ in Suecis cõmemoratio, ab autore quem ſequimur. Is eſt Saxo Grãmaticus Sialandicus, vir in primis diſertiſſimus, & (vt cõfidimus) antiquitatũ in gente ſua fideliſſimus renouator. In cõmemorãdis aũt Gothorũ (qui & Getę) antiquitatibus, Iordanẽ archiepiſcopũ Rauennatẽ, natione Gothũ, ſequimur autorem, ꝑſumentes, hominẽ pro ſua dignitate, procq; gentiliũ ſuorũ non vana laude, vera diligenter exquiſiuiſſe. Nã habuit & ille autores Dionẽ Græcum,

Gothorum genus & rerum geſtarũ ſumma.

eum, qui opus ſuum de Getis inſcripſit, & Ablabium ſenatorem Romanum, gente itidem Gothum, ad quos pertinebit fides relationis. Noſtrum erit diligenter proſequi quæ ab illis traduntur, interiectis nonnunquam ſi qua nobis, propius habitantibus primæuæ Gothorum regioni, comperta ſunt. Nam quod illis veteribus temporis propinquitas ad indagandam veritatem potuit contuliſſe, hoc nobis longè pòſt ſcribentibus, ipſa loci vicinitas indicare poterit. Operæprecium autem iudicaui initiò commonere lecturos, promiſcuum eſſe verborum vſum apud veteres, vt Gothi ijdem quoq; qui Getæ vocitentur. Eiusq; rei locuples nobis autor eſt Strabo geographus, qui vtroq; viciſſim in eadem gente vtitur vocabulo. Paulus Oroſius libro primo teſtis accedit. Modò, inquit, Getæ illi, qui & nunc Gothi, quos Alexander vitandos enunciauit, Pyrrhus exhorruit, Cæſar etiam declinauit: & reliqua. Nunc ad rem ipſam veniamus.

Cap. 2. Scandzia inſula.

Claudium Ptolemæum vocat Iordanes teſtem, Scandziam vocari inſulam in mari Sarmarico ſiue Germanico. Nam vtriuſq; prouinciæ latera alluit, Sarmatiæ quidem occidua, ſed Germaniæ Borealia. Qua de inſula in ſinu Codano (iuxta Melam & Plinium) ſita, multarum fit origo gentium & officina, ſiue vagena nationum, per terrarum orbem inundantium malo habitatorum, vt comprobetur eſſe verum quod propheticus ſermo denũciauit. Ab Aquilone, inquit, pandetur omne malũ ſuper habitatores terræ. *Hierem. 1.* Verùm poterat ætate Claudij (ſcripſit autem ſub Imperatore Adriano) hoc nomen inſula tenere, vt Scandzia, vel Scandauia, vel Scandinauia (omnia enim hæc paſſim à diuerſis feruntur) diceretur: ſed (vt eſt apud Plinium) teſte Xenophonte, peninſula grãdis in Codano ſinu, quod eſt mare Germanicum, ſita eſt, quæ Baltia dicitur: vnde mare illud Balticum appellatur. Ea verò ab Aquilone terram habet continentem, alijs lateribus tota mari circumflua. Ad Orientem habet Sarmatiam, cuius nunc maritima pars Liuonia atq; Pruſſia eſt: à meridie Wandaliam, quæ nunc tota in linguam Saxonicam tranſiuit. Ab Occidente Angliam, quæ olim dicta eſt Britannia. Quæ Baltia tria nunc continet regna (tanta diffunditur magnitudine, mõtibus, fluminibusq; & maris ſinibus interpolata) Daniam, Sueciam, Noruagiam. In quarum media, quam alij Sueoniam, alij verò Sueciam, populares Suediam appellant, hodie etiam extat natio Gothorũ, & regione à cæteris Suedis diſtincta, & ſuo nõnunquam rege gauiſa. Ex hoc & Suediæ regno, qualicunq; occaſione, vel multitudine habitatorum anguſtata, vel fame compulſa, (quod poſtea Longobardis è Scania migrantibus accidit) vel bello preſſa, quod ipſum quoq; ſolet nouis ſedibus quærendis cauſam dare, fertur gens Gothorum emigraſſe populariter ſub rege Herich, quem nos Latino nomine dicemus Ericum. Sed nulla ſignat Iordanes tempora. Verùm ex ijs quæ ab ea gente in Aſia & Europa patrata memorantur, tempora vetuſta colligi poſſunt. Habeo teſtem, qui cõfidenter aſtruat, ſub Othoniele iudice Hebræorum, ante regum tempora, (nam is ſtatim ſucceſſerat Ioſue, Moſis ſucceſſori) facta ſit gentis huius emigratio, hoc eſt anno mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo, & circa: quod erat ante natum Chriſtum milleſimo quadringẽteſimo ſexageſimo. Nam & quæ à Gothis magnificè geſta feruntur in Aſia, tantam antiquitatem depoſcere videntur.

Gothorum emigratio prima quã vetuſta.

Cap. 3. Gotiſcandza, quæ nũc Godlandia.

Prima egreſſis ſedes fuiſſe perhibetur Gotiſcandza (vt aiunt) inſula. Ego Godlandiam nunc vulgò appellatã, eam fuiſſe exiſtimo: cuius nomen in hunc vſq; diem perſeuerat. Quid non mutat æui longæua vetuſtas? Facile autem fuit ex Gotiſcandza Godlandiam cõmutare. Ea viſa eſt migrãtibus ad ſedem anguſta, quamuis XVIII. milliaribus Teutonicis tendatur in longum. Et iam maritimarum pertæſi ſedium, continentem proximam feruntur enauigaſſe. Ad Auſtrũ quidem tendentibus prima occurrit Vlmerugorum, nunc Rugiorum prouincia: Wandalorũ hîc genus habitabat. Extat hodie maritima regio, quæ Rugia dicitur, quam poſtea etiam primam ſedem delegerũt Longobardi, Scania egreſſi: quod in Dania commemorauimus. Sed tum Gothi è Suecia in Godlandiam, inde Rugiam traijcientes, conſerto prælio habitatores expulerunt, ipſiq; conſiſtere delegerunt. *Lib. 2. cap. 20. & ſeq.* Mox cum finitimis colluctati Wandalis, imperium ſuum in illos protulerunt, vt omnem quæ nunc eſt Pomeraniam, Poloniam atq; Magnopolim prouincias, ſupra & infra ſe,

ſuæ fecerint ditionis. Conſiſtunt aliquot hîc annis per tempora quatuor regum. Ea tamen quę illo tēpore ab illis geſta ſunt, quia ad comparationem ſequentium exilia ſunt, commemorationem non meruerunt: & tulit temporum incuria, vt necdum conualeſcentibus literis in gente barbara, frequentiores tum fortiter agere, quàm doctè ſcribere curarunt. Excreſcente verò populi multitudine, exercitationeq́; armorũ audentiores facti, vberioribus ſe dignos ſedibus, anguſtias Rugiæ dedignantes arbitrabantur, & iam ſub rege Filimer, magni Gadarielis filio, emigrandum ſibi putauerunt. Placuitq́; in cõmune, Orientem verſus profectionem intendere: nam ſub oculos erat Pomeraniæ infœcundum ſolum, & quod multo vix labore ſubactum, non totum panem polliceretur colenti. Igitur per Polonos rectà cõtendunt in Orientem, non antè quieſcentes, quàm Mæotidis confinia paludis attingerent.

Filimer Gothorũ rex.

Cap. 4. Hic rex Filimer, quum diſiectis per arma habitatoribus ſuas collocãdos putaret, potite tamen facto exercitum trans flumen traijcere curauit, quòd feracior illa regio videretur, Magno itaq; molimine ponte perfecto copias cœpit traijcere. Et in medio conatu, quum adhuc multi reſtarent traijciendi, pons fractus diſſilijt, & qui tranſierunt cum rege ſuo, petita loca tenuere. Qui verò reſtiterant, cum ijs qui iam viarum pertæſi quietem amabant, ibi cõſedere. Ita ex vna gente duæ mox emicuere. Nec erat facilè in partem alteram peruenire, quòd is locus tremulis paludibus imperuius erat. Veruntamen eis in locis inacceſſibilibus & voces armentorũ exaudiri, & humana deprehendi veſtigia, cõmeantium atteſtatione feruntur. Ea verò pars Gothorũ quæ apud regem Filimer emenſo amne tranſpoſita eſt, optatum potita ſolum, ad gentem Spalorum peruenit: conſertoq́; prælio victoriam nõ difficulter aſſequitur. Exinde iam omnium victores, ad longinqua Scythiæ Pontico mari vicina properant. Hęc prima illis ſedes memoranda: inde gentis iam nomen inclaruit. Ea victoria diu in gente priſcis carminibus (de more) colebatur, quod vnũ (teſte Cornelio Tacito) in omni gente Germanorũ memorandum genus eſt. Accedit Ablabius Gothus, in Romanum vſq; ſenatum perueniens. Idem Saxo Sialandicus conteſtatur, magnam ſe partem veteris hiſtoriæ, ex carminibus quæ in memoriam heroum canebantur, collegiſſe. Libet hoc loco Herodoti, hiſtoriarum patris, teſtimonium de Scythis introducere. Is enim Maſſagetas aſſerit Scythas ſedibus expuliſſe: & illos profectos in Cimmeriam, pepuliſſe habitatores, ſedesq́; tenuiſſe. Commemorat quidem Ptolemæus, Maſſagetas in mediterraneis Aſiæ, in regione Scytharum, conſediſſe. Sunt tamen hodie Maſſagetæ in Sarmatia, in medijs Letuanis. Quorum regionem Gothi trãſeuntes in Orientem, vaſtaſſe videri poſſunt, vt inde Cimmerios ꝓpellerent. Iam enim Scythę appellari cœperunt Gothi, generali prouinciæ nomine, poſtquã in regione Scythica ſedes defixerunt: pulſis quidem Cimmerijs, ibi Scythas (ſic enim iam dici poterant Gothi) cõſediſſe. Nec tamen quieuit gens bello nata, quò minus mediam regionem tranſeũtes, ad mare vſq; Ponticum peruenerunt. Quod idem Herodotus non tacet. Nam non cõtenti expuliſſe Cimmerios ſedibus ſuis, ſecutos quoq; perhibet excedentes. Sed tum Gothos aberraſſe via, quòd Cimmerij ſiniſtrũ caperent iter: illi dextrum euntes, in latera Tauri montis ad Põtum vſq; peruenerunt. Sed quãdiu rex illis fuit Filimer, in Cimmeria permanſere. Inde poſtea digreſſi, retro abierunt in Myſiam Thraciamq́;: & vicinã impleuere Daciam, ad Danubiũ, quæ montibus in coronæ ſpeciem cingitur. In ſuſpicionem venio, Daciam illam ripenſem nomen ex Gothorũ ſocijs traxiſſe. Crediderim, in emigratione Gothorũ Danos ſe miſcuiſſe migrantibus: quo modo Normannis multis pòſt ſeculis, ijdem ſe Dani in contuberniũ contulerunt, quum littora Franciæ primùm popularentur, inde habitarent. Quod in Noruagia dicemus.

Gothi apud Spalos ſuperatos ſedes locant.

Maſſagetæ.

Cap. 5. Qvvm verò in has regiones trãſiſſent, iam ſepoſitis nationibus, in Myſia Thraciaq́; Gothi, & in Dacia Dani cõſederunt, inuerſis pauliſper nominibus: vt ex Gothis Getæ illi, & iſti ex Danis Daci ſint deinceps vocitati. Hæc certa magis cõiectura, quã probato autore ſuſcepi. Nam & Strabo inter Græcos, tum coorta illa ſimilia nomina arbitratur ex captiuis, vt venundati gentilia nomina ſeruarẽt, & alij Getæ, alij Dani, alij etiam Syri ſint appellati. Per quę tẽpora, non ſatis in hiſtoria diſtincta, magnos Getæ (qui & Gothi) reges habuere, prudẽtia, fortitudine, & religione (qua

Getæ ex Gothis dicti ſunt.

tum

tum poterant) inſignes. Memorant Salmaxorem, quem miræ philoſophiæ incredibilisq́; eruditionis fuiſſe teſtantur. Sed ante illum fuiſſe Zeuten, non vulgaris ſapientiæ virum. Pòſt etiam Dicinæum: quo tempore Sylla Romanarum rerum potitus eſt. Poſt illum extitiſſe Comoſicum, qui & rex & pontifex genti fuiſſet. Quartum verò fuiſſe Salmoxen. Sed hæc per anticipationem de longè pòſt futuris ſeculis dicta ſint. Cæterùm nulla illis ætate defuiſſe ferũt, qui etiam ſapientia Getas erudirent: & penè omnibus Barbaris Gothi ſapientiores extitiſſe perhibẽtur, Græcisq́; penè ſimiles: vt refert Dio, qui hiſtorias annalesq́; eorum Græco ſtylo compoſuit. Qui etiam dicit Tarabuſteos, deinde Pelleatos, vocitaſſe eos qui inter ipſos generoſi extabant, ex quibus reges & ſacerdotes ſibi cooptabant. Adeò autem laudati fuere Getæ, vt Martem, quem deum belli putauit antiquitas, apud ſe dicerent progenitum. Quod inſignis poeta non ignorabat, dum diceret: *Gradiuumq́; patrem, Geticis qui præſidet armis.* Quem Gothi ſemper aſperrima placauere cultura, morte ſcilicet captiuorum, opinantes bellorum præſidem aptè humano ſanguine placari. Sed reuertamur ad narrationis ordinem quem inſtituimus.

Multi apud Gothos ſapientia excelluerunt.

CAP. 6.

QVVM adhuc Gothi ad Mæotidas paludes habitarent, regemq́; ſuæ gentis Tanauſim haberent, Vexores rex Ægypti, nationum omnium victor, bellum Gothis, tum Scytharum nomine vocatis, intulit. Tempus hoc erat quo Aſſyrijs Soſarinus, & Sicyonijs Inachus rex eſſet, centũ quinquaginta annis poſt emigrationem. Præmiſit ergo Vexores rex legatos, qui hoſtibus parendi legem dicerẽt. Sed Gothi iam antè de aduentu regis à finitimis certiores facti, legatis reſpondent, tam opulẽti populi ducem ſtolidè aduerſus inopes occupaſſe bellum, quod magis domi ſuæ fuerit illi timendum, quòd belli certamen anceps, pręmia victoriæ nulla, damna ſint manifeſta. Igitur nõ expectaturos vt ad ſe veniatur, quum tanto in hoſte ſibi plura ſint concupiſcenda: ſed vltro prodituros obuiam. Nec dicto res morata. Quos quũ tanta celeritate venire rex didiciſſet, in fugam vertitur: & exercitu cum omni apparatu belli relicto, in regnum trepidus ſe recepit. Gothos ab Ægypto paludes prohibuere. Exinde reuerſi, Aſiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo magis in titulum imperij, quàm in victoriæ præmium impoſito. Quindecim annis pacandæ Aſiæ immorati, vxorũ flagitatione reuocantur per legatos, denunciantium, ni redeant, ſobolem ex finitimis ſe quæſituras, nec paſſuras, vt in poſteritatem Gothorum gens per fœminas intercidat. Prima cum Ægyptijs pugna apud Phaſidem prouinciam, quæ à flumine nomen habuit, erat. Vnde toto nunc orbe diuitũ menſis pretioſum luxuriæ irritamentũ phaſides aues aduolauerunt. Tanauſis ergo Gothorum rex, quum frænum domitæ Aſiæ impoſuiſſet, exigendi tributi poteſtatem amico, Medorũ regi Sorim, permiſit: ipſe contentus gloriæ præmio, auri & argenti contemptum præ ſe ferebat. Sed erant in exercitu eius, qui pulchritudine Aſiæ capti, manere ibi peroptarent, rege permittente. Qui (vt Pomp. Trogus teſtis eſt) Parthicum deinde regnum fundauere: gens origine Gothica, patriam virtutem referens, Romano ſemper aduerſata imperio: vnde etiã hodie Scythica lingua Parthi fugaces dicuntur, (ſic enim ex interpretatione verbum ſonat) eò, quòd patriam fugerint, aut quòd in fuga magis ſint timendi, tum maximè ſagittis infeſti inſequentibus. Mortuo deinde Tanauſi, qui tantam gloriam comparauit, diuinos illi honores contulerunt, & inter heroas, imò etiam numina coluerunt. Poſt cuius exceſſum, quum ſucceſſor exercitum foris haberet, armata penè omni ſua iuuentute, domi indefenſus agebat. Gens non longinqua, concepto in Gothos odio, ſciens omnem iuuentutem foris militare, facto agmine prouinciam defenſoribus vacuam rebantur inuiſere, prædam inde relaturi. Sed Gothorum fœminæ, viris abſentibus, non paſſæ haberi contemptui, ſeſe perarmant: & quòd viros fortiſſimos haberent, eorum exemplo doctæ hoſtibus obuiam pergunt: conſertoq́; prælio vertũt in fugam. Quæ res etiam in eo ſexu gloriam peperit, præluſitq́; venturæ Amazonum ex eadem claritudini. Quarum initium tali occaſione proficiſcitur.

Ægypti rex Gothorũ aduentum, quos laceſſiuerat, non expectat.

Parthici regni origo.

Gothorum muliebris victoria.

CAP. 7.

IVSTINVS Pompeij Trogi abbreuiator, nulla Gothorum expreſſione, ſed generali Scytharum appellatione cõtentus, quòd Gothorum gens iam diu in Scythico ſolo manſitabat, narrat Amazonum originem. Quem ſecutus Paulus Oroſius,

quum de Scytharum fœminis ſermonem(quem repetemus) texuiſſet, Gothorum ſubinfert mentionẽ, oſtendere volẽs qua de radice proceſſerint. Sed Iordanes Rauennas archiepiſcopus, Dionem ſecutus Græcũ, & Ablabium ſenatorem, profeſſa voce teſtatur, Gothos fuiſſe, quorum origine prodierint Amazones. Res autẽ talis ab Iuſtino & Oroſio memoratur.

Amazonũ origo.

Duo regij iuuenes, Plinos & Scholopitius, à Gothis per factionem optimatum domo pulſi, ingentem iuuentutem ſecum traxere: & in Cappadociæ Ponticæ ora, iuxta fluuium Thermodontẽ conſidentes, campos ibi Temiſyrios ſibi ſubiecere: vbi proxima quæq; quũ populantur, conſpiratione finitimorũ per inſidias trucidantur. Horum vxores exilio ac viduitate afflictæ, arma ſumpſere, fineſq; ſuos, ſubmouentes qui occurrerant primò, mox inferentes bella, defendunt. Nubendi quoq; finitimis animum amiſere, ſeruitutem, non matrimonium appellantes. Singulare omnium ſeculorum exemplum! Auxere rempublicã ſine viris: iam etiam cum contemptu virorũ ſe tuentur: & ne infœliciores aliæ alijs viderentur, viros qui domi remanſerant, interficiunt, præſertim vt ex ſimili conditione par omnibus animus eſſet, vltionem quoq; cæſorum coniugum excidio finitimorũ conſequuntur.

Amazones quibus conditionibus nuberent & parerent.

Tunc pace armis quæſita, veritæ ne prole rareſcente deficerent, externos concubitus vicinarũ gentium ineunt, factis nundinis ſemel in anno, ita, vt eadem die, anno reuoluto, reuertentes in idipſum, quicquid maſculini ſexus edidiſſent, patribus reddidiſſent: quicquid fœminei, matres ad arma bellica erudirent. Neq; enim virgines earum ad penſa fuſum rotabant, ſed equis & armis ac venationibus tempora terebãt. Sunt qui dicant quòd editis maribus, nouercali odio, infantis miſerãdi fata rumperent, ita vt apud eos deteſtabile foret maſculũ puerperium, quod in omni reliqua gente ſolet eſſe votiuum. Quæ illarũ crudelitas maximum terrorem vicinis gẽtibus ingerebat. Nam quæ rogo ſpes eſſet capto, vbi nefas habebatur ignoſcere etiam filio? Puellis autem dextras mammas inurebant, ne iaculorũ iactus impedirentur.

Amazones vnde dictæ.

Vnde & nomen acceperunt, vt Amazones, hoc eſt ſine mamma dicerentur. Scio nonnullos iſta lecturos, ſuſpicari ne Gothis ea res affictà videatur, quòd Iuſtinus & Oroſius ea de Scythis, nulla Gothorum facta mẽtione, cõmemorent. Sed ego in omni ea relatione fidem in autores reijcio, Iordanem, Dionem atq; Ablabium.

Ablabij ſcripta interciderunt.

Vtinamq; nobis XII. illi ſenatoris libri adeſſent, quos ſe Iordanes curſim lectitaſſe, & inde quæ ſcriberet, memoriter tenuiſſe cõmemorat. Certiora cuncta teneremus, ſi pro rei magnitudine ſcribendi temporaq; deſignandi, Iordanes diligentiam adhibuiſſet. Sed tamen temporũ ratio conſentit narrationi. Nam iuxta ſupputationem Euſebij, tum Gothi apud Cimmerios habitabant, quando egreſſis de Scythia iuuenibus, in Ponto ad fluuium Thermodontẽ, Amazonum origo à cunctis memoratur. Nec diſſentit locorum cõmemoratio, quando exulantũ fuga è Cimmerio in Pontũ (hoc eſt Cappadociã) veriſimilis perhibetur.

CAP. 8.

Duæ Amazonum reginæ, armis & togæ præſunt.

FOEMINÆ vbi virilem vigorem induerunt, duas ex ſuo numero reginas creauere, vt & domi & foris res ſtrenuè adminiſtrarentur. Lampedo, & Marpeſia dictę ſunt. Quarum altera domeſticis rebus ordinãdis ac defenſandis præfuit: altera forenſem militiam adminiſtrabat. Marpeſia ea fuit. Quæ fœminarũ agmine ſumpto nouum genus militiæ inibat, nouumq; & antè inauditũ agmen deduxit in Aſiam. Diuerſaſq; gentes bello exuperans, aliaſq; bello concilians, ad Caucaſum montem peruenit. Ibiq; aliquantum temporis demorata, nomen loco reliquit, vt dicatur rupes Marpeſia: cuius in carmine ſuo meminit poetarum maximus, *Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.* Inde egreſſæ Otalem fluuium tranſierunt, ac Armeniam, Syriam, Ciliciam, & Galatiam Piſidiamq;, multaq; alia Aſiæ loca occupauerunt. Ibiq; diutius dominantes, Epheſum & alias ciuitates locaq; condiderunt, ſuoq; nomini dedicauerunt. Templumq; Dianæ, toto orbe diu celeberrimũ, ob venandi ſagittandiq; ſtudium (quibus artibus ſe tradiderant) mira pulchritudine apud Epheſum condiderunt. Quæ res etſi multorum ſubnixa ſit teſtimonijs, de virtute Amazonum, non tamen caret exemplis. Nam longè poſterioribus ſeculis,

Puellæ Bohemicæ.

in gente Bohemica inuentæ ſunt puellæ, quę omne maris genus peroſæ, imperium per annos ſeptem tenuere, prælijs interritæ, armis exercitæ: omnia virorum agmina quæ obuia fuere, per apertam vim proſtrauere. Ad extremum dolo ſuperatæ,

magis

magis deceptæ quàm victæ feruntur. Teſtis Æneas Syluius in hiſtoria Bohemica, & nos in noſtra Wandalia retexemus.

CAP. 9.

AD Amazones reuertamur, quæ Aſiæ regnum diu tenuerunt. Magna pars fœminei exercitus onuſta prædis, in ſua loca remittitur: reliqua cum regina Marpeſia ad tuendum Aſiæ imperium conſedit. Adunati aliquãdo Barbari, quum & pudor & virtus mixta ſtimularent, fœmineis parere imperijs detrectant: cõſertoq́; prælio Marpeſiam reginam fortiter prælíantem cędunt, non incruenta victoria. Succedit illi Orithia filia, quam alij Sinopem vocant, quæ ſingularẽ virtutis bellicæ gloriam perpetua virginitate cumulauit. Huius virtute tantum additum famæ & gloriæ Amazonibus eſt, vt Herculi rex, cui duodecim ſtipendia debebat, quaſi impoſſibile imperauerit, vt arma reginæ Amazonum afferret. Igitur eò profectus nauibus longis nouem, comitante principum Græciæ iuuentute, inopinantes aggreditur. Duæ ex quatuor tunc ſorores Amazonum regna tractabant, Antiope & Orithia, quarũ Orithia foris bellum gerebat. Igitur quum Hercules littori Amazonum applicuiſſet, infrequens multitudo cum Antiope regina nihil hoſtile metuente erat. Qua re effectũ eſt, vt paucæ repentino tumultu excitatæ, arma ſumerent, facilemq́; victoriam hoſtibus darent. Multæ itaq; cæſæ captæq́;: in his duæ Antiopes captæ ſorores, Menalippe ab Hercule, Hippolyte à Theſeo. Sed Theſeus obtentam in prēmiũ captiuam, eãdem in matrimonium aſſumit, exq́; ea genuit Hippolytum. Hercules poſt victoriam Menalippen captiuam ſorori reddidit, & preciũ arma reginæ accepit, atq; ita imperio functus ad regem reuertitur. At Orithia vbi comperit bellum ſororibus illatum, & raptorem eſſe Atheníenſium principem, hortatur comites in vltionem, fruſtraq́; Ponti ſinum & Aſiam domitam eſſe contendit, ſi Gręcorũ non tam bellis quàm rapinis pateant. Auxilium deinde à Sigillo Gothorum rege petit: genus ſe Gothorum eſſe: cladem virorum, neceſſitatem armorum, belli cauſas oſtendit: aſſecutas ſe virtute, ne ſegniores fœminas quàm viros Goth habere viderentur. Motus ille domeſtica gloria, mittit cum ingenti exercitu filium Penexagoram in auxilium. Sed ante prælium diſſenſione orta, ab auxilijs deſertæ, bello ab Athenienſibus ſuperantur. Receptacula tamen habuere caſtra ſociorum, quorũ auxilijs intactæ ab alijs gentibus, in regnum reuertuntur.

Herculis aduerſus Amazones expeditio.

Amazones ab Athenienſibus victa.

CAP. 10.

POST Orithiam Pentheſilæa regno potita eſt, cuius Troiano bello inter fortiſſimos viros, quũ auxilium aduerſus Græcos ferret, magna virtutis documenta extitere. Interfecta demũ Pentheſilæa, exercituq́; eius abſumpto, paucæ quæ remanſerant, ægrè ſe aduerſus finitimos defendentes, vſq; ad tempora Alexandri Magni durauerunt. Harum Minithia, ſiue Caleſtris, regina, concubitu Alexandri Magni, per dies XIIII. ad ſobolem ex ea generandam obtento, reuerſa in regnum, breui pòſt tempore, cum omni Amazonũ nomine intercidit. Hæc autem de Amazonibus huic hiſtoriæ ſubintulimus, vt has quoq; de ſtirpe Gothorum deſcẽdiſſe monſtraremus. Dion hiſtoricus, & antiquitatum Gothicarum diligentiſſimus inquiſitor, qui operi ſuo Geticũ dedit titulum, regem illis poſt multa tempora fuiſſe commemorat Telephum, Herculis filium, procerum quidem corpore, ſed magis virili vigore terribilem, qui paternã fortitudinem proprijs æquabat virtutibus. Regnauit is in Myſia, iam Gothis ex Cimmerijs regionibus retro abeuntibus. Sed quo rege, quóve tempore, Iordanes non tradit: ante tamen Troiani belli tempora fuiſſe compertum habemus. Sed mirabitur fortaſſe quiſpiam, quòd gens ferox alienigenam paſſa ſit regem. Facilè autem admiratio conquieſcet, ſi cuius viri filium admiſerint intuebere. Nam Herculis nomen in omni gente tum magnum fuit, vt facilè filio ſuffragetur apud Getas, vt regnare illum ſibi tanti viri filium patiantur, præſertim ex Auge Gothica natũ muliere. Is ergo coniugio ſororis Priami ſociatus, bello interfuit illi famoſiſſimo, quod Gręci Troiæ intulerunt: Teſſandrũ Gręciæ ducem interemit: & dum Ajacẽ infeſtus inuadit, Vlyſſemq́; perſequitur, equo cadẽte ſublabitur: Achilliſq́; iaculo fœmine ſauciatus, diu mederi nequiuit. Græcos tamen, quamuis fractis eſſet viribus, ea parte quam defendit, perturbauit. Telepho defuncto, Euryphilus ſucceſſit filius, ex Priami Phrygum regis germana progenitus, qui ob Caſſandræ (vt ferunt) amorem, bello intereſſe Troiano properans, vt auunculo

Pentheſilaa Troianis aduerſus Græcos auxilio venit.

Telephus Herculis filius Gothis imperat.

ſuppetias ferret, infœlicibus auſpicijs pugnans, interemptus eſt.

CAP. II. HAC prima Gothorum excurſione cõmemorata, in Suediam (hoc eſt patrium Gothorũ regnum) reuertamur, recenſentes quæ de hoc populo vetuſtiſſima tenemus. Equidem ad omnium gentium primam originem recurrere quis poteſt? Ab ea memoria ſumendũ eſt dicendi principium, quæ vel in carminibus memoratur, vel prima in literas relata eſt: quãquam in ea gente non vulgaris amor perennis famæ deprẽdatur. Nam apud Belekingiam (pars ea Suediæ eſt, vt in præfatione operis ſui autor eſt Saxo Sialandicus) apta meantibus rupes, mirandis literarũ notis interſtincta conſpicitur. Equidẽ à meridiano mari in deſerta Werundiæ, petroſa porrigitur ſemita: quam binæ lineæ, exiguo diſcretæ ſpacio, protractis in longum ductibus amplectuntur. Inter quas medium loco planum, factis ad legendum figuris, vndiq; ſecus exaratum oſtenditur. Quod licet adeò ſitu inæquale exiſtat, vt modò montium alta proſcindat, modò vallium ima prætereat: eodem tamen tenore literarum veſtigia ſeruare dignoſcitur. Quarũ ſignificationem rex Waldemarus, diui Kanuti filius, admirationis cauſa cognoſcere cupiens, miſit qui rupem permeãtes, patentium illic characterum ſeriem curioſiori indagatione colligerent, ac poſtmodum virgulis quibuſdam ſub iiſdem formarum apicibus adnotarent. Qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprẽdere potuerunt, quòd ipſa cælaturæ concauitas partim cœno interlita, partim cõmeantium adeſa veſtigijs, figuratæ protractionis ſpeciem obtrito calle confuderat. Vnde conſpicuum eſt, etiam petrinæ ſoliditatis ruinas diutino madore complutas, aut ſordium colluuione, aut irriguæ nimborũ inſtillatione cõcreſcere. Sed & mirum poëſis ſtudium in gente fuit, dum patria lingua heroum præclaras res geſtas ita canerent, vt pariter & oblectarent lepore audientes, ſimul & docerent antiquitatum præclara facinora. Sed iam antiquiſſimorum in ea gente geſtorum memoriam repetentes, narrandi ordinem carpamus.

Rupes antiquitatis notas habens.

Poeticen Sueci coluere.

CAP. 12. ÆTATE ab hinc longiſſima, & (vt cõiectura fert) ante Romã conditam, quum apud Danos regnũ teneret Gram, inſigni fortitudine præditus rex, ordine quintus à Dan, regni Daniæ fundatore, apud Sueones (nam id tum Gram, quæ nunc Sueca dicitur, crebrius erat nomen) Sichtrugus rerũ potiebatur. Is habebat filiam eximiæ pulchritudinis, quam cuidam remotioris gentis principi pater deſponderat. Non tulit Gram Daniæ rex iniuriam ſui contemptus, quòd vicino negatam, longinquo filiam eius deſtinabat. Itaq; raptũ parans, (qui ea tempeſtate clarum militiæ genus in ea gente reputabatur, ſi nobiles virgines raptu ſibi ſociarent cõciliarentq; matrimonio) armato milite cõceſſit in Sueciam. Et propinquans regiæ, tempus clàm obſeruabat, quo puella vel apricãdi vel lauandi gratia ad amnem egrederetur, vt antè tentamentis præparatã, tum non repugnantem abduceret. Amatoria carmina per idoneas perſonas ſubmiſit: adiunxit pro regia fortuna non indecora munera. Puella viciſſim reſcribebat, multa ſuper rege ſciſcitata, nobilitatem generis ſui efferebat. Quæ memoratus Saxo Grãmaticus nõ iniucunda Latinè reddebat Adonio verſu,

Daniæ libro 1. cap. 6.

Gro mihi nomen: Rex pater extat
Sanguine fulgens, fulgidus armis.
Tu quoque quis ſis, aut ſatus vnde,
Promito nobis.

Carmen Gro.

Vbi mutuis ita carminibus aliquãdiu certatum eſſet, ipſe poſtremò Daniæ rex propinquans per occaſionem virgini, detractis armis iuuenili decore reſplenduit: aureaq; promens donaria, nõ inuitam aut repugnãtem in ſuum pellexit amorem: potiusq; votis volẽtem abduxit. Pater puellæ Sichtrugus, Sueciæ rex, iniuriam generis ſui vlturus ad arma conuolauit. Magnum vtrinq; momentum erat belli gerendi: nam raptor ſecum reputans iniuriam quam irrogabat, totis ſe regni viribus tueri parabat, quòd ſciret Sueciæ regem ducere non leuem iniuriam ſtupratæ & abductæ filiæ. Igitur quum ſe Sichtrugus armis & exercitibus cõparandis totum impenderet, nulla tamen illi maior erat belli fiducia, quàm quòd ſe ferro inſuperabilẽ crederet. Sic enim illi perſuaſerũt oracula, quæ in illa gente (ea præſertim ætate) plurimũ valuerunt. Non latebat hoſtem hoſtis cõfidentia, quòd diuûm ſuorum reſponſis niteretur. Fraudẽ ſtruere meditatur, auro ſuperaturus, quem ferro non poterat.

Sichtrugus filiã Daniæ regis nõ inuitam rapit.

Igitur

Igitur clauam, quam Herculeo ritu pugiles gerebant in prælia, auro cauatam infudit, vt pondere præualeret, proq; ferro auri nodos innexuit. Itaq; magnis vtrinque animis, paribus odijs concurritur in prælium: fit anceps diu pugna. Rex deinde regem quærit in acie, vbi manus conſerunt. Daniæ rex recentibus exultans viribus, virum ætate grauē, clauæ ſuæ pōdere preſſit & extinxit: oraculum comprobans, vt nullo ferramēto rex Sueciæ procumberet. Oppreſſo rege necdū plena Danis parta erat victoria. Nā erat Gothiæ præfectus Suarinus, regiæ dignitati ſecūdus, vt quē nos ducē, illi præfectū eo loco habuerint. Nec Romanis ea dignitas incognita eſt. Diu enim ſub Imperatoribus præfecti prætorio proximā purpuræ poteſtatē habebant, & præfecti vrbis longè ducibus eminebāt. Sed tum (vt dicere cœpi) quī in regno Sueciæ præfecturā Gothiæ gerebat, extincto rege, adminiſtrandi regni partes accepit, Dano victori ſe obijciens. Piguit regē, quòd poſt regem victū, alius ſe opponeret victori. Igitur exaſperatus euocat hominem in duellū, ferro litem dirimere, & vnius potius periculo capitis, quàm magnorū exercituum ſanguine rem ſecernere meditatus. Non erat liberum euocato pugnam detrectare. Ea tum fuit hominum exiſtimatio, vt pro victo gereretur qui ſortem pugnæ recuſaret. Procedunt armati in pugnam, campus metatur in circo: rex ducē proſternit. Sed neq; ſic plenam victoriam rex aſſequitur. Fratres erant ſeptem proſtrati ducis, qui ſe ſingulos obtulerunt duello. Regi victori creuerat animus ex gemina quam peregit victoria. Nam cedere neſcia virtus, illū in repetendam pugnam deuocauit. Iunxit fratrem fratri: ſuccedit proximus per ætatem pugnæ. Iniquū videri poterat vnum toties in plures fatigari. At inuicta virtus omnium per vices fratrum victorem ſe erexit, vbi omnes vno exitu ſtrauit. Toto agmine victor, additis octonis duellis, celebri vndiq; fama extollitur. Sueci volentes, cum Gothis colla victori ſubmittunt. Hæc prima, quam ſcriptā tenemus, Sueciæ gentis à Danis ſubactio, crebris deinde victorijs variante fortuna penſata eſt. Gram exinde victor, duobus regnis pręſidet, Daniæ atq; Sueciæ. Sed non diu ſtetit eius ditionis integritas. Nam Suibdagerus Noruagię rex, quum petitam Dani filiam ad nuptias non impetraret, armis comparatis vi abduxit. Ea quidem magnatum viſa eſt tum gloria, ſi nuptias armis conciliarent. Vbi iniuriam pater vindicare contendit, magno prælio victus à rege Noruagiæ cadit.

Qui ferrō inſuperabilis erat, aurea claua cōtunditur.

Illuſtris ex multis certaminibus victoria.

CAP. 13.

Suibdagerus tribus regnis Aquilonaribus præfe.

SVIBDAGERVS inde Danici regis victor, geminam ex illo tulit victoriæ iure coronam, vt priori Noruagiæ titulo, Daniam & Sueciam copularet, primus trium regnorum vnicus moderator. Quod idem poſt tot ſecula cernimus in noſtra ætate contigiſſe moderno regi, (poſt parentem paucoſq; illius in regni prædeceſſores) illuſtriſſimo regi Ioanni. At rex ille, quum aſſiduis coniugis ſuæ lacrymis pulſaretur, alterum ex fratribus eiuſdem auxilio reuocatū, Daniæ præfecit, ſub tributo regnaturum: alterum verò Haddingum, foris militantem, contempſit. Sed Haddingus iſte armis natus, quum per multa loca victoriam circumferret, verſus in Suibdagerum ſororium quidem, ſed patris oppreſſorem, nauali prælio fudit, & extinxit apud Godlandiam: quod in Dania diximus.

Lib. 1. c. 8.

CAP. 14.

Dania libro 1. cap. 9.

HASMVNDVS Suibdageri filius, in Suecia atq; Noruagia parenti ſurrogatur. Nam Daniam Goturinus Haddingi frater (vt diximus) tenebat. Imminebat autem vndiq; grauius Suibdageri generi Haddingus, vt paternæ ditionis Sueciæ regnum recuperaret: Haſmundus hoc fortiter tutatus defendit. Totis in prælium ruunt viribus. Erat Haſmundo filius Ericus, iam primis in annis dimicās. Eum nouæ pugnæ decus longius quàm ſaluti par erat, prouexit: nam incautus ſe pugnę miſcens, Haddingi gladio cadit. Primitiæ belli miſeræ, & dura rudimenta. Pater vbi cecidiſſe filium audiuit, nihil iam viuere diutius amans, nihilq; vltione ſui ſanguinis ſibi charius duxit: amens fertur in prælium. Ericus ſolus filius erat in oculis: vnū Haddingum requirit, vnum illum infeſtis odijs inſequitur. Vbi offendit, præliantem aggreditur: reiectaq; parma, vtroq; capitulum verſat lacerto. Interritus autem Haddingus venientem excipit. Nec dubia diu fortuna miſcetur: iungit victor filio patrem. Ille cadens, victoris pedem ita gladio ſtrinxit, vt in reliquum tempus Haddingus ſemper claudicaret. Ita alterum debilitas, alterum vitæ finis excepit. Corpus eius ſolenni funere elatum, apud Vpſolam regijs procuratur exequijs. Cuius

Haſmūdus Erici filij mortem vlciſci cupiēs, ipſe cadit.

coniunx Gunnilda, ne marito ſupereſſet, ſpiritum ſibi ferro ſurripuit, virumq́; fato inſequi, quàm vita deſerere præoptauit. Huius quoq; corpus amici ſepulturę mandantes, mariti cineribus coniunxerunt, dignam eius tumulo rati, cuius charitatem vitæ prætuliſſet. Iacet itaq; Gunnilda, aliquantò ſpecioſius virum buſti quàm tori ſocietate complexa. Indis hoc genus ferunt familiare, vt ex multis vxoribus, quæ maritum plus amarit, viua illi contumuletur: atq; hinc certare fœminas inuicem, quænam marito defuncto coniungatur.

Mulierum in virorum morte apud Indos mos.

CAP. 15.

VFFO Haſmundi filius, ægrè Sueciam aduerſus Haddingum tutatur. Quippe toties victor inſoleſcebat, creſcebatq́; quotidie & animis & viribus, vt difficile fuerit ingruentem ſuſtinere. Itaque conferendæ in Suecia manus fiducia deſtitutus, in Daniam traiecit exercitum, hoſtileſq́; lares inceſſere, quàm proprios tueri, facilius duxit, opportunum propulſandarum iniuriarum genus exiſtimans, quod ab hoſte pateretur inferre. Ita Danis ad propria defenſanda redire compulſis, ſalutemq́; patriæ exterarum rerum dominio præferentibus, domeſticum ſolum hoſtilibus armis vacuefactum repetijt. Sic comparatum eſt, ſic plerunque vſu compertum, vt fœlicius in alieno quàm in ſuo depugnetur. Quòd ſi res exẽplis egeat, Scipio Hannibalem per annos ſedecim Italiæ incumbentem, ſæpe victorem, & Romanis ducibus in Italia non ſuſtinendum, reuocatum in Africam in patrio ſolo vicit. Non diſſimilem euentum ſuarum rerum Vffo perſenſit. Quia Haddingum Danorum regem, quem in ſua Suecia nec vincere potuit, nec ſuſtinere: dum grauis ipſe Danis incumberet, abſtractum ſuis viſceribus, domeſtica tueri coegit. Sed hyemauit quidem in regno ſuo Haddingus: cæterùm adſpirante verno tempore, exercitum renouatum traiecit in Sueciam: expertus & ipſe fœlicius aliena inuadere, quàm ſua tueri. Tantaq́; pertinacia Sueciæ regnum infeſtauit, vt luſtrum ibi bello conſumeret vniuerſum. Nec defuit Vffoni defenſio, hoſtem inedia magis quàm armis domituro. Nam Dani ad illam commeatuum penuriam deducti ſunt, vt primùm fungis ſylueſtribus perroſis vitam ſuſtinerent: inde equorum canumq́; carnes in delicijs habuere. Coegitq́; fames obſeſſos in montibus ad nefas, vt ad extremum humanis carnibus non ſatis abſtinerent. Quæ res Danorum regem adegit pugnæ fortem quacunq; conditione pertentare. Non exeunte autem in pugnam hoſte, qui fame dimicabat, nocturna eſt eruptio intentata. At ibi ſe hoſtis obijcere conatus, prælium aggreditur: fortiterq́; dimicantibus vtriſq;, duo ſenes caluitio inſignes, diuerſas acies adiuuare viſi ſunt. Equidem antiquitas eius gentis multis maleficijs & dæmoniacis commercijs inuigilabat. Sed dum Haddingus ceſſit, multiſq́; amiſſis vix ſaluus ipſe cum paucis peruenit in Helſingiam. Deinde quum cerneret Vffo, Sueciæ atq; Noruagiæ rex, fortiorem eſſe Haddingum quàm qui facilè armis vinceretur, alia illum aggreſſus eſt via: nam per colloquij ſimulationem euocatum cogitauit opprimere. Credidit Haddingus, venitq́; in locum conſtitutum. Vbi ſe inſidiæ aperuere, cautior erat ad euitandum, quàm hoſtis ad fallendum: amiſſis ſocijs, vix ipſe ſaluus effugit. Renouato rurſus bello, pœnas dedit Vffo fraudis intentatæ, oppreſſus in prælio.

Laborante patria in hostium fines bellũ transferre sapiẽtis est.

Danorum qualis Saguntinorũ fames.

Haddingus in fugã versus, postea hostem, dolo eius vitato, occidit.

CAP. 16.

HVNDINGVS Vffonis filius, victoris Haddingi debet amicitiæ, quòd poſt patris mortem regnarit in Suecia. Quippe victoriæ iure regnum victori proueniens, ille permiſit legitimo ſucceſſori, vt tamen penderet Daniæ regno tributa. Tantaq́; regibus deinceps inceſſit familiaritas, vt memorabili exemplo, vicini reges non ſolùm in pace, ſed & incredibili amicitia regnauere. Fecit ea regum concordia, vt nihil memorabile tempora huius regis habeant. Virtus enim non exercita malis, quomodo poteſt incláreſcere? Nec tamen laude caret togata tranquillitas, quòd & pacis ſua ſint officia, legibus patriam imbuere, clauſtra regni firmare, arces munire, & in tranquillitate prouidentiam facere venturorum aliquando malorum. Hac temporis pace currente, quum Haddingus Daniæ rex domeſticis malis laboraret, iniuriaq́; atque inſidijs generi penè interceptus corruiſſet, falſus de interitu regis rumor extitit, peruenitq́; ad Sueciæ regem, iuſtis de cauſis illi amiciſſimum. Indolens ille amici infortunio, de more gentis, illi inſtituit parentare: euocatiſq́; proceribus, in media regia dolium recens cerealis liquoris iuſſit collocari. Ipſe rex pincer-

Dano Suecia rex tributum pendit.

Dania libro 1. cap. 9.

cernæ officio pocula circumferens, pietatis miniſterium implere putabatur. Proceſſit res in multam noctem. Ebrietas vbi regem peruaſit, doliumq́; de more circũſiliret, grauatum caput præponderans regem ſubuertit, iniecitq́; dolio ſemipleno. Ibi iam quaſi manibus cunctorum vinctis, rex in ſuorũ medio ridicula morte mergitur ſuffocatus: & dum fictã amici necem officio pietatis proſequitur, incidit ipſe veram in mortem. Eam rem vbi Haddingus Daniæ rex comperit, intellecto quòd ſuæ mortis occaſione conficta ad interitum ille verum perueniſſet, noluit amico ſuperuiuere. *Sed nodum informis lethi trabe nectit ab alta*, ſeq́; ſtrangulat manu ſua. Ita vir bello fortiſſimus non virili morte conceſſit in fata. Hic eſt duorum regum amiciſſimorum exitus perquam ridiculus.

Duorũ regũ amiciſſimorũ mirifica mors.

CAP. 17.

REGNERVS Hundingi ex primo matrimonio filius, mirabili iactatione fortunæ rotatus, ad Sueciæ tamen regnum peruenit. Nam pater Hundingus geminam ex prima coniuge ſuſtulit ſobolem, Regnerum atq; Toraldum, matre paruulorum vel vita functa, vel aliàs eiecta, alteram ſibi matrimonio ſociauit. Quæ dum nouercali odio ferretur in priuignos, non tamen potuit rege ſuperſtite exercere quod cogitabat: vbi ille interijt, mox paruulos aula proturbauit. Animos illi afferebat dotis magnitudo pariter & cognationis multa potentia. Nc tamen neci dederet quos odio perſequebatur, curauere regij ſanguinis proceres. Ablegauit pueros illa inter paſtores longinquiores, vt rurali operi inſeruientes, longè ab aulicis rebus detinerentur. Comperit Danici regni nobilis puella adoleſcentum caſus, & indoluit. Comparatiſq́; tanti itineris cum comitatu commeatibus, eò contendit, quo paruulos audierat exulare. Suanuita illi nomen erat, patrem habuit Haddingum, paruulorum parenti (vt diximus) amiciſſimum. Peruenit multo labore in locum, vbi regios pueros ruſtico miniſterio deprehendit obligatos. Siſcitata primùm qui & vnde eſſent, quum adoleſcentes ſuſpicarentur inſidias eſſe nouercales, quæ ab aulica & tanti apparatus fœmina tenderentur, ſubtimidè reſpondent. Seruilis ſumus, inquiunt, conditionis pueri, huc loci peruenimus, regiam iram expaueſcentes. Quòd pecorum conſtituti cuſtodes, dum (pro ætate) ludis plus quàm officio diligentius incumbimus, errantia in diuerſum abiere pecora: nec quæritantes vlla conſpeximus veſtigia. Quocirca catenas & verbera refugientes, in hunc ſeceſſimus locum, ab ira ſæuientium quàm remotiſſimum. Loquentis ora atque oculos puella adnotans conſpicatur. Nihil, inquiens, in amborum vultu ſeruile renitet: regale ſchema vndecunq; natis inſidet. Conuerſa in natu maiorem: Dic ergo iuuenis, ait, quis te huc loci furor, quæ cauſa detruſit? Si liberum eſt, inquit, fateri, nouercale mihi odium præſtitit, vt conditionis vitæ pauliſper oblitus, ſeruilem conditionem prætendam ſecuritati. At illa: Timor omnis abſiſtat. Scio, ait, genus veſtrum, ſcio conditionem. En ego tui cauſa, ſortem tuam fratriſq́; miſerata huc me contuli. Accipe gladium iniuriæ vltorem, & virum te manu memineris: tuæ reductionis præmium non aliud paciſcor, quàm legitimas nuptias. Hæc fata enſem porrigit. Mutato ſeruili habitu in regium apparatum, armis ac familia iuuenem inſtruxit. Progreſſus inde Regnerus, paternos quos ille nouit, interpellat amicos: auctuſq́; perinde breui multis viribus, paternam ditionem extincta nouerca recuperauit. Puellæ regalis beneficio rex factus, nuptias regio luxu compleuit. Quod depacta eſt puella ab exule, à bonæ fidei rege accepit cumulatũ, præmium videlicet nuptiarum, filium procreans Hotbrodum, paterni regni ſucceſſorem. Trãquillitatem tẽporum promeruit, vir ſuo contentus imperio, quod iuſtitia æquabilitateq́; regebat. Erant tamen qui illum apud Frotonem leuirum ſuum, Daniæ regem, proditionis falſo arguerent. Quam rem calumnia inductus, vlturus ferro, dum bellum intentat Sueciæ Froto: armorum põdere ac militari labore per æſtum fatigatus, morbo cõtracto non diu pòſt perijt, pœnas perſoluẽs tam facilis in ſororium crudelitatis. Regnerus autem, quum diu fœliciter regnaſſet, in pace quieuit. Suanuita coniunx pauco pòſt tempore, morbo ex mœſtitia contracto, decidit, fato virum inſequuta, à quo vita diſtrahi paſſa non fuit. Fieri namque ſolet, vt quidam ob eximiam charitatem, quam viuis impenderant, etiam vita excedentes, vel comitentur, aut ſtatim ſubſequantur.

Hundingi filios nouerca è patria pellit.

Regnerus vxorem ducit, cuius opera regnũ extincta nouerca recuperat.

CAP. 18.

Hotbrodus rex reb. geſtis initio fœlix, exitu miſer.

HOTBRODVS filius, Sueciæ regnum legitima ſuſcepit ſucceſſione, fœlix, ſi ea ditione cõtentus permanſiſſet. Nam dum imperium, quod legitimo iure tenebat, amplificare contendit, etiam id quod ſine inuidia tenebat, pariter cum vita amiſit. Sed de hoc poſtea. Arma primùm intulit Orienti: Sembos, Eſtones Ruſſoſq; in ſua iura coegit, vt ſolutis Sueciæ regno cenſibus atque tributis, iuſſa facerent, dicto parentes. Quæ res quum illi fœliciter ceſſiſſet, arma vertit in Daniam non ſatis fœliciter: initio quidem proſpera. Nam Roe Daniæ regem magno exercitu obuiam prodeuntem, manu conſerta, duro prælio victum extinxit. Sed Helgo regis occiſi germanus, exercitum reparauit, ea vſus prouidentia, vt filium, quem vnicum tenebat, regno ſeruaret, ſi quid ſibi humanitus accidiſſet: amicis commendatum longè ſepoſuit, ne vllo ad illum pacto Sueci pertingerent. Letrica arx erat regni munitiſſima, cui filium credidit exiturus in prælium. Prius tamen præſides Suecos, quos victor Hotbrodus regno Daniæ conſtituerat, tacitè ſublegit atq; ſubuertit. Inde totis viribus ducens in hoſtem, nauali illum prælio vicit, atq; occidit. Nec contentus victoria atque imperio in Succiam prolato, etiam contumelia gentem affecit, edita lege, vt iniuria aut vulnus aut cædes in virum Suecum, non legitima ſatisfactione, ſed longè infra illam penſaretur, æſtimationem hominum vilificans Danorũ collatione. Quæ vetus regnorũ contentio vſq; ad nos perdurauit, vt regnicolæ altrinſecus inuicem ſe nobiliores eſſe contendant. Sed tunc Suecia iterum Danicæ coronæ paruit.

Dania libro 1. c. 14. & 15.

Grauiſſimi odij, quod inter Suecos & Danos hodieq; viget, cauſa.

CAP. 19.

Suecia iterum Dano tributaria.

ATISLVS atq; Hotherus, Hotbrodi filij, ſub tributo Danorum regi penſitando, paternam ditionem Sueciæ ſuſcipiunt, quibus viuens pater Gewarum quendam, egregijs ſibi meritis deuinctum, pædagogum adſciuit. Quumque Suecia, vt diximus, Danis pareret, Atiſlus maior natu Hotbrodi filius, paternæ necis oppreſſæque patriæ iniuriam tacito voluens in pectore, egit per internuncios & amicos, vt relictam Helgonis Daniæ regis vxorem acciperet, perinde Danorum quaſdam vires aut certè animos ſibi conciliaturus. Procedunt nuptiæ. Vrſa regina (hoc enim ei nomen fuit) noui mariti mores, ob inſignem auaritiam, quæ illum totum obſederat, cœpit exoſos habere, filioq; Rolfeni, Daniæ regi, per nuncios inſinuat, Sueciam aduolet, omnibus theſauris vitrici locupletandus. Paruit adoleſcens vocanti matri. Ignota veſte venit in regiam, ne matri notus. Interpellat reginã, vt prandium inſtrui iubeat fameſcenti: illa ab rege poſtulandum reſpondit, ignorans cui loqueretur. Diſciſſam ex parte veſtem, reginæ manibus poſtulat reſarciri: puellare ac ancillare opus fore reſpondit, mirata quòd peregrinus adoleſcens tam familiaria à ſe regina poſceret obſequia. Tum ille, Duram, inquit, cõditionem experior, quando nec mater filio prandium, nec germana fratri commodat acum. Erat (quod in Dania oſtendimus) Rolfo monſtroſo partu editus ex patre & filia, ignorãtibus ſanguinis vinculum, dum cõſociarent torum. Intuita iuuenem mulier, filiũ agnouit, amplexaturq;. Tum in cõſpectum regis Atiſli productus, matri iubetur reginæ aſſidere ad menſam. Ibi vario ſermone peracto, venit in medium quæ Rolfoni potiſſima virtus videretur. Patientiã reſpondit cunctis præſtare. Atiſlus viciſſim rogatus quæ ſibi potiſſimùm probanda haberetur: ille liberalitatem præferebat verbo. Sciebant vniuerſi contra mores & animum fuiſſe locutum. Iudicia ab omnibus qui aſſidebant, probandarum ſententiarum depoſcuntur. Rolfo nudatum corpus magno, qui erat in medio, rogo admouit, ſolo clypeo partem, quæ magis torreretur, inumbrans. Quumq; omnium admiratione ſtaret immobilis vir inuictus à calore, aquam rogo iniecere qui aſtabant, patientiam eius maximam comprobãtes. Atiſlus quoq; rex quum liberalitatis exercendæ proba à cunctis exigeretur: ille prolatis multis regijs ornamentis ex auro fabrefactis, & inter alia aurea torque magni ponderis, donum hoc in priuignũ conferebat. Regina (vt cum filio habebat conſtitutũ) clàm egreſſa, theſauros regios exportauit, Daniam cum filio repetitura. Diſtinebat Rolfo vitricum ſermonibus multis, vt iam ſatis idoneũ regina tempus haberet ad abitum: ipſe quoq; tempore ſuo petita abeundi venia, vitrico dixit vale. Poſtquam ille abijt, fit quæſtio de regina, quæ abeunti filio minimè loqueretur: exſpatiatam ferunt qui rem ignorauere. Prima regi de theſauro incidit cogitatio. Vbi vidit rem abeſſe,

Lib. 1. c. 15.

Sueco theſauri auferuntur, & ipſe ſubſequens deluditur.

abeſſe, ſuſpicatus quod erat, naues perarmat, inſequiturq́; fugientes. Regina adnatigantem conſpiciens, ludificando auaro, theſaurorū ſpeciem in littore diſpoſuit: æs enim auro litum, iam antea in fraudem ſtruendam præparatum erat. Secutus rex, vbi theſauros abductos aſtare vidit in littore, flecti iubet nauem: & adulterinos pro veris adorans, relatos in nauim reuexit: iam voti, vt putabat, factus compos, ſequi fugientes intermiſit. Ita auarum auro, & maritum toro moribus auerſata coniunx ſpoliauit. Hunc Atiſlum ſoluere deinde tributa recuſantem, Rolfo Danię rex oppreſſit in prælio, regnumq́; ſine rege ſubeſſe Daniæ in reliquum voluit.

CAP. 20.

Suecia in prouinciā formā redigitur.

HIARTVARVS acer ingenio iuuenis, genere Suecus, tantam emeruit apud Rolfonem laudem, vt illi Sueciam præfecturæ nomine (hoc eſt ducali titulo) permitteret, conſtituens quæ ſolueret annua tributa. Et quò magis ſibi fidem faceret, ſororem illi ſuam connubio ſociauit. Stabat hoc rerum ſtatu res Suetica aliquādiu, vt tributa Daniæ penderet. Sed coniunx præfecti, Danorum regis germana, non æquo ferebat animo quòd fratri ſubiecta maneret. Quotidianis maritum perurget querimonijs, quandiu pateretur gentem tributariam, quæ nata eſſet imperio. Peruicit aſſiduis queſtibus, vt liberandæ patriæ & animum ſumeret, & vias indagaret.

Suecus pro tributo armatos ducens, Danos trucidat.

Igitur grandem armis nauem ſtipat, ſpecie quidem rerum tributi nomine ſoluendarum, (non enim in auro modò, ſed omnigenûm rerum forma pendebantur in hac gente olim tributa) impoſitaq́; iuuētute, quam armis validam & animis nouerat infractam, nauigat in Daniam. Hoſpitaliter excipitur: conuiuijs de more gentis indulgetur. Vbi iam ebrietas peruaſiſſe videbatur conuiuantes ad vnum, (omnibus iam in lætitiam reſolutis, ac ebrietate grauatis) Hiartuarus ſuis dat ſignum: venitur ad arma. Armati facilè ſuperant inermes, ſobrij madentes ebrietate. Diu tamen Danica virtus Suecis reſiſtit: ad extremum cæſus rex cum omni familia, vacuam Suecis aulam reliquit. Circumſpiciente Hiartuaro ſi quis ex regia familia ſupereſſet, magno ſe illum munere donaturum prædicabat, quòd fideles vniuerſi pro rege ſuo reſtitiſſent. Repertus vnus ex omnibus Wigo, interrogatus ſi Hiartuaro velit militare, non abnuit. Gladium illi ex more, capulum tenens, porrigit. Solebāt enim priſci milites ſacramenta pręſtare in enſibus, ijs quibus obſtringebantur. Wigo dominum ſuum Rolfonem non eo teſtatur ritu gladium præſtare ſolitum. Sed capulum, inquit, tradebat militaturo. Hiartuarus nihil moratus, enſem porrigit, obuertens illi capulum. Wigo aduerſum mucronem defixit in tradentem, manibus regis ſui parentatus. Mox circumſtantium manibus diſcerpitur, fidus nimirum miles, qui domini ſui necem proprij ſanguinis vindicauit impendio. Ita Hiartuarus quo die regnum inijt, etiam finiuit. Sueci deinde à Danis ad facti famam concurrentibus, ad vnum omnes opprimuntur.

Dania libro 1. cap. 16.

Ipſe enſe quē porrigebat, trāſfoditur.

CAP. 21.

HOTHERVS Atiſli Sueciæ regis germanus, vacuatā regni paterni ſedem magno procerum fauore occupauit, Daniæq́; regnum, quum omnia recenti tumultu ob cæſum regem implerentur, parato exercitu adnauigans, facilè ſui iuris effecit.

Dania viciſſitudine quadā Suecię ſubijcitur.

Ita variante fortuna vices, commutauerat alterna ſors regnādi: vt quomodo antea Suecia Danis ſub tributo ſeruierat, nunc viciſſim illa Daniæ imperaret. Huic regi magna de nuptijs contentio ſuberat. Gewarus erat vir primarius, Atiſli atque Hotheri (vt diximus) nutritius. Is filiam incompertæ pulchritudinis iamdudum Hothero deſtinauerat: ſed importuna Balderi reguli non ſinebat inſtantia. Sialandiam enim ille regno tenebat. Magna competitorum puellæ odia patrem non ſinebant filiam libero iudicio collocare. Balderus multis muneribus, procacibus etiam verbis puellam adoriebatur: animum tamen Hothero auertere non potuit. Tantum valuit apud illam educationis memoria, ac primùm præſtitæ fidei perſeuerantia. Vbi blandimentis nihil proficitur, ad arma peruenitur: nauali prælio decertant pro nuptiis. Ibi quanquam diuinitatis Balderus à rudibus opinione donaretur, terga tamen dedit Hothero Sueciæ regi: quo in bello Saxoniæ rex Gelderus fertur occubuiſſe. Victor ſponſam regno inuehit, iam liber à iugo Danorum, quo pridem Sueci premebantur. Nam dum hic rex coniugem armis vendicat, Hiartuarus Rolfonem (vt prædiximus) opprimit, & ipſe penitus Hothero regnandi permiſit facultatem. Nauigat inde in Daniam Hotherus, regnum illud quoque iure victoriæ

Hotherus vxorem vi & victoria nactus Danię regnū breui temporis vſura tenet.

poſſeſſurus. Nec illum ſpes deſtituit: exceptus enim à proceribus, vtroq; regno potitur. Sed quàm facilè obtinuit, tanta animorū leuitate, pòſt breui amiſit. Siquidem poſtquā ille conſtituto nouo regno in Sueciam rediјt, Balderus, quē pro maleficiorū vſu, diuinitate prçditū opinabantur, ſuperuenit, exercitu reparato, atq; in Danorū proceribus, etiā ante arma ſatis explicata, Danorū rex cōſalutatur. Tanta fuit illa ætate inter homines fidei fluxa varietas. Sueciæ rex iniuriā vlturus, ingēti claſſe armatus inuehitur: pugnā conſerunt. Ibi nauali prælio inferiores viſæ ſunt Sueonum vires: itaq; victus rex fugam inijt, diuq; pudore & verecundia vitauit cōgreſſus. Sed reſumptis inde cum animo viribus, quum exercitū reparaſſet, denuo prælium acre conſeritur. Pugna in noctem protrahitur, & tam pertinacibus vtrinq; odijs çertatū eſt, vt cedere neutri partiū videretur. Nox prælium diremit. Hotherus nihil omittendū ratus, mutato habitu hoſtium noctu caſtra ingreditur, ſpeculaturus quid ab illis conſilij caperetur. Quo tempore cum exorta luce pugna renouatur. Ibi Balderus accepto mortifero vulnere, prçlio excedere compellitur, ex quo incrudeſcente dolore, non toto ſuperuixit triduo. Hic eſt ille diuinitatis opinione tum præditus; quem tamen mortali vulnere ſpiritum cernebāt efflare. Non miramur hunc rudis ætatis errorem, quando & poſt Chriſtū natum in gente Iudæorum Agrippæ acclamatū legimus, voces illum vultumq; reddere non hominis, ſed Dei. At ille percuſſus ab angelo, En, inquit, Deus veſter emoritur. Et inter Romanos principes inuēti ſunt, qui etiam viuentes ſibi diuinos aſcibant honores, mortui verò in deorum numerum referebantur, quaſi hominum opera deificaretur homo. Hinc eſt illa vanæ iactantiæ vox improba: Alios, inquit, deos accepimus: Cæſares dedimus. Sed tum Hotherus audita Gewari ſoceri indigna nece, ad vindicādam illā accingitur. Itaq; expeditione facta in Noruagiam, pœnas ſumit de oppreſſoribus: filios eius Herlerū atq; Geritū, Noruagiæ reges facit, viribuſq; ita firmat, vt regnū diu incolume tenerent. Imminebat Hothero vltor fraternç necis Bous, qui Balderi vindex, graue bellum parat in Sueciæ regem. Iam rex ipſe certior factus oraculo, ſciebat ſe viuendi finem facere. Euocatis ergo proceribus denunciat ſibi fatū ineuitabile imminere: ſed tamen priori gloriæ nunquam defuturū, vt prçlium detrectaret. Filium illis Roricum commendat, quem etiam viuens regem præfecit Daniæ. Hac ſpe prælium iniens, fortiſſimè dimicans, exitu quem præſciebat finijt, vitam ponens in acie. Nec hoſti victoriam liquit incruentam. Dux enim hoſtium tali vulnere ſaucius erat, vt clypeis ſubiectis efferretur in caſtra, vitamq; non poſt longum exhalaret.

Cū Baldero congreſſus, quem vicerat ab eo vincitur.

Balderus Deus habitus, ex vulnere moritur.

Hotherus in prælio cadēs hoſtem breui comitem habet.

Cap. 22.

Atiſlus quā uis non hæres, Sueciæ rex præficitur.

Atislus erat vir regij ſanguinis, quem proceres Sueciæ regem creauere, pertæſi alieno ſubeſſe longius imperio. Nam Roricum filium Dania iam regem recognouit. Etſi ſperaret paterna ſucceſſione vtriuſq; regni gubernacula tenere, quòd Hotherus pater vtriq; dominatus eſſet. Sed procerum conſentiens voluntas, legitimo ſucceſſore poſthabito, regnum Atiſlo deferebat. Sciebat ille bellum ſibi ex Dania oriturum. Sed ne imparatus opprimeretur, cōparatis armis & exercitibus, quum primùm finitimis ſe prælijs acuiſſet, enauigauit in Daniam: Iutiamq; prior bello eſt aggreſſus, ea parte qua Teutoniæ proxima eſt, ad vicum Sleſwici. Occurrit illi præfectus loci non contemnenda manu: quem ducē pro noſtra ætate appellamus. Diu fortiterq; vtrinq; pugnatur: & vtrinq; multis cadentibus, contulit ſors ipſa duces fieri in prælio obuios. Incidit vtriq; calor pugnæ: & alter ad alterum, Viſne, inquit prior, vt ambo manibus noſtris, duorū exercituum laborē ſuſtollamus? Et vtroq; ſimili alacritate ad duellum inhiante cedunt acies, circus deſcribitur, deſcendūt in pugnam athletæ paribus armis. Ibi Sleſwici dux à rege Sueciæ opprimitur. Diuerſis animorum motibus exercitus diducuntur. Victores Sueci nauigationem in regnū ſuum inſtituunt. Frowinus dux Sleſwici cæſus, geminos pari virtute filios poſt ſe liquit, quibus à rege ſuo (qui tum in Danorum gente dominabatur) Wermundo, paternç ditionis adminiſtratio permiſſa eſt. Atiſlus Sueciæ rex, quòd illi vel tributa negarentur, vel pacta nō ſeruarentur, bellū renouat in Iutiam. Quod vbi Keto, Frowini filius maior, compertum habuit, regem ſuum Wermūdum per primipilariū Folconem, de aduectis hoſtibus facit certiorem. Rex tum fortè prandium agebat, & mandata exponenti centurioni præcipit vt accūberet. Ille moram

Atiſlus Iutiæ præfectū ſingulari certamine ex prouocatione conficit.

excuſans,repedādum ſibi teſtatur ad dominū. Rex ſubinde, ſi edere nolit, vel hauſtum faciat gratum itinerantibus. Aureum tum ſortè poculum, quod erat ante regem,ſtanti porrigit:ille haurit porrectum.Rex alacritate iuuenis,ſimul proceritate delectatus,poculum illi dono permittit:teſtatus, in ipſo itinere feſtinātem, non ſatis decorè manu aquam in os iacere,ſed vtendū poculo. Centurio tanto à rege munere donatus,promittit ſe tātum in acie ſanguinis hauſturum præſente rege, priuſquam terga eius quiſquam viderit. Collaudatum rex dimittit, paratq́; quàm properanter exercitum moturus in hoſtem. Interea Sueciæ rex populabundus ingreditur,Iutiam vaſtat. Superueniens agmine quadrato Daniæ rex Wermundus,hoſti obuiam pergit. Aderat regi ſuo præfectus Sleſwici Keto,paternę necis vltionem animo voluens. Graue prælium:multa vtrinque eduntur funera. Ibi ſe regi ſuo Folco centurio ſub oculos infert, operam militarem ſtrenuè nauans. At vbi cōgreſſus hoſti vulnus excepit, parumper ſecedēs,poculum cruore impleuit, ac ſe oculis regiis reddens haurit. Ecce,inquit,rex optime,adſum promiſſo meo: hæc dextera faciet vt hodie videas hoſtem fugiētem. Hortatus cæteros fertur in aduerſam aciem. Nec longè pòſt Sueciæ acies perrumpitur, multi ineunt fugam: rex ipſe ſuos ſecutus,in naues refugit. Ita Dani victores hoſtem retro egere. Laudata in primis Centurionis virtus,cuius viribus & exemplo magna victoriæ pars, omnium confeſſione,perſtitiſſe ferebatur. Frowini tamen cæde ſuperiori prælio facta, ingentis glorię recordatione,præſentem fortunam rex Sueciæ compenſabat. *Renouato prælio, filij illius Wermunde ſuperantur.*

CAP. 23. *Frowini filij paternā necē vlciſci ſtatuunt.*

AT tacitus in pectore filiorū dolor vindictā paternę necis parturiebat. Quumq́; aperto bello impares regi viderentur, priuata manu vindictam ſumere conſtituerunt. Itaq; in Sueciam tranſlati, perfugarum ſpecie ſe in aulam militandi gratia inſinuauere. Sic in militiam regis conſcripti, ab illo ſciſcitante rogantur vnde veniāt, qua gente creti. Illi ſe Sleſwici regione ortos commemorant, vera narrantes. Rex ſubſequitur,memineríntne pugnæ ſuperioris anni, quando duo congreſſi in duello,de ſanguine certauere. Meminiſſe fatentur, ducemq́; ſuum tum proſtratum ab illo qui rex gentis ferebatur. Hæc, inquit, dextera protriuit virum alioqui fortiſſimum. Subiungit rex, Filióſne ſuperſtites habet dux ille? Reliquiſſe aiunt geminos, proceritate corporum ferè pares nobis quos cernis. Eſtne illis, inquit, paternæ necis aliquis dolor? eſt frequens in ore adoleſcentum querimonia? Tum Keto, Quid prodeſt multa in ventum verba fundere, vbi nullus eſt exigendæ vltioni locus? Fecerat ſibi rex conſuetudinem exeundi vel ſine comitatu, apricandi gratia: Fratres illi obſeruato tempore, vbi ſine famulitio cernunt egredientem, velut comitaturi regem arma corripiunt, quibus etiam ipſum cernunt inſtructum. Sequuntur in auia:ac iam ſolum nacti,verbis his aggrediuntur, Nuper ſollicitè perquiſiſti de nece Frowini,iactabunduſq́; dexteram extuliſti. Ecce aſtamus in conſpectu tuo gemini fratres,eius filij quem peremiſti. Ad hoc tantum emenſi ſumus itineris, vt vindices in te paternæ necis ſimus,aut occumbamus. Vtraq; nobis ſors æqua eſt,cædere aut cadere. Interritus rex, Parcite,inquit,adoleſcentes ſanguini veſtro,parcite annis ad vitam integris. Nihil me vana verba conturbant, quædam me veſtri tangit miſeratio: vita dignos iudico,quos dolor in vindictam paternæ necis armauit. Æris non contemnendam ſummam accipite,& proprij lucrum ſanguinis, militia mea in reliquum vſuri, accepto ferte. Fruſtra, inquit Keto, iſta verba iactas: morituri venimus,aut de te pœnam ſumpturi. Quando, inquit ille,ea ſententia animo ſedet,iunctis viribus concurrite. Indecorum eſt his annis atque viribus, vtriq; viciſſim concurrere. Abſit,inquiunt, dedecus & generis & patriæ, vt vni duo concurramus. Si quid tibi virium eſt,ait Keto,exere,ſpectator frater adſiſtat: aut ſi illum mauis excipere,me pugnæ ſpondeo ſpectatorem. At rex, Prodigos ſanguinis iuuenes haud probo:vnà,ſi ſapitis,concurrite. Vana,inquit Keto,verba nectis: ad arma veniatur. Itaque congreſſi, circum deſignant. Rex diſſimulanter pugnam conſerit, vmbonem aduerberans. Keto ſummis adnixus viribus regem inuadit. At ille ictus deuitans,ludificando magis pugnam extrahit, fratrem ad arma deuocans, vt plenis vti viribus poſſit in hoſtem. Vbi verò Keto pertinacius regem vrget, increſcunt altius iræ regi: ſublataque dextera, magno impetu galeam Ketonis decuſſit, vulnuſque

cruento pariter capiti inflixit. Mouit Wigonem conſpectus germani cruor: oblitus decoris, oblitus promiſſi, in pugnam ruit violẽtus. Inuecti vnà regi fratres, virũ oppri mũt, ſpoliatumq́; capite truncum linquunt corpus. Ad proximos progreſſi ruricolas, regis caput perferũt, teſtari, Ketonem atq; Wigonem, germanos fratres, Frowini patris, ab Atiſlo rege cæſi, peregiſſe manu vltionem: roganteſq́; vt idipſum per omne regnum quantò poteſt latius diuulgetur. Stupefacti homines hærent, diu ſecum deliberantes, ſileãt teſtentúrve. Interea illi dilabuntur, ad regem ſuum regreſſi Wermundum: à quo fortis vindictæ præmia magna retulerunt, quòd gemino functi viderentur officio: priuatim quidem, quòd patrios manes vindicaſſent: publicè autem, quòd acerrimũ Danici regni hoſtem tuliſſent de medio. Illi patriam (vt prius) ditionem, Sleſwici ducatum fœliciter adminiſtraturi, in ſua diſcedunt.

Atiſlus duobus impetentibus cadit.

Cap. 24.

Per hæc ferè tempora Gothi (qui & Getæ) in Scythiæ iam regnis non noui habitatores, varia cum conterminis bella geſſere. Claruit autem Cyrus in Oriente, Perſidis & Mediæ rex: qui deuicto Balthaſare Chaldæorum rege nouiſſimo, Babylonem ſuis iunxit imperiis: veniamq́; permiſit captis à Nabuchodonoſore Iudæis in regnum patrium repedare. Hic tum peractis multis (vt ferũt) victoriis, arma vertit in Scythas. Thomiris tum illis fuit regina. Iordanes & qui illum ſequuntur, Gothos fuiſſe contendunt, ſub Tomire gentis ſuę regina, quibus bellum intulit Cyrus. Herodotus autem, & Trogi Pompeij abbreuiator Iuſtinus, ſuum ſecutus autorem, & Paulus Oroſius vna voce prædicant Scythas aut Maſſagetas extitiſſe, qui trans Araxem fluuium ad auroram habitarunt. Nam illic habitare Scythas, intra & extra Imaum montem, & præſertim Maſſagetas (quos hoc loco ſpecialiter nominat Herodotus) in regione Sacarũ manſitare, locuples nobis teſtis eſt Ptolemæus. Huc ergo Iordanes adeſto, fidem quam ſuſtines, aduerſus tantos teſtes tuearis. Si non aliud profers argumentũ, fuiſſe Gothos, quos Herodotus dixit Maſſagetas, niſi quia Gothi dicti ſunt & Getæ (quibus Maſſagetarum nomen confine videtur) oſtende quomodo trans Araxem Gothi tui habitarint. Nam omnes quos diximus ſcriptores, Cyrum teſtãtur tranſiſſe Araxem, vt perueniret ad Scythas, quos impugnaret. Operæprecium fuit, Ablabium tuum, quem ſemel tantùm te perlegiſſe in præfatione teſtaris, diligentius conſultum: ſi tamen ille diligenter tradidit. Dionem verò Græcum ad verbum oportuit ſcrutari, & non perfunctoriè opera memoritet tradidiſſe, quod tantis teſtibus potuit impugnari. Vnum profectò argumentum eſt, fuiſſe qui in Cimmeriis habitarunt, Scythas: quos Gothos fuiſſe illa tẽpeſtate compertum eſt, quos tum oppugnarit Cyrus. Nam illi recentiori memoria Aſiam premebant imperio. Ergo abolendi iugi gratia in illos conuerſum eſſe Cyrum, non excedit fidem. Nam & ſucceſſor eius per aliquot medios, Darius, in eãdem vertit exercitum gẽtem, & regno pulſus eſt: quod ſuo loco cõmemorabimus. Quòd autem Herodotus Maſſagetas nominarit, non abrogat fidem. Nam fuiſſe etiam Maſſagetas inter Sauromatas, & hodie extare, ſuprà diximus, & multorũ etiam viuentium teſtimonio comprobatur. Samagitas (vt nunc appellant) hoc eſt Maſſagetas, ſub ditione magni principis Letuaniæ, pertingẽtes ad mare Sarmaticum (quod eſt idem Germanicum) partemq́; littoris tenere, vero verius eſt. Araxis autem, quem Herodotus, Iuſtinus & Oroſius dicunt à Cyro tranſitum, difficilius repellitur teſtimonium. Hunc certè amnem Ptolemæus non cõmemorat. Poteſt huius vocabulum immutatum eſſe: vt vnus aliquis ex omnibus quos Cyrus tranſierat, hoc ea tẽpeſtate nomen tenuerit. Sunt tales in antiquitatis cõmemoratione multæ varietates, & aliquando repugnantię: in quibus legentis fides cogitur vacillare. Nam de Scythis, apud Iuſtinum ex Trogo, Vexores Ægypti rex, Scythas dicitur adoriri contendiſſe, illos fugaſſe regem in Ægyptum, & Aſiæ tum impoſuiſſe tributa, quæ per annos mille quingentos perſoluta, Ninus Aſſyriorum rex aboleuerit. Ergo hac traditione, poſterior fuit Ninus Vexore. At Vexores, ſupputatione Oroſij, annis quadringentis octoginta ante Vrbem conditam fertur regnauiſſe: Ninus verò annis mille trecentis ante conditam Romam floruit. Quomodo igitur abolere potuit imperium, cui Vexores tribuerit occaſionem? Hæc antiquitatis obſoletæ culpa eſt, quòd in multis annis multa interceſſit cõmemorandi ſcribendiq́; negligẽtia: vnde error

Getas genere Gothos eſſe, Iordanes verè ſcripſit.

Scriptores in multis ex antiquitate commemorãdis cõciliari nequeunt.

error enatus ita nectitur in nodum, vt à minoribus ſolui non poſſit. Fides ergo narrationis ſit apud autores: nos quod reperimus, proſequamur.

TRADIT Herodotus, Cyrum delectatum maſcula muliere, miſiſſe qui Thomirem, reginam gentis, coniugem ſibi poſtularet. Interpretata mulier non tam ſe coniugem peti, quàm regnum ſuæ gentis quæri ab rege, acceſſum Cyro interdicit. Cyrus, quum dolus non procederet, progreſſus vſque ad Araxem, apertè infeſto exercitu in gentem illam tendit, flumen pontibus iungit (quibus copias traiiciat) factis ex nauibus, turres ac propugnacula iungens. Ad quem hoc labore occupatum, Thomiris caduceatorem miſit, qui diceret, Rex Medorum, deſine ab iis quibus incumbis, neſcius an tibi ſint conducibilia. Omiſſo incepto apud tuos regna: & nos ſine finium, quorum ſumus, principes eſſe. Verùm tu ſi admonitionibus his vti nolis, & omnia inſtituta proſequi malis quàm ocium, ac tantopere affectas laceſſere Maſſagetas: fer quam ſuſtines ærumnam. Sed deſiſte iungere flumen: à quo nobis tridui itinere digreſſis, traiicito in noſtram regionem. Aut ſi mauis nos accipere in veſtram, tu idem facito. Hæc vbi Cyrus audiuit, accititis Perſarum primoribus, coactisq́; in medium, rem proponit, conſulens vtrùm ſibi agendum conſtituerent. Conuenere illi in eam ſententiam, vt Thomirim in ipſorum recipiat regionem. Crœſus, Lydorum quondam rex, nunc Cyri captiuus, aliud cenſet his verbis, Quandoquidem tibi rex me voluere dij tradere, meliora tibi iam domino, non vt hoſti, propono conſilia. Si tu immortalis immortali imperitas exercitui, vana ſunt noſtra conſilia, nihil tibi tuiſq́; timendum. At ſi te mortalem ſentis, tali imperitantem populo: debes rerum mortalium fortunam, incertò rotatam, aliquando tibi aduerſariam proſpicere. Quocirca ſi hoſtilem exercitum admittis in regnum, & fors te aliqua fugientem viderit, de toto regno periclitaberis: neq; enim quieſcent hoſtes victoriam proſequi. Quòd ſi illi forſan te (quod optarim) fugerint, nihil eſt quod inſequendo conſequaris: quę omnia tibi in hoſtico pugnanti deteriora prouenient. Nam cedens ipſe, ſaluum tenes regnum ad refugium: cedentes aūt ipſos inſecutus, hoſtilia cuncta dedita accipies. Videor mihi proſpicere exitum pugnæ. Nam Scythæ Perſicorum ſunt expertes bonorum: qua in re facilè capiētur. Tranſgreſſus flumen caſtra iube metari. Quum ad vnius diei metam perueneris, ea omnium rerum abundantia iube ſtipari: vina, carnes cum poculis exuberent. Inualidam illic partem huius exercitus, & cuius iacturam minimi duxeris, fac excubare. Ni me fallat opinio, aderunt Scythæ: & quos in excubiis repererint, contrucidabunt. Vino autem & epulis tuis expleti, aut ſomno deiicientur, aut pigritia ligabuntur: facileq́; à tuis ſuperuenturis opprimentur. Placuit ſententia Cyro: prioreq́; reiecta, hanc iubet rebus intendere. Itaque reginæ inſinuat, vt (iuxta placitum) triduano cedat itinere: ſe copias traiecturum. Haud ſegnius illa retrocedit. Cyrus traiecit exercitum: & vnius diei iter progreſſus, facit quod concluſit Crœſus in conſilio: rediensq́; ad Araxem, reliquit partem ſuorum ad caſtrorū excubias. Regina tertiam exercitus ſui partem, duce filio Spargapiſe, mittit ſpeculatū quid apud hoſtes ageretur, vtq́; prima belli munia adoleſcens pertentaret. Vbi venit, vidit caſtra explicata: & aggreſſus militum excubias, fortiter oppugnat, expugnatq́;: & omnibus contrucidatis caſtra ingreditur opulenta, ac ſe victor epulis vinoq́; permittit. Cyrus obſeruato tempore, omnium quæ gererentur gnarus, iam vino ſomnoq́; ſepultis ſuperuenit. Multis cæſis, pluribus verò captis (inter quos & reginę filio) exitum quem Crœſus prædixit, habebat. Thomiris, exercitus filijq́; ſorte comperta, miſit Cyro qui diceret, non illi magnopere gratulandum, quòd viros magis decepiſſet quàm viciſſet, deliciis ſuis, hoc eſt peſſimo morum veneno, non armis ſuperatos. Si illi videretur, filiū reddat, æquo munere penſitandum: de cætero ſe pugno pararet: nam ibi fortunam ſuam non quieturam. Vbi vincula laxari iuſſit iuueni captiuo, quamprimum data poteſtas manuum ſuarum, gladio ſe proprio cōfodit, non paſſus cernere vultum matris atque ſuorum poſt captiuitatem: ita puduit virum fortem, vino ſe magis quàm armis ſuperatum eſſe. Cyrus expedito exercitu mouet in reginam: illa ſimulato metu retrocedit, donec in opportuna loca ſequentem traduceret. Ibi verſis vultibus pugna inita eſt: circumuenti ab hoſtibus Perſæ conclu-

CAP. 25.

Thomiris ad Cyrum Medorum regem.

Cyrus Crœſi conſiliū ſententia reliquorum anteponit, & feliciter rē gerit.

Spargapiſes ſeipſum trucidat.

Cyrus cum ducẽtis millibus caditur.

duntur. Ducenta millia cum rege ſuo trucidantur: nec ſupererat qui tantæ rei nuncium ad ſuos perferret. Quæſitum regis cadauer vbi vidit, abduci iubet, præcidiq; caput: ac proiectum in vtrem ſanguine plenũ, hoc elogio notauit, *Inexplebilis cruore Cyre, ſanguinem, quem ſemper ſitiſti, nunc bibe.* Opimam deinde prædam auferunt. Ibi (vt ait Iordanes) primùm Gothorum gens ſerica vidit tentoria. Tanta Thomiris regina aucta victoria, tantaque locupletata præda, in partem Mœſiæ, quæ nunc à Scythia magna nomen tenet mutuatum, vt Scythia minor appelletur, tranſiens: ibi in Pontimeſiaco littore Thomin ciuitatem de ſuo condidit nomine.

CAP. 26.

Antinũ Gothorum regem Darius aggredi non auſus ſe recepit.

ANTINVS rex erat in hac gente Scytharum, quæ in Cimmeriis habitabat: quos tum fuiſſe Gothos compertum eſt. Huius filiam rex Darius quum coniugem poſtulaſſet, non impetrauit: atque ideo bellum inſectatur, magna ſcilicet neceſſitate (vt ait Oroſius) pro vnius hominis libidine ſeptingenta millia virorum periculo mortis exponi. Incredibili quippe apparatu, cum ſeptingentis armatorum millibus Scythiam Gothorum ingreſſus, non facientibus hoſtibus iuſtæ pugnæ poteſtatem, inſuper repentinis incurſibus extrema copiarum dilacerantibus: metuens, ne ſibi reditus interrupto ponte Hiſtri fluminis negaretur, amiſſis octoginta millibus bellatorum, trepidus refugit. Quamuis hunc amiſſorum numerum, inter damna non duxerit: & quem habendum vix quiſquam ambire auſus eſſet, perditum ille non ſenſit. Herodotus quum hanc expeditionem deſcriberet, manifeſtè oſtendit, ad eos Scythas qui Cimmerium Boſphorum incolunt, quos Gothos eſſe iam ſæpe oſtendimus, Darium contendiſſe. Darius, inquit, Suſis mouens, peruenit ad Boſphorum Chalcedonis, vbi pons iungebatur. Illic conſcenſa naui tranſmiſit in inſulas nomine Ciamas. Ibi ſedens in templo, ſubiiciebat oculis Pontum, rem ſpectaculo dignam. Deſcribit autem per menſuras Pontum, Boſphorum & Helleſpontum: adiiciens, Quinetiam Pontus hic paludem habet influentem in ſe, non multò ſe minorem, quæ Mæotis appellatur, & mater Ponti. Et deinde, Darius tranſmiſſo per ratem Boſphoro, faciebat per Thraciam iter. Sed priuſquam ad Hiſtrum peruenit, primos ſubegit Getas, qui immortales ſe agunt. Thraces ſe Dario dediderunt: Getæ verò per imperitiam reſiſtentes, in ſeruitutem ſunt redacti: quum ſint fortiſſimi Thraces atque iuſtiſſimi. Immortales autem ſe dicunt hoc modo, quòd ſe mori non putent: ſed eum qui defunctus eſt, meare ad Salmoxim dæmonem: quem nonnulli eorum opinantur eſſe eſſe Beleizen. Hic mihi quiſpiam occurrat, Tu, inquiens, eoſdem qui Gothi ſunt, & Getas eſſe contendis. Quomodo ergo ſuperatis in Thracia Getis, ad Gothos, iam Scythas, vis regem proficiſci? Ad quod ego, Gothos prima quidem manſione conſediſſe in Cimmeria regione, autore Iordane, Ablabio atque Dione diximus. Inde quoque denuo emigrantes, dum priſtinas in Cimmeriis ſedes repeterent, reliquiſſe in Thraciis deſides, qui Getarum nomen retinerent. Alacriores verò, tum in Cimmerias regiones latiſſimas remigrantes, ab Dario nunc inſecutos: quum prius reſides in Thraciis ſubacti, ſeruitutem Perſarum accepiſſent.

Herodoti teſtimonium, Getas Gothos eſſe.

Thracũ Getarum ſuperſtitio.

CAP. 27.

SED hoc tum bellum à Scythis geſtum referunt cedendo, & pugnæ occaſionem nullam dando. Darius admirans quòd nuſquam prodirẽt in aciem, miſſo caduceatore ad gentis regem, ſciſcitatur quid ita Scythæ hoſtes ſuos fugerent, nec pro tanto nomine priſtinæ virtutis vſquam prodirent. Si Perſarum imperium recognoſcerent, mitterent quæ par erat domino ſubiecti donaria: ſi iniquum, prodirent in aciem, libertatem ſuam defenſuri. Rex Scytharum reſpondiſſe fertur, non videri Scythis cauſam gerendi belli: neque domos, neque arces, neque vrbes ſe habere, quibus propugnandis opus videretur. Solere ſe crebrò mutare regionẽ: & id nunc magis pro ſua conſuetudine facere, quàm vllo hoſtium metu. Cedere ſe nũc aduenis, quomodo ſolerent vel aeri corrupto, vel beſtiis noxiis. Nihil tenere ſe in terris, præter maiorum ſepulchra, pro quibus in diſcrimen irent. Illa ſi Perſæ cunctari velint, viſuros ſe viros, qui ſuorum religionem tueantur. Quòd ſe Darius appellet eorum dominum, illos non agnoſcere: nam libertas dominium neſcit. Cæterùm ſi muneribus delectetur, habere ſe quæ mittant tẽpore ſuo. Hęc vbi reſponſa accepit Darius, nihilominus procedens vrgebat pręcedentes. Quum aliquãtum

Scythæ quãti Perſarũ exercitum faciãt, oſtendunt.

adunati

adunati Scythæ aciem videbantur oſtētare, Perſæ ad pugnam ſe præpararunt. Iam ſtabant ordines, quum ecce lepus inter medios decurrit. Scythæ clamore ſublato, hoſtium cœperunt eſſe immemores: omiſſaque pugnandi voluntate, quum pauci leporē ſequerentur, alij dilabuntur. Mirantibus Perſis, nec inſequi volentibus cum equitatu, ſemper Scythæ vel velocitate vel pugna præualuere. Darius ad ſuos conuerſus, Ludificamur, inquit, à viris iſtis, & (vt apparet) irridemur: quibus vnius leporis curſus auertit omnem à nobis reſpectum. Nec diu pòſt venerat à Scythis nūcius, qui dona regi ex rege perferret, auem, murē, ranam. Perſarū proceres regem, & ille proceres inſpectādo, quid ſibi ridicula dona vellēt, admirātes requirunt. Depoſcūt ex latore, quid ſibi velint hæ res à rege regi miſſæ. Ille nihil ſe horum intelligere reſpondit: nec ſe aliud mandatum à rege ſuo, quàm vt illa perferret, accepiſſe. Darius recognitionem ſeruitutis & promptæ ſubiectionis interpretatur: quòd de aere auē, de aquis ranam, de terra murem, viuentia producerent animalia: profitētes omnia ſua, quæ vel in cœlo, terra aut aquis tenerent, Perſarum regi ſeruitura. Gobryes aūt vnus ex ſeptem primoribus Perſis aliter rem interpretatur. O Perſæ, inquit, niſi aut cum auibus per aera ſubuoletis, aut cum ranis flumen tranſeatis, aut cum muribus terræ cauernas vobis aperiatis, non erit quarta de manibus hoſtium elabēdi via. Ea ſententia regem mouit, quòd cerneret, genus hoc virorum nullius rei in terra deſiderijs teneri, proinde in æquo apud eos cōſtitutum, viuere aut mori. Et iam in terra ſine frugibus, qui ſequebantur commeatus, deficere cœperunt. Quocirca repedādi conſilium regem cepit.

Scythæ quæ Dario munera miſerint.

Ænigmatica variæ interpretatio.

Cap. 28.

QVOD vbi Scythæ compererunt, curſu præuertētes viarum compēdia quæſierunt: prioreſque ad pontem Hiſtri, quē ſub cuſtodia Darius reliquit, peruenerunt. Iam pontis cuſtodes à parte Scythiæ laxarunt ſtrata nauigia ne Scythæ incurſitarēt: ad Perſarum autem reditum promptè repararunt, vt trajcerentur. Sed neque tam fortiter remearunt quàm ſunt ingreſſi: nam hoſtes inſecuti, magnam ſtragē ediderunt. Rex tamen elabitur cum maiori exercitus parte, amiſſis (vt diximus) octoginta ſuorum millibus, quos ipſe in damnis non computabat pro multitudine pugnatorum, quos ille numeroſiſſimos duxit. Sed neq; Perſes rex, Darij filius, paternas in gentem hanc iniurias atq; cōtemptum vindicaturus, meliores exitus inuenit: quippe qui ſeptingentis armatorum millibus, vt pater, & trecētis auxiliorum millibus, mille quoque roſtratis nauibus, ac tribus millibus onerariarum, aggreſſus hanc nationem, ſine honore repedauit. Nec tentare acie illorum animoſitatem præſumēs, in Græciam deflectitur: vbi infauſtiſſimè pugnans, multis ſine numero amiſſis, vix ipſe infœlici fuga elabitur. Philippus deinde Alexandri Magni pater cum ipſo filio traiecit in Scythiam, prædandi magis animo quàm gentem ſubigendi. Callidus ille dux & fallendi per ſtrategemata peritiſſimus, fortes pugnatores tum prælio vicit, abactis paruulis & imbelli turba ad viginti millia. Magna pecorum abducta copia, auri argentique repertum nihil. Deinde amicitiam cum gente fœderans, Medumpam, Gudilæ Gothorum regis filiam accepit vxorem: vt tali affinitate roboratus, Macedonum firmaret regnum.

Darij filius infeliciter aduerſus Scythas pugnat.

Philippus Gudila Gothorum regis à ſe deuictis filiam in vxorē ducit.

Cap. 29.

EA etiam tempeſtate (vt teſtis eſt Dion Græcus hiſtoricus) Philippus inopia etiam laborans, Odiſſitanam Mœſiæ ciuitatem, inſtructis copiis vaſtare deliberauit. Ea tum Gothis ſuberat. Vnde & ſacerdotes Gothorum illi qui Pij cognominabantur, patefactis portis, cum citharis & ſacris veſtibus, obuiam armatis progreſſi: patriis diis, vt ſibi propitij Macedonas abigerent, modulantes, ſuppliciter precabantur. Macedones ſiue nouitate inexpectatę rei ſtupefacti, ſiue diuorum numine territi, inermibus armati terga verterunt: acieq; ſoluta, quam inſtructam produxerant, fugam inierunt: & non ſolùm vrbe obſidione liberantes, verùm etiam quæ fortis iure belli iam tenuerant, reddentes, pacati redierunt. Manſit tamen iniuriæ memoria in cordibus diu Gothorum.

Minax exercitus religione territus profligatur.

Cap. 30.

SITALCVS Gothorum ductor egregius, per ea tempora quibus Alexander Aſiæ imminebat, collecta ſuorum validiſſima manu (centum enim & quinquaginta millia fertur produxiſſe) Græciam omnem perua ſtabat. Quum Perdiccas Macedoniam teneret, reſtitit quidem opportunis locis huc atq; illuc graſſantibus: ſed

Gothorum ex Aſia in Græciā expeditio.

iuſtam in aciem prodire tantus ductor non fidebat. Et illa ingens Macedonũ vis quæ in Aſiam omnem detonuerat, in patrio ſolo aduerſus Gothos prorſus elanguit. Ergo direptis omnibus penè locis, vaſtatiſq; agris quàm potuit latiſſimè quum nemo illi aciem pugnaturus opponeret: onuſtus præda, ſuis omnibus locupletatis, incolumem reduxit exercitum. Hæc prima in Europam, velut matrem ſuam, poſt longa ſecula Gothorum excurſio legitur: nam priora illorum fortia facta Aſiam territabant.

CAP. 31. *Lyſimachũ captum Gothi humaniter dimittunt.*

SVCCESSORIS Alexandri temporibus (nam Alexander, rex aliâs inuictiſſimus, Getas, ſeu Gothos, euitandos pronunciauit) quum Getis Dronichetes imperitauit, Lyſimachus, ex eiuſdem Alexandri commilitio, gentem infœliciter impugnauit: nam viuus in manus regis peruenit. Cui quum ſuam gentiſq; ſuæ cõmonſtraſſet inopiam, ſimiliterq; contentos re ſua homines, Ne talibus, inquit, mortalibus bellum infer, ſed eis potius amicis vtere. His dictis, donatum hoſpitaliter Lyſimachum, & amicitia ſibi deuinctum liberauit. Admirabile quidem, hoc illi genti dare naturam, quod Græci longa ſapiẽtum doctrina præceptiſq; philoſophorum, conſequi nequeunt, cultoſque mores incultæ barbarie collatione ſuperari. Tantò plus in illis proficit vitiorum ignorantia, quàm in his cognitio virtutum.

CAP. 32. *Gothorum veterum vana ſuperſtitio.*

TRANSIERVNT aliquot inde ſecula, vt nihil magnificum ab ea gente fieret: aut ſi qua præclarè geſta ſunt, incuria temporum obſoleta peruenerunt: quòd pauci & penè nulli tum ſcriptores in ea gente eſſent. Quamuis aliâs reſtentur autores, Getas multis nationibus excellentius ſapientiæ ſtuduiſſe. Immortalitatis animorum opinionem induerunt, quòd ſe mori non putant, ait Herodotus: ſed eum qui defunctus eſt, meare ad Salmoxim dæmonem, quem nonnulli eorum opinantur eundem eſſe Beleyzen. Ad hunc mittunt aſſiduè cum naui quinq; remigum nuncium quempiã, ex ſeipſis ſorte delectum, præcipiẽtes ea quibus ſemper indigent. Eumq; mittunt hoc modo: Quibuſdam eorum datur negocium vt tria iacula teneant. Alij deinde comprenſis eius qui ad Salmoxim mittitur, manibus pedibuſq;, hominem agitantes in ſublime, iactent ad iacula. Quòd ſi ſtatim cadens extinguitur, propitiũ ſibi Deum arbitrantur, quòd nuncium facilè exceperit: ſin minus, ipſum nuncium inſimulant malum illum eſſe virum. Hoc abiecto alium mittunt, dantes adhuc viuenti mandata. Iidem dum tonat, aut fulgurat, in cœlum ſagittas excutiunt, minitantes quòd nullum alium eſſe Deum præter ſuum arbitrentur. Verùm, inquit Herodotus, vt ego à Gothis accepi Helleſpontum & Pontum incolentibus, Salmoxis hic homo fuit, Samioq; ſeruiuit Pythagoræ, Mneſarchi filio. Iſthic nactus libertatẽ, quum multum pecuniæ cõparaſſet, in patriam rediit. Qui quum animaduertiſſet gentem ſuam malè & inſcitè viuere, ipſe edoctus Ionicũ viuendi genus, & mores quàm Getarum liberaliores (vt qui conuerſatus eſſet cum Græcis cumq; Pythagora, viro eius ætatis ſapientiſſimo) domicilium extruxit, in quod primos quoſq; popularium in conuiuium accipiebat: & inter conuiuandum docebat, neq; ſe, neque ſuos conuiuas, neq; illos qui illic aſſiduè gignerentur morerenturq;, interire: ſed in eum ire locũ, vbi ſuperſtites ſemper omniũ bonorum cõpotes forent. Dum aũt ea quæ cõmemorata ſunt agit, interim ſubterraneũ ædificium ſtruit. Quo prorſus abſoluto, è gentilium ſuorũ conſpectu ſe ſubducit, deſcendens ad illud ſubterraneum antrum: vbi circiter triennium degit, deſiderantibus eum ſuis, atque tanquã mortuum flentibus. Quarto anno reddit ſe ſuorum conſpectui: atq; ita credibilia eſſecta ſunt, quæ illis expoſuerat de immortalitate. Strabo verò geographus, non multùm ab hac ſentẽtia diſcrepans, hoc adiicit, quòd tanta cœpit eſſe & increſcere hominis admiratio, vt regi par haberetur, illumq; rex in cõſortium adminiſtrandi regni deſumeret. Adiuuiſſe ergo regem ferũt, quũ homines, longè magis quàm prioribus annis, cerneret animos illi attentius adhibentes, tanquam è diuorum conſilio edicta efferenti. Quod & Numa Pompilius fertur de Egeria nympha populo perſuaſiſſe. Et hic mos ad noſtram vſq; ætatem (ait Strabo) perdurat, vt ſemper aliquis eiuſmodi præditus inſtitutis inueniatur, qui regi conſiliarius adſit, & ipſos inter Getas dei nomen aſſequatur. Sacerq; relictus eſt mons, quem ſic nominant Cogeonum: quo etiam vocabulo præterlabentem amnem appellauere.

Salmoxis quis, & qua homines ſuperſtitione imbuerit.

BERO-

CAP. 33.

BEROBISTA deinde regnante in Gothis, Dicineus venit in prouinciam, eo tempore quo Sylla rerum Romanarum potitus eſt. Quem ſuſcipiens Gothorum rex, permiſit illi parem ſibi poteſtatem. Eius conſilio Gothi auſi ſunt Romanorum terras populationibus infeſtare. Tantam is ſibi in populo comparauit autoritatem, vt quicquid ille vel ſuaderet vel iuberet, quaſi de cœlo ſonuiſſet, alacres impleuere. Inſtruxit gentem plurima ſapientia, ſelegit ſacerdotes, religionem adhibuit, & in omne quod inſtituit votum, perduxit gentem: ita ſibi omnium animos conciliauerat. Ethicam quoque perdocens, barbaricos gentis ſuæ mores compoſuit. Phyſicam item tradidit, vt noſſent ſecreta naturæ. Cuius doctrinas diligenter habuere conſcriptas, Belaginesq; appellauere. Neque Logicen præteriit, diſceptatricem pugnatricemq; artem. Poſtremò nihil omiſit, quod ad vniuerſitatem rerum agnoſcendam pertinere videbatur. Signa monſtrauit in cœlis, eclipſium & cæterorum mirabilium cauſas edocuit, tempora ſignauit,

Dicineus Gothos in omni diſciplinarũ genere inſtituit. Belagines.

Vnde tremor terris, qua vi maria alta tumeſcant,
Obicibus ruptis, rurſusq; in ſe ipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ longis mora noctibus obſtet.

Cerneres Martiales viros poſitis armis indulgere literis, alium in puluere rerum menſuras deſcribere, alium cœli ſigna ſubnotare, venturamq; tempeſtatem præſagire. Hæc & alia Dicineus diſſeminans, mirabilis in gente ſua enituit. Quo decedente, pari veneratione habuere Commoſacum: quia nec imparis erat ſolertiæ. Hic enim & rex erat & pontifex, & in ſumma præfuit genti iuſtitia. Et illo quoque rebus excedente humanis, Corillus ad regnum Gothorum peruenit: & per annos quadraginta in Dacia gentibus ſuis imperauit. Daciam hic (inquit Iordanes) accipe, quam poſtea Gepidarum populi poſſederunt, quam in conſpectu Mœſię, trans Danubium corona montium cingit, duos tantùm habens acceſſus. Hæc Dacia (quam Gothiam ſuis temporibus dixere maiores) poſtea etiam Gepidia dicta, habet ab oriente Orozolam, occaſu Iazyges, à ſeptentrione Sarmatas atque Baſternas, à meridie amne Danubio terminatur.

Cõmoſacus Gothorum rex & pontifex.

CAP. 34.

BLONDVS in hiſtoria declinantis imperij, quam ætate noſtra edidit, vbi Initium inclinationis à Gothis perueniſſe teſtatur, & quędam de huius gentis antiquitate commemorat: inter alia tradit, Lucullũ Gothos Mœſia expuliſſe, illo tempore quo aduerſus Mithridatem, Ponti potentiſſimum regem, bellum adminiſtraret. Incertum quo id autore dicat. Nam Plutarchus, qui Luculli res geſtas in vita eius omnes cõplectitur, nihil horum attigit. Niſi fortè Ablabium iſte viderit: quem Iordanes noſter ſemel legiſſe contentus fuit, omnia quæ memoriæ hærerent referens in hiſtoriam. Hinc illa turpis hiſtorici, gentis antiquitatem pollicenti, aliquot ſeculorum tranſilitio, perturbata rerũ expoſitio, & peregrinorum mõtium & fontium deſcriptio: quam nemo ex te Iordanes hoc loco quæſiuit. Elegantius iſta apud Ptolemæum Strabonemq; leguntur. Gentis tuæ cõtinuatam per ſecula hiſtoriam à te expectamus: quam non habens, ad impertinentia tradenda vires contuliſti. Teſtatur Strabo, quòd eo tempore quo Berobiſtas (de quo ſuprà) Getarũ tenebat imperium, diuus Cæſ. aduerſus hanc gentem inſtruxit exercitum. Et, vt paulò pòſt idem ait, Noſtris annis (hoc eſt ſub Aug. Cæſ.) Ælius Cato ex transhiſtrana regione quinquaginta millia Getarum in Thraciam habitatura traduxit. Quæ gens eadem qua Thraces vtitur lingua: qui hac etiã ætate ibidem habitant, Myſiq; vocantur. Berobiſtas igitur, vir natione Geta, quum gẽtis eius præfecturæ inſiſteret, homines frequentia bellorum & cladibus afflictos, reficiendos eſſe curauit: eosq; eò magnitudinis extulit, nunc exercitatione corporũ, nunc victus ſobrietate, nunc edictorum obedientia, vt intra paucos annos latum adeptus ſit imperiũ, plurimosq; finitimorum Getarum ditioni ſubdiderit. Traiectoq; audacter Hiſtro Thraciam diripiens, vſq; in Macedoniam & Illyricum, magnũ Romanis terrorem incuſſerat: deq; Gallis finitimis, Thracibus & Illyriis prædas ingentes reportauit. Boios aũt, & ſubditos Critoſyro populos funditus deleuit, ſimul & Tauriſcos. Ad nationis verò ipſius cõmoditatem adiutorẽ habuit Ceneũ virum magicis artib. deditum, diu Ægypti oras

In Iordanis hiſtoriographi negligentiam.

Strabonis verba.

Berobiſtæ victoria & mors.

peruagatum, auguriorũ peritum: per quæ deorũ reſponſa renunciabat, & paruo in tẽpore in deorũ numero cõſtituebatur: quemadmodũ de Salmoxi ſuprà nunciauimus. Ingentis obedientiæ argumentũ eſt, quòd eius ſuaſione inducti, vites excidere, & ſine vino vitã agere cõſenſerunt. Ipſe aũt Berobiſtas, inſurgentibus nonnullis prius periit, quàm Romanus populus aduerſus eum miſit exercitũ: regniq; ſucceſſores plures in partes diuiſi ſunt. Nam quum Cæſar Auguſtus contra eos quinquaginta millia miſit exercitũ, tunc quatuor in partes diſtincti erant. Huius aũt gentis partitiones ad tempus fiunt, & aliæ alio tẽpore: nam fuit & alia regionis diuiſio, ex antiquis permanens tẽporibus. Alios enim Dacos, alios Getas appellãt. Getas quidem, qui ad Pontũ in Orientem vergũt: Dacos aũt, qui in oppoſitum, verſus Germaniã & ad Hiſtri fontes, quos olim Danos vocatos eſſe reor. Ex quo apud Athenienſes, Danorum & Getarum nomina ſeruilia plurimùm abundabant. Hoc ſanè credibilius eſt quàm à Scythis, quos Daas dicũt. Longè enim illi prope Hyrcaniam poſiti ſunt: nec ex eo loco Athenas mancipia deportari putandum eſt. Gens deinde, quæ Berobiſtę ductu in tantam conſcenderat amplitudinem, demum ob domeſticas ſeditiones, & ex Romanorum bellis depreſſa eſt. Tamen adhuc ad millia hominum XL. emittere aptè valent. Quum verò plurimùm auctum haberetur illorum imperium, ad ducenta millia armabant: nunc ad eam quam diximus tenuitatem, gens redacta eſt: eoq; propè peruentum eſt, vt Romano ſubdantur imperio. Necdum aũt omnino ſubiecti ſunt Romanis, propter quandam in Germanis poſitam fiduciam, qui in eos gerũt ſpiritum hoſtilem. Hęc ſunt Strabonis de Getis atque Dacis teſtimonia, quæ gentes vnam recognoſcũt patriam, regionem Baltiam, peninſulam grandem: quæ Gothos cum Danis (ex quibus Getæ & Daci nominati ſunt) longiſſima antè ætate, vt diximus, emiſit: nunc aũt extincto apud Danubium Dacorum nomine, reuerſum eſt nomen in primã regionem: vt ex Danubij quondam accolis Daci nunc vocentur, qui ab antiquiſſima memoria à Dan primo rege ſunt vocitati Dani. Cuius alternationis varietas legentes ſolet in errorem ducere.

Getæ et Daci Dani ſunt.

Dania lib. 1. cap. 2.

CAP. 35.

DEINDE tertiam Gothos ſedẽ habuiſſe memorat Iordanes, poſt Cimmeriam terram, quam primam habitabãt (deinde poſt Thraciã Myſiamq;, in quam ſecundò migrabãt) in Ponto ad mare: nec quo tẽpore quòve duce illo peruenerint narrat, magna ſcribẽtis incurioſitate: ſi modò annales ante ſe habuit, quos ſequeretur. Iam, inquit, humaniores facti manſuetioreſq;, Pontum habitabant. Id ſub Mithridatis regno, antè vel pòſt fuerit, mirum inde ſilentium: tantùm hoc commemorat, ortam ibi fuiſſe gentis quandam diſtinctionẽ, vt Oſtrogothi, qui ad oriẽtales, Wiſigothi, qui ad occiduas eius regionis oras habitauerant, dicerentur. Interuenit tamen, vt Oſtrogotha nomen vni eſſet ex regibus, qui orientalibus imperitabat. Inde alij nacti occaſionem, Wiſigothos ſeſe dixere. Quanquam & illud verum ſit, in primordiali Gothorum ſede illam valere diſtinctionem, vt orientales & occidẽtales Gothi etiam ibi nominentur. Vna certè cauſa maximè: vt certæ quædam, vel omnes, ad eam quæ pòſt magis inualuit in hac gente diſtinctionem, poterãt ſubeſſe. Cõmemorat deinde in ea gente barbara heroum nomina, quæ illi carminibus ſuis concelebrant: & deſcendit vſq; ad Theodoricum, qui dominatus eſt in Italia, & ad prolem eius, vſq; ad nouiſſimum Witigem: quem magno bello victum & captum Belliſarius Iuſtiniano perduxit in Cõſtantinopolim. Nobis nihil in nominibus eorum qui ad hiſtoriam non pertinent, cõmemorandis, operæ ponendum eſt: dum modò eos qui res præclaras geſſere, ſuis in locis in cõmemorationem reuocemus. Hoc tantùm inſinuato, quòd Gothi in creandis regibus, non facilè diſceſſerũt à regia Amalorum in Oſtrogothis, & Baltorum in Wiſigothis familia: quò minus ex illis reges ſibi per tempora crearent. Quod vbi opus erit, cõmemorabitur. Solenne fuit in his familiis, atq; adeò in omni gente, præclara regũ facta carminibus patriis celebrare: quod vnum in omni gente Germanorum fuiſſe perennandæ memoriæ genus, Cornelius Tacitus diligẽs Germanicæ antiquitatis ſcrutator, tradidit in ſua Germania. Paulus Oroſius dum ſuo more calamitates ſeculorum conquirit, curſim multa peruolitat, attingens potius quàm explicans: commemorat hanc quoq; gentem, inter alias multas, Auguſto Cæſari iam in Hiſpaniis detonanti bello, ad vrbem

bem Terraconem legationibus occurriſſe, pacem petentes, eamq; ſibi promptius pollicentes, quòd in longinqua regione poſtularent: magno honore repetẽtes memoriam, & innouantes Auguſto gloriam in occidua regione, quam olim Alexander promeruit à multis mũdi nationibus in Oriente. Nam quo modo Hiſpani adierunt in Babylone Alexandrum, ita Parthi cum Medis, Gothi cum Põticis, Auguſtum mundi dominum conſalutauere in Terracone, hoc eſt in occidua Hiſpania.

Gothi ab Auguſto pacem petunt.

Cap. 36.

AD Sueciam reuertamur: in qua iamdudũ nihil magnũ aut præclarum recolitur, quòd vel Danorũ imperio per ea tẽpora paruerint, contenti ſubeſſe: vel (quod potius crediderim) quòd præclara illorum tẽporum facinora, in ea gente per incuriam ſcribentiũ ſint ſepulta. Nam Daniæ quoq; geſta ſcriptor ille memorabilis per aliquot ſecula tranſiliit, quòd nulla ante ſe habuerit priſcorũ adiumenta, nullos annales repererit, nulla etiam, quæ ſolet in teſtimonium vocare, carmina: quãquam illa perbreuia ſint magnarũ rerum teſtimonia. Vix paucorum regũ nomina recenſet, multorũ in medio pertranſit. Nam per annos penè quingentos, quis credat ſolos quatuor aut quinq; reges in gente ea regnaſſe: præſertim quum propter incertũ mortalis vitę, & propter multa regnantiũ pericula (quòd multorũ vel inſidiis vel molitionibus apertis pateant) breue ſit multorũ regnum? Nam quod Satyricus ait,

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

ſicubi conſpectum eſt aliàs, in hac gente cõſpectiſſimum eſt. Et quidem Danici regni eclipſata narratio, damnum quoq; Sueticis rebus commemorandis irrogauit. Nihil enim in tanto temporis tractu de Suecia attactum eſt: niſi quòd dicitur Huletus, vnus ex Daniæ regibus, qui hoc interuallo regnabat, Homethum & Hogtinum, Sueciæ principes, maritimo bello ſuperaſſe. Vnde coniicio, per eam tempeſtatem hoc Sueciæ regnum, ducibus magis quàm regi ſuo paruiſſe, & fortaſſe tum etiam Daniæ pepẽdiſſe tributa. Nam poſt Atiſlum, quem duos Sleſwici præſides, paterni ſanguinis vindices, oppreſſiſſe commemorauimus, neminem regio ibi nomine præditum ad hæc vſque tempora Auguſti Cæſaris inuenimus.

Dania lib. 2. cap. 24.

Sup. cap. 23.

Cap. 37.

ALRICVS circa tempora Auguſti Cæſaris Suecorum regno præſedit: cui cum Geſtiblindo Gothorum rege, in eodem ſuo Sueciæ regno bellũ exoritur. Nam diſceſſione facta, iam Gothi ſuo regi, quem proprium ſtatuerunt, parebãt. Tum verò Geſtiblindus, quum ſuis diffideret viribus, in Frotonem III. potẽtiſſimum Daniæ regem reſpexit, iam inſigni victoria celebrem, quòd Hunnorum regem in Oriẽtis partibus cum multis centenis millibus fudiſſet. Illi ergo ſe perminẽs Gothorũ rex, auxilium rogat in Alricum regem Sueonũ: nec difficile fuit impetrare. Nam Scalcum Scaniæ præfectum, Ericumq; virum Noruagia natũ, multis apud regem clariſſimè geſtis florentem (& cui omne cõſilium regium, pro ſingulari prudentia, penè ſoli imminebat) auxilio Gothis in Suediam mittit. Quibus armis adauctus rex Gothiæ, magno animo ingẽtiq; fiducia duxit in regem Sueonum. Ericus verò magni agminis ductor, primò mouit in Gunthionum Alrici filium, qui Wermis præerat Solongiiſq;: quem prælio aggreſſum ſuperatumq; Ericus oppreſſit. Pater occiſi filij nunciũ accipiens, mœrore inſigni afficitur, ſublato cui bellum gerebatur, & cui amplũ pararetur imperium. Attamen mœroris victor exercitũ perarmat, ducitq; in hoſtẽ. Pugnatur aliquãdiu æquis viribus variante fortuna. Vbi veró æqua manu digreſſum eſt, iam vitæ faſtidiũ ſubit Alricum Sueonum regem, quòd chariſſimo affectu ſpoliatus eſſet. Igitur Geſtiblindum Gothorum regem vocat in duellum: in æquo cõſtituens, victor an victus eſſet, quem iam vitę ſuæ pertæderet. Ericus intercepit euocationem, iniquum ratus, vt vir pro ætate viribus defectus, integro opponeretur. Se illi vicarium opponit, Alrico, ſi illi videbitur, occurſurus: nõ indignum iudicans, ſi pro illo cui militaret, vitæ ſubeat periculum. Accepit cõditionem Alricus, & in pugnam perarmatur. Vbi ventũ eſt in circum, magnis vtrinq; viribus cõcurritur. Sed tum Alricus ceſſit ceciditq;, ac regnum Suecię ſine rege permanſit.

Gothorum rex cũ Sueco bellũ habet.

Dania lib. 2. cap. 3.

Alricus filij morte mæſtus duello cadit.

Cap. 38.

ERICVS ortus Noruagia, vir ingenio, lingua manuq; æquè promptus, victor Alrici, permittente & aſtipulante Gothorum rege iam annis defecto, adiuuante etiam Frotone potentiſſimo Danorum rege (cuius potentia terrori, nomen verò

Ericus ſumma vir ſapiẽtia Suecorũ rex.

celebre fuit in omni circùm regione) Sueciæ gubernacula ſubit. Hic eſt ille Ericus, cuius in verbis prudentiam, ingenij dexteritatem, nemo potuit illa ætate non dico ſuperare, ſed ne æquare quidem. Quo apud Sueciam imperante, Arngrinus quidã ex nobilitate Suetica vir primarius, & bellator egregius, Scalcũ Scaniæ præfectum (quem nunc ducem vocamus) quòd olim ab illo ſpoliatus nauigio diceretur, prouocatũ, duello oppreſſit. Cuius facti celebritate fretus, regis Frotonis vnicã filiam audebat cõiugem poſtulare: atq; Ericum Sueciæ regem ſibi ad eam rem peragendam accedere precabatur. Sciebat enim Frotonem totum ex illius pendere conſilio. Ille verò, quòd rem magnam poſcere videretur, quodq; Frotonis Danici regis nomen tum omnibus in circuitu regibus incõparabile videretur, ſuadebat viro, ni fortibus factis egregiiſq; militiæ muneribus, ſe faceret regi Frotoni cõmendatiſſimum: fore regem clariſſimum ea ſentẽtia, vt filiam non niſi fortiſſimo duci ad nuptias collocaret. Prouinciam noſſet Phinnorũ ſolam regi eſſe contumacem: eam ſi parere regi cõpelleret, magnam apud regem gratiam initurum: facileq; ad optatas nuptias peruenturum. Paruit conſilio Arngrinus: & electa militum forti manu, in Phinniam conceſſit. Eſt aũt ea gens omnium Borealium extima, niuibus inuolitãs quàm citatiſſimè, & quæ plurimum ſagittandi arte valeat. Cõgreditur genti Arngrinus armis collatis. Ea artibus ſuis vſa, ſagittis in hoſtem miſſis retro tulit greſſum, celerrimè auolans. Secutus aũt Arngrinus, vir impiger ad arma, eò cõpulit gẽtem, vt omiſſis armis ad maleficia confugerent: quibus plurimum inſiſtunt populi Boreales. Itaq; emiſſo ab illis poſt tergum lapide, grandis & inſuperabilis mons Suecis præſtigiaris videbatur: ſi modicum aquæ diffunderent, amnis & lacus dirimere videbatur inſequentes à præcurrẽtibus. Hæc tamdiu ab illis facta ſunt, donec fucum deprehendens Arngrinus, nihil horum formidaret, quò minus progreſſus victoriam perageret. Domitis deinde gentibus id tributi impoſitum eſt, vt per decades quotannis, rhedam pellibus onuſtam regi Danorum perſoluerent: illæ enim ſolæ ſunt opes gentis Biarmorum. Deinde ducem ſubigens, ſimili tributo onerauit, vt per ſingula capita pellem vnam tributi nomine regi penſitaret. Hac victoria cumulatus ad Ericum regreditur, illoq; comitatus nauigat in Daniam. Ericus apud Frotonem teſtis Arngrino recenus ac magnæ victoriæ fuit, quòd gentem hactenus intactam, tributis ille adegiſſet. Rex collaudato victore, dignum indicabat quem generum haberet. Itaq; data illi in matrimoniũ filia, fœlices nuptias conciliauit. Nam numeroſa inde proles proueniens, Daniam Sueciamq; regio ſanguine impleuit.

Arngrinus Dani filiã ambiẽs, bello Phinnos ſubigit.

Boreales præſtigijs dediti.

Cap. 39.

Lib. 1. c. 31.

Chriſto naſcente vbiq; pax.

Dania lib. 1. cap. 32.

Tempus hoc erat quo veritas de terra orta eſt, & æterna iuſtitia de cœlo proſpexit: tum publica per terrarũ orbem pax, quæ autorem pacis excepit, ad Daniam vſq; peruenit ac Sueciam. Nam Froto (quod in Dania diximus) tanta vndique pace regnum compoſuit, vt ſublaus vndique furibus, publicis in viis aurum anno toto maneret intactum. Secutus illum Ericus Sueciæ rex, ſimili eſt vſus temporũ tranquillitate. Tunc etiam in ipſa omnium vrbium regina Roma, *Ferrea belligeri ſunt condita limina Iani.* Ita totius orbis conſenſu nuſquam bella tonabant. Quippe cœli Dominus iamiam terris imminens, præſentiam ſuæ maieſtatis vel ſic innoteſcere mundo voluit. Froto ad extremum, maleficiorum vſu, rex omnibus regionibus conterminis formidabilis, à malefica fœmina in bouem verſa, periit. Ericus autem Sueciæ rex, longa feſſus ætate, quum multum vbique ſanguinis profudiſſet, multum per omnem ætatem laboris exantlaſſet: extremum ſpiritum in tempora pacis profudit inſolita illis morte qui ferrum diu tractauere.

Cap. 40.

Haldanus cum Noruagis bellum gerit.

Dania lib. 1. cap. 34.

Haldanus illi filius in ſceptra Sueciæ ſucceſſit. Mox autem vbi regnum iniit, cum Noruagiis proceribus bellum illi enaſcitur. Duodecim erant germani fratres, qui ſanguinis & opum fiducia, crebris excurſionibus Haldanum vexauere: nec ſegnius ille hoſtibus occurrit. Sępe manum conſerit, multum vtrobiq; ſanguinis profunditur: crebra prælia abſumpſere militantes. Vires paulatim attenuatæ, primùm Sueciæ regem ad extrema auxilia aſpicere coegerunt. Fridleuus erat Frotonis filius, in Ruſſiæ Orientalibus regnis imperans: quem Dani non ſupereſſe putantes, alium ſibi regem cõſtituerunt. Sed Haldanus Sueciæ rex, Orienti propior, ignorare non potuit, penes quem Ruſſorũ regnum cõſiſteret. Igitur auxiliaria rogaturus arma eò

ma eò contendit Haldanus, patrum vtriuſque merita & intimam inuicem familiaritatem commemorans, quis fuerit Erico pater eius Froto, qualémve ſe geſſerit in obſequiis Frotonis Ericus: par fore, vt renaſcatur in filiis, quæ cum patribus intercidit ſanctiſſima fides & conſertiſſima amicitia. Fridleuus ignarus paterni lethi, quid apud parentem agatur, ſi vita functus, quis regni ſtatus ſit rogat. Vbi audit parẽtem rebus humanis exceſſiſſe, aliumq́; externum regio ſanguini ſceptra occupaſſe, ſtatim armis & exercitibus cõparatis, & amicum regno reddere, & ſui iuris coronam repoſcere contendit. Haldanum quidem in regnum reponit: hoſtes eius inſecutus fortiter oppugnat, & opprimit. Fidem excedunt mõſtra quæ ibi, velut fabulis contexta, narrantur, quum ſe rex ſolus periculo obiiceret opprimendorum latronum, qui in inſula quam rapidiſſimus amnis ambibat, cuniculis & effoſſionibus latitabant. Rerum ſumma eſt, expedita ſuorum manu Fridleuum oppreſſiſſe latrones, Haldanumq́; ſecurum deinde ab illis præſtitiſſe.

Danus regem Sueciæ reſtituit.

Cap. 41. *Dania lib. 2. cap. 35.*

MEMORATVR hoc loco Starcuteri, fortis & inuicti pugilis, monſtroſa quædam & incredibilis virtus: quòd ſupra hominũ ſtaturam longè euectus, giganteam quandam præ ſe molem tulerit. Reſpondit corporis magnitudini virium (vt ferũt) robur. Nam ætatem trium hominum fertur egiſſe: itaq; ita re ipſa cõpertum ferunt. Cæterùm ea quæ adhibent narrationi, fabuloſa ſunt, Thor atq; Othinum deos immortales (perinde ac Iouem & Mercuriũ) huic tantum præſtitiſſe robur, vt illo vindice vterentur in omnes ſui cõtemptores. Re autem vera compertum eſt illos fuiſſe maleficos, qui dæmonicis figmẽtis & arte magica, præſtigioſiſq; adumbrationibus omnem eam gentem in ſe conuertiſſent: vt opinione de immortalitate eorum habita, illos templis honorarent, & ſimulacris dedicarent, dieſq́; ſolennes eorum venerationi conſecrarent: & quemadmodum nos ſeptem planetarum nominibus dies diſcernimus, ita horum vocabulis ipſi inter ſe ſuos dies deſignarẽt. Et quis miratur tantum valuiſſe in hac gente talium deorum opinionem, quãdo apud Ægyptios, Græcos & Romanos, omnium mortaliũ prudentiſſimos, indignæ fabulę colerẽtur, templiſq́; honorarentur Iuppiter, Saturnus, Mars, Mercurius, quos tamen fuiſſe mortales homines, & quorum ſepulchra ſciebant? Sed ex digreſſione reuertamur ad inſtitutum. Hic Starcuterus admiratione dignus homo, hac vixit ætate, illa tam monſtroſa corporis proceritate, & virium immanitate, quòd nihil illi inuictum haberetur. Peruenitq́; in longæuam ætatem: vt ſuis locis attingemus. Eius tamen hoc loco cõmemorationem inſerimus, quòd ex Sueciæ regione in Daniam peruenerit: abſumptiſq́; naufragio ſociis, ſolus ſuperſtes ſe regis Danorũ famulitio inſeruerit, præclara vbiq; edens facinora. Paria tamen illi fuiſſe creditur Eſtonia, in Liuoniæ partibus, regio etiam nunc cognita: à qua breuis tractus eſt in Sueoniam. Idem quum iam multo tempore apud Daniæ regem Frotonem multa vndiq; trophęa comparaſſet, & cerneret filium eius Ingellum ſocordem, ventri & deliciis deditum, à bellicis rebus ac laboribus abhorrere: commilitium eius deſerens, in Sueciam ad Haldanum regem, Erici filiũ, ſe retulit. Vnde tamen Helgonis Norici precibus euocatus, illi aderat, in Dania duellum pro illo excipiens, quo Helgam (Frotonis regis quondam ſui amantiſſimam filiam) illi coniugio ſociaret. Quo in loco nouem ſe tyronibus vno conflictu opponens, omnes trucidauit, multis tamen inuicem exceptis vulneribus. Idem plagis nondum medicamine procuratis, nec adhuc cicatrice obductis, occiſo ab æmulis Haldano, Sueciam repetens, filium eius Siwardum, repreſſa rebellium inſtantia, paternæ ditionis ſeruauit hæredem.

Superſtitiones veterũ.

Starcuteri plus quàm humanum robur.

Dania lib. 2. cap. 37.

Cap. 42. *Siwardus Danis ſocer.*

SIWARDVS Haldani filius, præſidio Starcuteri, patriis regnis hæres ſucceſſit: tantum valuit fortiſſimi viri conatus. Huius præclara nulla memorantur, niſi quòd Vluiſdam filiam Frotoni Daniæ regi coniugio ſociarit: quę res illi periculum vitæ, & poſtremò interitum adduxit. Nam quum Froto ille germanum ſuum natu minorem ſuſtuliſſet, quòd ingenti virtute & rerum geſtarum gloria tenebras fratri iniiceret: filij eiuſdẽ occiſi Haraldi, quum per multos caſus & pericula plurima emerſiſſent, & ad viriles perueniſſent annos, paterni ſanguinis vindices, pœnas à Frotone ſumpſerunt. Nec contentus Haldanus nece patrui, in Siwardum quoque Sueciæ regem arma vertit. Cuius quum filiam Froto cõiugem tenuiſſet, arbitratus

& vxoris conſilio paternam necem patrarat: itaque prælio commiſſo, Siwardum Sueciæ regem oppreſſit.

CAP. 43.

ERICVS Siwardi ex filia nepos, Frotonis Daniæ regis filius, materno auo ſucceſſit in ſceptra Sueciæ. Huic ex qualibet cauſa infeſtus fuiſſe perhibetur Haldanus patruelis eius, vel quòd adoleſcens auitæ necis vltionẽ præ ſe ferebat, vel quòd ſucceſſioni Suetici ſceptri ſe quàm Ericũ propiorem exiſtimaret. Qualicunq; ergo interueniẽte cauſa, res in bellũ proceſſit. Ibi Ericus ductorẽ exercitus habebat Aquinum, qui ferro inuiolabilis putaretur.

Daniæ lib. 2. cap. 2.

Haldanus aũt huic rei cõparans antidotum, ingẽtem clauam (Herculeũ genus) ferri nodis innexuit: qua progreſſus in pugnam, fidebat etiã ſine vulnere ducem proſternere. Veniunt ad præliũ: magnis vtrinq; viribus certatur, cadũt vtrinq; plurimi. Haldanus in acie ducem aduerſum, per denſa repertũ agmina, aggreditur. Reiecto clypeo, vtraq; manu ſublatũ clauæ pondus librabat in hoſtem.

Aquinus ferro inuulnerabilis, claua perimitur.

Tum vis hebetãdi ferri profuit nihil: quippe cadens Aquinus expirauit. Attamen oppreſſo duce perſtitit virtus militum, & ſine ductore victoriam aſſequitur. Igitur Haldanus ducis quidem victor, ſed acie victus, fuga ſibi conſulere cõpellitur: nam multis affectus vulneribus, ægre profugit in Helſingiam. Ibiq; vix bene conſertis vulneribus, ſuperuenere milites Erici Suecorum regis, vt detectum ibidem Haldanum aut caperent, aut opprimerẽt. Sed erat maleficiorum tum magnus vſus in ea prouincia. Nam obcæcati milites, quem quærebant, etiam in conſpectu ſtantem videre non poterant. Renouato per interuallum bello, Haldanus petit Ericum: in quo quum ſe numero militũ longè cerneret ſuperari, inſidias molitur, obſidens montiũ fauces, quibus erat Ericus erupturus. Non defuere artes caluendi fraudes Erico: igitur circumducens agmen, patenti via hoſtibus occurrit.

Haldanus ſaxa e mõte in hoſtes deturbat.

Ibi conſerta pugna quum Haldanus vinceretur, parte copiarum ſeducta idem Haldanus montem conſcendit, quem his rebus antè præparauit. Inde deuoluta grandia ſaxa agmini gradiẽtium hoſtium ſuperiniecit, oppreſſitq; magnam aduerſantium multitudinem. Suecia enim, rupibus, & perinde faucibus & anguſtiis viarũ plena, facilè patet trãſeuntium inſidiis. Effecitq; his rebus, vt Ericus, cuius iam magna exercitus pars erat oppreſſa, fugam intentaret, Haldanoq; Sueciæ regnũ vacuaret. Ingreſſus Sueciã Haldanus omnia pro rege adminiſtrabat. At non quieuit Ericus, renouatis viribus, ad pugnã excire hoſtem: feliciuſq; arbitratus in alieno quàm in ſuo graſſari, Daniam prælio pertentauit, Haraldumq; regem, Haldani fratrem, tribus præliis ſuperanim, coëgit in auxilium deuocare germanum.

Dania infeſtatur.

Igitur Haldanus Daniam, à fratre inuocatus, ab hoſte liberaturus, exercitum deportat è Suecia: fecitq; Erico perinde regnum ſuum peruium. Sed non reliquit diuturnum.

Daniæ lib. 2. cap. 3.

Nam reparato rurſus bello claſſem inſtruit, eamq; locat in inſidiis occulto maris ſinu. Duobus ſolis nauigiis quaſi ſpeculaturus egreditur, Ericoq; ſe ingerit ſub aſpectum. Ille vbi hoſtem agnoſcit tam paruis copiis egreſſum, illico adnauigat plenis velis, illũ quaſi intercepturus. Ille verò flexa nauigatione, longius à ſuis protrahit prætoriam Erici nauem, paucis æquato velo ſubſecutis. Inde vbi ad locum inſidiarum protraxit hoſtem, ſtatim tecta claſſis egreditur: Ericumq; cum paucis facilè multi intercipiunt. Oblatam ab hoſte vitam magno ſpiritu contempſit, præeligens in libertate mori, quàm in ſubiectione viuere: quæ vna omnium fortium ſemper ſententia fuit.

Ericus vita ab hoſte donari non vult.

CAP. 44.

HALDANVS iam Sueciæ regno potitus, mare piratis pùrgare inſtituit, vir ſolis armis innutritus, & qui coniugio aut liberis non ſtuderet, neque voluptati vlla ex parte indulgeret. Et dum bellis totus incumberet, inuentus eſt in regno vir primarius nomine Siwaldus, inter alia militaris operæ præclara facinora, ſeptem filiis pugilibus ſeptus. Hic in concione queſtus apud primores, regnum Sueonum, occiſis regibus ſuis, alienigenæ ſubeſſe poteſtati: ſi viri eſſent, facile futurum, vt illis imperarent quibus ſeruire cogantur. Inita ergo conſpiratione, regem Haldanum pellere, ac regno deſtituere coniurant.

Siwaldus in Haldanũ cõiurat.

Quod vbi ad regem delatum, iam in maritimis laboranti, nihil ille motus eſt: ſed militibus ferrum paulìſper ab hoſtibus auerſum, in ciues diſtringendum edixit, quos accepiſſet in ſe malignari. Auctis deinde copiis terra mariq; ducit in hoſtem. Sed coniurati vbi vident regem in ſe magnis venire viribus, armis ſuis diffidentes (quòd imparem longè militum numerum habuere conſcri-

conſcriptum) in ducem factionis ac conſpirationis reſpexere. Ille vbi ſe ſignari omnium oculis intelligit, Haldano regi mandat per nuncium, Si tibi, inquit, virium aliquid eſt, famã exæquare curato: duellum offero cum filiis. Detrectare quidem verecundum erat, etſi iniqua conditio proponeretur: quòd rex, inferioris ordinis viro, vnus octonis occurreret. Tanta tamen erat in rege animi vis, vt nõ recuſaret. Improperanti tamen iniquam conditionem, quòd timidi animi videretur nõ fidere pectori, vt vnus vni occurreret, Siwaldus reiecit, Quid ergo iactas vires? Hæc vnius viri ſunt oſſa quæ cernis. Sparſi vires in liberos: partitas illas æquè in duellum contraho. Si tu frigido hactenus toro cubaſti, tibi refer detrimentum. Pater & filij vna ſunt caro: tergiuerſari tibi non licet. His atq; ſimilibus verbis prouocatum in duellum regem extraxit. Exorta verò pugna, victor Haldanus patrẽ cum filiis vno exitu abſumpſit, ſeq; reddit regno ſuo ad priſtinam ſtabilitatẽ. Inde verò iam temporũ tranquillitate gaudens, quum audiret Vnguinum Gothorum regulũ, filiam vnicæ pulchritudinis deſpondiſſe cuidam piratarum principi, vi magis adactum quàm ſuapte voluntate: indignatus Haldanus tãtam in regno iniuriam fieri, quòd vir plebeius, ſolis furtis & piratica inſignis, regio ſe ſanguini miſcere conaretur, & (quod indignius eſt) etiam metu impulſum adigere patrẽ ad impares nuptias: non tulit rei indignitatem, ſed ſecretius per nuncium admonito Vnguino quid pararet, diem nuptiarum vbi audiuit eſſe, quum regio luxu feruerent omnia, proximusq; piratarum princeps regi accumberet, ſponſus (vt ſperabat ille) regiæ puellæ, ingreſſus regiam Haldanus ignoto habitu oreque parumper diſtorto, ac per induſtriam contracto, quis ſponſus haberetur ad nuptias, libera voce percunctatur. Qui, inquiunt, regi proximus accumbit. Ergo conuerſus in eum, Tu, inquit, regium ſanguinem toro depoſcis? Quibus oro meritis? quibus patrũ ſtemmatibus? Si quid tibi virium eſt, exurge mecum in duellum. Nocturnum, ille reſpondet, bellum laruarum eſt, non hominum. Haldanus ſubinde, Tenebras queri non potes, quum ſubluſtri luce luna diem nobis repræſentet. Rubor adegit hominem aſſurgere in duellum: victus autem, ex nuptiis funus habuit. Hũc exitum habuit vir pirata, quòd ſupra fortunam ſuam nuptias ſequeretur. Haldanus puella traducta, Haſmundũ ex illa ſuſtulit filiũ, ſuccreſcentibus annis Noruagię regem. In regno ita conſeneſcens, alienis commodis deſudaſſe videbatur. Pacatoq; fine quieſcens, vir in armis ſemper verſatus, teſtamento ſignauit quem poſt ſe Sueciæ regem voluiſſet.

Siwaldus ſe & ſeptem liberos, viri vnius loco haberi contendit.

Dania lib. 2. cap. 4.

Sponſus ſub veſperũ genialem à riuali occiditur.

Cap. 45.

VNGVINVS ex Gothorum rege, teſtamento Haldani rex Sueciæ deſignatus, procerũ voluntate regnum accepit. Tantum valuit apud omnes Haldani fortiſſimi regis autoritas, tantum apud illum Vnguini virtus, vt & regi cõciliaretur ad ſucceſſionem, & proceribus nõ diſpliceret. Homo ætate grauis, qui regnum, quod ex minori maius accepit, diu tenere non potuit: ſed Siwaldo filio, moriẽs, reliquit tam Daniæ quàm Sueciæ regna. Cuius res præclaras, quia in Dania ſumus executi, nihil opus eſt hoc loci repetere. Interea quum vtrunque regnum vni pareret, Gothorum in Sueciã principatus, quantum potuit, ſe à ditione Danorum retraxit, ſuum regem conſtituens, quem ſequeretur. Regnabat ergo per id tempus in gente Gothorum in Suecia Siwardus, filios habens Wemundum & Oſtenum, filiamq; Aluildam eximiæ pulchritudinis puellam. Quæ quum Danorũ regis filio adoleſcenti, & nobilitate generis & rerum geſtarum gloria florenti (quum eam poſceret coniugem) ſola matre repugnante prouenire non poſſet, puella omnem torum maritalem peroſa, cœlibatum eſt amplexa. Ne tamen ætatem in ocio contereret, virili habitu contecta, militaria ſectabatur munia: piraticamq; aggreſſa, breui piratarum princeps conſtituitur. Caſus obuium illi in mari dedit ſponſum, cum quo ignoranter ignorans pugnam conſerit. Sed dum ferueret prælium, galea decuſſa capiti puellam prodit, & ex hoſte protinus dedit amatorem. Siquidem regius iuuenis vbi agnouit notos vultus, receptui cani iuſſit, pugnamque inhiberi. Et inſiliens puppi virginem amplexatur: fortunam accuſans, quæ talem illi hoſtem obiciſſet: malle tamen ſic occurriſſe, quàm omnino incognitam prætериſſe. Itaque amata ſua potitur in mari, quam in regia conſequi non poterat.

Dania lib. 2. cap. 5.

Puella viri & pirata habitu ornata, pugnans in amatorem incidit.

Cap. 46.

REGNALDVS inde Suecorum regno potitus, magnis viribus contendit pa-

triæ tueri libertatem, Danoſq́; qui ditionis ſuæ iura in regno præferebât, reprimere. Igitur magnis inter Siwaldum Danorum regem, Vnguini filium, & hunc Sueconum viribus apud Sialandiam cõcurritur: altero pro libertate, altero pro dominatione multa conantibus. Concurſum aût eſt tantis odiis, tamq́; graui ac diuturno prælio, vt in triduum prælium extraheretur: ſola nocte quę intercedebat, pugnam dirimente. Sed hanc tam pertinacem pugnã ſola mors Regnaldi diremit. Ille enim ſuę partis ductor vbi cadebat, cecidere pariter animi fortiſſimorum militum: vt fugam inirent, qui vbiq; vincere conſueuerunt. Inter alios aût Starcuterus vir monſtroſæ fortitudinis, terga tum vertit. Quod illi creditũ eſt accidiſſe, vt humanæ fragilitatis vitam in ſe quoq; experiretur, ne ſupra hominem ſentiret. Dilapſi inde proceres, in piraticam ſe cõferunt, Haconi cuidam gentis primario ad hærentes. Fratres hic habuit Helwinum, Hagbartum & Amundum: qui & ipſi piraticã agentes, inciderũt in Siguari Danorum regis filios, ad eundem quæſtum nauigantes: ſiquidem honeſtum hoc militiæ genus tum habebatur. Conſerta pugna, tam acri inter eos odio dimicatum eſt, vt poſtero die, propter crebra ſuorum vulnera, ambæ partes quietem agerent. Itaq; poſt mutuum quod tandem tenebant interloquium, ex hoſtibus amici facti, vnà in Daniã nauigauere. Hagbartus iam fretus familiaritate regiorum iuuenum, in aula diuerſatur, colloquiumq́; (vt fit) cum Sygne regia puella, dictorum iuuenum germana ſorore, ſerit, illiq́ue per amorem conciliatur. Erant autem & in eadem regia nobiles, qui forma & nobilitatis fiducia eandẽ regis filiam procabantur. Horum vnus gente Teutonicus, quum intelligeret puellam in Hagbartum inclinare propenſius, perfecit vt ſimultas oriretur inter regis filios, & memoratos hoſpites aduenas, iuuenes de Suecia progenitos. Quæ paulatim increſcẽs, ex rixa proceſſit in pugnam. Itaq; Hagbarti fratres, cum regiis iuuenibus prælio cõſerti (vtpote in alieno regno) à multis pauci facilè opprimuntur. Superueniẽs autem Hagbartus recens viribus, copiisq́; nouis adductis, feſſos pugna regios cõfecit. Atque ei tantus vigebat animo amor, vt huius rei ſibi conſcius, muliebri veſte regiam peteret, ſpecie perferendi mandata ab Hacone miſſa, puellæ (vt putabatur) ſponſo futuro. Is tum Hyberniam oppugnabat. Muliebri veſte fallebat omnes, vt ad amatam ſuam perueniret. Sed vbi iam cubatum eundum, ſedulo miniſterio regiæ puellæ lauandis pedibus ab ancillis inſtabatur: illa quoque miniſterium deriuauit in aduenam quæ putabatur fœminam. Itaque pedes item eius contrectantes puellæ, mirantur callum in in calcaneis. Quid mirum, inquit, Domina, ſi militari officio fœmina diſcurrens duritiem contraxi manibus pedibusq́;, non pẽſa, ſed gladium: non lanam, ſed arcum armaq́; cætera contrectans? Regia autem puella aduentanti nunciæ locum cubandi præbuit honoratum, vt ſocia ſibi tori maneret, multa inter noctem ſuper Hacone quæſitura. Hanc rem tum nulla miniſterialium ſuſpexit. Inter mutuæ autem voluptatis colloquia, Hagbartus rogat quid futurum ſit, ſi pater eius furta deprehendens, in ſe animaduertat ſeuerius. Illa protinus reſpondit, eundem ſibi cum illo vitæ & mortis exitum fore. Operæprecium eſt agnoſcere quibus hic ludat carminibus Saxo noſter, commemorans amatoris verba.

Dania lib. 2. cap. 5.

Semel Starcuterus fugit.

Hagbartus muliebri habitu adepiũ amica lectũ peruenit.

Si captum genitor tuus
Me triſti dederit neci,
Nunquid coniugij fidem,
Tanti fœderis immemor,
Poſt fatum repetes meum? At illa,
Me corde tecum chare velle commori,
Si ſors exitij prætulerit vicem,
Nec vlla vitæ prorogare tempora,
Et me conſimili deuoueo neci.
Vt quos idem fœdus tori coniunxerit,
Idem ſupplicij contineat modus.

Priuſquam autem diluceſceret, abire parans Hagbartus, ab regiis lictoribus iam omnes exitus obſeruantur. Nam ancillæ (ſuſpicioſum genus) neſcio quid conſpicatæ, virum adeſſe prodiderunt. Comprenſus, in medium producitur. Sententiæ rogantur

rogantur in tam temerarium violētumq́; ſtupratorem latronemq́;, qui prolem regiam partim extinguere, partim auſit inceſtare. Erant qui forti eius opera in hoſtes monerent vtendum: ſed præualuit eorum ſententia, qui pœnas ſumere voluerunt. Itaq; ſuſpendio adiudicatus educitur. Obſeruabat è ſpecula regia filia, quid amatori futurum eſſet, quem iam ſcierat comprēſum. Vbi ſuſpendio adiudicatum comperit, dedit lacrymas morituro. Et circumſpiciēs ancillarum fidiſſimas, Quænam, inquit, veſtrum, dominam me volunt abituram comitari, imò (vt rectè intelligatis) morituram? Omnes illacrymatæ, fidem dederunt. Illa conſtituto ſpeculatore, qui nunciaret momentum amaſij morientis, alios ſubornauit, qui ignem ſupponerent triclinio ſimul vt illa ſibi manum iniecisſet. Pepla ſingularum iubet ab alto alligari, nodumq́; fieri, cui promptè capita inſerantur. Hagbartus vbi adducitur, circūſpiciens oculis quærebat amatam, percupiens vt ſub oculis eius moreretur. Vbi vidit patere feneſtras cuncta oculis obſeruantis puellæ, Bene habet, inquit. Paludamentum ſuum iubet, quæ proxima ſtabat arbori iniicere. Quo facto, arbitratus puellæ ſpeculator iam ipſum appēſum, dat ſignum obſeruantibus. Illico ignis exoritur, capita nodis ancillæ inſerunt cum domina: pedum fulcimēta, quibus inſtiterant, pedibus deiiciunt: & ante amatorem ſuum amata conſumitur. Incendio puellaris aulæ conſpecto, agnouit Hagbartus quid ageretur. Nunc, inquit, tempus eſt: include ſpiritum lictor, ne longè comiter præcedētem, quam hac luce dilexi chariorem. Ita & ille conſumptus eſt. Elegiam idem Saxo conſcripſit iuuenis morituri his verbis.

Turpis amoris dignum exitium.

Ocyus ò iuuenes correptus in aera tollar.
Dulce mihi nupta eſt poſt tua fata mori.
Aſpicio crepitus, & tecta rubentia flammis:
Pollicitusq́; diu pacta reuelat amor.
En tua non dubijs completur pactio votis,
Quum vitæ mihi ſis interitusq́; comes.
Vnus erit finis, vnus poſt fœdera nexus:
Nec paſſim poterit prima perire Venus.
Fœlix, qui tanto merui conſorte iuuari,
Nec malè tartareos ſolus adire deos!
Ergo premant medias ſubiecta tenacula fauces:
Nil niſi quod libeat, pœna ſuprema feret.

Ille mox lictoris opera abſumitur. Rei fides præſentib. locorum indiciis exhibetur: quum & Hagbartus pago vocabulū indiderit, nec longè à Sigari oppido locus pateat, vbi plano paulū locus elatior, veteris fundi inſtar protuberantis humi ſpeciem demonſtrat. Sed & trabem quidam non diu ſe eò loci repertam memorabat vidiſſe, quam agreſtis vomere glebam rimatus offendit. Ferunt puellā poſt fata diu conſpectam, noctibus ad ignem ſedere in Suderburg: cæſariemq́; comere, auerſatam contuentes, dorſo, non fronte conſpici, & in hunc vſque diem durare viſionem.

Cap. 47.

Haco fratris ſuſpenſi mortem vlciſci ſtatuit.

Haco ex Sueciæ proceribus vir primarius, frater Hagbarti memorati, dum ea quæ diximus gererentur in Dania, Hyberniam oppugnabat: reduxitq́; exercitum. Comperto quæ de fratribus geſta erant, indignè tulit duos ex germanis prælio, tertium publico & ignominioſo abſumptum ſupplicio: vindicare illorum fata ſtatuit. Sed qui illum in Hyberniam comitati ſunt cōmilitones, quum in Daniam exercitum conuertiſſet, regis amore, Haconem deſerendū putabant. In quibus robuſtiſſimus ille Starcuterus, qui poſt Regnaldū Suecię regem fato functum, Haconi adhæſerat: iam verò in Daniam ducturū deſerebat. Tantum apud memorem valuit Danorum quondam regum cum illo ſociale cōtubernium. Haco nihil motus defectione commilitonum, reliquum agmen ducit in hoſtem. In portu quem Herwyck vocant, milites exponit, terreſtri itinere procedens. Partem tamen claſſis iuber littora legere, vt ſi opus videatur, præſidio ſit militibus. Maximeq́; ſylueſtria terit itinera, quo minus cōſpiciatur, ſed vt quàm occultiſſimè adueniat. Vbi iam dumeta ſylueſtria finem haberent, mox iubet omne agmē, deſectis ramulis præ ſe ferre virentia, vt fallant ſpeculatores. Primæ ac ſecundæ ſtationis vigiles deluſi, non agnoſcunt quid ageretur: tertij verò propius luci rem intuentes, regi denunciant

Dania lib. 2. cap. 7.

propinquare nemus. Ille dolum proſpiciẽs, quàm ſit longè rogat: ſed interim quàm poteſt velociſſimè cõtrahit exercitum: & in apertum progrediens, obuius fit hoſti: conſeritur pugna. Acri pugnant odio Sueci, iniuriæ vindices. Rex Daniæ Sigarus in pugna cadit. Tum cædes in omne genus hominum crudelis. Siwaldus Sigari filius bella renouat. Accurrunt voluntarij omnes, patris clade, filij miſeratione cõmoti. At Haco ipſe dux agminis, prima contentus vltione, conceſſit in patriam. Perſtitit alius Haco, nomine Faſtuoſus: & pugnam excipit, tantis viribus exertam, vt multis antè millibus proſtratis, amborũ duces exercituum corruerint: vix pauci ſibi fuga conſuluerunt. Remiges egreſſi nauibus, Suecos ſuos tumulauere. At a ſuperuenientibus Scanicis trucidati, & ipſi tumulũ auxere cæſorũ. Hic finis infœlicis pugnæ: in qua omne regij ſanguinis ſtẽma Sueciæ ſucciſum, ad fœminam vnam peruenit.

Cap. 48.

Suecia rex in Ruſſos mouet.

ALVERVS deinde ex primoribus procerũ, Sueciæ regnis potitur. Qui ampliandæ ditionis gratia arma vertit in Ruſſos, proxima illi ad Oriẽtem regione agentes. Inter alios aũt militarium operũ illuſtres viros, Hildegerus quidam præcipuæ fortitudinis pugil militabat, natus patre Gunnaro Suetici ſanguinis, matreq; Drota Noruagiæ regis filia. Quam Bocarus quidam Danici generis vir primarius, occiſo Gunnaro tulit, coniugemq; accepit: & ex ea ſuſtulit filium Haldanum, pręcipuę virtutis induſtrium pugilem: & qui fortitudinis ſuæ merito, vnicam regij ſanguinis in Dania puellam coniugem habuit, & perinde in regem Daniæ profecit. Erãt igitur vterini fratres Hildegerus & Haldanus. Id quum Hildegerus natu maior compertum haberet, Haldanus minor ignorabat. Is quum vbiq; laudis materiã perquireret, audiens Ruſſos premi Suecorum armis, eò ſe contulit, Ruſſis militaturus. Quumq; prælia aliquot leuia varia eſſent fortuna peracta, ꝓceſſit Hildegerus Suetici ordinis armiger, quemlibet ex Ruſſis in duellum prouocans. Dum aũt illi muſſitarent, circumſpicientes quem opponerent, Haldanus ſe vltroneum obtulit. Hildegerus fratrem agnoſcens, reſtitit: indignum teſtatus, quòd quum ipſe LXX. pugilum victoria ſit clarus, cum homine parum ſpectatæ virtutis congredi, ingloriũ ſit illi. Eam cauſam præferebat, abſcõdens quòd cõmunis ſanguinis reſpectu pugnam detrectaret. Haldanus verò iactabundus alium ſibi depoſcit, quando ille metu recuſet. Obiicitur ex grege vnus, quem facilè ſuperat: deinde duos vnà congrediẽtes pariter obtrũcat: ternis etiam euocatis, eundem fecit exitum. Ita paulatim gliſcente calore, vſq; ad XI. vna pugna ſublatos paulatim aſcendens peruenit. Iam videns Hildegerus fraterna decora, ſuis æquata numero, diutius pugnam detrectare duxit inglorium: nec tamen ſe quis eſſet aperuit Haldano. Pugnabant in eo gemini affectus. Nam quòd patrem ſuum Haldani parens ſuſtuliſſet, paternæ necis vindicem præferebat: ſed hunc affectum ſuperabat in eo materni vteri cõmune conceptaculum: vt recuſaret, donec per ęquatam iam virtutẽ, diutius detrectare pugnam formidini deputaretur. Callebat autem hebetandi artem ferri Hildegerus, & ea ſæpe in periculo ei vſui fuit. Nec tamen defuit hoſti, vbi ſenſit aduerſam calliditatem. Siquidem vbi cõperit enſi ſuo vim abeſſe, panniculo texit: & perinde vim illi ſuam (vt ferunt) reſtituit, vulnuſq; intulit Hildegero lethale. Quo excepto, innuens hoſti exceſſit duello, iam ſe fratri aperiens quis eſſet. Ibi lamentum non vulgare ex Haldano perſonuit. Cur, inquit, germane, tam diu latuiſti, donec ſceleratam dexteram tuo tingerem cruore? Infœlicem me! Quando alterum ex nobis cadere in fatis fuit, ego pro te quàm vellem excepiſſe vulnus? Neque te frater integro in fratrem officio functum arbitror, quòd non antè prodideris. Ille hoc ſuppreſſiſſe teſtatur, ne per ignauiam ſe retraxiſſe putaretur à periculo. Hæc dicens extinguitur. Haldanus pro mercede inuictæ vbique fortitudinis, vnicam Daniæ regis filiam cum regno promeretur vxorem. Apud militares autem viros nulla laudis minoratio eſt, frater an alienus fortiter oppreſſus ſit: pietatem tamen obtexerat ignorantia. Aluerus autem Sueciæ rex in reliquam ætatem ſtuduit tranquillitati, legibus & moribus regnum componens. Vbi ad ſeniles peruenit annos, inter manus propinquorum ſpiritum vltimum poſuit, filiis regnum linquens hæredibus. Sed hic voluminis huius modus ſit, ne ad infinitum procedat.

Haldanus XI. ex hoſtium exercitu duello ſuperat.

Hildegerus in duello à fratre ignaro occiditur.

ALBER-

CAP. I.

Res Gothicas ad Cæſarum vſq; tẽpora, ex obſcuritatibus diffi-cile fuit in lucem vendicare: quòd tenuiſſimis adiumentis, & illis non ſatis explicitis, nitetemur. Ex hoc aũt tempore quo gentis huius in eum modum creuit audacia, vt Romanis ſe legionibus auderet opponere, cœpimus Romanę hiſtorię ſcriptoribus ad rem noſtrã vti adiutoribus. Qui vbi ſuorũ ſunt laudes proſecuti, etiam illos attigerunt quibus Romanę vires colluctabãtur. Nec minuere virtutem hoſtiũ, laus erat Romanorũ: quippe fortes viciſſe fortium maior eſt gloria, quàm ſi imbellibus cõflictaſſent. Proinde C. Cæſar quum Aſiaticam gentẽ facilè domuiſſet, inſcripſiſſetq; curui triumphali, Veni, vidi, vici: nõ tam ſuæ gloriæ Romanorumq; laudibus ſtuduit, quàm hoſtiũ ignauiæ detegendæ. Verùm nihil hoc quempiã moueat, ſi (vt illi vocant) barbarorũ res non adeò amplificent, vt ſolent ſuorum Romani ſcriptores: detur hoc nationis affectibus. Magno Germanis nobis incommodo, & irrecuperabili antiquitatis detrimento, Plinius & Cornelius, Germanica bella ſcribentes, interierunt. Cornelius quidem ex parte, amiſſis primis decem libris, & parte ſequentium extat. In primis aũt res fuere Germanicæ ſub Auguſto & priuignis eius, vſq; ad Claudium Caligulę ſucceſſorem. In quibus deſcribendis qualis fuerit, facilè monſtrat in Germania ſua: quòd profuſus in laudem gentis plus quàm Germanus, ſuam attollere gentem præſumeret. C. aũt Plinius XX. libros de bellis Germanicis ſcriptos edidit: de quibus nihil vſq; hodie remãſit, præter inanem titulum. Quot ibi laudes Gothorum, Dacorum, Cimbrorum, Cattorum interierũt? Ergo amiſſis tam claris teſtimoniis, paruas reliquias circumientes mẽdicemus, donec temporũ curſu & ætatum proceſſu ad pleniora documenta perueniamus. Sub Auguſto quidem Getæ Daciq;, in Thracia & ad Danubij ripas demorati, bellis attacti, & (vt Strabo ait) victi: ad multa millia (vt ſuprà quoq; cõmemorauimus ex eodem autore) cæſi ſunt multi, etiam trãs Hiſtrum nutu victoris collocati. At non diu quieti permanſere. Nam ſub Tiberio (Auguſti ſucceſſore) qui in imperio nulla bella per ſe, ſed per ſolos duces adminiſtrauit, clauſtris ſuis exeuntes, Mœſiam omnem peruagati ſunt: captis vrbibus, agris vaſtatis, onuſti præda ſe in ſua receperũt. C. etiam Caligula, qui Tiberio ſucceſſerat, magnis minis gentem inſectabatur: ſed ad arma nõ peruenit. Mouit quidem exercitũ in Germaniam, Sueuiæ infenſus: ſed nõ ſinebat hominem perdita vita ſoriter in hoſtes agere. Vnde reductis militibus, nihil clarum peregit. Et in eo rerum ſtatu Gothi quoq; (qui & Getæ & Daci promiſcuè ab autoribus appellantur, gens ab origine vna, & quæ communem patriam Baltiam peninſulam recognoſcit) conquieuere.

Victoriam commendat aduerſarij virtus ſuperata.

Cor. Tacit. & Plinij de reb. Germanorum ſcripta.

CAP. 2.

DORPANEVS rex erat in hac gente, eo tempore quo Romano Imperio Domitianus incũbebat. Cuius auaritiæ pertæſi Gothi, quòd prouincialibus grauis eſſet: fœdera quæ ſub priſcis principibus, ab Auguſto Cæſare, autore Agrippa inierunt, nunc penitus rũpentes, Danubium facto agmine tranſierunt. Seruauere aduerſam ripam, tanquã imperij limitem, Romani milites. Dux erat Opius Sabinus, vir militaris induſtriæ peritiſſimus. Reſtitit ille traiiciẽtibus, quoad potuit. Sed dum illi animoſius tranſeunt quàm Romani reſiſterent, ad cõfligendum totis ſe viribus iuſta acie Romani contulerunt. Pugnatum eſt acriter: ſed tum Romani victi ceſſere: Cæſus eſt dux ipſe cum toto agmine Romanorũ militum, vt pauci qui rei nuncium facerent, ſupereſſent. Domitianus vbi comperit, alio duce alios miſit exercitus, terra fluminecq; arma comparãs in Gothos: ventũ eſt ad prælia. Ibi Fuſcus Cornelius dux bellicæ rei ſciẽtiſſimus, ſimili vſus fortuna, fortiter pugnans cecidit: deletiq; ſunt Romani exercitus. Libet in hac re verba Blõdi Romani ſcriptoris introducere, quæ ille ex Cornelio Tacito, quem integrũ legiſſe videtur (quamuis nunc Italia integrum fertur non habere: alioqui truncum non emitteret) mutuatur. Ait enim, Opius Sabinus primũ, & poſtea Fuſcus Cornelius, Romani duces, ipſis con-

Gothi Romanos duobus prælijs cædunt.

greſſi Gothis, copias amiſerunt, & in prælio ceciderunt. Et tamen Gothi, quibus victoria haud fuerat incruenta, in Romanis prouinciis eo tẽpore remanſerũt. Quam complexus hiſtoriam Cornelius Tacitus, numerum interfectorum Romani exercitus, ob magnitudinem cladis referre omiſit: idq; aſſerit Tacitus facere exemplo Saluſtij Criſpi, numerum ſupprimentis occiſorum in clade ſimili Romanorũ. Domuit tamen, & Romanis prouinciis expulit Gothos inſignis princeps Traianus: ſed in ſuis barbarici ſoli prouinciis, in quibus quieſcere promiſerunt, dimiſit intactos. Hæc ſunt Blondi teſtimonia ex Tacito. Quæ idcirco poſui, vt videatur ſupereſſe integer Tacitus: ſed in odium Germanorum fortè manet in vmbris.

Gothi Romanis prouinciis à Traiano pelluntur.

CAP. 3. DECIBALVS Gothorum dux rebus præfuit, quum Traianus, optimus (vt ferunt) Imperator Gothos Romanis prouinciis expellendos duceret, Thracia, Myſia, & omni Transhiſtrana regione. Et collatis viribus Gothi tum ceſſerunt fortiſſimo Imperatori, in Daciam ſuam (hoc eſt in interiorem Hiſtri ſiue Danubij ripam) ſe retrahentes. Ibiq; pacatos ſe manſuros pollicentes, fœdera cum Romanis innouari paſſi ſunt: vt pleriq; extant autõres. Sed vt alij ferunt (ex quibus Eutropius) victo Decibalo, Daciam fecit prouinciam ſuam trans Danubiũ, in iis agris quos nũc (ait) Tryphali, nunc Victohali & Termigiti habent. Ea prouincia decies centena millia paſſuum in circuitu tenuit. Hæc ſunt Eutropij de ſua memoria verba. Neminem aũt moueant cõmutata nomina gentium, quæ poterant etiam tunc per errorem imperitorum fuiſſe verſa. Nam apud Geographos, earum gẽtium quæ hîc referũtur, nomina nulla leguntur. Tribolos aũt & Wandalos fuiſſe Dacis, Getis Gothisq; conterminos, legimus quàm frequenter in annalibus. Quumq; Adrianus Traiano in imperio ſuccederet, ſiue inuideret Traiani gloriæ, ſiue quòd infinitum opus videretur longinquas ſeruare prouincias, Aſſyriam, Meſopotamiam, Armeniam reliquit, reuocans exercitus: ac finem imperij voluit Euphratem eſſe. Idẽ de Dacia facere conantem amici deterruerũt, ne multi ciues Romani barbaris traderẽtur. Nam Traianus victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eò copias hominum tranſtulerat, ad agros atq; vrbes colendas. Daciæ enim diuturno bello, Decibaliq; res fuerant exhauſtæ. Ita reliquit Romanã ſuo tẽpore prouinciam Adrianus.

Gothi in ſua à Traiano repelluntur.

Imperij Romani limites Adriano Imperatore.

CAP. 4. OSTROGOTHA deinde in gente ſua regnũ accepit. Habebat iſte nomen ſibi perſonale (quod aliâs magnæ parti nationis erat cõmune) abuſq; ductũ prima gentis origine: quòd adhuc in Suecia manentes Gothi, per Orientales & Occidẽtales ſunt diſterminati. Potuit eadem quoq; gentis partitio perdurare in Scythico ſolo: vt qui littora Pontici maris demorarentur, Oſtrogothæ, hoc eſt Oriẽtales: qui verò ad ripã Danubij vtranq;, Wiſigothæ, hoc eſt Occidui, dicerentur. Sed hac ætate Oſtrogotha rex in omni ea natione quaqua verſum tenebat regnũ. Priuſquam tamẽ ille perueniret ad regnũ, Maximinus ex ea gẽte natus, Romani Imperij culmen apprehendit: quod in huius gentis præclaris rebus cõmemorandis ſileri nõ debet: quum ſit inter decora eius vel primũ, inde aliquem conſcendiſſe ad ſummã in terris dignitatem. De quo teſtimonium eſt Iulij Capitolini. Maximinus, inquit, ſenior ſub Alexãdro Imperatore enituit: militare aũt ſub Seuero cœpit. Hic de vico Thraciç vicino barbaris, barbaro etiã patre & matre genitus: quorũ alter è Gothis, altera ex Alanis geniti eſſe perhibentur. Et patri quidem nomen Nicea, matri Ababa fuiſſe dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis tẽporibus ipſe prodidit: poſtea verò, vbi ad imderiũ venit, occuli præcepit: ne vtroq; parente barbaro genitus Imperator eſſe videretur. Prima ſtipendia equeſtria huic fuere. Erat enim magnitudine corporis conſpicuus, virtute inter omnes milites clarus, forma virili decorus, ferus moribus, aſper, ſuperbus, cõtemptor, ſępe tamen iuſtus. Sub Seuero cœpit clareſcere. Natali die Getæ, iunioris filij ſui, Imperator ludos dedit militares, propoſitis pręmiis argenteis, hoc eſt, armillis, torquibus & balteolis. Hic Maximinus Imperatorem publicè petijt, vt ſibi daret licentiã contendendi cum iis qui iam non mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Seuerus miratus, primùm eum cum lixis cõpoſuit, ſed fortiſſimis: quò diſciplinã militarem non corrũperet. Ille ſedecim lixas vno ſudore deuicit, ſedecim acceptis præmiis minuſculis, non militaribus: iuſſuſq; eſt militare. Tertia fortè die quum proceſſiſſet Seuerus ad campũ exultãtem in turba

Maximinus Imp. Romanus Gothus.

Maximini robur, fortia facta, edacitas & bibacitas.

in turba barbarico ritu, cõpeſcere iuſſit Maximinum ad Romanam diſciplinam. Tunc ille, vbi de ſe intellexit locutum Imperatorem, ſuſpicatus Maximinus & notum ſe eſſe Imperatori, & inter multos conſpicuum: ad pedes Imperatoris equitantis acceſſit. Volẽs experiri Imperator, quantus eſſet in currendo, equũ admiſit multis circumitionibus. Et quum Imperator laboraſſet, neq; ille accurrendo per multa ſpatia deſiſſet, ait ei, Quid vis Thraciſſe? Num delectat luctari poſt curſum? Quantum, inquit, libet, ô Imperator. Seuerus ex equo deſcendit: & recentiſſimos quoſq; ac fortiſſimos milites ei iuſſit cõparari. Ille more ſuo ſeptem fortiſſimos vno ſudore vicit: ſoluſq; omniũ à Seuero poſt argentea præmia, torque aurea donatus eſt, iuſſuſq; inter ſtipatores corporis ſui ſemper in aula cõſiſtere. Quã ego viri fortiſſimam pugnam, ex ſcriptore Romano libentius inſerui, quòd in rebus Danicis & Sueticis deſcribendis, fides inde fiat Saxoni, eius gentis ſcriptori (cuius autoritatẽ ſequimur) quòd multas ſimiles mõſtroſasq; pugnas in ſua gente cõmemorat. Incredibile memoratu eſt quantũ biberit comederitq;. Amphoram ſæpe Capitolinã hauſit: XL. & (vt alij) LX. carnis libras vno tempore abſumpſit. Seuero ſemper charus, Caracallæ charior: ſub quo magnos ordines duxit. Macrino abſtinuit, tanquã Imperatoris ſui occiſore: Heliogabalum impurã beluã contempſit. Interim in Thracia Gothis ſuis & Alanis familiariter vſus, quum optimũ Imperatorem Alexandrũ rebus potitum audiret, rediit, magnificq; ab illo honoribus exceptus eſt. Primus ordines duxit, multa fortiter geſſit. Et Alexandro cæſo ad Imperiũ peruenit, indignante Senatu, quòd ſine autoritate ſua imperaret. *Fit Imperator Rom.* Bellum grauiſſimũ geſſit in Germania. Et in Italiam reuerſus, in oppugnatione Aquileiæ à ſuis deſertus, cum filio cognomine, pulcherrimo iuuene omnium mortalium, cæſus eſt. Hæc ad amplificandum gentis decus, ex Romana hiſtoria de Maximino placuit inſerere. Nunc verò ad gẽtis huius Gothicæ regem Oſtrogotham percenſendum, vnde longius digreſſi, reuertamur.

CAP. 5.

SVB hoc rege Oſtrogotha, cuius & diuturnũ erat imperium, & fortunati in rebus bellicis ſucceſſus, ſatis ampla erat gentis huius poſſeſſio, lõginquæ quoq; ditionis regnũ. Nam & Ponti Scythica littora tenuit: in quibus tanta terrarũ ſpacia, tot ſinus maris, tot fluminũ excurſus: vt iam Romano etiã Imperio terrifici viderẽtur. *Gothorum potentia.* Wandali, Marcomãni, Quadi item his acceſſere, qui tum omnes Germaniam incolebant. Et de Wandalis quidem, quæ gens fuerit, compertum tenemus: Marcomanni verò & Quadi vbi habitauerint, non ita exploratũ eſt. Quãuis coniectura licet aſſequi, latiſſimã tunc (vt nunc) Wandalorũ gentem, diuerſis etiã, pro diuerſitate regionum tum (vt modò) nominibus cenſitã fuiſſe. Nam qui nũc Bohemi, Dalmatæ, Sclauoni, Poloni, Ruſſiq;, ſuis quiq; terris nomina variarũt: vna tamen gens, vna lingua eſſe probatur. Idẽ tunc, licet in vna gente, potuit accidere. Et Marcomãni quidem magno bello, quod cum eis Marcus Antoninus geſſerat, memorabiles habentur. Quadi verò, & Sueui bello ſocij illis tum fuere. Sed nunc quod concepimus de Gothis, proſequamur. Ea tẽpeſtate Romanũ Imperium duo tenuere Philippi, pater & filius, primi ad ſceptra principes Chriſtiani: quorũ anno ſecũdo, milleſimus vrbis conditæ annus, magno & incredibili apparatu ingentiq; cunctorum lętitia celebratur. *Milleſimus à Roma cõdita annus.* Gothi ſubtracta ſibi à Romanis ſtipendia indignè ferentes, rebellionẽ moliuntur. Quãuis enim longè agerent in vltimis Romanæ ditionis finibus, ſolebant tamen muneribus & donatiuis militaribus honorari à Romanis principibus & à ducibus limitaneis, vt velut fœderati arcerent incurſiones exterorũ ipſiq; ſe ſuis finibus continerent. Ergo quum iam diu nihil tale acciperent, rex Oſtrogotha armata ſuorum multitudine, fines Romani inuaſit Imperij, Mœſiam Thraciamq; populatus. *Oſtrogotha primum à Romanis repreſſus, eos poſtea vincit.* Mittit Philippus ex ducibus rei militaris peritiſſimũ Deciũ. Qui expedito exercitu facilè repreſſit diſperſos ad prædã, coegitq; tranſito Danubio, Gothos ſe in ſua recipere. Compertoq; quòd negligentia limitaneorum militũ, Gothi animoſius iſſent quàm illi reſtitiſſent, exautorauit milites magno numero: alioſq; conſtituit limiti obſeruãdo. Et rebus proſperè geſtis, incolumẽ tum reduxit exercitum. Exautorati aũt milites, contumelia affecti, vt ſe de Romanis vindicarent, iungunt ſe hoſtibus Gothis. Quorum fiducia, rex ipſe ſuorum trecenta millia perarmauit: duxitque denuo in fines Romanorum. Tantæ multitudini impares Romani mili-

ſes,ceſſere venientibus: & nullo reſiſtente,prædam opulentam latè contraxerunt.

CAP. 6.

Martionopolis ob rem miraculũ conditur.

MARTIONOPOLIS vrbs erat in Thracia metropolis, quæ Traianum Imp. habuiſſe fertur cõditorem, indito nomine germanæ ſororis, quæ Martia fuit: quòd numen loco putaret ineſſe. Nam ea mulier dum aurea pelui ad ripam fluminis, neſcio quid lotura conſiſteret, elapſum de manu vas profunda petiuit. Vbi triſtis mulier ſuam accuſaret ſecum negligentiam, ecce, contra vim metalli aurum emergit, ac ſe reddit dominæ mœrẽti. Cuius rei miraculo motus Imp. fertur ciuitatẽ eo loco condidiſſe: quam tam florentẽ locupletemq́; Gothi firmauerant obſidione. Ciues incõmodorum pertæſi, auro multo redimunt libertatem: Gothi accepta ingẽti pecunia, ſe in ſua tum receperunt. Sed tum Gothi in alieno debacchantur, domeſtica eorũ res incurſioni patuit Gepidarum: qui vicinam genti regionem (quæ nũc Pannonia inferior eſt) inſederunt. Operæprecium eſt huius gentis noſſe originem.

Gepidæ, ſunt Gothi.

Teſtatur Iordanes Gothos fuiſſe & hos ab origine, & cum rege Erico, pariter Gothia, quæ pars eſt Sueciæ, antiquiſſimo tẽpore egreſſos, nomen tenere ex quodam cõuitio. Nam ternis tum grandibus nauibus egreſſi Gothi memorãtur. Duæ cũ rege celeres tenuere portus quos petiuere: tertia tardior, alios in ſinus elabitur. Quorũ tarditatẽ pertæſi alij, *Gepanta*, illos patria lingua (hoc eſt pigros atq; tardos) dixere, bene cõgruente nomine moribus & factis eorundem: nam & corporis motu & ingenij tarditate ſegniores perhibentur. Inde paulſper (vt fit) ex Gepantis, mutato nomine appellati ſunt Gepidæ: quod in ea gente, quandiu regno valuerunt, vocabulum ex cõtumelia natum, per multa ſecula in gente durauit. Faſtida gentis tum rex erat, quum Oſtrogotha rex Gothorum, in prouinciis Rom. cum exercitu moraretur. Is collecto ſuorum non cõtemnendo agmine, mouet in regionem Gothorum, ſiue illum ſtimularet inuidia Gothicæ victoriæ, ſiue aliæ ſuberant cauſæ belli excitãdi. Nam ſunt qui ſcribant, Gepidas iam multiplicatos, anguſto iuxta Gothos commorantes, popoſciſſe a conſanguineis partem prouinciæ, quæ illis erat latiſſima: & quia diu negata fuit, armis occupaſſe, dum foris Gothi præliarẽtur. Indignatus eſt Oſtrogotha, dum is motus ei Gepidarũ nunciaretur: nihil enim ab illis, velut conſanguineis, graue formidabat. Sed tum compoſitis foris rebus in patriam contendit. Cõueniunt ad oppidum Galtis, iuxta fluuium Hanna: ibiq́; magna partium cõtentione certatum eſt, quippe quos inuicem & armorum ſimilitudo, & pugnandi non diſſimilis conſuetudo aſperis odiis concitabat. Sed cauſa melior viuacitaſq́; virium, tum & ſemper fecit Gothos præualere: nam inclinata parte Gepidarum, nox prælium diremit. Tunc relicta ſtrage ſuorum, Faſtida rex Gepidarum, in patriam properauit, tam pudendis opprobriis humiliatus, quàm fuerat elatione erectus. Redeunt victores Gothi, Gepidarum diſceſſione cõtenti: ſuaq́; in patria tranquillitate temporum perfruuntur, per tempora regis Oſtrogothæ: qui & ipſe, licet vir bello ſemper fuerit exercitus, tamen in pace vitam finiuit.

Gepidæ cũ Gothis licet conſanguinei bellum gerunt.

CAP. 7.

Cinna Gothorum rex Romanas prouincias populatur.

CINNAM vocat Iordanes, qui poſt Oſtrogotham regno potitus eſt, quem alij Ombam dixere. Is vires ſuas partitus, mediam copiarum ſuarum partem in Mœſiam direxit populabundus: quòd deſidentibus circa cuſtodiam Romanis militibus, & ipſis inter ſe principibus de Imperio certãtibus, Decius occiſis duobus Philippis, Romano Imperio potiretur. Quæ res opportunitatem præſtitiſſe videbatur Gothis digraſſandi. Ipſe rex Cinna octoginta millibus armatorũ ad Enteſiam nouam vrbem duxit quam monumentum victoriæ ſuæ Traianus erexit, captã à gente Sarmatarum. Eò Imperator Decius cum exercitu contendit. Sed Cinna vbi adeſſe vidit Romanos cum Imperatore exercitus, retro ceſſit: cõtenditq́; in Thraciã, Philippopolim opulentam ciuitatem expugnaturus. Decius abiiſſe hoſtem cõperiens, veſtigia eius illico legit: ſecutus in Thraciam, at radicẽ Hæmi mõtis quieuit. At prius Gothi expugnauere vrbem, quàm poſſet Imp. ferre præſidium expugnatamq́; militibus conceſſere diripiendam. Locupletati inde Gothi erexere animos, auſi in aciem ſe opponere Romanis exercitibus. Victor autem in primis congreſſibus Decius, hoſtes in anguſtias locorum, quæ in Dardaniis ſunt compulit, & obſedit: expugnaſſetque fame, ni proditus à ſuis fuiſſet. Gothorum dux per legatum dicitur poſtulaſſe, vt omnium præda relicta, ſineretur abire cum ſuis trans Hiſtrum,

Roma-

Romanus Imperator negauit, auidus illos perdendi: quia toties fractis fœderibus irruperant, qui prouincias Romani Imperij quieſcere non ſinerent. Iamq́; ferè voti compos Trebonianum Gallum, ducem limitis Mœſiæ, ad obſidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum miſit. Ille conſiliũ Gothis patefecit: eosq́; monuit vt ſe diuiderent, & alij conſiſterent in inſidiis prope paludem, alij in primo cõgreſſu fugam ſimularent paludem verſus: vt Romanũ militem pertraherent in inſidias. Gothi nonnihil addentes Galli cõſilio, rem peragunt. Quum in pugnam deſcenderẽt, admiratus Imperator nouam fiduciam: quòd qui modò perculſi metu erant, arma poſcerent: ignarusq́; proditionis, certus victoriæ, copias educit. Illi ſtatim terga dãt: Imperator inſequitur. Quum peruentũ eſt ad inſidias, fit atrociſſima pugna, vtrinq; cædes magnæ. Deciani difficillimè præliabantur, luto paluſtri afferente cladem. Tamen non moriuntur inulti, & loco & fato aduerſantibus pereũt: Decius pater cum filio occubuere. Senior fortè equo inſidens, ne viuus in hoſtium manus perueniret, inſiliit in voraginẽ paludis. Quęſitum pòſt cadauer eius, nuſquã repertũ eſt. Sed Iordanes aliquantò rem diuerſius narrat, Deciũ cupientem Philippopoli ferre opem, citò periiſſe Berceã: & inde fugatum ab Cinna & (vt alij vocãt) Echinna, rege Gothorũ: reparatisq́; in Mœſia viribus, rediiſſe ad hoſtes, qui Philippopolim ceperant, & Priſcũ ducem ſibi cõciliauerant. Ita ipſo congreſſu ictũ ſagittæ Deciũ filium occubuiſſe: & patrem, vel vt filij cędẽ vlciſceretur, vel vt morte ſua finem dolori inueniret, in fortiſſimos ſe immiſiſſe hoſtes, & nuſquã appruiſſe: ſed diis ſuis ante congreſſum immolaſſe ad Abrittum Mœſiæ vrbem. Inde factũ loco nomen, Ara Decij appellatur. Ita Gothi non ſolùm victores, Romanũ etiam principem cum filio trucidarunt. Nec erat qui illorum vim & arma ſuſtineret, quum Æmilianus primùm, inde Gallus cum Voluſiano rerum Romanarum potirẽtur.

Gothorũ de Romanis victoria.

CAP. 8.

266.

VESPA, Veducas Tarnarusq́; duces erant armorum in Gothis. Qua tempeſtate (capto ab rege Perſarum Sapore, Romanorum Imp. Licinio Valeriano, eiusq́; filio Galieno itidem Auguſto, in omnem libidinem reſoluto) quum diuerſis partibus orbis multi purpuras in contemptum Galieni induiſſent, ipſi quoque Gothi licentioris euagationis ſumpſere audaciam. Nam ducibus quos diximus, naues ingreſſis, mare petiere occiduum: primumq́; enauigantes in Helleſpontum, Aſiam peruaſere minorem, Epheſum cepere vaſtaueruntque, incenſo illo famoſiſſimo in omni terrarum orbe Epheſianæ Dianæ templo: quod olim gentis ſuę fœminę fundauerũt Amazones. Rurſus profecti in Bithyniam, Chalcedonem claram vrbem ſubruerũt, quam pòſt Cornel. Abitus aliqua ex parte reparauit: & quamuis poſtea refloruerit, veſtigia tamen veteris ruinæ diu præferebat. Ilium quoque poſt Agamemnoniacum incẽdium vrbs reparata, ſenſit Gothorum iram: vicinisq́; vrbibus aut populatis aut incenſis, in Thraciam abierunt. Nam ad radices Hæmi montis, vrbem inuadunt Anchialos, Perſarum opus. Ibi aquarum balneis calidarum delectati, aliquandiu conſederunt XII. millibus paſſuum ab ea vrbe, aquis ſalutaribus, & quibus in magno terrarum orbe, reparatis membris vix ſimiles reperti ſunt, vehementer affecti. Inde præda inſigni locupletes domum redierunt. Meminit & Oroſius huius tam longinquæ Gothorum excurſionis. Græcia, inquit, Macedonia, Pontus & Aſia, Gothorum inundatione delentur.

Gothorum excurſiones, dum nemo bene præeſſet Imperio.

CAP. 9.

PRIMVS eo tẽpore Macrinus, vnus ex ducibus capti Imp. Valeriani (qui etiã, procurante Baliſta præfecto prætorio, poſtea imperauit) Gothos per Thraciã Mœſiamq́; digraſſantes cõpeſcuit, Romanisq́; prouinciis ſategit expellere. Sed quod ille non impleuit, Claudius Imp. peregit: trecenta viginti Gothorũ & qui illis cõmilitabant, millia vicit, pro magna parte extinxit: quod epiſtola eius Romã miſſa declarat. Erant in ea multitudine Peuci, Trutingi, Virtungi, Gepidæ, Celtæ, Heruli: ſed ductores omnium fuere Gothi. Ob ingentem autem victoriam tantus Romæ habitus eſt Imp. honor, vt clypeum aureum honori eius cõſecrarent in Capitolio. Vnde apparet quis tum metus fuerit Gothici nominis in vrbe Roma. His de rebus teſtis accedit Trebellius Pollio in vita Galieni. Gothi, inquit, occupatis Thraciis, Macedoniam vaſtarunt, Theſſalonicam obſederunt: quæ omnia contemptu Galieni fiebãt. Pugnatum in Achaia Macrino duce cõtra eoſdem Gothos: vnde victi

274.

Gothorum magna clades à Romanis illata.

per Achæos retro ceſſerunt. Scythæ aũt (hęc eſt pars Gothorum) Aſiam vaſtabant. Tunc etiam tẽplum Epheſiæ Dianæ deſpoliatum atque incenſum eſt: cuius opus eſt fama in populo ſatis nota. Et poſtea idẽ in Claudio, eiuſdem Imperatoris epiſtolam miſſam ad Senatũ Romanũ, legendam in populo, miſerit talem, Senatui Populoq; Romano, Claudius princeps. Ego verba magiſtri memoriæ non requiro, Patres Cõſcripti: militãtes audite quod verum eſt. Trecenta viginti millia barbarorum in Romanũ ſolum armati venerunt. Hæc ſi vicero, vos vicem reddite meritis: ſi non vicero, ſcitote me poſt Galienũ pugnare velle. Fatigata eſt tota Reſpub. Pugnauimus poſt Valerianum, poſt Ingenuum, poſt Regillianũ, poſt Lollianum, poſt Poſthumum, poſt Celſum, poſt mille alios, qui contemptu Galieni principis, à Repub. defecerũt. Non ſcuta, non ſpathæ, non pila iam ſuperſunt. Gallicas & Hiſpanicas vires Reipub. iam tetricus tenet, & omnes ſagittarios (quod pudet dicere) Zenobia poſſidet. Quicquid fecerimus, ſatis grande eſt. Hos igitur Claudius ingenita illa virtute ſuperauit, hos breui tempore attriuit. Habuerunt prætereà hoſtes duo millia nauiũ, duplicem ſcilicet numerum, quibus Ilium, totã pariter Grępiam, omnem Theſſaliam, Aſiæ vrbes quondã expugnare conati ſunt. At illud poeticus ſtylus fingit, hoc vera continet hiſtoria. Ipſius Claudij aliam audiamus epiſtolam: Claudius, Braco duci Illyricano. Deleuimus trecenta viginti millia Gothorũ, duo millia nauium merſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis, ſpathis & lanceolis: littora omnia operiuntur, cãpi oſſibus latent tecti, nullum iter purum eſt: ingens Carthago deſerta eſt. Tantum mulierum cepimus, vt binas ac ternas mulieres victor ſibi miles poſſit adiungere. Et vtinam Galienum non eſſet paſſa Reſpub. vtinam ſexcẽtos tyrannos non pertuliſſet: ſaluis militibus quos prælia ſuſtulerunt, ſaluis legionibus quas Galienus malè victor occidit, quantum eſſet additum Reipub? Siquidẽ nunc fragmina naufragij publici colligit noſtra diligentia, ad Rom. Reip. reparationem. Pugnatum eſt enim apud Mœſios, & multa prælia peracta apud Martianopolim. Multi naufragio perierunt, pleriq; capti reges, captæ diuerſarum gentiũ fœminæ nobiles: impletæ barbaris ſeruis ſenibuſq; cultoribus Romanæ prouinciæ, factus miles barbarus & colonus ex Gotho: nec vlla fuit regio, quæ Gothum ſeruũ triumphali quodam ſeruitio non habebat. Quid boum barbarorum noſtri videre iuniores, quid ouium, quid equarũ (quas fama nobilitat) Celticarum? Hoc totũ ad Claudij gloriã pertinet. Ita Romanus de Romano ſcribit Imperatore. Si doctus quiſpiã ex Gothis rem in literas retuliſſet, paulò diuerſius ſonaret. Et quando in Romanorum teſtimonia de rebus Gothicis incidimus, proſequamur quę de Aureliano Imperatore ſuper Gothorum rebus ſunt perſcripta. Loquitur Valerianus Imp. Auguſtus. Gratias tibi agit Aureliane Reſpub. quòd eam Gothorum poteſtate liberaſti. Abundamus per te præda, abundamus gloria, & iis omnibus quibus Romana fœlicitas creſcit. Cape igitur pro rebus geſtis tibi coronas murales, coronas vallares quinque, coronas nauales duas, coronas ciuicas duas, haſtas puras decem, vexilla vnicolora quatuor. Vides quàm magnum fuerit conflixiſſe & viciſſe Gothos? Addit, Tunicas ducales Ruſſas quatuor, pallia proconſularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam ſubarbalem, ſellam eburneam. Nam te conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad Senatũ, vt tibi deputet ſcipionem, deputet etiam faſces. Hæc enim Imperator nõ ſolet dare, ſed à Senatu, qui ſit cõſul, accipere. Aurelianus ſurrexit, atq; ad manus acceſſit, agens gratias militaribus verbis: quæ propria & ipſa apponenda decreui, Et, ego, inquit, domine Valeriane Imperator Auguſte, ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter excepi, ideo & equos & coniuratos meos laſſaui, vt mihi gratias ageret Reſp. & conſcientia mea. At tu plus feciſti. Ago ego gratias bonitati tuę, & accipio conſulatum quem das. Deus faciat, & Deus certus, vt & Senatus ſic de me iudicet. Hęc idcirco poſui, vt qualis fuerit terror illa ætate Gothici nominis apud Romanos, appareat: quando tam magnus eſt honor habitus duci, qui vel vno prælio ſuperior, retro videtur egiſſe hoſtes Gothos.

Cl. Imperatoris ad S. P. Q. R. de victis Gothis epiſtola.

Alia eiuſdẽ ad Braconẽ epiſtola.

Victoria de Gothis gratulatio & præmia.

CAP. 10.

Cl. Imperatoris ad Aurelianũ ducẽ epiſtola.

CANNABAS, ſiue (vt alij vocant) Cannabandes, Gothorum rex erat, quum Romanum Imperiũ Aurelianus teneret. Cui prędeceſſor ſuus Claudius adhuc duci, mandauit bellum hoc Gothicum, per epiſtolam hãc. Flauius Claudius Valerio Aurelia-

Aureliano ſuo S. Expetit à te munus ſolitũ noſtra Reſpub. Aggredere: quid moraris? Tuo magiſterio milites vti volo, tuo ductui tribuens. Gothi oppugnandi ſunt, Gothi à Thracia amouendi. Eorũ enim pleriq; Hæmi montem Europamq́; vexãt, qui te pugnante fugerunt. Omnes exercitus Thracios, omnes Illyricanos, totumq́; limitem in tua poteſtate conſtituo: ſolitam nobis ede virtutem. Tecum erit frater Quintilius, quum occurrerit. Ego aliis rebus occupatus, ſummã belli illius virtutibus tuis credo. Vides qualis fuerit Gothorũ reſpectus, quibus fortiſſimum ducem, cũ proprio fratre Imp. duxit exponendos. Sed ille tum ſecundis vſus præliis, Claudianis auſpiciis Rempub. in integrũ reddidit. Oro, quæ fuit illa magnitudo cladis ſub Claudio, quũ occiſis CCCXXM. tam citò poterãt Gothi reparare vires, vt fortiſſ. duce opus fuerit ad gentem reprimendã? Eſt quod ſæpe dixi, rem aliter Gothus ac Romanus æquè docti narrarent. Idẽ Aurelianus iam Auguſtus, quum in Orientem aduerſus Zenobiã armaſſet exercitũ, in ipſo itinere multa peregit prælia. Nam in Thracia & Illyrico occurrens, Gothos vicit: ducẽ gentis, quinetiã Canabã, cum quinq; millibus hominũ trans Danubiũ interemit. Et poſt Oriẽtis Galliarumq́; victoriã, quum vrbem Romam triũphans ingrederetur, inter alios ſplendore inſigni currus erat cunctis ſpectabilior, is quẽ Gothorũ regi fertur ademiſſe. Eum quatuor cerui domiti trahebant. Hoc curru inuectus Capitolio fertur Aurelianus: quũ certos Ioui ſuo deuouiſſet, immolabat. Ductæ ſunt & decẽ mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gothos ceperat: quum multæ eſſent interemptę, quas de Amazonũ genere titulus indicabat. Nam Gothi, Sueui, Wãdali, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Germaniq́; ducebãtur in triũpho, vinctis poſt terga manibus. Attamen eò res breui peruenit, viuente & adhuc imperante Aureliano, quòd vaſtatũ cerneret Illyricũ, ac Mœſiam videret deperditã. Prouinciam trans Danubiũ, Daciam, à Traiano cõſtitutam, & à ſe renouari tentatam, ſublato exercitu & prouincialibus, reliquit, deſperans eam poſſe retineri: abductoſq́; ex ea populos in Mœſiam collocauit, ſuamq́; Daciam appellauit: quæ nũc duas Mœſias diuidit. Huius autem ſucceſſor in Imperio, per mediũ Tacitum, Probus quum Germaniã omnem pacaſſet, Sarmatas repreſſiſſet, tendit iter per Thraciam: atq; omnes Geticos populos, fama rerum territos, & antiqui nominis potentia preſſos, aut in deditionem, ſi refragarentur, aut, ſi quieturi viderentur, in amicitiã accepit. Durauit hic rerum ſtatus per aliquot Imperatorum tempora: vt ſub hoc Probo, & qui ſequebatur Caro, aut etiam ſub Diocletiano, & eius conſorte Maximiano, nihil in hoc populo nouaretur.

Canabas Gothorum rex cadit.

CAP. II.

GALERIVS Maximianus Cæſar erat, cum Conſtantio, allectus à Diocletiano & Herculeo Maximiano Auguſtis, vt ſecunda poteſtate fruerẽtur in Romano Imperio. Quorum Maximianus Galerius Orienti præfectus, bellum adminiſtrabat in Narſetem Perſarum regem: quum interim Diocletianus in Ægypto & Herculeus Maximianus in Galliis bello detonarent. Interim Galerius (quòd pro ętate inſolentior videretur) temerè inito prælio, vix æqua manu diſceſſerat. Deinde iterum fortunam retentans, ferocior imminebat: ibi victus omnem amiſit exercitum. Aderat cum copiis Diocletianus Auguſtus: & coram illo contemptui habitus, in purpura pedes ad rhedam Auguſti per multa millia currere ſinebatur: vt ferocis iuuenis animus exaſperatus contumelia, cautior in hoſtes fieret. Igitur reparandis agminibus circumſpiciens, Gothos ex Thraciis Mœſiaq́; adiutores promeruit. Quorum forti vſus opera, victor (pridem victus) euaſit, magno prælio & contumeliam detergens, & victoriam Romanis importans. Gothos auxiliarios diu in precio habuit. Hic vide lector, ne nominum ſimilitudine fallaris. Nam Herculeus Maximianus hic eſt, quem primum collegam accepit Diocletianus: ſub quo in Galliis martyrio coronata eſt legio Thebeorũ martyrum. Alius verò Galerius Cæſar erat primum: poſtea tamen, quum & Diocletianus & Herculeus Maximianus purpuram deponentes, ad priuatam redierunt vitam, factus eſt Auguſtus cum Conſtantio, patre Conſtantini Magni. Cognomento dictus eſt Maximianus: quamuis apud multos appellatus ſit Maximinus. Sed Pomponius Lętus, diligentiſſimus antiquitatũ ſcrutator, ex inſcriptionibus marmorum & æris, Maximianum, non Maximinum teſtatur vocatum. Erat tamen & antè & pòſt Maximinus: hic quidem in toto regno

Galerius infæliciter præliatus, ignominia afficitur.

Gothi Galerio operas locant.

Maximianorum homonymia.

ſuccedens Alexandro Auguſto: ille verò in Oriente Cæſar à Calerio eſt allectus.

CAP. 12. A memoria quidem Aureliani, qui exercitus reduxit à Dacia, & Probi Imperatorum, qui Gothos quieſcentes in amicitiam admiſit & fœdera, quieuere: nec excurſionibus vexauere Romanas prouincias: auxilia mittentes Romanis Imperatoribus, vbi inuitarentur, & viciſſim militaria dona receperunt. Nihil perinde magni patrauere, niſi quòd auxiliariis copiis Rempub. Romanam fulcierũt. Paulatim

338. verò in obliuionem venere Romanis. Sub Auguſto deinde Cōſtantino Magno ſe commouentes, vbi & Mœſiam & Thracias excurrere tentauerunt: magno prælio fuſi, non minorem cladem ſub hoc Imperatore quàm antè ſub Claudio, acceperunt: vt Blondus ipſe teſtatur. Et tamen quòd non contemnenda manus bello ſuperfuerit, indicat fœdus quod idem Imperator cum illis renouauit. Neq; enim fœdere opus extitiſſet, ſi ad internecionem ab illo cæſi, vires aut vehementer attenuatas aut nullas retinuiſſent. Quo inter alia comprēſum eſt, vt vocati Romanis ſignis adeſſent, militarentq; Reipub. Quod ipſum magnificè impleuerunt. Nam eorum forti opera ſæpe vſus eſt in ſororium ſuum Licinium: quem Galerius Maximianus Cæſarem legit, ipſe Conſtantinus data in coniugium germana Conſtantia, etiam fecit Auguſtũ. Erat enim vir militaris, induſtriæ peritiſſimus, & Reipub. plurimùm neceſſarius: ſed exoſor literarũ, & Chriſtiano nomini inimiciſſimus. Vnde factum eſt, vt odium mereretur optimi principis Conſtantini Magni. Quumq; in eum duceret iterum atq; iterum Cōſtantinus, Gothos ſemper habuit auxiliatores: nec ſemel illum vicit, ſemper renouantem bella. Vnde factum eſt, vt omni honore deſtitutum, precibus victus ſororis, priuatum illum viuere ſineret in Theſſalonica. Sed quũ neq; ſic ſatis quieturus videretur, ſcripſit Conſtantinus ſenatui Romano, quid de Licinio faciendum videretur. Ille reſcripſit, militum eum iudicio permittendũ. Vnde euenit vt iter facientem, milites opprimerent. Hæc idcirco ſcripſi, vt cognoſcamus Gothos in precio fuiſſe illa tēpeſtate. Blondus quidem noſtrorum ſcriptor temporum, breui commemoratione percurrit gentis huius memoriam: quoniam ab ea cœpit inclinatio Romani Imperij, quam ille in primis deſcribit. Et tamen originem non explicat, media tempora multa tranſilit: id quod nos trāſiuimus, tamen attingit, Baſſianũ Seueri filium, leuibus præliis caſtigaſſe magis Gothos quàm ſubegiſſe: Gordianum quoq; minorem ibi exercitum habuiſſe, conflixiſſeq; cum gente. Proxima ætate, Decium ducem à Philippo Imperatore miſſum, aliquot præliis inferiorem, infecta re in Italiam rediiſſe: quum fortè cauſis & viis ſeſe monſtrantibus, in odium Philippi ad Imperium Romanum aſpiraret. Sed præterit, eundem Decium iam Imperatorem, cum Cæſare filio eiuſdem nominis, totis viribus confligantem huic genti, cum filio & exercitu periiſſe. At quæ nos in medio vſque ad Conſtantinum commemorauimus, ſilentio tranſit. Nos verò compertum tenemus, Gothos ſub Cōſtantino Magno XL. millibus armatorum, quorum erant duces Ariaricus & Artieus, militaſſe, eorumq; forti opera vſum primùm (vt diximus) in Licinium, deinde in alias (vbi opus erat) gentes Imperio rebelles.

Gothi à Cōſtātino Magno ingentē cladem acceperunt.

Licinij ſubdoles nouas moliētis mors.

CAP. 13. GIBERICVS in gente ſua regnum tenuit adhuc imperante Conſtantino Magno, patre natus Hilderico, auo Ouida. Hic accepto principatu, cum Romanis quidem fœdera ſeruauit illibata: ſed erant vicini Wādali ſub rege ſuo Wiſmaro, quos ſuæ ditionis facere cogitabat. Conſederant autem ad ripam Danubij Borealem, à Gothis ad occiduum, ſupra Marcomannos: qui ab illis ad Occidētem habitabant. A Meridie Danubij ripam, ab Aquilone Hermunduros habebant. Gibericus itaq; ducens in Wandalos, magno illos bello vicit, multis mortalibus vtrinque cadentibus. Victi autem Wandali ad Imperatorem confugiunt Conſtantinum, pacem ab illo & ſedes in Pannonia poſtulantes. Et impetrarunt, icto fœdere cum illo: ibique conſedere vſque ad tempora Honorij Imperatoris, donec à Stilicone euocarētur. Quod in Wandalia dicemus. Tempore ex illo cœperunt duces illorum Imperiali ſe aulæ inſinuare. Vnde tanta creuit Stiliconis autoritas, vt Imperatorum duorum medius, alterius gener, alterius eſſet ſocer. Quod ſuo loco exequemur. Sed tum Gothi Wandalorum victores, pacem genti ab Imperatore datam, violare nō auſi, quietos Wandalos dimiſere. Hic operæpretium eſt agnoſcere, non ſolùm in hac mun-

Gibericus Gothus Wādalos ſedibus expellit.

Lib. 2. cap. 22.

mundi plaga, verùm & in toto orbe terrarũ, crebrius mutata eſſe nomina gentium, ſiue quod aliunde venientes, pulſis habitatoribus ſedes occuparunt, ſiue à magnifico rege nomine mutuato, (quod Romanis & Ægyptijs acciderat) ſiue ab ſingulari caſu ſit nomen inditum genti, ſiue veteri populo ad internecionem deleto, victricis gentis vocabulum in loco perdurauit. *Nominum mutatio vnde.* Quod ipſum exemplis aſtruere nouiſſimis, vtinã non tantã ſuppeditaret copia. Nam Vngari Pannonias, de ſuo nomine dixere Vngariam: Turcæ Aſiam omnem minorem, olim ſuis prouincijs diſtinctam, nunc Turciam magnã appellauere: nouiſſimi Tartari olim Sarmatiam, nunc de ſuo vocabulo Tartariã vocauere. Idem vetuſtis illis ſeculis intelligere debemus cõtigiſſe: vt non difficile ſit cõmonſtrare, qui olim fuerunt Marcomanni: vbi Cornelio Tacito auſcultemus, grauiſſimo autori, & Germaniæ diligẽtiſſimo ſcriptori, qui ait, In Hermunduris Albis oritur (hi ſunt hodie Morani: nam & in eorum montibus fons eſt & ſcaturigo Albis fluminis) iuxta Hermũduros Nariſci, ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt, præcipua Marcomannorum gloria vireſq́;, atq; ipſa etiam ſedes, pulſis olim Boijs, virtute parta. Hanc accipio Boemiam, in qua gens manet Wandalica. Inde manet nomen, vt apud Ptolemæũ dicatur, Boiemi gens magna. Et verè magna etiam noſtra tempeſtate, quæ Ruſſiam, Poloniam, Boemiam, Dalmatiã complectitur, vna etiam vtens lingua Wandalica. *Boemia magna.* Nimirũ Marcomanni gens debet intelligi magna fortiſſimaq́;, quę Marcũ Antonium, pij Antonini ſucceſſorem, Cõmodi patrem, triennio fatigauit, vt difficillimum hoc omnium bellum, & olim Punicis cõparandum, apud ſcriptores habeatur. Aurelianus & Probus quoq;, principes in Romana Repub. optimis cõparandi, huic genti acerrimũ bellum, ſed difficile inferebant: & vtriq; victores, domita gente, ab Romanis ſcriptorib. efferuntur, aliter Marcomanno æquè docto, ſi extitiſſet, narraturo. Sed ad Gothos noſtros reuertamur, qui ſub Giberico rege cõpoſiti, pace longæua ad exitum eius quieuere.

Cap. 14. *Armanaricus rex Herulos vincit.*

Armanaricvs nobili Amalorũ familia natus, Gothorum regno ſucceſſit, qui omnes ante ſe reges, magnis rebus domi foriſq́; geſtis non ſolùm æquauit, ſed & exuperauit, longè circumductis victricibus ſignis per multas nationes. Et quum Orientem verſus & in Boream longè lateq́; perdomuerit nationes, à Romanis tamen prouincijs abſtinuit, quòd fœdere prohiberetur. Vnde factũ eſt, vt in Romanis hiſtorijs illius nomen non legatur, ſed inter Gothiæ reges fertur illuſtriſſimus. Poſt alias bello ſubactas, Herulorũ gentem bello aggreditur. Ea ad paludes Mæotidis (Ablabio autore) tum conſederat, nomen à loco mutuata. Nam loca ſtagnantia ex paludibus Græci *Hele* feruntur appellare: inde (vt fit) tranſuerſis literis, pro Heleris Heruli ſunt vocitati. *Heruli vnde dicti.* Gens quãtum pernicitate agilis, tantum in ſuperbiam euecta. Nulla è propinquo gens, quæ non leuem armaturam ex ea natione delegerit. At quæ ſæpe illis agilitas, & ad curſum velocitas profuit, apud Gothos prodeſſe nõ potuit. Nam ſtabilis illorum pugna curſum ademit, coegitq́; manus conferre aduerſis hoſtibus. Vincuntur, funduntur q́;: & qui ſuperfuere cædi, manus dare cogũtur victoribus Gothis. Inde in Venetos Armanaricus arma vertit. Nemo explicuit quæ gens fuit Venetorum, quum & Plin. & Tacitus & Ptolemæus eam nominent in regione Orientis cõſidentem. Cæterùm Iordanes ex Ablabio prodidit quę gens fuerit, aſſerens trinomiam eſſe, Venetos, Anches, Sclauonos. *Veneti qui.* Non alios accipimus fuiſſe quàm Wandalos, gentem latiſſimam: quæ pro magnitudine ſua, varijs (vt diximus) locis, diuerſa nomina & tunc & nunc ſortitur. Sclauonorum, ſiue (vt nunc habet cõſuetudo) Sclauotum, vſitatiſſimum apud omnes nomen eſt: cæterùm antiquiſſimum eſt Wandalorum, vt teſtis eſt nobis Tacitus, optimus Germaniæ illuſtrator. Accedit Plinius, qui vetuſtiſſimum ampliſſimæ gentis tradit Wandalorum nomen. Quod vocabulum vſq; adeò apud multos habetur abolitum, vt niſi vernacula Saxonũ lingua conſeruaret, (quę Sclauonos *Wenden* appellat) hodie qui Wãdali, & vbi eſſent ac olim fuiſſent, ignoraremus. Quũ bello vrgeretur ea gens à Gothis ſub Armanarico, infinita multitudine prodijt in aciem, pro copia populorum. Sed quod ſæpe alias, tum etiam apparuit, nihil tam obfuiſſe victoriæ, quam multitudinem ſine ordine pugnãtium. Ceſſere tamen Wandali Gothis, & imperiũ ſubiere victoris. Nec ea gẽte, licet latiſſima, in deditionem accepta, quieuit Armanari-

cus. Stimulauit illum magni nominis vmbra, vt à mari ad mare dominationem diceretur protuliſſe. Eſtonum gens eſt, quæ etiam nunc habitat ad littora Sarmatici maris, quæ nunc Liuonia dicitur: perſeuerat nomen gentis, & lingua ſua. Eam ſibi ſubijcere conatus Gothorum rex aggreditur. Vnde facile eſt intelligere, omnes à Danubio in Boream nationes illi iam paruiſſe, quòd per illas, tãquam ſubiectas aut pacatas, tam longè ductaret exercitum. Nimirũ maiorem illius partem tunc & nũc Wandali tenuere. Nunc tamen Danubio proximi ſunt Vngari, gens poſt eam ætatem quã deſcribimus, ingreſſa. Inde Boemi, poſt pauca Poloni: & poſt Letuanos in littore maris ſunt Eſtones, quos ſuo parere imperio armis rex ipſe coegit. Inde bellũ illi maius exarſit ab Hunnorũ gente, quæ tunc tranſiſſe Mæoridas ferur paludes.

Eſtones Armanaricus debellat.

CAP. 15.

QVIA Hunnorum gentis celebre nomen, ex hac ætate in tempora durauit Caroli Magni, ſæpiuſq; illius mentio incidit noſtræ narrationi: operæprecium videtur oſtendere ex autoribus, quę gens fuerit, vnde venerit, vbi conſederit. Tradit Iordanes Rauennas archiepiſcopus, & ant[illegible]llum Ablabius ſenator Rom. (à quibus Sigibertus Gemblacen. monachus accepit) tempore vetuſtiſſimo, quũ primùm Gothi egreſſi Suecia, ad cõfinia Mæotidis paludis ſub Erico rege perueniſſent, fuiſſe in eorum medio magas mulieres, quæ tonitrua, fulgura, tẽpeſtates aëris pro arbitrio cõcirent: quod genus frequens erat in Suecia Noruagiaq;, quum inibi ignotus adhuc maneret verus Deus. Sed tum Ericum regẽ, odio maleficiorũ, ab exercitu ſuo profligaſſe maleficas, & in vlteriorem ripã paludum tranſpoſuiſſe, ne vllo eorum commercio gens ſua contaminaretur. Illæ aliquandiu errabundæ, vagum hominũ genus Scythicæ nationis reperientes, ſociarunt cum illis connubia. Et quanquam vetularum ætas maleficijs plurimũ vtatur, erant tamen in eis ætate integræ, quæ prolificarent. Coaluit hoc ſemine breui magna ſeges hominũ, quòd in regionibus frigidis rarior eſt aeris contagio, quæ ſolet mortales cõſumere. Et permãſit hoc genus hominũ per multa ſecula noſtris hominibus incognitum, quòd in alterã paludum ripam nulla erant cõmercia cum citerioribus. Cerua fuit, quæ venãtibus iter monſtrauit. Ea canibus exagitata, inuicem tentauit iter, per ſuperiora paludis cõtendens in alterã continentem. Secutus venator, didicit paludẽ fore meabilem: & cõſtitutis per interualla ſignis, itinere quo venerat, reuertitur ad ſuos. Id quum iterũ atq; iterũ pertentaſſet, cerneretq; cultiorem hac parte terrã quàm in ſua regione, principibus in populo rem aperuit. Qui vbi cõpererunt vera narrantẽ, omni ſuorũ multitudine collecta, cum vxoribus & liberis, & cũ tenui quam præferebant ſupellectile, nouas ſedes quæſituri, paludes tranſierunt. Noua hominũ facies terrorem ingerebat cernentibus. Nam breuis eorũ ſtatura, toruus aſpectus, luminum puncta potius quàm oculi, color teter, inſuetis tartareã faciem præferebant. Iordanes incubis ſpiritibus progenitos primos arbitratur: alij Faunis agreſtibus (quos aiunt ſyluas incolere) nihil humanũ præter ſolam ſpeciem prętendentibus, ortos prodidere. Mihi probabilior narratio viſa eſt, quã poſui, Scytharũ ortos genere. Sed certiora quædam de origine Hunnorũ nobis tradidit Beroſus Babylonicus ſacerdos, cui publico munere contigit antiquitates renouare, & annales perennare. Is vltra cataclyſmũ aſcendẽs, oſtendit Noham noui ſeculi patrem, (quẽ hiſtoria ſacra Noe appellat) poſt diluuiũ genuiſſe Thuiſconem. Is filios reliquit Hunnum, Wandalum, Sueuũ, Marſum, & reliquos intra Tanaim & Rhenũ omnes cõmorantes. Vnde apparet, omnes ex his nationes prodeuntes, Europęas fuiſſe, non Aſiaticas. De ea autem Hunnorũ regione, quam Mæotidẽ tranſeuntes occuparũt, duo ſunt probata teſtimonia, quòd eas tenuerint vaſtas ſolitudines, quas olim Sarmatæ, quos Græci vocant Sauromatas, nunc Tartari tenent. Nam Saxo Danicus ſcriptor, regum ſuorũ diligentiſſ. cultor, multis locis cõmemorat Danorum reges Hunnis bello fuiſſe congreſſos, mediam habuiſſe Ruſſiam, quã Danus ad Hunnos, Hunnus item ad Danos profectus pertranſibat. Alterum teſtimonium reddit Priſcus hiſtoricus. Is enim à iuniore Theodoſio, (cuius erat epiſtolarum magiſter) ad Hunnorum reges orator in Scythiam miſſus, Imperatori ſcripſit, ingentia ſe flumina tranſeuntes, ad loca perueniſſe, vbi dudum Indigoia Gothorum fortiſſ. Sarmatarũ dolo occubuerit. Indeq; non longè ad vicũ, in quo rex Atila morabatur, acceſſiſſe, vicum, inquam, inſtar ciuitatis ampliſſi-

Maleficia magorum apud Boreales crebra.

Hunnorum origo, & vultus deſcriptio.

Beroſus de Hunnis.

Priſci de Hunnorum gente teſtimonium.

pliſſimæ, in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata vident: quarũ tabularum compago ita ſolidum mentiebatur, vt vix ab intento poſſet iunctura tabularum comprehẽdi. Erant triclinia ambitu prolixiore diſtincta, porticuſq; omni decore diſpoſitæ. Area verò curtis ingenti ambitu cingebatur, vt amplitudo ipſa regiã aulam oſtentaret. Hæc ſedes erat Atilæ quõdam regi, Barbariem totã tenenti. Hæc captis ciuitatib. habitacula præponebat. Hunni ergo, Gothis adhuc gens incognita, vbi ſub aſpectum armati venerunt, Gothos inuictam gentem (& quæ multas in ſuam ditionem nationes redegerat) terruerunt: quòd atro colore, minutis oculis, imberbibus genis, vocis incognito ſtridore viderentur. Sed tamen in aciem prodire auſi, virtutem inſueti hoſtis ſtatuunt experiri. Equidem turbari poteſt ad inſueta virtus, perturbari verò nõ nouit. Animabant illos tot per gyrum de gentibus victoriæ: rex ipſe, omnium opinione inuictus, augebat fiduciam. Sed illũ tum caſus eripuit præliaturis. Nam quum pridem tuliſſet acriorem in fœminã mariti ſui deſertricem ſententiam, quòd indomitorum pedibus equorum alligata diſcerperetur: fratres eius obſeruato tempore, latus regis Armanarici gladio foderunt. Quo accepto vulnere quum deijcerentur Gothorum animi, Hunnorum ſunt erecti. Quò fidentius in prælium egreſſi, Gothorum terras vaſtabant, nullo in aciem occurrente. Rex autem quum vulnus corporis incrudeſceret, accedente vulnere mentis de Hunnorum digraſſatione, dolore autem confectus, rebus exceſſit humanis, plenus dierum, quòd decimum ſupra centeſimum annum vitæ impleſſet.

Armanarici caduca cauſa, mors & atas.

Cap. 16.

WINITARIUS Armanarici ex fratre nepos, in ſceptra ſucceſſit. Sed ex hoc die quo Oſtrogothi ſub tributo viuerent Hunnorum, Wiſigothi facta diſceſſione, ſuæ libertati proſpexere. Cæterùm Oſtrogothi relictis quas tenuere ſedibus, in Põticum latus, veterem manſionem abiere, Hunnis iam dominis ſuis cedentes. Gens indomita ferre iugum, iam tunc rebellionem meditabatur: nec diu differebat conceptа conſilia. Quippe vires exacuens, in proximam ſibi gentem duxit exercitum: factaq; cõgreſſione, captum regem cum filijs & ſeptingentis primoribus, in exemplum terroris cruci affixit: exigentibus id eorum demeritis, quòd Gothos priſcis ſedibus conſiſtere non paterentur. Sed quum iam tributa rex Hunnorum Valamber à Gothis exigeret, non eſt paſſus Winitarius, gentem ſuam, libertati natam, ſeruire ſub tributo: bellum pro ære offerebat. Accepit ille: & comparatis exercitibus ducebat in Oſtrogothos. Augebat Gothorum fiduciam recens victoria: difficilis aditus Hunnorum acceſſerat. Ita magnis vtrinq; ſpiritibus in prælium itur. Primo certamine Gothi victores fuere: repetito certamine idem exitus. Iam certum erat vinci poſſe & Hunnos: itaq; maiore animo tertium quoq; prælium ineunt. Ibi poſt multam ſtragem, fortiſſimè pugnans cadit Winitarius, dantq; manus Oſtrogothi victoribus Hunnis, priſtina tributa non recuſantes.

Hunni Gothos demũ victos ad tributa cogũt.

Cap. 17.

HUMMUNDUS potentiſſimi quondam Armanarici regis filius, non æquè paterna in ſceptra conceſſit. Quippe ille toti genti ſolus imperitans, multis adiectis in circuitu nationibus dominabatur: filius autem ſolis Oſtrogothis, Wiſigothis deficientibus, ægrè regnabat, ſub tributo Hunnorum, quum etiam magno bello nimis attritæ erant gentis huius vires. Quieta erant regis huius tempora, quòd extenuatæ vires nihil magni admitterent. Quumq; non diu pòſt in fata conceſſiſſet, filius eius Turiſmundus in ſceptra peruenit, primo iuuentæ ſuæ flore perornatus. Qui ſecundo regni ſui anno mouit in Gepidas, magnoq; prælio iam victor, ipſe ſuper hoſtium quam fecerat ſtragem occubuit. Quem ſic luxerunt Oſtrogothi, vt per annos XL. non alium ſibi regnare hæredem paterentur: tam pertinaciter amori regis inhærebant. Cuius filius Hermundus, non magnifaciens paternum regnum, (quòd ſub iugo viuerent Hunnorum) cum filio ſuo Beterico ad Wiſigothos ſe contulit: & ſub Theodorico Wiſigothorũ rege, (is erat qui cum Aetio in Atilam pugnabat: de quo ſuis locis dicam) tacita generis ſui nobilitate, cum magna gloria militauit. Interim Walamir, filius Wandalarici, nepos Winitarij, regnum accepit cum fratre Dietmaro, accedente tertio Witimaro. Eratq; in tribus fratribus mira charitas, & grata cernentibus contemplatio, quando Dietmarus pro fratris fulciendo imperio militabat, Walamir pro ornando germano cõtendebat, Witimarus vtriſq; obſecutus,

Gothorum regnũ valde inclinatũ.

Turiſmũdo mortuo Gothi diu abſque rege.

neutri deerat. Sed hæc poſtea ſuis locis explicāda, nunc per anticipationem quandam ſunt attacta, vt regum Oſtrogothorum ſucceſſionem à Wiſigothis (de quibus mox) diſcernamus.

CAP. 18. VT autem quod ab initio conſtituimus exequamur, Gothorum præclara facinora inter Sueticas res commemorare, (quòd Sueciæ regnum, prima gentis incunabula Gothi recognoſcunt) nunc paulisper Gothicis intermiſſis, (quas ad Valentinianum vſq; Imperatorem produximus) in Sueciam denuo reſpiciamus, vt quæ vicinis patrata ſunt temporibus, propinqua narratione iungantur. Neque enim congruit longè ſuprà repetere narrationem, quando vnius gentis facinora, diuerſis orbis partibus digeſta, vnum in ordinem contexere conamur. Ingo maior natu inter tres Alueri filios, ſceptris paternis iuſta & legitima ſucceſſione potitus, fratribus Olauo atque Ingello ditiones ſuas ſecreuit, ipſe totius regni iura moderaturus.

Suprà lib. 1. cap. 48.

Prima illi cura fuit amplificandi regni: qua fiducia auſus eſt bellum Danis indicere. Præter enim exercendarum virium & augendarum opum cauſam, & gloriam imperij prolatati, alij ſuberant non contemnendi rerum ſtimuli, vel de finibus, vel de cuiuſque quod prætendebatur (vt fit) iure in alterna ditione. Danorum autem rebus tum Haraldus præerat, qui ſollicitus de futuro bello, quod Sueci indixerant, religionis ſuæ implorat auxilium. At illi viſa eſt aſtare imago ſenis luſci, qui ſe Othinum memorabat. Is anxio regi de futuri belli euentu viſus eſt tradere rationem ſtruendarum acierum, vt tribus turmis copias partiretur, & vnamquamque ſua ratione dirigeret, vt ab acie in qua gemini præerant, vſque ad viginti, gradatim cornua denſans procederet: mediam faceret turbā iaculatorum: poſtremam verò ad exemplum primæ inſtrueret, & in ſubſidijs omnium generum armatos collocarēt, equitum alas iungens lateribus. Hac ratione inſtitutus à ſene Haraldus, tantum fiduciæ animiq; concepit, vt non expectatis hoſtibus, bellum ipſe transferret in hoſticam terram. Ingo & Olauus fratres, comparatis agminibus, inexpectato hoſti obuiam pergunt, configuntq; viriliter. Sed tantum præſtitit noua acierum inſtructio Danorum regi, vt tumultuario de more prælio ingruentes Suecos facilè ſuperaret, opprimeretq; magno prælio victos regem cum fratre. Tertius ab annis minor frater, valetudinis vſus excuſatione, legatos de pace mittit ad victorem: pacemq; impetrans, pactis conditionibus in ſocietatem rerum omnium aſſumitur ab Haraldo, eius ſorore traducta in coniugium, vt amicitiæ vinculum affinitate firmaretur.

Acies inſtruēda ratio per ſomnum oſtēditur.

CAP. 19. INGELLVS poſt cæſos in Danico bello fratres, permittente victore, ſceptra paterna arripit: quòd iuncta affinitate, non vulgaris illis amicitia intercederet. Huius autem regis tempora vt fuere breuia, ſic nullis ab illo rebus geſtis ſunt illuſtrata. Sunt tamen qui tradant, Danici regis germanam non illo volente ductam, ſed raptu cognitam, germano abductam, belloq; diuturno repetitam. Quæ res non aliena moribus erat eius gentis: nam clariſſimum facinus duxere, nuptias gladio promereri. Igitur Ingellus memor fraternorum caſuum, armis decernere cum Haraldo non præſumpſit, ſed furto inſtitit germanam abducere: votoq; potitus bello ingenti repetitam defendit. Haraldus id quod erat res ipſa, iniuriam poſthabuit: & legitimis germanæ nuptijs, meliore conſilio, præbuit conſenſum. Ita pax inter reges firmata, interueniente coniugij vinculo. Accepta autem virili ex ea prole, mox rebus exceſſit humanis.

Vxores rapiendi mos.

CAP. 20. RINGO admodum puer patri Ingello ſucceſſit in regno, non tam ſuis viribus, quàm proximi Danorū regis Haraldi, auunculi ſui, armis ſecurus. Sed quum iam in ſenium vergeret Haraldus, longæuaq; ætate armis deſueſceret, malè conſultum iri regno ſuo putabat, quòd nullus eſſet armorum vſus, iuuenta minorum nullis prælijs aſſueta videretur: ſi externum ingrueret bellum, ludibrio hoſtibus futuram. Inciderunt quoq; ſimultatis cauſæ in nepotem Ringonem, vt in illum potiſſimùm arma pararet. Tantus autem fuit belli ingruentis apparatus, vt toto ſeptennio reges præluderent exercitandis viribus, colligendis auxilijs, parandis armis, nauigijs inſtruendis. Quæ res indicio eſt, non tam acerbis odijs ab Haraldi parte in bella fuiſſe procurſum, quàm erudiendæ iuuentutis grãtia, vt ſe rebus bellicis aſſuefacerent,

Belli apparatus per totū ſeptennium.

cerent,& militari gloria fulcirentur. Simul quòd indecorum arbitraretur, virum ſe per omnem ætatem armis exercitum, magis molli toro exeſum, morbo tabeſcere, quàm ſemel in acie fortiter pugnantem, militari exitu vitā ſenilem profundere. De auxilijs quæ quæq; pars contraxerat, longa eſt Saxonis cōmemoratio: qui Starcuterum narrationis facit autorem, vt pars magna belli fuerit. Ita ſe, qui cunctis rebus nō ſolùm interefat, ſed etiam multis præerat, omnia auxilia, pugnamq; multipliceē, eſſe ab illo ſcriptis deſignata. Operæprecium hîc ergo agnoſcere quæ cuiq; auxilia venerint. Nam Danorū rex, præter regni ſui vires, quas totas contraxerat ex Wandaliā, Saxonia, Anglia, Friſia, copias multas duxit in arma. Inerāt fœminæ armis innatæ, non ſolùm gregarios inter milites operam nauātes, ſed quæ ordines ducerent ſui ſexus. Wandalici generis hæ fuere. Tanta confluxit nauium multitudo, vt mare quod Scaniam atq; Sialandiā dirimit, iunctis naualibus terreſtre iter præberet cōmeantibus: quod tamen vbi arctiſſimum eſt, quatuor millia paſſuum habet in latitudine. Erat in Scania exercitus equeſtris ac pedeſtris, ad ſupplēdas (vbi opus videretur) turmas. Nauali enim prælio dimicaturi concurrerant. At altera de parte Suetici generis omne robur cōcurrerat. Acceſſere auxilia Liuonum, Eſtonum, Curetumq;, plurimi Noruagij Tilenſeſq;. Nec deerat illis ordinibus decus fœmineum: Hetha nomen erat puellæ, quæ cornu in acie tuendum accepit. Primi Sueci locum pugnæ præfinitum tenuere: nam Danis aduerſi venti, aditū niſi poſt ſeptentriū non dedere. Steterant in conſpectu claſſes: diriguntur in ordines pugnaturi. Ibi quiſq; ducū ſua agmina, quibus poteſt verbis, cōcitat in pugnam. Haraldus ſuam ab Ringone cōtemni queritur ſenectam, immemorem eſſe iuuenem quòd per ſenem regnet: multipliciter & iura ſanguinis & ſua benefacta proijci. Meminerint quiquē quàm ſit iniurium, ſenem ab iuuene bello laceſſi. Fortia facta patrum pro ſe quiſq; recolat: paratam eſſe in manibus victoriam, ſi viri ſint: opima ſpolia manere vincētes. At parte altera Ringo circūuectus, ſuos alloquitur, delirum ſenem eſſe, qui hoſtilia regat: mollē opponi militiam: quippe eſſe Germanos, Wandalos, Borealibus armis vinci ſolitos. Auſpicari ſe, multis ex rebus victoriā, quòd viribus præualeant, quòd animis exuperent, quòd iuſtiore cauſa laceſſiti in prælia veniant. Tātùm perſeuerent quib. ſunt animis: nullū fore dubium victoriā ſuis partibus aduolaturam.

Danorū & Suecorum auxilia.

Ducū ſuos cohortantiū Verba.

CAP. 21.

SIGNA canunt, prima miſſilia mittuntur, ſubducitur cœlum denſis vbiq; iaculis: vulnera neceſq; promiſcuè fiunt. At vbi propius res agitur, micant in manibus gladij: cædunt cæduntúrq;. Stabat de ſuorum parte Starcuterus, vir monſtroſæ fortitudinis: fortiſſimos quoſque obuios ſternit: vulnus non leue & ipſe excipit. Pro multitudine pugnantium varia erat prælij fortuna: hic vincentes, illic vincuntur. Alternant diu ſpes & metus: dubijs diu pennis inter vtranq; aciem victoria volitabat. Sed Danici regis interitus ſtatim vertit in Suecos victoriā. Vir ætate decrepitus, luminibus excuriens, iam vitæ pertæſus, in denſiora ſe mittens agmina, telis obrutus cadit. Cadunt pariter animi de hac parte pugnātium: eriguntur Suecis. At Ringo vbi comperit Haraldum corruiſſe, iam vnam cernens vbiq; pugnæ fortem, miſeratus cauſam Danorum, receptui cani iuſſit: ardentes animos ex Marte difficilè reuocat. Iam vna de parte fuga ſæuitiam vincentibus interdicit. Regium cadauer regiorumq; procerum ad funera dimittit. Ipſe diſponendis ordinādiſq; in Daniam rebus iam victor intētus, Hetham puellam, quòd eius vbiq; fortem expertus eſt operam, Daniæ regno præfecit: contumeliam perinde genti inurens, quòd fœmineo digna videretur imperio. Cæterùm Scaniam ab reliquo Daniæ regno præſcindens, Oloni Noruagiorum regis filio permiſit regendam. Sed facilè pertæſum eſt Danos fœminei imperij. Olonem precibus adoriuntur, demat Danico nomini contumeliam, ipſe ſibi regnum omne deſumat gubernandum, ſe ſpontè defecturos, vt culpa vacet apud Ringonem Sueciæ regem. Nec difficile fuit, ambitioſo perſuadere regnum inire. Vocatam ad ſe Hetham Daniæ regno iubet abſtinere, ſola Iutia in reliquum contentam: cui tamen annuum imponit (ne libera credatur) tributum. Ipſe ad natiuam crudelitatem conuerſus, breui effecit vt pœniteret Danos illum aſciuiſſe: in deſiderio illis eſſe cœpit fœmina, quam contempſerant. Sed non tam facile fuit deijcere, quàm regem conſtituere. Igitur Starcuterum auro pro-

Danus in prælio cadit.

Dan: a lib. 2. cap. 11.

Dani fœmina diu ſubeſſe non poſſunt.

miſſo adoriuntur, tyrannum è vita auferat. Ille vel auaritia corruptus, vel ſæuitia Olonis regis permotus, operas pollicetur. Balneis ſe lauandum Olo præbuit: ingreditur ſicarius ex fortiſſimo pugile. Olo miratus venientem Starcuterum, acr. contuitu hominem reuerberat, vt propoſiti pœnitens pedem referret. Ea vis erat luminoſorum in rege oculorum, vt quem armatæ acies non terruerunt, nudi hominis aſpectum ferre non poſſet. At rex conſcius luminum ſuorum, quum cuperet noſſe quid afferret, nihil veritus proditionem, à pugile inuictiſſimo oculos deiecit. Ille adortus regem, nudum gladio confodit, vno hoc crimine gloriam fortitudinis obſcurans. Cuius rei pœnitudo ſtatim ſubijt, permanſitq́; in finem vitæ. Nam in ſe reuerſus, nimium accuſauit auaritiam ſuam, quòd regem nihil de ſe malè meritũ, fidentem, nudum confodiſſet. Igitur pecuniam, quam precium regiæ necis acceperat, collo appenſam circumtulit, inuitans omnes eo precio ad necem ſuam. Multi præteriere, viri fortis ſanguine abſtinentes: nonnulli malè ſibi timentes, quòd etiam in ipſo mortis momento ſe vindicaret.

Dani liberatorem ſuum inſoleſcentem necãdum curant.

Starcuterũ regia necis pœnitet.

Cap. 22. Hatherus quidam inter Sueticam nobilitatem non infimus, in venatione agens, quum videret ſenem de longinquo, minus agnouit: ſed duos ex comitibus, admiſſis equis iubet præripere viam, ſciſcitaturos ſi Starcuterus ſit quẽ videat: nam illum minimè ceſſurum de via. Aduolantes equites vt terrefacerent, conuerſus ille claua ſua proſtrauit. Secutus Hatherus, vbi vidit caſum comitum, nihil dubitauit eſſe quem ſuſpicatus erat. Rogat ille ſenem cur gemino ſuccinctus gladio incedat, quum ſit neuter vſui. Si libet, refert ille, experire. Hatherus ſubinde, Vis alterum mutare vehiculo? Tum ſenior, Olim, inquit, ab irriſoribus pœnas acceperam, nunc verò ſe iuuenum patere cachinnis. Libet carmen inſerere, quod Saxo noſter tribuit indignanti.

Vt ſine regreſſu pronas agit alueus vndas,
Sic ætas hominum, curſim labentibus annis,
Irreditura fluit: præceps ruit orbita fati,
Quam generat, finem rebus factura ſenectus.
Illa oculos hominum pariter greſſusq́; retundit:
Eripit os animumq́; viris, famæq́; nitorem
Paulatim premit, & claros oblíterat actus.
Occupat occiduos artus, fruſtratur anhelæ
Vocis iter, vegetamq́; premit torpedine mentem.
Dum pariter tuſſis, dum pellis ſcabida prurit,
Dens ſtupet exeſus, ſtomachus faſtidia gignit,
Euacuat iuuenile decus, marcore decorem
Oblinit, & picta crebras ſerit in cute rugas.
Obterit egregias artes, monumenta priorum
Obruit, & titulos antiquæ laudis adurit.
Demolitur opes, precium virtutis & vſum
Carpit edax: tranſuertit res, & ab ordine turbat.
Ipſe ego quàm noceat didici damnoſa vetuſtas,
Viſu æger, vocis modulis & pectore rauco:
Cunctaq́; in aduerſam fluxerunt commoda ſortem.
Iamq́; minus vegetum corpus fulcimine tutor
† Flaccido, ſubiectis innixus membra bacillis,
Lucis inops moderor veſtigia fuſte gemello,
Et virga monſtrante ſequor veſtigia callis,
Stipitis auſpicio potius quàm lumine fiſus.
Nemo mei curam celebrat, nec in agmine quiſquam
Solamen veterano adhibet. Niſi forſan Hatherus
Aſſit, & infracti rebus ſuccurrat amici.
Ille ſemel quemcunque pio dignatur amore,
Integer incepto ſtudio conſeruat, eodem
Proſequitur, primoſq́; timet peruellere nexus.

†Verſus huius primus pes aliã dictionem poſtulat.

Ille

Ille etiam bello meritis bene, præmia crebrò
Digna refert, animosq́ colit: largitur honores
Fortibus, & claros donis veneratur amicos:
Spargit opes, laudisq́ ſuæ cumulare nitorem
Dapſilitate ſtudet, nulli virtute ſecundus,
Nec minor ad Martem, pietatem viribus æquat.
Belligerare celer, labi piger, edere pugnam
Promptus, & urgenti tergum dare neſcius hoſti.
At mihi, ſi recolo, naſcenti fata dedere
Bella ſequi, belloq́ mori, miſcere tumultus,
Inuigilare armis, vitam exercere cruentam.
Caſtra quietis inops colui, pacemq́ peroſus,
Sub ſignis Gradiue tuis diſcrimine ſummo
Conſenui, victoq́ metu pugnare decorum,
Turpe vacare ratus, crebras committere cædes
Egregium duxi, & ſtrages celebrare frequentes.
Sæpe graues bello reges concurrere vidi,
Et clypeos galeasq́ teri, crudeſcere campos
Sanguine, loricas affixa cuſpide rumpi,
Vndique thoraces admiſſo cedere ferro,
Luxuriare feras inhumato milite paſtas.
Hic aliquis fortè egregij conaminis autor,
Marte manuq́ potens, medium dum pugnat in hoſtem,
Intentam capiti loricam diffidit: alter
Caſſide perfoſſa, ferrumq́ in vertice merſit.
Hic gladius ſæpe dextra bellantis adactus,
Tegmine diſciſſo capiti diſtrictus inhæſit.

Hatherus autem tale carmen tribuit:

Vnde venis patrias ſolitus ſcriptare poeſes,
Infirmo dubium ſuſpendens ſtipite greſſum?
Quóve ruis Danicæ vates promptiſſime Muſa?
Roboris eximij caſſus decor excidit omnis,
Exulat ore color, animoq́ amota voluptas,
Deficit arterias vox, & raucedine torpet,
Deſeruit corpus habitus prior, vltima cœpit
Illuuies, formæq́ notas cum robore carpſit.
Vt ratis aſſiduo fluctu quaſſata fatiſcit,
Sic longo annorum curſu generata ſenectus,
Triſte parat funus, defunctaq́ viribus ætas
Occidit, & prima patitur diſpendia ſortis.
Quis vetuit te note ſenex, iuuenilibus vti
Rite iocis, agitare pilam, morſa nuce veſci?
Iam ſatius reor, vt rhedam, qua ſepe veharis,
Venditor enſis emas, facilémve in fræna caballum,
Aut precio leue curriculum merceris eodem.
Aptius inualidos (ſua quos veſtigia fallunt)
Excipient iumenta ſenes: rota proficit illi,
Orbibus acta ſuis, cui planta vacillat inanis.
At ſi fortè caues caſſum venundare ferrum,
Ereptus tibi te perimat, niſi veneat, enſis.

Ad hæc denuo Starcuterus.

Improba verba ſeris, facili temeraria labro,
Auribus inconcinna pijs. Quid præmia ductus,
Qui gratis præſtandus erat, per munera quæris?
Nempe pedes gradiar: nec turpiter enſe relicto,

Externam mercabor opem. Natura meandi
Ius dedit, & proprijs iuſſit conſidere plantis.
Cur cui debueras vltro dux eſſe vianti,
Ludibrio inſultas, ſermone procaciter vſus?
Quæq́ olim geſſi memori digniſſima fama,
Dedecori tribuis? meritum quoque crimine penſas?
Quid viſu inſequeris vetulum pugnare potentem?
Inuictosq́ mei titulos & ſplendida facta
Probro adigis, famoſa terens, & fortia carpens?
Qua probitate petis indignum viribus enſem?
Haud latus hic imbelle decet, dextrámve bubulci,
Agreſtem ſoliti calamo deducere muſam,
Procurare pecus, armis armenta tueri.
Nempe inter vernas, ollæ vicinus obuncta,
Cruſtula ſpumantis patinæ ſubligine tingis
Craſſi adipis, macrum perfundens vnguine panem:
Iusq́ tepens furtim digito ſitiente liguris,
Doctior aſſuetam cineri proſternere gallam,
Indormire lari, ſomnos celebrare diurnos,
Sedulus officium nidentis obire culinæ,
Quàm bello fortem iaculis aperire cruorem,
Auerſans lucem, latebræ ſordentis amator,
Mancipium ventris miſerabile, parq́ putaris
Sordida cum ſiliquis lambenti farra catello.
Hercule non tunc me ferro ſpoliare petebas,
Quando tibi Olonis ſummo diſcrimine nati
Propugnator eram. Namque agmine prorſus in illo
Aut gladium fregit manus, aut obſtantia fudit.
Hæc grauitas feruentis erat. Quid quando Curetum
Littus, & innumera conſtratum cuſpide callem
Primus ligniferis docui procurrere plantis?
Namque aditurus agros conſertos murice, ferro
Armabam laceros ſubiecto ſtipite greſſus:
Hinc mecum egregijs congreſſum viribus Hamam
Enecui. Mox cum Wino duce Flebare natos
Obtriui Kyrios, vel quas alit Eſtia gentes:
Et populos Semigalla tuos. Poſt hæc Telemarcos
Aggreſſus, caput inde tuli liuore cruentum,
Quaſſum malleolis, armisq́ fabrilibus ictum.
Hic primùm didici quid ferramenta valerent
Incudis, quantúmve animi popularibus eſſet.
Teutonici quòque me pœnas autore dederunt,
Quum natos Suertinge tuos, Frotonis iniqua
Cæde reos, domini vindex ad pocula ſtraui.
Nec minus hoc facinus, quando pro virgine chara,
Vno ſeptenos necui certamine fratres.
Teſte loco, qui me ſtomacho liquente pereſus,
Non parit arenti rediuiuum ceſpite gramen.
Moxq́ ducis Kari bellum nauale parantis,
Vicimus egregiam conſerto milite puppim.
Inde dedi letho Waram: fabrumq́ procacem
Mulctaui, ratibus cæſis: ferroq́ peremi
Rupibus Auinijs hebetantem tela Wiſinnum.
Quatuor hinc Leri natos, pugilesq́ ſubegi
Biarmenſes gentis Hybernæ, principe capto.

Duſſi-

Duffîna populabar opes: ſemperq́ manebit
Noſtra Brawellinis virtus conſpecta trophæis.
Quid moror? excedunt numerum quæ fortiter egi.
Quodq́ manu geſſi, ad ſolidum celebrare recenſens,
Deficio: ſunt cuncta meo maiora relatu:
Vincit opus famam, nec ſermo ſuppetit actis.

Hæc Starcuterus. Sed quum Hatherus quædam mutuo ſermone reddidiſſet, intellexit ille adeſſe quem volebat, cuius laudes ſuperiore carmine ignarus, præſente ipſo cecíniſſet: feriendum viro iugulum ſuum præbuit, hortatus ne patris ſui interfectori parceret. Hæc facientem, auro quod ob necem regis acceperat, potiturum promittit. Et vt eiuſdem in ſe animum vehementius efferaret, huiuſmodi exhortatione vſum tradit idem Saxo Grammaticus. *Starcuterus ſe interfice, etiam oblato precio, poſtulat.*

Præterea Hathere, priuauit te patre Olone.
Hanc mihi quæſo vicem referas, & obire volentem
Sterne ſenem, iugulumq́ meum pete vindice ferro.
Quippe operam clari mens percuſſoris adoptat:
Horret ab ignaua fatum depoſcere dextra.
Sponte piam fati legem præcurrere fas eſt:
Quod nequeas fugere, etiam anticipare licebit.
Arbor alenda recens, vetus excidenda: miniſter
Naturæ eſt quiſquis fato confinia fudit,
Et ſternit quod ſtare nequit. Mors optima tunc eſt,
Quum petitur, vitaq́ piget, quum funus amatur:
Ne miſeros caſus incommoda proroget ætas.

Hæc dicens, exerta crumena pecuniam promit. Hatherus autem, tam fruendi æris quàm paternæ vltionis auidus, obſecuturum ſe precibus, nec præmia repulſurum ſpopondit. Cui Starcuterus enſe proiecto, pronam ceruicem applicuit, ne timidi percuſſoris opus exequeretur, aut ferro muliebriter vteretur hortatus: præfatuſq́;, quòd ſi peracta cæde, ante cadaueris lapſum, caput ac truncum medius interſiliret, armis inſuperabilis redderetur. Quod vtrū inſtruendi percuſſoris an puniendi gratia dixerit, in certū eſt. Fieri enim poterat, vt ſaltantem eximij moles cadaueris obrueret. Igitur caput decuſſum morſu terram petiuit, ferocitatem retinens viuentis. Percuſſor tamē promiſſis fraudem ſubeſſe veritus, ſaltu abſtinuit. Quem ſi temerè peregiſſet, fortè lapſi cadaueris ictu obrutus, occiſi ſenis pœnas proprio funere perſoluiſſet. Hic exitus monſtroſi hominis fuit, quem corporis proceritas, ingens viriū robur, & annorū inſolitus numerus, ſingularem faciunt & incōparabilem. In quo Saxonis noſtri carmina putaui non prætereunda, vt vetuſtatis in celebrādis carminibus, quam ille reddidit Latino ſermone, induſtriam pernoſcamus, ſimul etiam robuſtiſſimi viri exitum illuſtraremus: deniq; vt nō viſuris fortè Saxonis hiſtoriam oſtenderemus, craſſo ſub aere naſci *Magnos poſſe viros, & magna exempla daturos.* *Hatherus cōficit perire volētem.*

Cap. 23. *Gotharus Dani filiam obtinet.*

Gotharvs interea apud Suecos rerum potitus, regniq; ſtatum vicinorum principum affinitate munire conſtituens, ſolenni miſſa legatione ad Daniæ regem Omundū, alteram filiarum eius poſcit vxorem. Nec difficile admittitur, quod voto conceptum, etiam precibus poſtularetur. Proſpera igitur renuncians quem miſit Sueciæ rex oratorem, iubet maiori apparatu regredi, ſponſamq́; puellam regno inducere. Nauigat ille inſtructiſſima rate: & Hallandiam applicans, vbi ſe cōtulit in hoſpitium, expertus eſt inſigne latrocinium: ſiquidem caupones, memorabili ſcelere receptos hoſpitio peremerunt. Nam collocatis ad quietē hoſpitibus, penſilem molem deſuper iniecerāt opprimendis. Circumſpiciens regius Sueciæ orator, dolum deprendit, cōmonitoſq́; ſuos iuſſit cubare in diuerſum. Alij qui fraudem non præuiderant, oppreſſi perierunt. Prima luce latrones decurrunt: regium oratorem, virum opibus (vt cernebant) ſtipatum, compreſſum eſſe ſperantes, aurum iam ſpe deuorabant. Vident aſtare armatū, vt latrocinia comitumq́; ſuorū caſum vindicaret. Illi quoq; non imparati pugnam cōſerunt, multos ex famulitio legati deijciunt, ipſo cum paucis elabente. Regi ſuo triſtis occurrit, caſum ſuum congemiſcens. Ille

Dano ob violatum in diuerſorio legatū bellum infert.

Danorum regis inſidias eſſe interpretatus, malo errore Daniæ bellum indicit: nec diu moratus infert. Mouit autem in Hallandiam Daniæ prouinciam, in qua ſcelus, quod imputauit, admiſſum eſt. Ibiq́; conſerta manu, Siwardus Danię rex vincitur, nam Omundus pater illum pro ſe miſit bello ducem. Victor claſſem mittit in Daniam, quæ ſponſam penetralibus extractam abducit, quam abductam Sueonum rex coniugem lætus excepit. Nec diu pòſt, vnum ex primoribus ſuis inſimulatum, quòd germanæ regis ſtuprum intuliſſet, occidit. Cuius propinqui ac neceſſarij cōſpirantes, necem eius vindicare ſtatuerunt: & ad Iarmericum Daniæ regem, cuius ille patrem bello oppreſſiſſet, ſeſe contulerunt, veteris facti cōmemoratione vtentes ad conciliandos animos, & ad prouocandum regem in bellum, quò patris necem vlciſci præpararet. Bellum Sueonum regi indicitur, paraturq́;. In quo magno conflictu inito, Gotharus opprimitur, à ſuis deſertus, & ab exteris expugnatus, regnumq́; ceſſit Danorum regi Iarmerico.

Suecia regnum Dano ſubijcitur.

Cap. 24.

Dania libro 2. cap. 16.

Iarmericvs Danorum rex, gemino regno ſuffultus, priſtinæ captiuitatis ſortem pulchrè compenſauit, etiam Sueciæ imperitans. Quid autem rerum geſſerit, & quomodo finierit, in Dania ſignauimus. Nā quod Sueticis rebus attinet, nihil præcipuum accepimus à maioribus. In bello quod aduerſus Helleſponticos idem rex geſſit, (qua de domo acceptā vxorem, ob adulterij ſuſpicionem malè perdidit) perijſſe dicitur. Nauigatione autem inſtructa, bellum fuiſſe marinum memoratur. Certè longa nauigatione ex mari Danico, quod idem eſt Germanicum, peruenitur in Helleſpōtum, qui Aſiam in anguſtijs diſterminat ab Europa. Multo quidem tempore interpoſito, poſtea enauigarunt Normanni in Conſtantinopolim, eius ſuburbia vaſtantes. Sed hac ætate nondum illis erat Oceanus ille pertentatus, præſertim vt poſt Cimbricam Cherſoneſum prætervecti, Galliam & Hiſpanias, omni Berica & Italia relictis, ad Græciam vſq; pertingerent. Sed hęc relinquamus in medio, grauiſſimum autorem nequaquam mendacij coarguentes. Poteſt tamen fieri, vt nominum ſimilitudine deceptus, alterum putauerit pro altero.

Cap. 25.

Snio Gothi filiam iam Sueco nuptam rapit.

Iarmericvs, qui in Sueciæ regno ſucceſſerat, euentu quàm nomine ipſo notior eſt. Equidem annales quum factū recenſeant, regis nomen ſubducunt. Snio rex Danicis rebus pręerat, filiamq́; Gothorum regis à ſe victi vehementer amabat. Iuſtas nuptias nō recuſaſſet pater, ſed ille liberam volebat Venerem. Indignum ratus pater, regiam ſtirpem regale ſcortum fieri, puellam iam Daniæ regi ſecretius affectam, Sueonum regi tradidit vxorem. Irritatus amor aduerſis vehemēter incanduit, libuitq́; magis quod cœpit licere minus, iam alienā coniugem, iam Sueciæ reginam incōceſſo proſequebatur affectu. Submiſit fidū hominem, qui habitu mendici pauperis, tranſlatus in Sueciam, aulæ ſe immiſceret regali, vt caperet occaſionē colloquēdi ad reginā. Ille diſſimulator egregius, ad fores ſe collocauit, quibus ſciebat egrediendum eſſe reginæ. Quumq́; procederet, ille diſſimulāter propius ſe ingerebat: & quò potuit ſecretius in aurē inſuſurrauit reginæ, Amat, inquit, te Snio. Et hæc dicens, ne quis vultum dicentis attenderet, aliò reſpexit. Illa progreſſa, velut nihil dicentis voce moueretur, eadē eſt vſa diſſimulatione. Sciebat regiam plenam fore oculis obſeruantium regina, ex mandato zelotypi regis, qui Daniæ regis inſidias vteretur. Poſt moram regreſſa, quum procus ille mendici habitu adhuc in loco ſuo conſiſteret, eadem obſeruatione, reſpiciens aliò, in aurem ſonuit expectantis, Amantem redamo. Exhilaratus ille, nihil tamen ſigni foris oſtenderat. Sedulus autem alium obſeruabat egreſſum: venienti quàm diſſimulāter immurmurat, Locum, inquit, poſcit amans & tempus. Interpoſita mora, quum itetū appareret, initium brumæ in Bokeror præſignauit. Qui diligētius obſeruauere dicentis nutum, nō ſatis quid aut cui loqueretur, intelligētes, extremæ calliditatis conſilium amentiæ deputauere. At nuncius omnia perſentiens, certiorem facit regem Daniæ de omnibus. Ille conſtituto tempori ac loco non deerat: egreſſam reginam lauandi ſpecie, cū mariti opibus in nauim aſſumit, raptoq́; potitus in Daniam enauigauit. Multa deinde prælia regibus fuere, quum ille iuſtas nuptias vindicaret temeratus, coniugemq́; repoſceret: alter iniuſtas tueretur. Pręualuitq́; iuſto iniquus, quòd plus armis poſſe tum videbatur. Multa deinceps tempora trāſiliuit, quem in commemo-

Bellum ob alterā Helenam.

randis

randis antiquitatibus ſequimur autorem, Saxo Sialandicus. Nam quorundam regum in Dania ſola attingit nomina, multorum etiam obliuione damnauit. Rerum autem Suetiearum ex hoc tempore egreſſionis Scaniorum, (qui poſtea dicti ſunt Longobardi) ſub rege Snione, (qui fuit annus poſt natum Chriſtum, trecenteſimus octuageſimus ſecũdus, iuxta ſupputationem ab Euſebio inchoatam, Hieronymo, Proſpero & Florentinis diligenter cõtinuatam, vſq; in Carolum Magnum, qui ad octingenteſimũ poſt Chriſtum natum peruenit ad imperium) omnino nihil commemorauit. 382. Cuius rei detrimentum Gothicis narrationibus (quæ ex hoc die magis ac magis inclareſcunt) compenſemus, redeuntes in prouincias ad Hiſtrum conſtitutas, in quibus diuturna fuit Gothorum cum Romanis colluctatio, donec libertate prouecta, in maiores occupandas proficerent. Quod quomodò factum ſit, nunc nobis commemorandum.

Cap. 26.

Wisigothi, qui eius gentis occidua magis tenuere, quũ poſt mortẽ Armanarici potentiſſimi regis, ab Oſtrogothis diſcederent, cernerentq; ſe Hunnorũ armis premi: diu deliberauere quomodo conſulerent ſuæ libertati, quum Hunnorũ armis obſiſtere non poſſe putarent. Miſſa ergo legatione ad Valentẽ Imperatorem, quem Valentinianus Auguſtus conſortẽ fecit Imperij, poſtularũt in Romanis prouincijs, Thracia Mœſiaq; ſedes quietas, ſimul etiã vt ſub vmbra Romani nominis quietius agerẽt ab incurſu Hunnorũ, polliciti Rom. ſe imperio militaturos. Quoq; illis maior fides eſſet, promiſere Chriſti religionem, iam tunc in Romanis prouincijs floreſcentẽ, ſuſcipere: ſi doctores illis ſuæ linguæ gnaros Imperator prouideret. Eam legationem nõ inuitus Valens audiuit, hoc in pactis exhiberi, quod ille votiuũ ſemper habuiſſet: facilè promiſit prouincias, quas illi armis poterant vendicare, ſæpeq; vendicarunt. Cõmilitium quod Reip. pollicebãtur, gratus agnouit. Doctores illis ſectæ ſuæ miſit Arrianos, maximũ Reip. Chriſtianæ detrimentũ. Quot inde enecati poſtea fideles? quot pulſi in exiliũ epiſcopi? & (quod omnia exuperat incõmoda) quam innumerabiles animæ inde perierũt? Hoc iacto principio peſtifero, latius ſerpſit malũ in omnem nationẽ. Nam Wiſigothi non tam Chriſtiani quàm Arriani, per epiſcopũ gentis ſuæ Vlphiã, Oſtrogothos & Gepidas, cõgentiles ſuos, ſermẽto quod acceperãt, corruperunt. Nã is erat Gothorũ apoſtolus, ſi non antichriſtus, qui Gothicas literas adinuenit, qui diuinarũ literarum ſacratiſſimum theſaurum in Gothicam linguã transfudit, immixto quod imbiberat veneno. Ita factũ eſt, vt peſſimũ ſeminarium citius quàm ſalutiferũ latè germinaret, perueniens vſq; ad Wandalorũ latiſſimam nationem: quę & ipſa imbuta ſimili toxico, Catholicos ſeueriſſimè & in Hiſpanijs & in Aphrica perſequebatur. Tantũ poteſt error in primordijs. Fœlices, ſi non Valentẽ Arrianũ, ſed Valentinianũ Catholicum, Chriſtianũ Imperatorẽ, de religione ſuſcipiẽda cõſuluiſſent. Sed terribile in filios hominũ Dei conſilium: de profundo ſuo, diſſimulauit in hac gente perẽnari pernicioſum errorem.

Wiſigothi Romanis ſe ſubdunt.

Arriana ſecta quot infecerit gentes.

Gothica Bibliorum interpretatio.

Cap. 27.

Qvvm ergo Wiſigothi Valẽtis permiſſu in Thraciam Mœſiamq; tranſmigrarunt, cœpit nouis cultoribus, qui necdum terrã ſubegiſſent, rerũ inopia ſuccreſcere. Duces autem limitanei, Lupicinus atq; Maximus, quos regioni Valens præfecerat, cauſam carioris annonæ inter Wiſigothos verterunt in occaſionem auaritiæ ſuæ, magis atq; magis augentes cariſtiam, vt Gothos primùm ære, deinde mãcipijs nudarent: quæ omnia cõparandis frugibus impendere cogebãtur. Quumq; malorũ nullus eſſet finis, ſed quotidie fames augeſceret, etiam de diſtrahẽdis liberis agere nonnulli cœperunt, malentes in ſeruitute filios viuere, quàm miſerabiliter apud ſe mori fame, dupliciq; malo excruciari. Duces erant in Wiſigothis Fritigernus & Alatheus atq; Safra. Clamorem populi nec reprimere, nec ſuſtinere valẽtes, (quòd nõ ſolùm tenuiter, ſed etiam ingenti precio victũ nedum tolerabilẽ, ſed etiam corruptiſſimũ mercarentur) verba fecere Romanis. Sed ſurdis fabulã narrauere, quòd & de ſuis illi marſupijs implendis, & gente ſine armis ſubigenda cogitarent. Excipitur Fritigernus cõuiuio a Romanis: comitum ſuorũ in alio triclinio clamorem audit. Illi, quòd fame vrgerẽtur & conuitio, orta (vt fit) rixa inter militares, ad arma cõcurrunt. Romani plures facilè paucos cõpreſſiſſent in ſuo. Aduolauit dux Fritigernus, & breui aucta eſt Gothorũ manus. Igitur Romani illi duces cũ cõmilitio ſuo ad

Annona caritas Gothos impulit, &c. Romanos caderent.

vnum omnes necãtur. Gothi mox ad prædam egreſſi, cœperunt vndiq; rebus contractis abundare, imperãtes prouincialibus importare gratis, quod antè vel magno vel nullo precio poterant obtinere. Valens vbi audiuit cædem ſuorum, gentisq; inſolentiam rebellantis, Antiochia comparatis copijs exiens, mouit in Thracias, vt gentem reprimeret: nec ſegnes Gothi obuiam proficiſcuntur. Vbi conſeruere manus, primùm Romanus equitatus diſſipatur: pedites circũfuſi, ab equitatu Gothorum funduntur: fit miſera cædes Romanorum. Imperator diu inter agmina conſiſtens, iam vulnere ſaucius, deportatur in non longinquam caſam. Gothi latè perſequentes, omnia ferro & igne vaſtauere: inciderunt q; in caſam, qua illis ignorantib. Imperator delituit. Illi miſſo igne, Valentem cum conſortibus concremarunt. Hic erat Imperatoris illius exitus: hæc prima & vſq; in eum diem maxima in Romanos exercitus cædes. Ita vindices fuere diuinitatis ſuæq; iniuriæ, neſciẽtes, primùm Decium cum filio, inde Valentem cum exercitu conterentes, quòd impiam Arrianorum ſectam illis iuſſerit prædicari. Qua elati victoria Wiſigothi Conſtantinopolim obſederunt. Eam vrbem Dominica Valentis vxor, ingẽti in populum pecunia diſtributa, ſeruauit. Et Gratianus, cui nepoti Valens occidentale commiſit imperium, afflictis rebus prudentiſſimè conſuluit. Nam Wiſigothos Thraciam, Mœſiam Daciamq; ripẽſem poſſidere, ac Romano imperio imminere intelligens, reſiſtere cõſtituit. Et quum id ſibi exiſtimaret ſoli non poſſibile fore, accerſitum ex Hiſpanijs Theodoſium, ingenti virtute virum, cõſortem imperij declarauit. Nec fuit poſtea cur pœniteret prudentis cõſilij Gratianum. Siquidem Theodoſius quam primùm Imperator declaratus, purpuramq; apud Seruium eſt indutus, ſummo principe digna geſſit. Wiſigothis enim congreſſus, eos multis magnisq; prœlijs vicit, vrbem victor Cõſtantinopolim intrauit: & ne paruam Romani exercitus manum, quotidie bellando attereret, pacem fœdusq; cum Athanarico Wiſigothorũ rege percuſſit. Quanquam ſcribat Ablabius, Theodoſium ſuprà dictis in prælijs vincentem, morbum incidiſſe grauiſſimum, eaq; ratione gratuitam pacem cum Wiſigothis conſtituiſſe: cui Theodoſius breui liberatus, ob honorem collegæ, libenter acquieuerit.

Valens Imperator cũ ſuis igne absumitur.

Theodoſius Gothos vincit.

Cap. 28. ATHANARICVS Wiſigothorũ rex, (qui Fritigerno ſucceſſit) ob fœdus Conſtantinopolim ingreſſus, magna adductus eſt vrbis illius admiratione: & laxatum omnibus curis animũ, inſpiciendæ ædificiorum operumq; magnificentiæ impendit, vrbis ſitum nauiumq; inſtructiſſimos portus miratus. Ac deinceps regiam Imperatoris ingrediens, & obſequia variaq; officia cõſpiciens, quaſi in ſtuporem verſus, Ea, inquit, cerno, quæ ſæpe incredulus audiebam: ſine dubio deus terrenus eſt Imperator. Et ſi quis aduerſus eum manum erexerit, ipſe ſanguinis ſui reus erit. In tali ergo admiratione, maiori à principe honore ſuffultus, paucis menſibus interiectis, rebus exceſſit humanis. Quem princeps affectionis gratia, penè plus mortuum quàm viuum honorans, ipſe in exequijs feretrum eius præceſſit, regiaq; ſepultura decorauit. Quæ res Gothorum animos mirificè Imperatori conciliauit, vt in fœdere & fide, etiam ſine rege, ſub Imperatore diu fœliciterq; perdurarẽt. Paulò pòſt, quum Gratianus apud Lugdunum Galliæ ciuitatem interfectus eſſet, Theodoſius in Gallias profectus, Gothorum viginti, aut (iuxta Oroſium) decem armatorũ millia ſecum duxit: geſſitq; Imperator ipſe aduerſus Arbogaſten & Eugenium tyrannos, ciuile illud bellum, Claudiani poetæ carminibus celebratum: in quo Gothi ab Imperatore præmiſſi, ad internecionem fuerunt occiſi. Poſtquam verò Theodoſius apud Mediolanũ immatura Reipub. morte præuentus eſſet, Arcadium & Honorium filios, & in Romano imperio ſucceſſores, multi ſuorum perfidiæ atq; inſidiæ cauſa agitauerunt. Commiſerat Theodoſius imperio florens, tres potentiſſimas imperij partes tribus ducibus gubernandas, Rufino Orientalem, Occidentalem Stiliconi, & Aphricanam Gildoni.

Athanarici mors, & exequiæ ſolennes.

Gothorum clades in Theodoſiana pugna.

Cap. 29. ALARICVS tum Gothorũ rex cõſtituitur, quum optimo ac fortiſſimo Imperatore Theodoſio mortuo, diſciſſiſq; Romani imperij partibus, Gothi ab ducibus Romanis & adoleſcentiorib. Imperatoribus negligerẽtur. Siquidem militaria donatiua illis (vt prius) nulla prouenerant. Alaricus ergo nobili Baltorũ genere ortus, cui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas. Nam Balta eius ſtirpis pater, nomen ab audacia

Gothi Alarico rege duce Pannonias occupant.

dacia mutuauit: *Balta* enim lingua gentis audax dicitur. Is rex cũ ſuis deliberãs, ſuaſit, & facilè perſuaſit, ſuo potius labore regnum quærere, quàm alieno imperio ſubiacere. Mouit igitur Alaricus in Pannoniã, ibiq; confidens fortiorem ſibi Gothorum exercitum conciliauit. Nam erat Rhadagaſus rex agmen ducens Gothorum ſupra ducenta millia. Qui vnde venerit, non aperitur à ſcriptoribus, niſi quòd Scytham, idolorũ cultorem aſtruunt. Quòd ſi de littore Pontici maris fuerit, ex Oſtrogothis veniebat. Sin ex Wiſigothis erat, quomodo non ſub Alarico fuit, quem regem ſibi gẽs illa cooptauit? Alaricus igitur & Rhadagaſus reges diuiſis agminibus Italiã ſunt ingreſſi (nam vnà tantus exercitus incedere nõ potuit) comcatus habendi gratia. Quicquid terrarũ attigere, velut atra tẽpeſtas populabãtur. Alaricus miſſa ad Honorium legatione, ſedes poſtulauit, quibus ſe cum gente ſua collocaret. Imperator Honorius Gallias & Hiſpanias conceſſit: quòd iam Wandalorum, Sueuorum, Alanorum magnis gentibus vaſtarentur. Maluitq; Imperator barbaras (vt vocant) nationes ſeipſas collidere, quam ipſe vel ſingulis, vel vniuerſis conflictaretur.

Gothorum in Italiam aduentus.

Cap. 30.

CONTENDIT Alaricus in Gallias. Sed Rhadagaſus cœpto itinere petiuit Italiam, viribus, non precibus, obtenturus loca quibus conſideret: tranſmiſſoq; Apennino, peruenit in montes Feſulanos. Stilico iam Romanum agebat conſulatũ cum Aureliano: vir in Romana repub. potentiſſimus, & quem moriẽs Theodoſius, generũ ſuum, filio Honorio reliquit tutorem. Is cõparatis copiis (inter quas & Hunni & Gothi Romano Imperio militabãt: Vldinus Hunnorum, Sarus Gothorum ductores erant) hoſtem Rhadagaſum ita obſedit in Feſulanis, vt nulla re magis quàm fame expugnaretur. Qua vrgente, inops conſilij Rhadagaſus, veſte mutata, fugam relicto furtim exercitu intentauit: ſed ex ea retractus, captus & occiſus eſt. Exercitus diſſipatus venit in manus Romanorum: impleta ſunt omnia ergaſtula ſeruitiis: velut pecora captiui venũdabantur Gothi, vili precio diſtracti, pro multitudine captiuorum. Alaricus verò Wiſigothorum rex, permiſſas prouincias Galliarũ petere contendit. Quum ad Polentiam ſacro die Paſchæ conſiderent, ſacriſq; pro more Chriſtiano inſiſterent, ſubitò in eos venit Saulus, gente Hebræus, ductor tum Romanorum agminum: conſilio (vt ferunt) Stiliconis patricij, qui erat Honorij ſocer. Nam vtranq; filiam, Mariam & Hermanciam, alteram pòſt alteram, quum prima incognita deceſſiſſet, coniugio iunxit Imperatori Honorio. Cauerat fortaſſe genti ſuæ Wandalorum, in quos ducebant Gothi: vt bellum illis auerſum, in Italiam retraheret. Non laudo conſilium: ſed propoſitum conjecto. Video tamen quid illius temporis hiſtorici ſentiunt, ideo per dolum eſſe turbatos Gothos, vt negotium Imperatori crearet: quò grauiſſimo bello implicitus, locum faceret filio Stiliconis Eucherio, quem ferunt, occiſo Honorio, Imp. deſtituiſſe. Vtcunq; fuerit, Gothi prima Sauli inuaſione turbati, arma corripiũt: Romanos iniuio victores fugant cæduntq;: & ita pleni, omiſſo itinere, reuerſi ſunt in loca priora. Quumq; Imperator peſſimo Reipub. conſilio, ob ſuſpicionem quam æmuli Stiliconianæ virtutis quotidie augebant, eundem Stiliconem cum filio de medio tuliſſet: Gothi iam neminem in Italia formidantes, liberè vſquequaque digraſſati ſunt, & vſq; ad vrbem Romam peruenerunt: eamq; primi poſt Gallos ceperunt, ex omnibus gentibus Romano Imperio reluctantibus: tantò maiori huius gentis gloria, quò maioribus incrementis tunc Roma floreret, ab illis paſtoralibus caſis, quas olim Galli incenderunt.

Rhadagaſi fuga, mors, & Rom. victoria.

Gothi Giſſo Rom. victo, Româ capiunt.

Cap. 31.

ORDINEM autem irruptionis & illatæ calamitatis, libet verbis S. Hieronymi, tũc in Bethlehem degentis, in epiſtola ad Principiam virginem, De obitu Marcellæ, exponere. Ait enim, Terribilis de Occidente rumor afferτur, obſideri Romam: & auro in ſalutem ciuium redimi, ſpoliatoſq; rurſum cruciari: vt poſt ſubſtantiam, vitam quoq; amitterent. Hæret vox, & ſingultus intercipiunt verba dictãtis. Capitur vrbs, quæ totum cepit orbem. Imò fame perit antequã gladio: & vix pauci, qui caperentur, inuenti ſunt. Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua inuicem mẽbra laniarunt, dum mater non parcit lactẽti infantię, & recipit vtero quem paulò antè effuderat. Siue igitur paruo (vt Oroſius) negotio, ſiue poſt paſſam a Romano populo (vt alij volũt) acerbiſſimam famem, Wiſigothi, duce Alarico rege vrbem Romam, rerum ad id temporis dominam, irruperunt. Qua die (quam Calen-

D. Hieronymus de Roma capta.

darum Aprilis fuiſſe ſatis conſtat)Imperij Romani inclinatio(vt Blõdus ait)inchoauit. Ingreſſus vrbẽ Alaricus rex,edictum Wiſigothis propoſuit, vt fugientes in loca ſacra, præſertim Petri & Pauli baſilicas, illæſos ſeruarent: prædã verò pro poſſe ingentem vbiq; facerẽt:ſed quoad poſſent,à cædibus & ſanguine temperarẽt. Quod quidem pro victoris antea omniũ gentium populi,rem domeſticã defenſantis fortitudine,proq; Gothorum multitudinis auaritia atq; inſolentia,ſupra fidem poſterorum obſeruatũ fuiſſe,omnes cõcordant ſcriptores. Et tamen aliquantis cædibus, ſtupris incendiiſq; vrbem quondã orbis dominam,conſtat fuiſſe fœdatam. Ea verò in tantæ vrbis direptione,duo tantùm quæ acciderunt, memoratu digna referri cõperimus. Horum vnum eſt,Gallam Placidiam Theodoſij ſuperioris filiã,& Honorij Arcadijq;(tunc Imperatorum)ſororem, in captorum ſortem abductã, victoris Gothi caſtra fuiſſe ſecutam. Alterum, vaſa B. Petri miniſterio ſacra, põdere, magnitudine & pulchritudine eximia,ad Wiſigothi cuiuſpiam manus perueniſſe: & regis iuſſu,in baſilicę,cuius erãt,arcam,magna cum Romanorũ Wiſigothorumq; admiratione fuiſſe relata. Profecti vrbe,tertia die quam ingreſſi fuerant Gothi,Cãpaniam, Lucaniam & Brutios populati ſunt. Fretum poſtea traiicere, vt Siciliam diriperent,conãtes,tempeſtas coorta prohibuit: quæ nauibus illiſis, aliquot cohortes conſumpſit. Ipſis exinde varias in recedendi, aut iterum, vt traiicerent, intentandi ſententias pendentibus, moritur rex apud Conſentiam Brutiorum vrbem. Quem gens,iacturam ſepulchri plurimi facere ſolita, ne vltio aliqua in mortui oſſa poſſet exerceri,in deriuati amnis alueo condidit,locello ditiſſima regis ſuppellectile completo. Et ne poſt eorum profectionem ſepulchrum id ab incolis ſciri poſſet, amne in curſum reſtituto,foſſores,qui operi interfuerant,trucidarunt.

Apoſtolorũ baſilicæ aſyla capta Romæ fuerũt.

Alarici mors, & ſepultura merſo alueo occultata.

CAP. 32.

ATHAVLPHVS ex Baltorum gente, Alarici cognatus,illi ſuccedit. Cui Galla Placidia, primo vrbis captæ die fuerat deſponſata, licet viro nondũ copulata eſſet: quòd nuptias ſatis conſtat apud Forum Cornelij fuiſſe celebratas. Hęc ſua prudentia regem Gothorũ mirabiliter deliniuit:impetrauitq;, vt per vrbem reuerſus, prædam quidem (quod nequiſſet prohiberi)identidem fieri permiſerit,à ſanguine verò curauerit & incendiis abſtineri. Nam (quod in tanta huiuſce cladis ſcriptorum inopia ſolus teſtatur Oroſius) paucis poſt acceptam cladem aut annis aut mẽſibus, ſi quis populi Romani & multitudinem vidiſſet, & vocem audiſſet, nihil mali factum arbitratus fuiſſet:niſi aliquot reſtantes ex incendio ruinæ id fortè docuiſſent. Excedentes vrbe Wiſigothi,populóne Romano,an conſtitutis ex gente ſua magiſtratibus eam dimiſerint gubernandam,nullus refert ſcriptor. Multis tamen agitur cõiecturis, vt credibilius ſit,nullo relicto aut præſidio aut magiſtratu,eam deſtituiſſe,eueſtigio futuram Imperatorum,in quorum amicitiam fœderaq; Athaulphum Placidia inclinare cœperat. Quod enim Oroſius B. Hieronymi teſtimonio ſcribit, Barchilonenſem virũ nobilem narraſſe, quòd cõcupiuerit aliquãdo Athaulphus, euerſa Roma,alterã ędificare vrbem,quæ in locũ demortui nominis Romani,Gothicũ referret: & quemadmodum ea ciuitas Gothia Romæ ſuffecta eſſet,ſic & ipſe nouæ conditor vrbis,in Auguſtorũ ſubrogatus locum, poſteris imperij cognomen relinqueret Athaulphum: is tamen memorante Placidia, prudentiſſima muliere, conſiderauit rem Romanam creuiſſe, & ad ea tẽpora ſtetiſſe legibus ac bonarum artium diſciplinis: à quibus Gothica barbaries abhorreret. Ideoq; in tantum mutauit ſententiam, vt Romanæ dignitatis, cuius eſſe nequiret imitator, optauerit fore reſtitutor. Hinc Honorij Arcadijque Impp. fœdera quæſiuit: quæ poſt factas apud Forum Cornelij nuptias,omnẽ emẽſus Italiam, quum apud Barchilonem citerioris Hiſpaniæ conſediſſet,in dies magis magiſq; petiuit. Inter hæc ignauiſſimi Imperatoris inertiam magis admirari conuenit: qui per omnes dies quibus in Italia Gothi demorabantur, ne exercitum conſcribere auditur, nec ſe commouiſſe legitur Quod inde magis mirũ eſt, quòd ante paucos annos, duce Stilicone, maior etiam hoſtiũ manus ſine bello contuſa eſt, vt ducenta Gothorum millia in ſeruitutẽ traherentur. Tantum valuit fortiſſimi ducis inuicta prudentia. Ego quidem tãta poſt tempora bilem continere non poſſum victricem gentiũ Italiam, ſaluo Imperatore ſuo ita protritam, vt nullus in aciem prodierit, nemo arma cõmouerit, nemo tantis

Gothorum poſt Romã captam non mediocris moderatio extitit.

Gothis in Italia morãtibus non ſe oppoſuit Imperator.

motibus obgannierit. Capitur vrbs orbis domina, abducitur Imperatoria proles, eadem germana Imperatorum: & ne domeſtico malo gladius vel vnus diſtringitur. Vſu compertum eſt, Romano Imperio non fœliciter euenire ſucceſſionem filiorum. Vnus Veſpaſianus, Titum filium, virtutis ſuæ imitatorem habuit: mox Domitianus degenerauit. Marcus Antoninus nullam vnquam Reipubl. iniuriam intulit, niſi quòd Commodum filium reliquit. Seuerus Caracallam fratricidam, & ſenatorij ſanguinis oſorem, poſt ſe in imperio habuit. Magnus Cōſtantinus filium Arrianum, & Iulianum apoſtatam dereliquit. Sed digreſſi reuertamur.

Heroum filij noxæ.

Cap. 33.

Athaulpho duce Wiſigothi in citeriorem Hiſpaniam ad Barchilonem conſederant. Nam Gallias Wandali, Sueui, Alani, Franci diuiſis agminibus tenuerunt. Wandali quidem ex Pannoniis, quas illis Cōſtantinus Magnus permiſit, mouerunt in Gallias, poſteaquam aliquandiu in ripa Rheni conſediſſent. Sueui verò & Alani iunctis viribus in Hiſpanias tranſierūt. Franci ad Pariſios tranſlati ſunt, ibi nomen ſuum inuehentes, & regnum fundantes, per quod incremēta plurima hodie quoque floret. Sed Wandali audito Gothorum ex Italia tranſitu, memores priſtinorum caſuum, quos ſub eorum manu graues pertulerunt: non expectato Gothorum aduentu, & ipſi in vlteriora Hiſpaniarum contenderunt. Ita factum eſt, vt Galliæ vacuefactæ tranſitum Gothis præberent. Sed Athaulphus id Imperatorum gratiæ donauit, quorum germanam tenuit coniugem, vt illis cederet Galliis, perſecutus nationes quæ ante ſe in Hiſpanias mouiſſent. Itaque imbelli turba Barchilone relicta, mouit in Wandalos, ſæpiuſq; manus conſeruit cum illis. Interim quum quaſdam intentaret conditiones Imperatoribus, quas non impetrauit, cœpit reſpicere in Italiam, vt eò rematet. Sed audiens poſt ſuum tranſitum, Alpium clauſtra communita ab Imperatoriis, tacitam indignationem compreſſit: in Hiſpaniam vlteriorem tranſire diſpoſuit, inde traiecturus in Aphricam. Sed hanc eius cogitationem præuerterunt multæ vndecunq; natæ difficultates. Nam Imperator Honorius, quum liberam iam teneret Italiam, Galliæq; pateſcerent (quòd barbari ſe mutuo metu vrgerent) in vlteriora Hiſpaniæ cogitauit per comitem Conſtantium, ex Romanis patriciis primum, Athaulphum in Hiſpania citeriore inuadere: quo profligato, cætera ſibi faciliora arbitratus eſt conficere. Igitur magno apparatu Conſtantius expediuit agmina in Wiſigothos. Quod vbi cōperit Athaulphus, indignatione non mediocri perculſus, quòd Romanus Imperator (cui ipſe pepercerit) in ſe mittere potuerit exercitū, nullo germanæ, quam coniugem tenebat, habito reſpectu, nulla fœderum contēplatione: igitur iræ plenus, & ipſe exercitum conſcribere ſtatuit. Sed Gothorum proceres euocati ad bellum, minimè paruerunt, aſſerentes Athaulphū, vnius mulierculæ blandimētis delinitum, Imperatori Romano quem in manibus habuerit, cuiuſq; delendi facultatem acceperit, pepercisse. Igitur contumacia Gothorum paulatim gliſcēte tumultus exoritur, & excreuit audacia, quæ vſque in caput regis aſcendit. Nam ille ſuorum indignatione perimitur.

Franci regnū in Franciam ſe denominatā conſtituūt.

Athaulphus à ſuis interemptus, quia bellū renouaret.

Cap. 34.

Sigericus in demortui locum rex conſtituitur, quòd illum Romanæ paci, quæ offerebatur, infenſiorem arbitrati ſunt. Nam Conſtantius comes etſi magno inſtructu ad Gothicum bellum procederet, terror tamen Gothici nominis, quod Italiam & vrbem Romam inuaſiſſent, ſimul etiam magnæ gentis vires, ad offerendas pacis conditiones illum fecerant propenſiorem. Quæ quum Sigerico quoque per legatos oblata eſſent, nec ille magnopere abhorreret, Gothorum proceres, quibus nihil bello tutius eſſe videretur, quòd inſidiis Romanorum peterētur, indignati quòd in deligendo rege longè ſua opinione falſi eſſent, Sigericū, quaſi pacis conditiones amplexantem, primùm inſidiis, deinde aperta vi circumuenientes, contrucidarunt. Ita exoſa genti quies erat, quòd ad ſumma quæque comprehendenda belli amor & fiducia virium illos animaret. Tantum dabat animorum vrbs Roma capta, & Italia in manibus habita, quam ſponte deſeruerunt.

Sigericū Gothi pacis cōſilia ſequentem interficiunt.

Cap. 35.

Wallia inde rex Wiſigothorū, in locū demortui ſurrogatur, qui ad pacem & ipſe pronus erat. Et tamē Wiſigothorū rabiem expleturus, magnā eorū manum nauigio armiſq; inſtructā, trāſmittere in Aphricā eſt molitus, vt ablegaret pacis hoſtes. Sed hi omnes in Gaditani freti duodecim paſſuū millib. perierunt. Territus er-

go maximo Dei iudicio, memor etiam illius acceptę ſub Alarico cladis, quum Gothi in Siciliam tranſire conati, in conſpectu ſuorum miſerabiliter abrepti & demerſi ſunt: pacem optimam cum Honorio Imperatore, datis lectiſſimis obſidibus, cõſtituit. Et Placidam, quam poſt Athaulphi mortem honorificè apud ſe honeſtèq; habuerat, fratri redditam, ſuam Reipub. operã eſt pollicitus, aduerſus cæteras gentes quæ per Hiſpanias conſediſſent. Et pace firmata, Honorius Conſtantino Cæſari declarato, Gallam Placidam ſororem dedit coniugem: ex qua Valentinianũ tertium eius nominis ſuſcepit. Exinde vſus Conſtantius Walliç auxiliis in Alanos duxit, Emeritam Luſitaniæ metropolim incolentes. Nam (quod Romanæ prodũt hiſtoriæ) Conſtantio Conſtantini tyrannni filio duce, hæ gentes Pirenæi clauſtra ingreſſæ, prodentibus Honoriacis, Wandali Bæticam, Sueui Alaniq; Luſitaniam inſederunt: & ſorte iterũ inter Alanos & Sueuos ducta, hi Vlyſſipponem & quicquid vltrà pertinet ad Beticam, illi Emeritam cum omni Gallicia habuerunt. Soli tamen Cantabri & Aſtures, Galliciæ prouinciæ populi, ſummis laudibus extollendi, Romanorum iudices conſeruarunt. Primum autem Conſtantij Cæſaris bellum, Wiſigotis adiuuãtibus, geſtum fuit aduerſus Alanos: quos graui bello apud Emeritam ſuperauit, & eorũ regem Acacem interfecit. Fuit verò ea victoria maximo terrori cæteris barbaris Hiſpaniam prementibus. Quæ gentes, rem Romani imperij, per Conſtantij virtutem & Wiſigothorum pacem auxiliumq;, breui reſtitutum iri exiſtimantes, ab Honorio poſtularunt vt pacem ſecum etiam ipſe cõſtitueret, ipſoſq; inter ſe ſineret bello detonare, & ſe inuicem lacerare: futurum prudentiſſimè memorantes, vt apud quemcunq; ſuiſſet vel clades vel victoria, Romanæ Reipub. reſtaurationi amplitudiniq; accederet. Conſtantius deinde conſors Occidẽtalis imperij ab Honorio aſſumptus, Auguſtus declaratur. Qua prouectus dignitate, nihil duxit antiquius, quàm cum Wallia Wiſigothorum rege fœdera confirmata renouare, vt in Hiſpaniis reliquis gẽtibus opponerẽtur. Itaq; illi Tholoſam cum aliquot Auxitanæ prouinciæ ciuitatibus permiſit: quæ omnis regio Vaſconia nuncupatur. Quod nomen ad ætatem vſq; noſtram retinuit: licet magnam (vt coniicimus) mutationem in prouinciæ finibus fecerit temporis longitudo.

Gothorum cum Imperatore pax.

Vaſconia quæ hodie dicitur, Wiſigothis paruit.

ALBERTI KRANTZII
SVECIÆ LIB. III.

CAP. I.

Wiſigothi in Hiſpania regnũ ſtabiliunt.

REGNVM à Wiſigothis in Hiſpania conſtitutũ, firmante Conſtantio cum Auguſto, initium iure noui operis depoſcit: quòd illò Wiſigothi peruenerunt, vbi ingenti gloria finierũt: poſt captam Romam, poſt euaſtatam Italiam, nihil præſtantjus efficere præualentes, quàm vt ſedes quietas acciperent, & bello paceq; florerent. Quod quomodo factum ſit, ſequentia monſtrabunt. Nam Conſtantio Auguſto poſt acceptam Auguſtalẽ dignitatem breui ex hac luce migrante, Aetius patricius, patre natus Gaudentio, ex Doroſtana Mœſiæ ciuitate oriũdus, vir fortiſſimus, & rei bellicę ſcientiſſimus, magiſter militum declaratur: qui Burgũdiones (Wandalorũ id genus erat, vt in Wandalia oſtẽdemus) nouos tunc primùm parantes motus, bello perſecutus cõpeſcuit: Francoſq; iterum Rheni ripas inſidentes, quòd Galliam irrupturi videbãtur, magna ſuperatos cæde repulit in Germaniam ſuam: & Alanos bello cœpit acerrimo agitare. Hi namq; poſt acceptã à Conſtantio Cæſare, adiutoribus Gothis, cladem, apud Vlyſſipponem ſub vmbra & titulo Sueuorum quieuerũt. Cõſtantij aũt morte audita, ad Emeritam reuerſi, eam quærebãt Galliciæ prouinciam ſibi in patriam retinere. Sed & Wandali atq; Sueui, metu Conſtantij liberati, pacis ſpem voluntatemq; abiecerunt, in quam poſt Wiſigothorum pacem erant procliues: & in Romanum Imperium coniurantes arma iunxerunt, in Luſitaniam ad Emeritam ducentes, Alanis præſidio affuere. Aetius itaq; tanta irruente barbarorum mole territus, in citeriorem Hiſpaniam ſe recepit. Tulit eam rem grauiter Honorius: & Aetij

cauſam iniuſtè exiſtimás, ignauię inſcripſit quod neceſſitas facere coegiſſet. Eamq; ob rem Caſtinū comitem, genere Scytham, magiſtrum militum, & poſtea conſulem declarauit: miſitq; eum Aetio ſucceſſorem. Nec diu pòſt permanſit Honorius in humanis. Quo ſublato, Ioannes quidam, annitente Caſtino conſule ac militum magiſtro, inuaſit imperiū: Aetio non magnopere repugnante, quòd ſtirpi Honorij ob acceptam iniuriam malè afficeretur. Putatur etiam, ob * iniuſtam reuocationis notam, nouos & omni Romanorum Imperio periculoſiſſimos hoſtes Hunnos inuitaſſe, quum ageret apud Mœſios, vnde paternam ducebat originem. Nec difficilè Hunni monitis paruere, audita præſertim Wiſigothorum gloria, & ſimilib. prouocati ſucceſſibus: quos ſibi de maioribus viribus polliciti, facilè ſedes mutauerūt. Wiſigothi tamen, quod Conſtantij temporibus icerant fœdus cum Repub. Romana, ſeruauerunt. Et quum ſatis quieſcere neſcirent, ſtatuerunt bello finitimos agitare. Primam tamen expeditionē deſtinarunt in Wandalos, qui in captis à ſe pridem Hiſpaniarum prouinciis habitabant. Quod quum reſciſſent tremerentque Wandali, immutationem ſedium prætendere cœperunt. Quando Rom. Imperij fato expoſcēte, Bonifacius comes, & ipſe in Aphrica à Siſulpho preſſus, deſperanſque ſalutem, Genſerici Wandalorū regis auxilium implorauit: multa exorans prece, vt ſiue mallet ſtipendia, ſiue prædam vrbium, ſiue ipſas Aphricæ vrbes in præmium accipere, opem ſibi aduerſus Imp. præſidiaque afferret. Amplexus illico fuit Genſericus oblatam conditionem, & Wandalos cum vxoribus & liberis omniq; ſupellectile, factaq; tot per annos in Galliis & Hiſpaniis pręda, nauibus imponens, ex Bætica Gadicēſi littore ſoluit, non magis Bonifacio auxilium afferre, quam nouas accipere ſedes, in Aphricam nauigauit. Alani autem & Sueui māſere apud captas per ſortem Luſitaniæ regiones, quas ſibi ſperauerant conſeruare. Paulò pòſt Wiſigothi relictam à Wandalis Bæticam receperunt: in quam Alani & Sueui, diuiſis poſtea temporibus ad Wiſigothos protectores ſuos confugerunt.

Aetius magiſtratu abdicatus, cōtumeliā vlciſcitur.

** f. iniuſtā.*

Principum iniquitas ſeros, alioquiſideles & probos, ad rebellionem, ſalutis cauſa impellit.

CAP. 2.

ALANORVM nomen hac tēpeſtate crebrum eſt in hiſtoria: quòd Sueuis frequenter iuncti, ſiue quum Rhenum tranſirent, ſiue quum Gallias infeſtarent, ſiue quum in Hiſpaniis prouincias iunctis armis acceptas, in poteſtatem ſorte diremerunt. Sueuorum quidem natio & origo in Germania vſque hodie notiſſima eſt: ſed Alani qui fuerint, vnde venerint, nullus ſcriptorum (quem legerim) attingit. Ptolemæus in Aſia longè ad Orientem, inter Scythicas nationes, deſcribit Alanos montes & populos. Sed an ea gens populariter egreſſa nouas ſedes quęſierit, nemo dicit. Gothorum, Gepidarum, Hūnorum, & poſtea Bulgarorum, inde Vngarorū, Turcarum (vt appellat Mela) nouiſſimè Tartarorum eruptiones tenemus certis autoribus: tempora ſignantur, nominantur duces: vnde, quò venerint, cōmemoratur: de Alanis autem, quando aut quibus ducibus ſint egreſſi, nuſquam legitur. Vnde & venio in ſuſpicionē, Salanos fuiſſe olim ſcriptum: quòd per errorem (vt fit) dempta litera, Alani pro Salanis dicerentur. Sunt aūt Salani, Saxones, qui ad Salam fluuiū habitant, vbi miſcetur Albi. Quod vt cōiiciam, adiuuat narratio de Francorum origine: quos habitantes Sicambriam, dicitur Valentinianus maior immiſiſſe Alanis ſubigendis, quòd inuiis paludibus tutarentur. Sicambri autem ipſi ſunt Franci Germani, non (vt fabula præfert) populi Oriētales ad Mçotidem. Hi mouente Imperatore immiſſi ſunt Salanis (vt Oroſius exponit) hoc eſt Saxonibus, qui inuiis paludibus tuti videbantur. Nam Saxonum generi inhæret Friſiorum natio, quæ locis paluſtribus ad mare demoratur. Ergo teſtimonium Oroſij, iunctum Frācorum origini, oſtendit Salanos, non Alanos, fuiſſe Saxones. Inopia ſcriptorum & error antiquorum, facit vt diuinare oporteat in hiſce rebus. Facilè patiar vt ab afferente certiora refellar. Nam inſtitutum meum ab origine fuit, aliis dare inquirendi ſcribendiq; occaſionem meliora. Ad inſtitutum reuertamur.

Alanorum gentis origo.

Sicambri ſunt Franci Germani.

CAP. 3.

THEODORICVS in Wiſigothis poſt Walliam regnum accepit: cūm quo fœdera renouauit Aetius, iam Romanis exercitibus iterum præfectus à Valentiniano tertio, Cōſtantij filio. Statim autem propoſiti ſui eum pœnitere cœpit, quòd Hunnos excitaſſet. Nam Atila eius gentis rex potentiſſimus, qui ſe natum ad terrendas & cōterendas gentes gloriabatur, cum Bleda fratre, iunctis multis nationibus quas

Aetij patricij & Atilæ Hunni maxima vires. partim ſubegerat, partim in fœdere tenebat, mouit in Gallias. Tum Aetius maiores cernens Hunnorum vires, quàm quibus facilè reſiſtere poſſet, per Italiam Galliasq́; exercitus conſcripſit. Miſitque in Romanas prouincias, & ad ſocios reges, vt fœderati omnes adunatis viribus Romanæ rei aſſiſterent. Quibus perſuaſionibus adducti Burgundiones, Merouęus rex Francorũ (qui Clodioni patri ſucceſſerat, & rex à Romanis erat appellatus) Saxones, Riparioli, Lambriones, Sarmatæ ad fœdera in Atilam conuenerunt. Cõtraxit verò, & patriis eduxit ſedib. Atila non Scythiæ modò populos, ſed ad latiſſimam quoq; Danubij oram vndique expoſitos: in quibus notiſſimi fuere Ardaricus Gepidarũ, Valemir, Theodemir, Vindemir Oſtrogothorum reges, fratres: Marcomãni, Quadi, Heruli, & Turingi: quæ ad quingenta armatorum millia fuiſſe comperimus. Quum igitur ſe ita cõparaſſet Atila, Germaniã eſt ingreſſus: & ea incendiis, rapinis cædibusq́; vaſtata multis in locis, tranſiuit in Gallias. Monſtrantur hodie loca caſtrorum eius iuxta Traiectum & in Flandria, retinent quoque loca nomen eius. Primò verò in Remenſes ducens, vrbẽ eorum corona cinxit. At quũ ciues tamdiu reſiſtere conarentur, quoad diuitias ſponte in prædam permiſſuri, ab immaniſſimo hoſte ſeruitutem internecionemq́; deprecarentur, refractis ſubita vi mœnibus, irrupit exercitus: tantaq́; ſæuitia cædibus & ſanguini indulſit, vt nec ſexui pepercerit gladius nec ætati. *Remenſis vrbs capta Nicaſius epiſcopus trucidatur.* Eaq́; in ſæuitia in ſanctum virum Nicaſium vrbis epiſcopum, ætate decrepitum, graſſatum eſt. Ex cuius ore, poſtquam abſciſſum corpori caput iacebat, diuini eloquij carmina ferunt audita. Poſt multas inde commiſſas minoribus in locis & oppidis cùm cædes tum rerum omnium (etiam ſacrarum) direptiones, ſecunda ad Aurelianos Atila fecit caſtra. Dux erat interea in Vaſconia Aetius: & Romanis legionibus, Theodorici apud Tholoſam ſedentis, Wiſigothorumq́; copiis iunctis, ſociorum copias ſummo ſtudio contrahebat. Quod quum intelligeret Atila, primùm quid faceret dubius fuiſſe fertur. Nã qui ſemper parui feciſſet Wiſigothos, Alanos, Sarmatas, Saxones, ab Hunnis ſæpe ſuperatos fugatosq́;: Gallos item & Francos Occidentales facilè ſpreuiſſet, niſi ſummam Aetij virtutem ac rei militaris peritiam ſibi cognitã timuiſſet. *Atila prælij exitum extis inſpectis rimatur.* Conuertit ergo animum homo barbarus ad gentis ſtoliditatem: & aruſpice accito, exta ritu patrio inſpici curauit. Aruſpice autem dubium prælium ac magnam ſuorum cædem, ſed primarij hoſtium ducis necem portendi renunciante, in prælium acceſſit: haud dubium, quoniam ſublato (vt ſignificari exiſtimauit) Aetio, ſi etiam maiorẽ exercitus ſui partem amiſiſſet, cum reliquiis copiarum, & ſupplementis, quæ facillimum duceret cõparare, orbis imperio potiretur. Qua ſpe adductus, omiſſa Aurelianorum obſidione in Vaſconiam duxit.

CAP. 4.

Saxonia lib. 1. cap. 23.

OPPOSITI tales tantiq́; exercitus, quantos in Europam nunquam conueniſſe conſtat, in ſubiectis Tholoſę cãpis (Catalaunicos tunc vocabant) acies in hunc modũ (prout refert Ablabius) ſtruxere. Atila imbellem mulierũ puerorumq́; turbam inter carros, quorum vis maxima exercitui ſuo inerat, ad proximos colles primùm ſemouit: & inde ſtructa apertis campis acie, ſeſe cum Hunnis ſuis medium locauit: *Aciei vtrinque inſtructæ deſcriptio.* Oſtrogothos reges fratres tres ſiniſtro, Ardaricum Gepidã dextro cornibus præfecit. Structores aũt Theodoricum Aetiumq́; tardauit Sigibaris Alanorũ regis perfidia: quem reſciuerunt ab Atila corruptũ, cõſtituiſſe, quum primùm pugnam conſeri eſſet cœptum, ex cornibus, in quorum altero locari ſperauerat, ad hoſtes tranſire: vt laborantibus in prælio Romanis & Wiſigothis à tergò inſtaret. Veriti tamen duces, ne ſi in perfidũ Sigibarem acerbius decernerẽt, Alanos peſſimo loco & tempore abalienarent, & duplici damno eos qui carerent, hoſtico adderent exercitui: diſſimularunt. Sigibareq́; quod fieret ignorante, municipij quod Tholoſæ proximum obtinebat, portas ab extra obice munierũt: & ſtationes, ne Hunni poſſent ingredi, addiderunt: ipſum verò regem cum Alanis curarũt acie media inter auxilia contineri. Theodoricus exinde cum Toriſmundo filio & Wiſigothis, ne Oſtrogothis cõcurrerent, ſiniſtrũ: Aetius cum Romanis & Burgundionibus, ac Merouæo Francorũ rege, dextrum cornua tenuere. Fortè erat in cãpo tumulus vtriſq; caſtris pari ſpacio proximus: de cuius opportunitate (vt apparuit) maxima, quum vtriuſq; duces exercitus certaſſent, occupauit Toriſmundus. Cõcurrentibus inde cornibus prælium

prælium eſt initū, pro numero & multitudine maximum atrociſſimumq́;. Sed in tanta barbarorū quæ vtriſq; caſtris erat colluuione, adeò multiplex, adeò varium erat præliū, vt nec ipſi qui aderant pugnatores, intellexerint quo ordine ſit cōmiſſum. Cædem verò inauditam, riuos ac medio in cāpo ſanguinis torrentem fudiſſe, ſcribentibus faciliter conſentio. Quod neceſſe fuit accidere, quum hinc Romanæ legiones armis inſtructæ, tantā haberent, in quam ſæuirent, inconditā ac propè inermem hoſtiū multitudinem: inde ardentes inter ſe ſummis odiis Scythæ, mutua feritate & ſæuitia concurriſſent. Dum aūt recedentes Hunnos, & in fugā conuerſos, ardentiori animo inſequitur Theodoricus, ſuorū magis preſſura alliſus, quam hoſtium ferro interfectus, occubuit. Et tunc prælium, quod ad ſerum diei erat cœptum, in dubiamq́; noctem cōtinuatum, interuentu vmbrarū vtrinq; diremptum eſt. Atila poſtquam magna ſe cum clade ſuperatū vidit, intra carrorum ſepta cōfugit: ſcutatiſq́; in circuitū (vt valli ſpeciem, pro carris ſtantes exhiberent) diſpoſitis, ſagittarios adiūxit, vim hoſtium, quæ improuiſa fieret, quoad acies inſtrueretur, propulſaturos. Et ne aut viuus in hoſtium veniret manus, aut mortuus careret ſepultura, iumentorum clitellas in ſtruem congeſſit: in qua, ſi durius quid accidiſſet, ſe gladio à domeſticis confodi, & ſubiectis illico flammis cremari iuſſit. Cæſa fuiſſe eo in prælio ex vtroq; exercitu centum & ſexaginta quinque millia, qui minus: qui plus, CLXXX. ſcripſerunt. Hic exitus erat Theodorici Gothorum regis.

Theodoricus hoſtes inſequens fugientes, moritur.

CAP. 5.

Toriſmundus autore Aetio, patri ſuccedens domū redit.

TORISMVNDVS patri ſucceſſit in regno. Is manè inuentum Theodorici genitoris cadauer, regij funeris pompa Tholoſam deferri, & ſe à Wiſigothis regē declarari ac ſalutari fecit. Et cōuenientibus ad Aetij tentorium ducibus, Aetium Toriſmundus cæteroſq́; exercitus duces, vt victoria vterentur, primus omniū eſt hortatus. Sed Aetio non minus Wiſigothorum, Alanorum, Sueuorumq́; & Burgundionum ac Francorum, quàm Atilæ & Hunnorum, ſuſpecta erat potentia: ideoq́; alia mens ſibi aliudq́; conſilium fuit. Hunnos enim, Gepidas & Oſtrogothos (ſicut opinabatur) eneruatos, & diſciplinæ militaris ignaros, voluit conſeruare: quia exiſtimauerat, eo ſublato exercitu, alios, qui vnà vicerāt, barbaros, prouinciarum Imperij aſſuetos direptionibus, & Romanam militiam propè edoctos, reddi Reipublicę damno ac excidio fortiores. Hinc laudatum inq́; maximam ſpem erectū Toriſmundum admonuit, vt fratrum, qui domi manſerant, ambitioni occurreret, ad ſuſcipiendamq́; paterni regni gubernationem feſtinus accederet. Quod quum ille libens facere pergeret, cæteri principes ac populi qui Romana ſecuti erant ſigna, Aetio dimittente in patriam ſunt reuerſi. Atila poſtquam tanto tremore (quantus non magis ipſum quàm eius inuaſerat exercitum) ſeſe vidit liberatum, in Tungros Trecenſeſq́; duxit, ac maxima edidit incendia: procedensq; in priſtinas ſedes, ſuppleuit lacerum exercitum, atq; in Italiam contendit. Quacunque incedebat, oppida & vrbes direptionibus & incendio vaſtabat. Per Illyricum autem tendens in Italiam, nihil in medio reliquit intactum. Imperatore Orientis Martiano ad tantum motum quieſcente, ad Italiæ principia dux Valentiniani limitaneus copias ſuas oppoſuit venienti. Sed nihil erat ea tempeſtate tam magnum, quod poſſet Atilæ impetum remorari. Igitur retro ceſſit dux limitaneus, Aquileiamq́; cōmuniuit. Fortiter oppugnatur: ſed fortius defenditur. Cingitur obſidione, multis viis tentatur irruptio: ſed vigilanter ab Romanis legionibus tuetur. Ad vltimum fame expugnare contendit, firmata obſidione: quæ durauit in triennium. Et quum iam pertæſum eſſet Hūnis tanti temporis, cogitarentq́; obſidione laxata vlterius progredi: rex vrbem (vt ſolebat) ſpeculaturus obequitans, vidit ciconiam pullos efferre. Et conuerſus in proximos, Cernite, inquit, aues venturi præſcias, iam peritura vrbe pullos educere. Igitur oppugnatione inſtaurata, vrbem capit. At verò iam antè prouiderāt ciues affectibus ſuis, vt vxores, filios, & ſenes ſuos, cum theſauris in Gradenſem inſulam deportarint: quò & ipſi ingruente neceſſitatis articulo profugerent.

Atila exercitum reparato in Italiā contendit.

CAP. 6.

Aquileienſes, vt ciuitatē relicturi ſibi conſulerent.

TRADVNT Veneti (idq́ue ex archiuis Aquileienſis eccleſiæ accepiſſe contendunt) quum cernerent ciues, ob inopiam panis vrbem diutius tenere non poſſe, nocte ſtatuas per murum diſpoſitas propugnatorum ſpecie conſtituiſſe, & illo aſpectu diu luſiſſe Hunnos, donec abirent: aues autem, quum inſiderent

ſtantium in muro capitibus, rem prodidiſſe. Tum effractas portas, vrbẽ ſolo æquatam, itidem in vicinas vrbes ſæuitiæ exercuerunt: vt omnis earum partium nobilitas in paludes confugiens, initium fecerit Venetiarũ per ea tempora. Mediolanum præda fuit Hunnorum, incendium etiam non euadens. Inuidens Hunnus Gothorũ gloriæ, quòd Italiam & vrbem Romam peruaſerunt, quum idem cogitaret, deterritũ ferunt exitu Alarici, qui non diu ſuperſtes fuit irruptioni. Sed tamen fluctuantem & ancipiti ſententia ſecũ confligentem, Leo ſummus põtifex legatione populi functus, auertit, vt iter retro flecteret. Abſcedentem eunuchus Honoriæ virginis, quæ germana erat Valentiniani tertij, filia Conſtantij & Placidiæ, quam frater incluſerat aulæ, Atilam adoritur, vt volentem coniugio depoſcat. Nec diu opus erat propenſum in libidinẽ regem ſtimulare. Igitur miſſa ad Imperatorẽ legatione, puellam depoſcit coniugem: ni detur, rediturum Italiæ excidio. Qua (vt quidã ſcribunt) miſſa, cum ſolẽni apparatu nuptias Atila celebrauit: tantumq; vini lætus hauſiſſe fertur: vt apoplexia cũ cruore de naribus profuſo ſtrangularetur. Alij verò ſcribunt, reuerſum in patriam, Imperatori Orientis minas intuliſſe (quòd promiſſum à Theodoſio militiæ donatiuũ non acciperet) venturum ſe excidio prouinciarum. Et tamen aliò intendit exercitum. Galliarum illi amor inhęſerat, vt profligatis Alanis Wiſigothiſq; ſedes ibi firmaret. Itaq; armatis agminibus eò cõtendit. Qua profectione crediderim illi occurriſſe agmen ſanctarum ab vrbe Roma virginũ, Vrſula duce, quod apud Agrippinam Coloniam martyrio conſecrauit. Toriſmundus quum audiret Hunnos in Gallias iterum contendere, Alaniſq; primùm minitari, præuenit Atilæ incurſionem: iunctiſq; copiis ſuis ad Alanos, prælio excipit venientem. Nec alius erat quàm prioris pugnæ exitus: nam victus, turpiter lacerũ in Pannoniam reduxit exercitum. Toriſmundus dum poſt victoriã ægrotans, ſanguinem de venis iuberet minui, ab Aſtaldo cliente, quem fratres eius ſubmiſere, dolo peremptus eſt. Sed iam vicina morte dolos comperiens, apprehenſo pedum ſcabello proximos excerebrauit. Ille tamen intentatam à fratribus mortem obiit, digniſſimus vita, quòd & militari prudentia ſingularis & animi magnitudine, tanto par regno ſolus videretur. Extinctum fratres regis tumulo decorauerunt.

Atila nuptiæ et mors.

Vincitur Atila à Toriſmundo.

Toriſmundi mors.

CAP. 7.

THEODORICVS frater regno ſuccedit, vir ſatis animo valens, niſi quòd ambitione regnum præoccupare quàm expectare malebat. Sed quod ille fecit fratri, patitur ab affine. Siquidem Riciarius Sueuorum rex, non cõtentus Gallicia, quam inſederat, vicinam Luſitaniam & omnes Hiſpanias ſub iugum mittere cogitabat. Adiuuit illum regni Gothici mutato rege commotio. Solẽt enim regnorum initia turbida eſſe, vnoquoque rebus nouandis intento. Theodoricus comperta affinis ſui inſolentia, legatos mittit, commonefaciens, vt ſuo cõtentus alienis abſtineat, vt mutuis ſe potius viribus inuicẽ tueantur ab èxteris, quàm inteſtino bello vires comminuant. Ille per inſolentiam altius animo euectus, remandat, ſatis ſe diu quietum alienis paruiſſe imperiis: aduentaſſe tempus quo ſuis auſpiciis rem gereret. Niſi pateretur ſe in longinquos imperium perferre, ſtatim ſe venturũ Tholoſam, & de illa ſecum confligere. Theodoricus Gothorum rex diſſimulanter iactatis verba accepit: at interim comparatis copiis, quas armis iuſſit eſſe expeditiſſimas, mouit in affinem, Sueuorũ regem. Concurritur ad Vbbium amnem, qui Aſturiam præterfluit: ibiq; fortiter pugnans iuſtior Gothorum pars ſuperauit. Riciarius Sueuorum rex, cernẽs victoriam hoſti inclinare, fuga ſibi cõſuluit: arreptaq; nauicula petit altum. Sed tempeſtas nuſquam tranſire paſſa fugientem, reiecit in littus. Ille (vel ſuis manibus, vel hoſtium, incertum) omnino tamen periit, perfidiæ pœnam luens. Theodoricus victor, vbi hoſtem occubuiſſe cõperit, receptui cani iuſſit, vt parceret Sueuorum reliquiis, ſub tributo victuris: quibus præfecit fidũ hominem Athiulphum. At illum dominandi libido, & Sueuorum alieni imperij pertæſa ſuggeſtio, impulit vt regi ſuo rebelles proderet animos. Rex autem miſſis cum duce copiis, quas ſufficere arbitraretur, exeuntem in pugnam facilè vicit. Captus aũt ludibrio eſt habitus, quòd mallet rex eſſe ridiculus, quàm pręfectus ſub potẽti rege magnificus. Igitur ob perfidiam ille capite plexus, temeritatis pœnas perſoluit. Sueui autem, ſubmiſſis ſuæ partis ſacerdotibus, veniam ſupplices poſtulauere, erratorum culpam in præfe-

Theodoricus Riciarium, ditione ſua non contentum, acie vincit.

Sueui permittẽte victore, regem ſibi præficiunt.

præfectum reiicientes. Theodoricus non auerſatus, veniam permiſit poſcentibus: addiditq́; vt quoniam alieno imperio ſubeſſe non paterentur, ſua de gente regem eligerent, ſublimiori eius imperio pariturum. Alacres Sueui, & Wiſigothorum regis magnificentiam prædicantes, ſuæ ſibi gentis regem creauerunt. Qui tranquilla temporum pace gauiſus, ſuis quidem præfuit, ſed ſuperiorem Gothorum poteſtatem recognouit. Per quæ tempora Theodoricus tertio decimo regni ſui anno conceſſit in fata.

Regū Sueuiæ origo.

EVRICVS tertius ordine frater, tertio loco, decedentibus fratribus, regno ſufficitur. Cuius perinde regnum quietem vidit: quia Romani verſis in ſe armis, non permittebant ſibi foris militare: dum domeſticis impliciti perturbationibus, in ſe arma conuertetant. Multi enim ad Romanum adſpirauere Imperium poſt occiſum Valentinianum, quem miles Aetij, nuper iuſſu Imperatoris perempti, trucidauit. Hinc Maioranus, inde Antonius ſceptra corripuere Romana: nec multò pòſt Olibrius quidam imperare contendit. Nepos deinde: & poſt omnes Auguſtulus, qui Occidentis fuit Imperator nouiſſimus. Vacabatque exinde Occidentale Imperium per annos plus quàm trecentos, vſque ad Carolum Magnum, Germanorum Francorumq́ue regem maximum. Quæ etiam res audaciam fecit Genſerico Wandalorum regi, iam Aphricam tenenti, vt miſſis literis nunciiſque inde moueret Oſtrogothos, inde Wiſigothos, inquietas tenere vicinas prouincias: vt Romanorum vires proximis rebus implicitæ Aphrica auerterentur, ipſeq́; quietus regnaret. Quo etiam tempore Odoacer Rugiorum rex, intrauit Italiam, primuſque exterorum imperio tenuit eandem per annos quatuordecim. Quod in Wãdalia noſtra ſumus executi. Euricus quum interdum partibus ſtuderet ad Imperium contendentium, Britonem regem auxilio properantem Antonio, qui ſe Imperatorem geſſit, priuſquam Romanis ſe coniungeret, armis repreſſit: & fugere compulit ad Burgundionum regem, ea tempeſtate Romanis fœderatum. Quem perſecutus Euricus, Arvernam Galliæ ciuitatem armis cepit. Ita per quamcunque occaſionem Gothi paulatim ſe propagauere. Nam Toriſmundus Hiſpaniam citeriorem & Galliæ ciuitates, extra Burgundionum Francorumq́ue ditionem ac vltra Ligerim conſtitutas, Lugdunenſem verò Anitiæ prouinciam vſque Maſſiliam Burgundio occupauit. Et ſolam Narbonenſem prouinciam, cum iis quæ Ligerim inter & Rheni fluenta ſunt, tunc tutatus eſt Germandus quidam Romanus: qui & ille præfectus a Valentiniano fuerat conſtitutus. Hoc eſt ergo illud tempus, quo Romani Hiſpanias Galliaſq́; amiſerãt, nec vnquã poſtea recuperauere. Et in Galliis Francorum Germanorum, & Burgundionum Wandalorum, & in Hiſpania Wiſigothorum orta ſunt regna noua. Quorum Gothorum quidem regnum iamdudum euanuit: Burgundionum ex regno in ducatum prouenit. Quod quando & per quem factum ſit, in Wandalia cõmemorabimus. Francorum autem regnum mirificè per Gallias & Hiſpaniarum partes propagatum, vſque hodie effloreſcit. Nam anno qui nunc eſt poſt decimum milleſimus quingẽteſimus, Ludouicus rex Mediolani ducatum, in Longobardia deditum accepit: quum Ludouicus dux, odio ſuorum declinans, cum theſauris profugiſſet in Alpium clauſtra, ſub Romanorum rege Maximiliano delireſcens.

CAP. 8.

Imperij Occidentalis interregnū.

Lib. 1. cap. 35. & 36.

Romani quando Hiſpaniam & Galliam amiſerunt.

HOC loco intermiſſa pauliſper Wiſigothorum cõmemoratione, ad Oſtrogothos nobis veniendũ eſt, qui per hæc tẽpora primùm apud Conſtantinopolim, deinde per Italiam multo tempore claruerunt. Et quidẽ Valemir & Vindemir fratres (quorum ſucceſſionem ſuperiori libro explicuimus) Atilæ regis Hunnorũ potentiam auxere, quum intereſſent magno illi prælio in cãpis Catalaunicis. Atila poſt aliquot annos in patria defuncto, primi ſeſe in libertatem vendicauere, ſubtrahentes colla iugo Hunnorũ. Eorum exemplum exinde ſecuti ſunt Marcomanni, Quadi, Heruli & Turingi. Ita minoratis Hunnorũ viribus, minus poterant filij. Hernacũ ergo & Euricum Atilæ filios, ne (patris exemplo) reſtitutis viribus tyranni fierẽt, memoratæ gentes reliquerunt. Quod quum ipſi Hunnorum reguli ægrè ferrent, in Valemirem & Theodemirem, Oſtrogothorum, & Ardericum Gepidarum reges, ſeditionis autores, arma ſumpſerunt: conatiq́; ſunt incautos eorum exercitus

CAP. 9.

Atila filij potentiam amiſerunt.

adoriri. Sed ad primos qui apparuere motus, Ardericus Gepidarum rex cõgreſſus Hernaco, illum triginta armatorum millia habentem, prælio ſuperatum interficit. Valemir autem Theodemirq́;, ſuis arma corripere iuſſis, tãto in Euricum incubuerunt pugnãdi ardore, vt fractis Hunnis, magnaq́; cũ occaſione repulſis, regulus intra Scythiam fugerit, & ſemper Hunni arma ſumere in Oſtrogothos formidauerint. Motus interea conciuerant in Conſtantinopoli Aſpar patricius, genere (vt ferunt) Gothus: qui vt Ardubarem filiũ Imperatorem faceret, fretus fauore ciuium: Leoni Imperatori tumultũ in vrbe conciuit. Sed Imperator renouata claſſe, quam in mari habuit expeditam, capto Aſpare & Ardubare, pœnas ex illis ſumpſit. Quo motu cõperto, Oſtrogothorũ quos diximus reges, qui Hunnis Atilę filiis ſuperatis, in Pannoniis conſederant ad Danubium, hactenus quieti. Illyricum vaſtauere: nec prius quieuere, quàm Leo Imperator, Pannoniis Mœſiaq́; permiſſis, induciarum fœdera cum illis iniit: in quarum obſidem Imperator Theodoricum, Theodemiris ex Arilena concubina filium, accepit. Tuncq́; Valemir illis inuiſus induciis,

Theodemir Oſtrogothorum regno potitur.

nihilq́; permiſſis ac datis ſibi prouinciis ab Imperatore timens, duxit in Scythiam: vbi cõmiſſo cum Scythis prælio occiſus eſt. Sicq́; Theodemir frater, Oſtrogothorum permiſſarumq́; à Leone prouinciarum regno ſolus potitus eſt.

CAP. 10.

THEODEMIRE ſolo ex fratribus ſuperſtite rege, Theodorici patre, quum intellexiſſet Leo Imp. gentẽ ipſam, quam impoſſibile duceret ſuperare, ſtatuit in Romani Imperij amicitiam liberalitate beneficioq́; allicere illos. Theodoricum itaq́; vnicum Theodemiris filium, tale munus nequaquam expectantem, ex obſide liberum remiſit, regis indumento comitatuque deductum. Accepit libens Theodemir tantum munus, & (quòd tacentem Leonem deſiderare intellexit) induciarum fœdera in optimam Reipub. pacem commutauit. Quinetiam Theodemir ipſe, reducis filij lætitiam cumulaturus, eum in Sarmatas cum copiis miſit. Qui adoleſcẽs impiger, annum tunc duodeuigeſimum agens, tranſito Danubio irruit improuiſus: & rege illorum Bakach interempto, victor ad genitorem in Mœſiam eſt reuerſus. Hæc quidem tunc apud Cõſtantinopolim Imperatorum acta. Et erant Oſtrogothorum per tẽpora Theodemiris regis quietiſſima omnia: qui fœlici pace compoſitus, in gente ſua obdormiuit.

Oſtrogothorum de Sarmatis victoria.

CAP. 11.

THEODORICVS patri ſurrogatur in regnum, maioribus (vt mox apparuit) natus Imperiis: qui Romanos magna ſibi & dulciſſima cõſuetudine in Conſtantinopoli notos adamabat. Hinc quoq́; ad Zenonẽ tunc Imperatorem vocatus, ea ſe contulit facilitate, qua Leo illum remiſerat genitori. Conſtituit verò Imperator Theodorico regi & exercitui ſtipendia & patriciatus dignitatem, inſignitoq́; regi equeſtrẽ ſtatuã ex ære in palatio locauit. Fuit (vt coniici datur) aliquot annos Theodoricus apud Zenonem. Sed quantocunque ibi fuerit tempore, Oſtrogothi ſui licet ſtipendia acciperent, & Pannonia inſuper Mœſiaq́; prouinciæ, non ad victum modò, ſed ad gentis opulentiam neceſſaria ſuppeditarent: angebantur tamen, & animi eorum diſcruciabantur, quòd audirent alios ex Scythię Danubijq́; clauſtris, ſecum vel antè profectos, opibus & gloria florere, Wiſigothos, Sueuos & Alanos in Vaſconia, Aquitania & Hiſpania: Wandalos in Aphrica, Burgundiones in Galliis: & demum in Italia Herulos & Rugios. Tantis itaque precibus, iurgiis, atque comminationibus apud Theodoricum inſtiterant, vt eorum importunitati vltrà nequiuerit reluctari. Hic Theodoricus rupto quo tenebatur pudore, animorum gentis ſuæ ferociam primùm Imperatori indicauit, quòd omnibus abundãs rebus florenſque neſciret quieſcere. Et tamen poſtea à ſuis victus, petiit quod Imperatoris ac Reipublicæ commodo æquè ac ſuorum importunitati opinabatur ſatisfacere. Oſtẽdit enim, quòd ſi Italia & vrbs Roma ſibi permitteretur, futurum vt aut Oſtrogothi ſui, cum Herulis & Rugiis pugnando delerentur, ac Imperium tanto ſtipendiorum onere leuarent: aut victores eſſent: ſicq́; Herulis atque Rugiis inimicis Imperio barbaris, ad internecionem cæſis, ipſi Oſtrogothi emolumento Reipub. honoriq́; in poſterum ſine ſtipendio forent. Ea Zeno quum ad Senatum retuliſſet, peruicit ſententia, non æqua ſolùm fore ſed vltro offerenda, quæ Imperio (prout longa experientia edocuit) affectus rex Theodoricus duxiſſet poſtulanda. Itaque

Honor Theodorico regi ab Imperatore exhibitus.

Zeno

Zeno Theodoricum ſacro honeſtatum velamine, quod erat tunc maximum à principe factæ conceſſionis ſtabilimentum, dimiſſurus Senatum, illi populum Romanum & Italiam commendauit. Mouentem verò cum Oſtrogothis Theodoricum, priuſquam Pannoniis educere & Noricum ingredi poſſet, aliquandiu diſtulerunt & diſtinuerunt ingentis illius Atilæ exercitus reliquiæ. Siquidem Stratilia Gepidarum rex, qui erat Arderico defuncto ſurrogatus, & poſtea Buſaris Bulgarorum, gentis Danubij accolæ dux, illum in itinere ſunt aggreſſi, & in maximas aliquando adduxerunt difficultates. Vicit tamen præſtantiſſimi regis Theodorici perſeuerantia: & illis prælio ſic ſuperatis, maximoq; affectis incommodo, viam ſibi ferro aperuit.

Theodorico pro ſumma erga imperium fide, Roma Italiaq; commendatur.

Theodoricum in Italiã, ſubmotis qui obſtabant, venit.

CAP. 12.

THEODORICVS ingreſſus Italiam, ad Sontium Aquileię dirutæ fluuiũ caſtra cõmuniuit. Eò Odoacer, qui omnes eius motus anno antè habuit exploratos, paratiſſimũ adducens exercitum, ſeſe illi tam propinquus oppoſuit, vt caſtra ſolo amnis alueo ſint dirempta. Primus tamen pugnandi copiam fecit Theodoricus. Et commiſſum eſt prælium: in quo poſt multam cædem mutuò illatam, ſuperauit Oſtrogothus. Odoacer verò ad Padum, cuius oppida & vada claſſe præſidiiſq; communierat, delatus, eum in locum vbi nunc eſt Hoſtilia Veronenſium, de fuga ſubſtitit. Deſtitit verò inſequi Theodoricus: & Veronam ducens, eam dedentibus ciuibus breui cepit. In qua præſidiis firmata, prædam vbiq; factam impedimentaq; ea ratione cõſtituerat deponere, vt Odoacrẽ, quocunq; fugeret, expeditior ſequeretur. Sed Odoacer copiis breui reparatis, in cãpos proceſſit latiſſimos Veronę ſubiectos: & copia pugnãdi facta, Theodoricũ laceſſiuit. Eduxitq; item Theodoricus fiducia plenus: & prælio acri duces fortiſſimi dimicarunt. Tamen Odoacer, qui laceſſiuerat, ab auxiliis Padi accolatũ deſertus, ſuccubuit: atq; etiã fugatus, maiorẽ eorũ qui ſecum in pugna permanſere, partẽ amiſit. Inde Romã petens Odoacer, quum portas occluſas, ciueſq; de mœnibus repugnare vidiſſet, ſuburbiorũ ædificia agrumq; latiſſimis fœdauit incendiis. Romani nanq; de Theodorici aduentu ex Cõſtantinopoli facti certiores, ipſum iam vt dominũ expectabant. Qui quidẽ Theodoricus omnibus trãſpadanis Italiæ ciuitatibus oppidiſq; breui potitus, Mediolani cõſtitit: & exercitu auxiliis aucto, Romã in Odoacrẽ ducere cõſtituerat. Odoacer commeatibus, quos Romani in vrbẽ munitaq; oppida cõuexerant, deficientibus, Rauennã ſe cõtulit. Ei tamen Odoacri, populos Italiæ pertẽtanti, cõſenſerunt plurimi: in quibus fuere ſignorũ ſuorum deſertores Padi accolæ, ab Atuſa, Flaminiæ & Æmiliæ præfecto (magnæ autoritatis viro) in ſpem maximã præmiorum, ſi viciſſet Odoacer, adducti. Id quum exploratũ habuiſſet Theodoricus, curſu victoriæ retardato, ſeſe intra Ticinum cõmuniuit. Quum verò Odoacrem ſeſe Rauennæ continere cõperiſſet, animo eſt auctus: & matre ſororibuſq;, ac Oſtrogothorum mulieribus cum impedimentis & imbelli multitudine in Ticino, cuius vrbis mœnia arcemq; cõmunierat, relictis, Rauennam duxit. Cepit autem illico omnes prouinciæ ciuitates oppidaq; quum primùm ea adiit, pręter Ariminũ & Ceſenam. Odoacrẽ verò & Rauennam per trienniũ obſedit, caſtris ſecundũ littus, ad orientalem plagam (in loco cui Candiano nunc eſt tumq; erat nomen) ea ratione firmatis, quòd poſita pariter ad Ceſenam caſtra inde faciliter tutaretur. Fiebant tamen ab obſeſſis crebræ eruptiones. Tradítq; Agnellus in vita Ioannis epiſcopi, quòd Theodoricus egredi auſum Odoacrem bis iuxta Ceſenam iuſta acie vicerit, in campis Candiani. Qua elatus victoria Theodoricus, illico Ariminũ ſucceſſit: eaq; vrbe breui potitus, dromones in Ariminenſi portu captos, miſit ad Rauẽnatem portũ Bidentis amnis, qui tunc Porcellio dicebatur. Nã apud Claſſem vrbẽ tunc erat maior portus, omnium Italiæ celeberrimus. Sunt aũt dromones verbo Græco nauiculæ ſubductores, tabernaculis vndiq; ad propugnaculi caſtelli ve ſpeciem cõmunitæ. Itaq; Theodoricus Porcellionis oſtio dromonibus clauſo, partẽ copiarũ in inſulam, quam Bidens amnis, Padus & mare efficiunt, locauit. Ipſe cũ cætero exercitu Rauennam in circuitu obſedit. Vnde ad tantã rerum penuriam in vrbe deuentũ eſt, vt ſordidas malignaſq; ſaporis herbas clauſi mãdere cogerẽtur. Qua impulſus difficultate Odoacer, hortãte epiſcopo, deditionẽ fecit. Ingreſſus eſt aũt Rauennã Theodoricus, epi-

Odoacer duobus prælijs à Theodorico ſuperatur.

Theodoricus Odoacrem Rauẽnæ obſidet.

Rauenna dedita Odoacer occiditur.

ſcopo Ioanne cum clero & ſanctorum reliquiis obuiam procedente. Continuitq; Odoacer eo die,& poſtea in palatio quod dicebatur Hilantum (Rauennæ tunc inſigne)ſperans, quod cum Theodorico ſolenni fœdere pactus erat, aliquam particulam ſibi & Herulis attribui poſſidendam. Sed Theodoricus miſſis qui illum & filium adoleſcentem primoreſque gentis interficerent, Herulorum plebem conſeruauit. Breui exinde omni Italia,& pôſt Roma,ſummo Senatus & populi Romani applauſu potitus eſt.

CAP. 13. THEODORICVS ergo omni Italia & Roma potitus, omnium quos Italia & Roma pertulerat exterorum regum mitiſſimus fuit:quod quidem ſtatim initio regni,vnico in negocio oſtendit. Siquidem mittens ſanctum Epiphanium,Ticinēſis eccleſiæ epiſcopum,in Burgundiam, ingentem illi pecuniarum vim ex publico fiſco dedit, quarum impēdio redempti ſunt, & in patriam reuerſi multa mortalium millia,ex iis quos Gundebaldus Burgundionum rex in prædam abduxerat. Autor eſt Agnellus, Epiphanium, ſanctitatis ſuæ meritis & ſingulari prudētia, ab immani Gundebaldo obtinuiſſe liberationem ſex millium captiuorum,qui in ſumma precij à Theodorico dati non fuerant comprehenſi. Theodoricus verò ſiue Romanorum fidem adeò duxerit ſuſpectam, vt vitam illis ſuam cōmittere dubitauerit, ſiue vt Imp. Conſtantinopolitano, & aliis exteris Imperij inuaſoribus propinquior habitaret: Romam Senatus curæ & gubernationi reliquit, ſedemq; regni Rauennæ cōſtituit. Oſtrogothis aūt ſub Theodorico Romam & Italiā ſumma in pacis quiete habentibus, Franci regnū ſuum adaugebant. Sed hæc alibi. Theodoricus rex licet Rauennæ ſedem habuerit, amauit tamen ornauitq; vrbem Romam, & multa publicè prouidit, ac neglectæ inſtaurationis, ſupra fidem eorum qui barbarum fuiſſe meminerūt,maximam ſuſcepit curam. Quod qui à fideli & copioſiſſimo teſte voluerit certius intelligere, legat Caſſiodori (eius epiſtolarū ſcriptoris) variarū libros: in quibus videbit, ipſum regē religionis Chriſtianæ, ſacrorum locorū ceremoniarumq; & pontificum Romanorum dignitatis curam geſſiſſe. Senatui ſæpenumero cōmendauit loca vrbis cùm ſacra, tum etiā à maioribus ſummis viris Reipub. fundatoribus frequentata. Præfectos architectoſq; inſtituit ſacris ædibus, Capitolio, Palatio, Thermis, Theatro, cloacis, aquæductibus, & cuiuſque opificij officinis in priſtinam formam melioremve reſtaurandis. Præfecit vigiles, qui curam die noctuq; ſuſciperent, ne vrbis ornamenta, ſtatuæ, & ingeniorū monimenta, ex ære aut marmore exciſa, exportarentur. Sepulchrū Auguſti in valle Martia, Tiberim inter & viam Flaminiā, inſtaurari mandauit. Et Amphitheatri, quod iam maiori ex parte corruerat, ſaxa non moueri, niſi in ſolam murorum vrbis inſtaurationem, prohibuit. Statuas principum æneas aut marmoreas, equeſtres, pedeſtreſq;, nominatim multas, & generali edicto omnes iuſſit conſeruari: adhiberiq; curā ne illæ interirēt, quibus fides poſteris aſſereretur, viros fuiſſe præſtantiſſimos, virtuti magis quàm fortunæ innixos: per quos in id magnitudinis res Romana creuit. Legeſq; & inſtituta ſeruari, malos ciuitatis mores à ſanctioribus corrigi: omnia deniq;, excepta militari diſciplina, ad vetuſtam ciuitatis, quam primus Reipub. oppreſſor Cęſar ſuſtulit, formam redigi optauit. Spectacula propriis ſui fiſci pecuniis (ex vetuſto more) edi, & alia munera publica exhiberi voluit. Et quum aurū argentúmve in nūmos ſignari ſuis temporibus oporteret, nullum ipſe ſignum aliud quàm ſtante Repub. conſuetum, cudi paſſus eſt. Vt autem ciues vel nouis erigendis, vel inſtaurandis vetuſtioribus ædificiis, maiorem haberent commoditatem, calcarias in quibuſdam Italiæ inſulis fieri procurauit, calcemq; poſtmodum ciuibus quorum principia ædificiorum cernerentur, ſine precio eſt largitus. Prohibuit autem edicto, & curam impendit attētiorem, ne quis Romanus, aut paterna origine Italus, nedum militaret, ſed ne arma domi haberet: Saionibus (vt ipſe appellat) ex Oſtrogotha gēte, per vrbem, & regiones Italiæ conſtitutis, qui præfectorum centurionumq; vice fungentes, gentiles ſuos in pace & ocio, à ciuium & prouincialium iniuria prohiberent, educerentque in turmas & phalanges, quum belli aut tumultus ratio poſtularet. Simili pietate vſus eſt erga vniuerſas Italiæ vrbes. Quod maximè oſtendit edictum adhuc (vt ait Blondus) extans, in quo ciues iubet toto anni tempore (præterquam

Rauēna ſedes regni, Roma relicta, illuſtris.

Theodorici pietas & egregia Reſp. totiuſque Italiæ cura.

terquam

terquam tribus meſſiũ & autumni menſibus) ciuitates & oppida frequentare, obire munera quibus antea quietiſſimis Reipublicæ temporibus conſueuerant. Non ſolùm enim agreſtes tunc, ſed etiam honeſto nati loco, motibus fatigati, quibus tãdiu Italia iactata fuerat, rura incolebant. Papiæ & Modoetiæ (quæ oppida poſt Rauennam amauit) palatia: Arimini ſancti Stephani, & Rauennæ ſancti Martini in cœlo aureo baſilicas, Spoleti quoq; amplas ædes magno ſumptu ædificauit. Sipontinam ciuitatem, iam tum in ruinam vergētem, vt inſtauraretur, tributorum vacatione donauit. Appiani balnea, quæ ager Paduanus habet, muro concludi, ædeſq; ſuperædificari curauit.

QVIBVS alijsq; bonis artibus præſtans princeps effecit, vt per omnes regni ſui annos, excepto extremo, & Roma & Italia, Octauij Auguſti aut Traiani, Adriani vel melioris cuiuſpiam principis tempora non deſiderauerit. Et quum Roma ipſa ab inclinatione cœpta pauliſper ſub illo rege reſpiraret, creuit interim, & opibus aucta eſt Rauenna. Nam licet vetuſta eſſet, quæ (vt Plinius eſt autor) Sabinenſium ante vrbem conditam fuit oppidum, tamen primum habuit incrementum ſub Auguſto Cæſare, qui apud eam claſſem tenuit perpetuò anni tempore expeditam, quò aut ſubitis in tumultibus, aut deſtinatis in bellorum apparatibus, Illyricum, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Proponridem, Pontum, Cretam, Cyprum directa nauigatione celerius petere poſſet, quàm ſi ex vrbe aut alijs Italiæ littoribus ſoluiſſet. Fuitq; maxima Rauennę amplitudinis acceſſio oppidum Claſſenſe, quod militum turmarumq; eius claſſis cauſa, à mercatoribus cõueniſq;, ſecundum portus Candiani littus ædificatum, multis fuit poſtea annis populo, & quidem diuite, frequentatum. Rauēnam item a Tiberio Claudio Germanico cinctam fuiſſe muro, qui nunc extat, indicant literæ ad portam ciuitatis. Sed hæc alibi. Super omnia, Theodorici regis pacatam vrbem Romam Italiamq; regentis, mora tanto tempore illic facta, multum profuit huic vrbi. Quandoquidem præter ædem beati Martini (de qua diximus) columnis marmoreis è Conſtantinopoli, & alijs marmoribus tum ex vrbe, ex palatio Pinciano, tum etiam aliunde aduectis, Rauennam princeps prædictus ornauit, qui aquæ ductum quoque eiuſdem ciuitatis (cuius nullum extat veſtigium) inſtaurauit. Proſpexit etiam prudentiſſimus princeps Theodoricus, externarum gentium, à quibus ſolis tunc ſibi in Italia timendum fuit, irruptionibus: & Herulis poſt occiſum Odoacrem (vt oſtendimus) conſeruatis, nouũ regem conſtituit: cuius nomen non exprimit Caſſiodorus. Quem regem cum ſuis Herulis, in extremis Italiæ partibus, apud Auguſtam prætoriam, & ſub Alpibus Apenninoq; habitare permiſſum, ipſe Theodoricus in filium adoptauit. Clodouæi regis Francorum filiam, nomine Adelfledam, Theodoricus in vxorem accepit. Sororem verò ſuam, nomine Amalafredam, Honorico Wandalorum, & filiarum vnam Alarico Wiſigothorum, alteram Gundibaro Burgundionum, neptemq; Amalabergam Herminfredo Turingorum regibus in matrimonio cõiunxit. Euchario etiam nobili ex Baltorum proſapia oriundo, (qui Veterici fuit filius) tertiam filiam Amalaſuintam in vxorem tradidit. Quo genero per aliquot, quibus ſuperuixit, annos, tanquam filio vſus fuit. Poſſedit verò ex priſco Romanorum principum inſtituto, adminiſtrauitq; Rom. imperij prouincias Occidētales, quæ à nullis dictarum gentium regibus tenerentur. Necdum enim vnquam cum Francis, Burgundionibus & Wiſigothis bella ſuſcepit: ſed eos, alioſq; exteros imperij oppreſſores, quoad potuit, ſimul in pace continuit, miſſis oratoribus cum epiſtolis, quæ extant, ne aliqua inter eos nata diſſenſio, Conſtantinopolitanis Imperatoribus Romaniſq; viam faceret ad iura Imperij reaſſumenda. CAP. 14.

Rauenna vetuſtas & incrementa.

Theodorici cum quibus affinitates contraxerit.

Sed in Hiſpanijs nulla vi armorum (quod quidem lectum ſit) captis, inde eum ſcimus aliqua tenuiſſe, quòd Caſſiodori extant decreta ad Hiſpaniarum gubernationem edita, extant & literæ ad magiſtratus in illis conſtitutos datæ. Quanquam ſuſpicari poſſit gubernationem Hiſpaniarum inde proceſſiſſe, quia is princeps ſuſcepit curam Vaſconiæ eripiendæ Francorum manibus, & poſtea pro generi filio conſeruandæ. Quum enim Clodouæus Francorum rex, (quod ſuo loco oſtendetur infra) Alaricum Wiſigothorum regem in campis Vaglodenſibus interfeciſſet, CAP. 15.

Theodorici bella & prouincia ſubacta.

Vaſconiamq́; cũ aliquot Hiſpaniæ partibus accepiſſet: Theodoricus rex arma induit in ſocerum, pro generi vltione. Quo in bello Franci ad x x x. hominum millia deſiderati ſunt. Vaſconiam Hiſpaniamq́; pro Amalrico Alarici filio, non paruo tẽpore gubernauit. Siciliam verò & adiacentes Italiæ inſulas, Dalmatiam Liburniamq́;, & Illyrici partem in Adriaticum vergentem, armis obtinuit. Duxitq́; paratiſſimam expeditionem trans Alpes, & prouinciam Romanã primùm, poſt Rhodano tranſmiſſo, Narbonenſem Galliam, ac ea Galliarũ loca, quæ extra Burgundiam ad Teutones pertinẽt, (exceptis Aluernis) regno ſuo adiecit. Quas quidẽ prouincias ciuitateſq́; Theodatus nepos eius, qui poſtea fuit tertius gẽtis Oſtrogothę rex, multo tẽpore adminiſtrauit. Extatq́; Theodorici epiſtola, per quam Arelatimœnia iuſſit ſumma diligentia inſtaurari. Pannoniam item Sirminenſem, tanto prius tẽpore ab exteris laceratam, & Noricos (qui nunc ſunt partim Auſtrani, partim Boiarij, regno ſuo adiunxit. Quibus prouincijs Coloſſum ciuem Romanum à ſenatu Romano præſidẽ dari voluit. Nam poſt eius ex Thracia profectionem, Bulgari relictis ſedibus, quas ad Danubij ripas ſecundum Pannonias & Noricum habere conſueuerant, tunc Thraciam deuaſtabãt. Nec poterat tunc reſiſtere Imperator Zeno, cùm propter cæteram Imperij debilitatem, tum quia temporibus illis Conſtantinopolitana vrbs maximo conflagrauit incendio. Quinctiam Theodoricus futuris prouidens temporibus, clauſtra Italiæ, ab ipſo Alpium maritimarum initio, vſq; ad Tridentinos montes, attribuit Gothorũ proceribus inhabitanda. In tramitibus autem, per quos ipſe & cæteri exteri erant ingreſſi, oppida excitauit: ciuitate, cui nunc Tridento eſt (eratq́; tunc) nomen, muro cincta, & Veruca arce, ad Norici & Italiæ fines, eo in loco cui nunc Montifalconi eſt nomen, a fundamento ædificata.

Italiæ clauſtra.

CAP. 16. HACTENVS quieta Romanis ſub hoc principe fuere tempora. Initium autem turbationis ab ipſis exoritur, in Romani pontificis electione: nam Anaſtaſio decedente, ſcinditur populus in binas ſententias. Nam alij, quorum ſententia finaliter præualuit, (vtpote maiori ſubnixa ratione) Symmachum voluere pontificem: alij verò Laurentium quendam præferebant. Delata res eſt Rauennam ad regem Theodoricum. Et quamuis in eccleſiaſticis rebus ſuum nõ eſſe iudicium agnoſceret, conciliandis tamen partibus operas impendit: & Symmacho quidem Rom. pontificatum, Laurentio minorem eſſe dandum arbitrabatur. Compoſita pax videbatur: ſed tartarea Romanis inceſſit inſolentia, ad tumultum redeuntibus. Inuenit vtraq; pars conſulares defenſores. Sed Symmachi partem fouentes, ſoli innixi defenſioni, ab vindicta & iniurijs abſtinuere. Laurẽtij verò propugnatores, parem in virgines ac ſacerdotes immanitatem exercuere. Multum innoxij ſanguinis profuſum. Nec quieuere tumultuantes, quoad ſupereſſet idolũ, cui ſtuderent. Quum verò Symmachus coram ſynodo ſe de obiectis purgaſſet criminibus, vna omnium voce damnatur Laurentius.

Schiſma in pontifice creando.

CAP. 17. WISIGOTHORVM commemorationem regum aliquandiu intermiſſam, locus hic depoſcit. Nam hoc tempore multũ apud eos innouatum eſt, tranſlatæ ſunt item regni ſedes. Nam Alaricus Eurici filius, patri decedẽti ſurrogatur in regnum: tenuitq́; per annos aliquot, quæ acceperat paternæ ditionis. Huic filiã dedit Theodoricus rex Italiæ. Qua affectione deuinctus, quum Clodouæus, quem alij vocant Ludouicum Francorũ regem, (erat enim binomius: quę res errorem legenti creat) Siagrium Romanum, ducem Sueſſionis vrgeret bello, & ille tãto impar regi, bello vinceretur: confugit ad Wiſigothorum regem Alaricum Theodorici Romanorũ & Italiæ regis generum. Ille confugientem defendit: inde omnem belli molem in ſe vertit: concurritur vtriuſq; gentis totis viribus. Sed tum cadente Alarico, cedunt Gothi. Franci victores, vſi victoria, victos perurgent Toloſa, & quicquid intra Pyrenæum eſt, cedere. Vrbes & oppida Franci ſumunt in deditionem: alias vi captas diripiunt. Theodoricus Italiæ rex vbi comperit, pro genero bella ſuſcepit in ſocerum: tenebat enim filiam Clodouæi coniugem. Miſſoq́; duce cum expedito exercitu, graui bello Francis congreditur. Cæſa ſunt tum vno in prælio Francorũ x x x. millia. Sed tamen vrbium & oppidorum ditioni Franci non cedebant. Itaq; ex hoc die anguſtatum eſt Gothorum in Hiſpanijs regnum.

Alarici generi mortẽ Theodoricus vleiſcitur.

AMAL-

CAP. 16.

AMALRICVS admodum puer, cæſo patri ſurrogatur in regnum Wiſigothorum, aui materni viribus defenſus, alioqui inſolenti Francorum imperio reſiſtere non valens. Aſſiduè enim Franci Wiſigothis infeſti permanſere, propter Arrianam hæreſim, quæ in ea gente diu permanſit. Clodouæus autem poſtquam ad Chriſti confeſſionem peruenit, ſynceram & catholicam induit religionem, non minus ob Chriſti honorem, Arrianis quàm incredulis infenſus. Quum graui prælio vrgeretur, diuo Martino, cui inſederat, caballũ deuouit, ſi victor euaderet. Voti compos factus, Martino diuo equum obtulit: & precio conſtituto centum aureorum, quum equus dimitti non videretur, ducentos impendit, & tum iumentum iam liberum ſequitur expectantem. Tum rex, *Bonus*, inquit, *Martinus adiutor eſt, ſed ſtipendio precioſus.* Procerum quoque conſilio apud Pariſios habito, quum ſatis de gerendo bello eſſet conſtitutum, vouit baſilicam principi apoſtolorum, (quæ nunc eius in ciuitate inſignis viſitur) ſi victoriam de fidei hoſtibus obtineret. Igitur Wiſigothis Alverni, originem ſuam in Italos referentes, Romanæ Reipublicæ fidem ad ea vſque tempora ſeruaturi, tum etiam bello adhæſere. Ideoque Apollinare quodam Romano, (qui dudum apud Alvernos fuerat) hortante, Wiſigothorum, vt diximus, partes ſunt ſecuti: quoniam eis ſeruauerant pacem à Conſtantio comite conſtitutam. Commiſſumq́; eſt prælium, in quo Wiſigothis & Aluernis ſuperatis, vtriuſq; partis ductores ceciderunt. Secundum id prælium miſit Clodouæus Theodoricum filium ſuum ex ancilla ſuſceptum, in Albienſes Rutenoſq́; Wiſigothorum ſubditos, ac in Alvernos (vt diximus) ſocios. Quibus ſubactis, & Francorum regno additis, in Toloſam adhuc, caput regni Wiſigothorum, Vaſconiamq́; (quod proximè diximus) Theodoricus arma conuertit. Amalricus verò, quem Alaricus vnicum habuit filium, ſeſe intra Pyrenæum communierat. Quare licet Toloſam cum paternis theſauris & Vaſconiam amiſerit, Hiſpaniam tamen vlteriorem cum Pyrenæis ſaltibus (prout pater poſſederat) defenſauit. Quumq́; pacem obnixè peteret, procliuis in illam primò fuit Clodouæus. Et tamen paulo pòſt Arrianam hæreſim audiens in Engloſina & Burdegalla ciuitatibus, magis quam alibi in Wiſigothorum regno feruere, eas egreſſus ciuitates cepit, diripuitq́; : & cæde Wiſigothorum ciuiumq́;, qui hęreſi abrenunciare diutius recuſarunt, commiſſa, epiſcopos illis catholicos inſtituit. Ea quum eſſent Imperatori Anaſtaſio renunciata, gauiſus eſt vltionē de Wiſigothis Imperij ſui euerſoribus eſſe ſumptam temporibus ſuis: & ob eam rem bene geſtam, Clodouæo regi tunicam, bracteam epiſtolaſq́; miſit, in quibus eum patricium conſulemq́; appellauit. Erat Turonis Clodouæus, quando tantum ab Imperatore Romano munus accepit. Quare votis rite ſolutis, poſt ſolennes Chriſtianorum ceremonias eam induit veſtem: & ſedens in equo, nummos in multitudinem, (quæ magna ex Francorum regno ad id ſolenne conuenerat) diſperſit. Acclamauit verò hunc multitudo nō patricium fore & conſulem ſolùm, ſed Auguſtum etiam Clodouæum. Qui ea ſociatus pompa Pariſios accedens, eorum vrbem tunc primò regni ſedem Francorum (prout in hunc diem eſt) ſeruatum fore conſtituit. Quæ intellecta Theodoricus Oſtrogothorũ rex tunc in Italia potentiſſimus, ægerrimè tulit, vel quia ſoceri Clodouęi audaciam damnarit, vel (quod magis eſt veriſimile) indignè tulerit tantam illum cum Romanorum Imperatore amicitiam coniunxiſſe: ſuper omnia verò, quòd nepotē ex filia Amalricum, patria poſſeſſione depulerit. Itaq; Theodoricus coactis lectiſſimis quibuſq; militibus, qui ad XL armatorum millia fuere, (maiori parte ex Gepidis) Ilbiam comitem præfecit ducem. Eiq́; in Vaſconiam ducenti occurrerunt Franci, quos Clodouæus prouinciæ illius præſidio deputauerat. Cōmiſſum eſt autem prælium vtrinque exercitui periculoſiſſimũ. Superiores autem fuerunt Itali regis copiæ, & Franciſ qui in Vaſconia erant, XXX. hominum millibus profligatis, magnaq́; parte cæſis, recuperata eſt pro Amalrico, defuncti Alarici filio, Vaſconia: quam illi certo tempore Theodoricus (prout ſuprà diximus) proprio Oſtrogothorum præſidio defenſauit. Quia verò exercitus, quem Ilbia Oſtrogothus in Hiſpanos Wiſigothos duxerat, per Liguriam tranſiens, eam afflixerat prouinciam, Tribunus aliquot annorum Liguſtinos frumenti copia ex horreo publico donauit. Quo in tempore,

Wiſigothi Arriani errant.

Vincuntur Wiſigothi à Francis.

Wiſigothos propter Arrianam hæreſim delet Clodouæus.

Theodoricus generi ulturus caſum, in Vaſcones exercitum mittit.

vt aduerſus omnes motus, qui per Hiſpanias aut Gallias orirentur, paratior foret, naues omni in maritima Italiæ ora nouas fieri, & Rauennam duci curauit idem rex Theodoricus.

CAP. 19.

Theodoricus rex Arrianus.

THEODORICVS autem Italiæ aliàs rex optimus, labem vnam religionis non emendauit: nam Arrianam hæreſim (quam ex Valente Imperatore omnis ea natio imbiberat) pertinaciter ſeruauit. Iuſtinus autem Imperator, hæreſum radicibus per Orientem extirpandis intentus, eiecit omnes ſectæ illius epiſcopos, priuauitq; cõmiſſis eccleſijs ſacerdotes. Tulit eam rem grauiter Theodoricus Arrianus. Hinc optimos ciues Romanos Symmachum & Boetium ſuſpectos habuit: eoſq; exacto conſulatus anno (deferentibus Opilione & Gaudentio, factioſiſſimis ciuibus) Papiam relegauit. Quo in tempore Theodatum nepotem ex Narbonenſi prouincia reuocans, Etruriæ præfecit: cuius prouinciæ nonnullas illi vrbes attribuit iure proprio poſſidendas. Et ne Romani ciues ob Symmachi & Boetij relegationem, de ſolita benignitate diffiderent, rex ſenatui permiſit, vnum ex gente patricia mitterent Theodato in Narbonenſi prouincia ſucceſſorem. Et tamen eo qui ſecutus eſt anno, Ioannem ſummum pontificem, Agapitum & Patricium conſules, ac Theodorum ac Importuium, alterumq; Agapitum ſenatores, prę́ſtantiſſimos ea tempeſtate viros, Roma eijcere, & omnino tollere conſtituit. Idq; vt aliqua ſimulatione tectus faceret, ipſos legationis nomine miſit Conſtantinopolim ad Iuſtinum Imp. Vtq; eam legationis ſimulationem melius cõcinnaret, eccleſiæ Rauennatis epiſcopum ipſis oratoribus adiunxit. Fuit verò legationis ſumma, vt agerent cum Iuſtino Imp. de epiſcoporum ſacerdotumq; eiectorum reſtitutione. Qua denegata, aut diutius dilata, ſeſe comminatus eſt omnem Italiam & vrbem Romam cædibus & incendio vaſtaturum. Appulſa Conſtantinopolitanæ terræ naui, quæ tantos detulerat oratores, Iuſtinus cum cleri & populi pompa obuiam eſt progreſſus: ad pontificiſq; pedes proſtratus, illum pro Dei vicario adorauit. Is ſummus pontifex maximis honoribus introductus, mandata ſimul cum Romanis cõſulibus ſenatoribuſq; & Rauennate epiſcopo expoſuit. Quibus ab Imperatore auditis, magna vtrinq; dicentium audientiumq; commiſeratio oborta eſt, hinc fidei cauſa, ſi Arriani tolerarentur: illinc vrbis & Italiæ deſolatione, ſi impio regi non ſatisfieret, animos diſtrahentibus. Vicit tamen grauiſſimorum, in quibus timor Domini ſanctus permaneret, virorum ſententia, poſtponendam (quæ ad tempus in integrum reſtitui poſſet) fidei cauſam vrbis & Italię ſaluti: quarum populos gladio occiſos, nulla poſſet principum, nulla pontificum aut conſulum potentia reſtaurare. Sic dimiſſurus oratores Iuſtinus, vt in illorum honore ſuo item conſuleret, à Ioanne pontifice, conſulibus Romanis ſenatoribuſq; ſubminiſtrantibus, voluit coronari. Adduxerunt verò impenſi effuſius pontifici & Romanis à Iuſtino honores, Theodoricum maiorem in ſuſpicionem. Et qui prius ſumma digniſſimus laude tot per annos, melioribus quos antè acta tuliſſent ſecula, principibus Romanis æquari meruit, ad extremum vitæ flagitijs ſe inquinauit. Nam tentos Rauennæ Ioannem pontificem, conſules & ſenatores Romanos, famis cruciatu in carcere occidit: Boetium verò & Symmachum in Papia, vbi aliquot exulauerunt annis, iuſſit iugulari. Quo tempore Eccleſius Rauennæ epiſcopus, ab infauſta illa legatione reuerſus, baſilicam ſancti Vitalis, (quæ nunc Rauennæ inſignis viſitur) ſimul cum Iuliano Argentario exædificauit. Factum autem videtur in crudelitatis, qua Theodoricus mores ſuos verterat, vltionem, vt apoplexia, ſiue (vt vult Aguellus) ventris profluuio interierit, nonageſimo octauo die poſtquam Romanus pontifex Ioannes & Romani illi obierant, atq; anno duodequadrageſimo poſtquam Italiæ dominio potitus erat. Quãquam Procopius in belli Italici aduerſus Gothos principio refert, Theodorico, poſt occiſos Boetium & Symmachum, cœnanti, quum eſſet caput piſcis oblatum, horrendam in illo viſam Symmachi faciem, quæ labro inferiori mordicus apprehenſo, ſibi toruis oculis minaretur. Eoq; conſternatũ pauore regem incidiſſe ægritudinem, in qua leuitatem ſuam confeſſus fuerit, quòd ſcilicet pontificem, virum ſanctum, & cum eo alios inſignes Romanos ciues tunc maximè præſtantiſſimos viros, Symmachum & Boetium, ad perditorum hominum ſuggeſtionem occiderit, & paulò

Theodoricus per legatos à Iuſtino cõtendit, vt Arriani epiſcopi reſtituantur.

Theodorici imperium finem habuit infauſtum.

Theodoricus horrendo viſo attonitus moritur.

paulò pòſt eam confeſſionem expirauerit. Simile certiuſq; teſtimoniũ inflictę ſubitæ mortis regi Theodorico, ad pœnam iniquitatis, affert ſanctæ eccleſiæ D. Gregorius, in dialogo, vbi ſcribit, ſolitarium magnæ virtutis virũ, apud Liparam inſulam in eremo habitantẽ, qua die functus eſt Rauennæ Theodoricus, Gotho cuidã nobili tunc dixiſſe, viſam à ſe Theodorici regis animã, quę a Ioanne Rom. pontifice, & Symmacho (quos per id tẽporis occiderat) in ollam Vulcani mergenda portaretur.

Cap. 20.

AMALASVINTA filia Theodorici, vidua, cum Atalarico filio ſuo, quem ex Euchario Oſtrogotho magnæ nobilitatis viro ſuſceperat, octauum ætatis annum agente, in regno ſucceſſit. Adhibuit verò prudens regina ſingularẽ in ſubditos cùm humanitatem, tum diſtrictionis moderationem: quæ quũ Gothos ſeuerè, ne quenquam læderent, contineret, laxiore quàm Theodoricus fecerat, gubernatione eſt vſa. Et inter alia quæ reſcidit à genitore facta, filijs Symmachi & Boetij patrimoniũ reddidit. Sed Atalaricum filium ea erudiri, & Romanorum moribus & diſciplinis imbui diligentia curare cœpit, vt facilè in optimum principem fuerit euaſurus: niſi tres Gothi illius educatores, rapinis (quibus aſſueti erant) inhiantes, prudens id reginæ conſilium peruert[illegible]ent, non placere Gothis dicentes, eorum regem ſub pręceptoribus viuere, formidinem ſibi per verbera minaſq; incutientibus: quum econtra expediret, vitam inter Gothorum duritiem acturum, omni ſolutum maiorum reuerentia, interq; coæquales viuentem, arma & equos tractare, quibus animi vigor generoſitaſq; a maioribus accepta indies augeatur. Quæ quum Amalaſuinta, Barbarorum inſidias timens, libenter audiſſe ſimulaſſet, Atalaricum paulò maioribus permiſit educandum. Tametſi ſodales, puerum omnibus ſtatim vitijs infecerunt, matri tamen obſequens erat. Quòd quum Gothos educatores ſuos terreret Iuſtini optimi Imperatoris virtus, in quam Theodorico etiam potentiſſimo regi (vt oſtendimus) ſuſpectam, Romanos Italięq; populos reſpicere formidarent: hinc pacem cum Francis, Wãdalis, Wiſigothis Burgundionibuſq;, & alijs exteris à Theodorico paratam, communi conſilio conſeruauerunt. Turbauit verò hanc reginæ & nati cõcordiam mors Iuſtini Imp. quæ ad finem primi illorum regni anni, Lampadio & Oreſte cõſulibus ſecuta eſt. Siquidem ea in rerum animorumq; commotione, quam principum mutationes efficiunt, Atalaricum ſodales, metu Imperatoris liberati, facilè in laſciuiorem vitam tranſuerſum egerunt, adeò vt nedũ matrem non audire aut alloqui dignaretur, quin potius parari illi inſidias pateretur. Quibus artibus quum ſe priuari regina regno videret, Theodatum primum ſibi ex gente Amala cõſobrinum, multas per Etruriam ciuitates tenentem, & eam adminiſtrantem prouinciam (qui & ipſe pueri ſeductoribus cõſentiret) coercuit, pecunijs mulctatum, diſſoluendis Etruriæ populis, à quibus repetundarum fuerat accuſatus. Inde filio Atalarico cum ſodalibus Romæ relicto, Rauennã ſe contulit. Et quum nequiret filium à pernicioſa vita reuocare, quod proximum fuit, tres Gothorum proceres, qui malorum cõſiliorum puero ſuaſores erant, interfici curauit. Eam autem dicit Procopius, Iuſtiniano Imperatori (quem Iuſtinus ex ſorore nepotem reliquit ſucceſſorem) ſuaſiſſe Italiæ recuperationem. Quod quum à prudentis fœminæ, quam omnes ſcriptores ſummis efferunt laudibus, vita & moribus abhorreat, & nullus alius vel tenuiter innuit: vero ſimile non videtur.

Gothi ſuum principem præceptori ſubeſſe nolunt.

Atalaricũ adulatores à recta educatione abducunt.

Cap. 21.

ATALARICVS ergo paulò adoleſcentior, Theodorici ex filia nepos, contempta matre gubernacula pręripit. Sed in hunc inquinatiſſimis fuiſſe moribus teſtantur ſcriptores. Caſſiodorus autem illum omnia in exẽplar aui Theodorici geſſiſſe, & quandoq; etiam melioribus cõſilijs (quum etiam illius epiſtolarum magiſter eſſet) teſtatur. Siquidẽ licet Arrianus eſſet, Bonifacium & Ioannem (cui etiam Mercurio nomen fuit) ſummos pontifices, quos ſua habuerunt tempora: nòn ſolùm ipſe proſecutus eſt fauoribus & honore, ſed & a Romano ſenatu ac populo honorari curauit. Decreta cuius extant, De epiſcopis à Romano pontifice, & nullo alio ordinandis, De rebus ſacris a nemine diſtrahendis: & demum, De eccleſiaſtica libertate ſeuerius conſeruanda. Ciues etiam Romanos, & Italiæ populorum vrbes frequentare, ac bonis artibus operam dare edixit. Stipendia in vrbe Roma liberalium artium præceptoribus (quod multis annis fuerat neglectum) conſtitutis, &

Atalaricus rex Arrianus, non tamen catholicis infeſtus.

inchoatam à Theodorico publicorũ vrbis ædificiorum inſtaurationem adeò continuauit, vt marmora oportuerit aliunde aduehi, quæ in ruinis inceperant deeſſe. Nec quicquam ab eo coniicimus perperam factũ, præter Opilionis, Symmachi & Boetij delatoris, ſublimationẽ ad comitiuã ſacrarũ largitionum, quæ videtur fuiſſe ærarij præfectura. Titubauit tamen ad extremũ pueri regnum, ob Frãcorum Burgundionumq́; in Italiam aduentum: qui hunc maximè in modum fuiſſe videtur.

CAP. 22. CLODOVÆO Francorum rege mortuo, Clodomir Childebertuſq́; eius filij, in regni paterni diuiſione, partes Burgundionum regni Alemannorumq́;, quas occupauerat Clodouæus, & quæ in alpibus ad Italiam ſpectant, Theoberto eorũ nepoti, quem in regem Metenſibus conſtituerunt, quum illi bene vellent, ipſi locis cedentes, regendas poſſidendaſq́; dederunt. Is itaque Theobertus adoleſcens, rapinis pridem aſſuetus (vtpote quem Theodoricus pater in Alemannorum expeditiones duxerat) prouinciam Romanam, cuius caput eſt Maſſilia, vexauit, quæ regis Italici eſſet. Quod quum intellexiſſet Amalaſuinta, ad reges Francorum mittit, pericula oſtendens ab Imp. Iuſtiniano tunc florente imminentia, ſi Romanæ Reipub. prouinciarum inuaſores, præſertim Italiæ propinqui, bellis inuicem diſſiderent, fœderaq́; inter Atalaricum filium, & Theobertum fieri impetrauit. Etſi verò qualia fuerint fœdera, non ſatis compertum habeamus, tamen cõſtat, Theobertum Romanam prouinciam in vim ipſorum fœderum tenuiſſe. Acceſſit etiam pueri regis incommodis, quòd Theodatus ob acceptam à regina Amalaſuinta iniuriam, & quia Francos Burgundioneſq́; vicinos Italiæ ſolos timeret, cum Iuſtiniano (prout autor eſt Procopius) egit vt Italiæ, receptam per Hetruriam, manus iniiciens, pecunijs ſe ditaret: quarum adminiculo otioſam in Cõſtantinopoli vitam ageret. Sed eam reginæ animi perplexitatem, & Theodati cogitationes, in noua mutauit conſilia Atalarici regis obitus. Octauo enim quàm cum regina matre regnum aſſumpſerat anno, defunctus eſt. Tunc Amalaſuinta cõmodius ſibi proceſſuram gubernationem arbitrata, ſi quempiam aſſumeret adiutorem, Theodatum ex gente (vt diximus) Amala, ſibi conſobrinum, ad ſe vocauit: & multis in eam ſententiam dictis, (vt facilè potuerit homo cupidus, illatam mulctæ iniuriam, anteactæ vitæ potius quàm reginæ ſimultati attribuere) illum poſt reconciliatam gratiam regni conſortem declarauit. Erat verò Theodatus Latinis Græciſq́; literis eruditus: & inter Philoſophos, quibus operam impenderat, Platonem maximè ſectabatur: qui (vt aſſerit Caſſiodorus) temporum ſuorum hiſtoriam ſcripſit. Cæterùm qui omni in vita iners incõſtanſq́; fuiſſet, tunc ætate iam grandior, adeò imbecillis eneruuſq́; fieri cœperat, vt nulli rei magis præterquam cumulandæ pecuniæ, cui auidiſſimè inſeruiebat, videretur idoneus. Et tamen regina impellente, vnicum inito regno edidit virtutis munus. Nam dum Amalaſuinta ipſum in Rauenna regni conſortẽ fore conſtituit, Theobertus Metenſium rex, Burgundionum multa armatorũ millia in Liguriam atq; Æmiliam, Alemanorum verò in Venetiam miſit: in quos delatus eſt cum Gothis Italiſq́; militibus Theodatus. Et licet multò minora fuerint quàm de ſe per literas Caſſiodori ipſe prædicat, vtranque tamen gentem non ſine illorum cæde Italia expulit: atq; etiam miſſo exercitu, quem vtraque in expeditione habuerat, prouinciam Romanam per legatos receperat. Tegebat autem multũ ipſius regis ineptias, virtus reginæ, omnia adminiſtrantis.

Theobertus Metenſium rex cũ Atalarico fœdus init.

Theodatus in regni ſocietatem aſcitus.

CAP. 23. THEODATVS ergo, quia illum Amalaſuinta toro dignatur, regni conſortium meruit, & pro rege cuncta rexit ipſe adminiſtrauit, cõſilio (vt diximus) prudentiſſimæ reginæ. Hinc illa proceſſiſſe videntur, quæ Caſſiodori epiſtolæ oſtendunt prouiſa prudenter: pax à Iuſtiniano Imperatore, & pariter à Francis regibus, Theobertoq́; nepote, per datas multiplices epiſtolas, miſſoſq́; oratores, etiam ex ſenatu enixius petita. Hinc ſummi pontificis veneratio, & ſuſcepta accuratius cleri ſacrarumq́; rerum protectio. Hinc aduecta magnis ſumptibus à Conſtantinopoli marmora, quibus Romam ornauit. Hinc liberalitas proceſſit, qua in Ligures Æmilienſeſq́; & Venetos vſus fuit. Ipſis enim populis, ob accepta à Burgundionibus Alemanniſq́; damna, tertiæ partis vnius anni annonam ex publico eſt largitus: quam quidem annonam Ligures & Æmilienſes ex Terdonenſi Papienſiq́;, Veneti ex

Regina conſilio omnia bene adminiſtrantur.

Tarui-

Taruiſino & Tridentino horreis acceperunt. Hunc etiam regem ſcribit Caſſiodorus, elephantos tunc ex ære, via ſacra ad naturalem beſtiæ magnitudinem extãtes, qui ruinam minabantur, inſtaurari iuſſiſſe: ea(vt videtur) ratione, quòd populi Romani conduceret animorum ſeruandæ generoſitati, ſi pueri adoleſcenteſq; beſtias intuerentur, in quas maiores pugnare non horruerint, decori inſeruientes. Sed quũ Theodatus rapinis, pro ingenij ſui vitio, manũ appoſuiſſet, diſſuaſiſſetq; illi primò, poſtea etiam obſtitiſſet Amalaſuinta, mox homo perditiſſimus, ſumma ingratitudine vſus, eam in lacus Vulinenſium inſulam relegauit: occidiq; permiſit à filijs & agnatis Gothorum procerum, quos Atalarici corruptores reginam oſtẽdimus interfici curauiſſe. Tulerunt eam mortem ægerrimè non Oſtrogothi modò, ſed & Romani Italiq; omnes: vt ſi aliquis apparuiſſet, ad quem tunc ſumma rerum deferri potuiſſet, fuerint à rege defecturi. Fuit namq; mulier illa (ſi Caſſiodoro credimus autori grauiſſimo) inter primarias rariſſimaſq; annumeranda. Quam ille dicit videre venerandam, audire loquentem, fuiſſe miraculum. Quæ Græcis Latiniſq; literis egregiè imbuta erat, omnium gentium nationumq;, quæ Romanũ inuiſerant imperium, linguam ex illarum vernaculo vocis ſono loquebatur. Eam verò tantæ grauitatis, tantæ in ſimulando & diſſimulando prudentiæ prædicat fuiſſe, vt quum dyſcolos inſolenteſq; & craſſiores compeſcere curaret, nullam illi ab ea offenſam perpeſſos & dicerent & ſentirent. Vnde tantam comparauerat autoritatem, tãtum ſibi conciliauerat omnium amorem, vt rem illi odioſam commiſiſſe, ſi etiam nulla timeretur pœna, nefarium duceretur. Ita illius morte poſt ſactum conſiderata, Theodatus anxius, Oſtrogothis proprio timentibus periculo, maximè memorantibus, exiſtimare cœpit quantum emineret periculum, ſi Iuſtinianus, ſumpta occaſione necis Amalaſuintæ, cuius virtutem dilexit, Italiam inuaderet.

Regina relegata & trucidata. [margin note; printed: Regina relegata vnda- gnacadet.]

CAP. 24.

Theodatus Imperatori, quam ob regina cædẽ timebat, blandiri conatur. [margin note; printed: Theodatus timidam, quaob regna cadẽ laborabat, duluere conatur.]

ITAQVE placaturus Imperatorẽ, inter multas quas ad illum vxoremq; Theodoram dedit epiſtolas, vnam accuratius ſcripſit, in qua Romam Italiamq; loquẽtes facit, pacem optimo regi, doctiſſimo principi, Romę & Italiæ amãtiſſimo patri mitiſſimoq; domino implorarent. Et quum eſſet viſum, in tanto timore ſuo parum ſenatores Romanos mittere oratores, Agapitũ etiam põtificem ſummum miſit. Nec tamen illum commeatu in viaticum iuuit, vt bonus pontifex vaſa aurea argenteaq;, ex beati Petri ſacrario ſumpta, fœnori ſubijcere, quò pecuniam ab vſurarijs acciperet, ſit coactus. Quem quum Iuſtinianus ſumma veneratione in Cõſtantinopolim deductum, de Eutychiana hęreſi interrogaſſet, orta eſt inter eos de rebus fidei vltima diſſenſio. Iuſtinianus enim ab Antonio Cõſtantinopolitano epiſcopo ſeductus, petijt eam labem à ſummo pontifice confirmari. Cui nedũ diſſenſit Agapitus pontifex, ſed magno reſiſtens animo, illum pro Iuſtiniano appellans Diocletianum, reſipiſcere fecit: & Antonio hæreſis fautore eiecto, Mennam in Conſtantinopolitanum epiſcopum ordinauit. De pace verò quum mandata pontifex expoſuiſſet, ita adulanter & ſimulatè reſpondit, vt poſthac nimis ſibi ſecurus rex Theodatus videretur, multaq; ſit auſus, quæ illius ſtatum ad ruinam pertraxerũt. Siquidem Agapito, quàm primũ Romam redijt, defuncto, clerum Romanum (quod nullus ante illum tyrannus intentauit) Theodatus rex in electionem quam faceret, illata vi conſenſum promittere coegit: & pecunia per pactionẽ accepta, Siluerium pontificem creauit. Qua ex re quum maximam cõflaſſe inuidiam, & multos ſe delatum Conſtantinopolim iſſe cõperiret, incepit melioris vitæ inſtitutionem populo oſtendere, tributis alicubi imminutis, & omnibus liberatis, qui fiſco obnoxij, aut delicti in rempublicam commiſſi cauſa in cuſtodia tenerentur. Eius tamen ineptiſſimi & omnibus inuiſi regis, conatus maximè inanes reddere cœpit annonæ penuria, per vniuerſam Italiam orta: cuius multò minorem quàm vini ſuſcepit curam. Namq; audiens in Veronenſi agro accinaticum eſſe vinum, ſaporis odoriſq; ſuauiſſimi, magnam eius vim ſummo cum fiſci impẽdio Romam aduehi curauit. Vinum etenim illud aſſerit Caſſiodorus colore purpureo fuiſſe regium, ſapore præcipuum, dulcedo cuius ineffabili ſuauitate ſentiebatur: quum tamen interim tactus eius denſitate pingueſceret, vt carneus liquor vel potio edibilis videretur. Sed annonæ penuriam ſubleuandæ cauſa factum eſt, vt ad tribunos maritimos Venetiarum

Papa Imperatorem de Eutychiana hæreſi deducit.

Theodati tyrannis ſimonia & ebrioſitas.

dederit epiſtolam, quæ nouæ vrbis Venetæ paulò antè inchoatæ prima incrementa, qualia fuerint, ante oculos ponit: & haud ſecus deſignat, quam ad tanti populi, tamq; excellentis vrbis oſtendendam originem, tunc a Caſſiodoro, à Rauenna oriundo, & qui locum inſpexerat, perſcripta fuiſſet.

Cap. 25. QVVM itaq; miſiſſet Theodatus rex in Hiſtriam Laurentium quendam, procuraturum annonam, quæ Rauennā adueheretur, exercitibus & Italiæ populis diſtribuenda: dictis Venetiarum tribunis in hæc verba ſcripſit. Data pridem iuſſione cenſuimus, vt Hiſtria prouincia, vini & olei ſpecies, (quarum præſente anno copia indulta perfruitur) ad Rauennatem fœliciter dirigeret mãſionem. Sed vos, qui numeroſa nauigia in eius confinio poſſidetis, pari deuotione grata prouidere, vt quod illa parata eſt tradere, vos ſtudeatis ſub celeritate portare. Similis quippe erit vtriq; gratia prouectionis, quando vnum ex his diſſociatum, impleri non permittit effectum. Eſtote ergo promptiſſimi ad vicina, qui ſæpe ſpatia tranſmittitis infinita: per hoſpitia quodammodo veſtra diſcurritis, qui per patriam nauigatis. Accedit etiam commoditas, quòd vobis aliud iter aperitur, perpetua ſecuritate trãquillum. Nam quum ventis ſæuienibus mare fuerit clauſum, via vobis panditur per amœniſſima fluuiorum. Carinæ veſtræ flatus aſperos quū expaueſcunt, terram cum ſumma celeritate contingunt. Putantur eminus per prata ferri, contingit alueum non videri: tractæ funibus ambulant, quæ ſtare rudentibus cõſueuerunt. Et conditione mutata, pedibus iuuant homines naues ſuas, vectricem ſine labore trahunt: & pro panno velorum, vtuntur paſſu proſperiore nautarum. Iuuat referre quemadmodū habitationes veſtras ſitas eſſe perſpeximus. Venetiæ prædicabiles, quondam plenæ nobilibus, ab Auſtro Rauennam Padumq; contingunt. Ab Oriente iocunditate Ionij littoris perfruuntur, vbi alternus æſtus egrediens, modò claudit modò aperit faciē, reciproca inundatione camporum. Hic vobis aquatilium auium more domus eſt. Nãq; terreſtris modò cernitur inſularis, vt illic magis exiſtimes eſſe Cyclades, vbi ſubitò locorum facies aſpicis immutatas. Eorum quippe ſimilitudines per æquora longè patentia, domicilia videntur ſparſa, quæ non natura protulit, ſed hominū cura fundauit. Viminibus flexis illigatis, terrena illic ſoliditas aggregatur: & maritimo fluctui tã fragilis munitio non dubitatur opponi, quando vadoſum littus moles neſcit eijcere vndarū: & ſine viribus fertur, quod altitudinis auxilio non iuuatur. Habitatoribus igitur vna copia eſt, vt ſolis piſcibus expleantur. Paupertas ibi diuitibus ſub æqualitate conuiuit: vnus cibus omnes reficit, habitatio ſimul vniuerſa concludit. Neſciunt de penatibus inuidere: & ſub hac menſura degentes, euadunt vitium cui mundum conſtat eſſe obnoxium. In ſalinis autem exercendis tota cõtentio eſt. Pro aratris, pro falcibus, cylindros voluitis. Inde vobis fructus enaſcitur, quando in ipſis, & quæ non facitis poſſidetis. Moneta illic percutitur victualis, arti veſtræ omnis fructus addictus. Poteſt aurum aliquis minus quærere? Nemo eſt qui ſal non deſiderat inuenire: meritò, quando iſti debet omnis cibus, quòd poteſt eſſe gratiſſimus. Proinde naues, quas more animaliū veſtris parietibus alligaſtis, diligenti cura reficite: vt quum vos vir experiſſimus Laurentius, qui ad procurandas ſpecies eſt directus, commonere curauerit, feſtinetis excurrere: quatenus expenſas neceſſarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aëris, compendium vobis eligere poteſtis itineris. Hæc de Venetijs ex epiſtola Theodati regis libuit inſerere.

Theodati ad Venetos epiſtola.

Venetiarū veterum ſitus & mores.

Cap. 26. PROINDE dum Theodatus Oſtrogothorum rex, vrbis Romæ & Italiæ regnū ineptè ſimul & auarè adminiſtrat, Italiãq; annonæ inopia premere cœpit, Iuſtinianus Imperator expeditionē in Italiam deſtinauit. Quam quia diu durauit, & varia maximaq; habuit belli facinora, mox exponemus. Nā bello Parthico proſperè geſto, per Beliſarium in Aphricā copias miſit, expulſis Wandalis: quod in ipſa Wandalia dicemus. Prouinciā Romano recuperauit imperio. Beliſario igitur poſt triumphum Aphricæ Conſtantinopoli agente, Theodatus, qui reſciſſet Iuſtinianum ſibi infenſiſſimum eſſe, cœpit ſolito magis angi. Et tamen qua erat ingenij tarditate, nihil ſolito accuratius prouidit, ſed ad ſuas cõfugiens ineptias, oratores ad Iuſtinianum mittens, alias item epiſtolas (quæ extant) ad illum dedit, in quibus pacem ab illo impetraturus, Romā & Italiam inter cætera colloqui fecit, etſi Aphrica libertatis

Beliſarius Wandalos Aphrica expellit.

parte

parte frui occeperat, nõ tamen debere Iuſtinianum optimum principem, Italiam, à qua imperij nomen decusq́; acceperat, in eandem libertatem animis erectam, motibus incertis exponere, qui inter oppugnandum defendendumq́; neceſſariò orirentur. Iuſtinianus verò reſpondens regi, præ ſe tulit deſiderium vrbis & Italiæ liberandæ. Miſitq́; ad illum oratores, quorum legationis hęc ſumma fuit, vt aut Italia & eius inſulis decedens Conſtantinopolim Theodatus ſe conferret, diuitias accepturus maximas, & in ocio (quod à teneris annis fecerat) philoſophiæ operam daturus. Aut ſi id facere recuſaret, bello, quod extunc indictum ſibi eſſet, neceſſaria præpararet. Is verò hominum ineptiſſimus, nec oblatis conſenſit conditionibus, nec ſe contra vim magis ſolito communiuit.

Theodato conditiones à Iuſtiniano latæ.

CAP. 27.

IVSTINIANVS vbi ab oratoribus ſuis factus eſt certior, Theodatũ, etſi poſtulatis non feciſſet ſatis, omnia negligenter prouidere: Belliſarium iubet, ſimulata in Aphricam nauigatione, claſſem ſoluere: & ea in Siciliam ducta, pro viribus incumbere inſulæ recuperationi. Cauit tamen prius Imperator, ne quum Wandalos in Aphrica oppreſſiſſet, ſimilem intentaturus Oſtrogothorum oppreſſionem, aliàs Romano imperio dudum inimicas gentes in ſe concitet. Ad Clodomirem namq; Childebertumq́; & Clotarium, Frãcorum reges (vt & ipſi quieſceret, & nepotem Theodebertum, Liguriam tenentem, quieſcere curarent) multa & maxima miſit dona, additis literis, quarum ferme ſententia hæc fuiſſe videtur. Graue fuit hactenus, Oſtrogothorum reges, qui Theodorico indigni ſucceſſerant, tolerare, cùm propter illatas nobis penè per dies ſingulos iniurias, tum maximè propter Arrianæ hæreſeos labem, qua vrbem Romam & Italiam inficere nõ deſinunt. Inſuper à nobis requiſitus rex Theodatus non reſipiſcit, ſed conuitia iniuriasq́; vir petulans adiecit. Quod quum diutius ferre Chriſtianos principes indignum ducamus, bellum illi indiximus: ſpem maximam victoriæ in veſtris aliorumq́; principum Chriſtianorum viribus, non minus quàm in noſtris, repoſitam habentes. Poſtquam autem reges reſcripſerunt epiſtolas, ſpem pacis facientes, Iuſtinianus Mundum quẽdam, ducem ſuum, cum copijs Dalmatiam inuadere imperauit. Et Mũdus quidem Gothis, qui Solonam præſidio tenebant, prælio ſuperatis, Solonam cepit, inuoluitq́; tumultu Dalmatas omnes, Iuſtiniano ſubijci renitentes. Annos tunc vrbs Roma duos de quinquaginta ſub Gothis regibus, Theodorico XXXVIII. Amalaſuinta & puero Atalarico octo, ac Theodato duos, adeò floruerat, vt nullam ipſa imperij inclinationem vltro ſentire videretur. Quin appareret primùm, quem fortè creari contigiſſet excellentioris animi atque ingenij ſiue regem ſiue Imperatorem, illius ſtatum vbiq; ad integrum orbis imperium poſſe redigere. Sed quæ alluxit ob aduentum Belliſarij, ducis præclari, & viri certè optimi, ſpes libertatis, per Imperatoris Iuſtiniani auaritiam atq; ſocordiam in contrarium ſucceſſit. Namq; & libertas omnino perdita, & vrbs intus extraq́; diruta ac deſolata, ad ſtupendam calamitatem perducta eſt: quod ſequentia monſtrabunt.

Iuſtinianus Francorum vim muneribus à ſe auertit.

Roma ſub Gothorum regibus annos 48.

CAP. 28.

Suprà c. 18.

SED intermiſſo pauliſper Oſtrogothorũ euentu, ad Wiſigothos in Hiſpaniam reſpiciamus, vt quæ vno ſunt tempore patrata, vna dicendi ſerie contexantur. Amalricus rex, (quem arma Theodorici aui, regis Italiæ, defenderunt) quum magno præliorum labore ad paternam ditionem per Vaſconiam rediſſet: coniugio proximorum Franciæ regum propinquitatem, & regno ſuo ſtabilimentum perquiſiuit. Duxit enim cõiugem Rotildam, Franciæ regũ germanam. Facilè autem moribus conueniſſent, ſi de religione ſenſiſſent idem. Nam illa erat Chriſtiana admodũ fœmina, quæ nimis horreret perfidiam Arrianã, cui pertinaciter rex inhæſerat. Mortuo quidem Clodouæo, fortiſſimo Francorũ rege, Amalricus, dum fratres, Clodouæi filij, paternã ditionem partirentur, (intẽtis ſingulis ad ſua, amittere vires per diſtractionem videbantur) hic rex in antiquam facilè irrepſerat poſſeſſionẽ. Vnde tollens animos, ad reges Francos ea de re nuncium mittit, petitq́; eorum amicitia frui liceat, atq; ex eorũ familia ducere vxorem. Non indigna petitio regibus viſa eſt: ſororem illi dant cõiugio virginem. Quam regio faſtu ſuſceptam Amalricus, liberaliter primùm, mox cõtemptiſſimè habuit: quippe qui (vt diximus) Arriano veneno imbutus, rectę fidei mulierem deſpiciebat: adeuntemq́; ex more Chriſtiano tẽpla,

Amalricus Arrianus, in vxorem catholicam contumelioſus.

contumelijs perſequebatur, lutoq́; per viam à pueris mandabat cõtaminari. Id diu paſſa mulier, regibus fratribus per literas ſignificat, quæ à viro infideli toleraret, laturaq́; foret,niſi Amalrici petulantiam temeritatemq́; cõpeſcerent. Crebro mulieris queſtu perciti reges cogunt exercitũ. Childebertus rex, vnus ex his, ſublimi vir animo,non expectato fratre,militem in Amalricũ educit. Cognito quid in eum à Childeberto pararetur, magnã quam poteſt Amalricus manũ terra mariq́; cõparat,tueri ſe certus. Aduenientibus Francis hoſtiliter occurrit: & quanquam militũ numero inferior eſſet,in robore tamen ſuorũ ſpem fouebat: qua præuia & eximia virtute,crebras antè victorias comparauit. Pugnatũ eſt æquis viribus diu acriterq́;: ſed Gothis cedentibus victoria penes Childebertum fuit. Fugientem Amalricum dum aduertit miles Francus,excitato calcaribus equo hoſtẽ in fuga confodit. Qua re cognita, rex Francus mediam petit Hiſpaniam, Gothos incredibili feruore perſecutus: donec Toletũ,ad amnis Tagi ripam,validiſſimã vrbem acceſſiſſet. Quam *Toletũ capitur.* obſeſſam,& à ciuibus non ſegniter defenſam,capit:captam militi tradit diripiendã. Atq; ita ſoror recepta,& mox morbo (dum reducitur) abſumpta, patrio ſepulchro conditur.Ita vacuefacta Gothici ſedes regni, regem alium ſibi depoſcit.

CAP. 29. *Theuda rex videm Arrianus.* THEVDA procerum volũtate in regnum ſurrogatur Amalrico, quòd ille prolem maſculã nullam reliquiſſet: & rege armorũ peritiſſimo opus videbatur. Nam Franci graues illis imminebant, necdum plenè recuperatis, quæ bello proximo in morte Amalrici perdidiſſent.Igitur Theuda vir militaris induſtriæ peritiſſimus,integrando regno,quoad potuit,inſtitit.Childebertus tamen Pariſiorum rex,fortem illi manum ſæpius oppoſuit:victi,victoresq́; promiſcuè alternant. Peruenit aliquãdo Francus cum exercitu ad oppugnandam Cæſarauguſtam, quòd Arrianam ibi perfidiam vigere putaſſet. Percunctatus autem hominem,quem in agris deprendit, quam ſequerẽtur vrbis habitatores religionem, Catholicine Chriſtiani an Arriani forent:ille pro captu ſuo vir ruſticus,vt poterat,reſpõdit,ſanctam inibi in Deitate Trinitatem,& Vnitatem in Trinitate credi. Gauiſus rex, hominem miſit,qui loci pontificẽ euocaret. Adeſt ille vocatus,fide publica interpoſita,de more. Quandoquidem, inquit rex, Catholicam plebem audio habitare vrbem, arma inde retraho, quæ ſumpſi in Arrianos. Sed quem interim veneratur hæc vrbs inter cœlicolas patronum? Ille refert,diuum inprimis martyrem Vincẽtium eſſe loci defenſorem,quòd eius in terris reliquiæ ibi demorarentur. Cui rex,Ne tantum laboris ex itinere fruſtra ſuſceperim, partem ſacrorum ex memoria ſancti martyris dono datam magni facio. Refert pontifex regis poſtulata ad clerum: ille non grauatus,annuit regi tanto gratificari. Igitur ſtolam & tunicam martyris regi dono cõtulerunt. Ille ſuſcepta dona quàm ſanctè aſſeruata,ſecum duxit Pariſium. Exercitus tamen cõmeatuum gratia agros populatur. Reuerſus in ſua rex,ædem diuo Vincentio dicat,monachis ibidem inſtitutis,quibus eas quas de martyre induuias iam habebat, attribuit. Theuda verò Wiſigothorum rex, quum per annos XVII. regnum tenuiſſet, à ſuis non ſatis aperta ratione perimitur.

CAP. 30. *Rendigiſilus poſt bimenſium interficitur.* RENDIGISILVS procerum item voluntate in regno ſuccedit. Nec erat melior exitus illius quàm prioris, quia vix annis duobus in regno expletis, opprimitur à ſuis. Ferox populus: & qui per tot ſecula toties mutauit cœlum,ferociam tamen non amiſit: bellis innutritus, armis ab adoleſcentia in omne æuum ſeruiens: quæ dum erga exteros nihil exercet,in ſua verſus viſcera tumultuatur. Hęc eſt omnium potentiſſima cauſa,cur toties reges immutauerit. Et ipſi Romani, omnium (vt ſolent gloriari) diſciplinatiſſimi, ea tempeſtate dum exercitus Imperatorem crearet, exercitus etiam toties perdidit. Sic perierunt Aurelianus, Probus, optimi Imperatores, & ante eos plurimi, ab ijs enecati, à quibus in imperium ſublati erant.

CAP. 31. *Belli Italici cum Gothis initium.* IN Italiam reuertamur, Gothicum bellum à Belliſario geſtum executuri. Belliſarius quidem patricius, à Iuſtiniano Imperatore belli Italici aduerſus Gothos dux declaratus,claſſem parauit, militibusq́; impoſitis traiecit in Siciliam: vbi præcepta Iuſtiniani ſecutus, tanquam nauigaturus in Aphricam, nihil hoſtile in principio oſtendit. Præfecerat verò equitatui quem adduxerat Valentinianũ, Innocentium & Magnum:& pedeſtres copias,quæ ſatis erant magnæ,Cõſtantinus & Beſſas Herodia-

rodianuſq; ducebant. Idoneo exinde tẽpore captato, Catanam vrbem adortus occupauit: poſtea Syracuſas quũ duxiſſet, vrbe munitiſſima dedẽtibus ciuibus eſt potitus. Fecitq; ſtatim Siculorũ in Gothos odium, vt quàm primùm copias Belliſarius oſtentauit, propoſitumq; aperuit, mirabilis victoriæ curſus fuerit, populis vrbes oppidaq; certatim Romano Imperio, (cuius deſiderio pridem tenebantur) vltro offerentibus. Hortabatur autem ad id eos maximè Belliſarij præſentia: qui quũ à Wandalis Aphricã liberaſſet, pariter ſperabatur Siciliam Italiamq; à Gothis erepturus. Et adiuuabat Theodati ignauia, qui nullos per Italiam fecerat apparatus. Attoniti itaq; ſubita ciuium defectione Gothi, maiorẽ ſubitò ſpem in fuga quàm in reſiſtentia poſuere. Vnica tamen in Panormo munita ciuitate, (cui validum inerat præſidium) Gothi reſiſtere ſunt auſi. Sed Belliſarius dux peritiſſimus, vrbẽ in circumitu cõtemplatus, aduertit portum patere ad mœnia, quæ aliquot locis à nauium malis altitudine ſuperabantur. Quamobrẽ claſſe in portũ delata, propugnaculiſq; pro malorum ſummitate diſpoſitis, ſagittarios funditoreſq; in illis collocauit: qui ſubiectos hoſtes ferientes, illico mœnia defenſoribus nudarent. Tum ſubeuntibus ad mœnia ſine metu alijs militibus, territi ciues ſeſe Belliſario permiſerunt. Hæc Theodato quum eſſent in Italiam nũciata, anxio animo legatos ad Iuſtinianũ mittens, huiuſmodi mandata dedit, Sicilia ſe ſponte decedere: & in Italia tributum, recognitionis ſignum, coronam aurearn librarũ triginta, ac in omnem quamcunq; iuſſerit Imperator expeditionem, Romanos milites tria millia polliceri. Inſuper in epiſcopos viroſq; ſenatorios iuriſdictionẽ permittere. Et vt maieſtas imperij in vrbem & Italiam reſtituta eſſe videretur, ſe curaturum, nomen Imperatoris inter ſacra ceremoniaſq; primùm offerri, ſtatuamq; nullam regi Italico, niſi ſecundũ Imperatoriam collocari. Indicat verò pictura muſiuo opere facta, quam Rauennæ cõſpicere licet in æde diui Martini in cœlo aureo (à Theodorico, vt diximus, ædificata) Theodatũ, quod fuerat pollicitus, incepiſſe. Ex eo nãq; muſiuo cæteris elegantiore quod Italia nunc vel noui habet, vel (vt ferunt) vetuſti operis, Iuſtinianus & Theodora vxor, & ipſe Theodatus loco inferior, nunc (vt ferunt) picti cernuntur. Quo in loco aliqua fuerunt ad ornatum addita, quæ & ſcriptorum ſupplent defectum: & certè oſtendunt multa, quæ ſcripta videntur incredibilia. Sed hæc legario nihil profuit.

Belliſarius Siculorum multos ad deditionem adducit.

Theodati conditiones ad pacẽ obtinendam non accipiuntur.

CAP. 32.

IN Dalmatia Gothi poſt Mundi ducis aduentum, copias reparauerunt: in Salonamq; ducentes, eam vrbem cõſtituerunt obſidere. Quibus quũ occurriſſet Mundi filius, adoleſcens egregius, cum parua equitatus parte, obuiauit illi Gothorũ turma, quæ pariter quid circa vrbem fieret, inſpiciendi gratia prodierat ex caſtris. Et præter vtriuſq; exercitus expectationem, cõmiſſum eſt prælium tanto animorum ardore, vt quum multi præſtantioreſq; ex Gothis cecidiſſent, ipſe etiam Mauricius ſit occiſus. Interim obequitãs mœnia munitioneſq;, quas circum ea faceret, Mundus, vno codemq; in tẽpore Mauricium in hoſtem pugnare, eundemq; primò vincere, poſtea ſuperatũ mortuumq; eſſe audiuit. Quo perculſus dolore homo bellicoſus, ira incenſus, furenſq; in hoſtẽ ruit. Viderant autem Gothi prælium à paucis, quos caſtris emiſerant, cõmitti: quibus (vt ſenſerant) maiori ex parte occiſis, ad arma omnis exercitus corruerat. Hinc non prius improuiſos adoriri potuit Mundus, quàm illi ex præparato pugnandi copiam feciſſent. Et quum totis copijs hinc inde per multas horas ſit certatum, cædes vtrinq; maxima cõmiſſa eſt. Gothi tamen, qui cæſim recedere cœpiſſent, vrgente vehementius Mundo fracti, ſe in fugã contulerunt. Nec deſtitit victoria vti Mundus. Quinimo profligatos longè inſecutus, dũ in filij necis vltionẽ ſanguine nequit ſatiari, à fugiẽte agmine occiſus eſt. Repulſi eum in modum Gothi mœrentes, in remotiora retro ceſſere. Et milites Imperatoris, nõ minori quàm hoſtis cæde profligati, ob ducis necẽ mœrore confecti attonitiq;, Salonas deſeruere. Eam ciuitatẽ paulò pòſt Gripa Gothus, reparato aliquãtiſper exercitu recepit. Inclinatamq; in Dalmatia Theodati rem per duces priores, adeò reſtituit, vt Iuſtiniani exercitus, omnia quæ Mũdus ceperat, relinquere ſit coactus. Elatus tanta victoria Theodatus, & ſimul audiens Belliſariũ in Aphricã traieciſſe, nedũ ſpreuit ea quæ cũ Iuſtiniano agere cœperat, ſed illius oratores quoq;, vt ab inceptis diſcederet, perſuadere conatos, in cuſtodia haberi curauit. Et vt meliorẽ de ſe ſpem

Mauricius cadit, deinde etiam pater Mũdus.

Theodatus inſolentior redditur.

oſtenderet,ſacra vaſa,quæ pridem Agapitus papa ad vſum legationis in pignus tradebat,redemit: Italiæ loca quæ inedia laborabant,remiſſo tributo ſubleuabat.

CAP. 33.

Belliſario Italicæ vrbes multæ deditionem faciunt.

INTEREA Iuſtinianus in Dalmatiam alium ſubmiſit ducem Conſtantinum. Belliſarius autem compoſitis in Aphrica rebus,in Siciliam nauigauit: ibiq; opportunis locis præſidia imponens,in Italiam tranſportauit exercitum. Vbi primùm applicuit Rhegium,mox ciues ſe Imp.ſubmiſerunt. Secutæ exemplum cæteræ vrbes, odio Gothorum Imperatori facilè ceſſerũt. Erant ex Gothis, qui magnitudine apparatus conſpecta,quum cernerent impares vires ſuas,mox manus dederunt duci: miſitq; Conſtannnopolim,non paruo ſunt honore ſuſcepti. Iuſſerat claſſem Belliſarius oram legere terrarum,vt vbiq; adeſſet. Caſtrametanti,Brutij Lucaniq; ſine magno ceſſere conatu. Ventũ eſt ad Neapolim : ibi clauſis portis ciues Gothis ſeruauere fidem: dux loca contemplatus,oppugnare parabat. Emiſere ciues virũ eloquentia præcipuum, qui Belliſario oſtenderet, obſides ſe pridem Rauennam vxores & liberos miſiſſe Gothis,magnum inſuper in vrbe prǣſidium Gothorum,quod cõmouentibus ſe ciuibus immineret: parceret vrbi deuotę imperio,vbi per iuſtum metũ licuiſſet. Romam peteret : nam eius vrbis fortunã proculdubio omnes mox ſecuturos. Canebant ſurdo apud Belliſarium. Ille ſe non abiturũ,niſi aut dedita aut capta Neapoli ait. Conſulerent ſibi in tempore : vbi ad vim ventum foret,iam ſe nõ parciturum. Legatus relaturum ſe quæ audiſſet promittit. Quibus in vrbe intellectis,inclinabat pars ciuium maxima portas patefacere: cecidere Gothorum animi. Inuenti ſunt inter ciues qui reclamarent, non ſe futuros proditores eorum quibus fidem præſtiterunt. Concurritur in muros. Belliſarius quum nemo prodiret, apparatum explicat, vrbem oppugnat : nec ſegniter defenditur. Alternat aliquãdiu fortuna : at tum perſeuerantiſſimè oppugnatur, ciuitas capitur. Cæduntur Gothi ciueſq; promiſcuè : vrbs à militibus diripitur. Sed tamen placati oratione ducis milites,rem mediocriter temperarunt,abſtinere incendio,a ſtupris ſe cohibere: quæ in promptu iacebant,in prædam venere,penetralia non peruaduntur. Interea quum apud vrbem Romam Theodatus incertus conſilij deſideret, Gothorum proceres, iam ignaui regis deſidiam peroſi, aliter rebus ſuis conſulendum putauerunt. Igitur vnum in locum confluentes,nouo deligendo regi inſtiterunt. Creatus Vitigis,vir impiger ad arma, mediocri nobilitate natus,ſed magno animo,& militari diſciplina inſtructiſſimus. Theodatus vbi comperit,in fugam ſe cõijcit: ſed miſſo poſt eum militum agmine in ipſo itinere trucidatur.

Legatio Neapolitana.

Neapolis capta diripitur.

Vitige à Gothis rege creato, Theodatus interficitur.

CAP. 34.

WITIGIS rex initio principatus Romam contendit : pontificem ſenatumq; hortatur, vt in fide Gothorum permaneant: tantas eſſe Gothorũ vires, vt nemo eos ſine ſua pernicie tentauerit. Inter ſuos de gerendo bello conſultat, operæpretium videri, relicto in vrbe præſidio, Rauennam contendere : Gothos, quos per Italiam Theodatus ſparſerit , in vnum contrahere , fortiſſimumq; conſcribere exercitum, quem opponant venienti Belliſario. Igitur in vrbe Luderum præfectum declarat, quatuor millia illi præſidium tribuit. Ex ſenatoribus delegit, quos ſecũ abiens obſides habeat: contenditq; Rauennam. Ibi Mathaſuintam Amalaſuintæ filiam, vxorẽ ducere cõſtituit: illa auerſata, ignobilem virum dedignatur. Ille tamen magnis apparatibus nuptias inſtituit, nihil intermittens quod gerendo bello ſubueniret. Belliſarius interea Romã ducere contendit. Pontifex cum ſenatu, inito concilio, quum audirent vires venientis exercitus, non ſolùm admittere, verùm etiam (quò gratioſior veniret) miſſo nuncio vocare deliberãt. Mittitur qui accerſeret: ille properauit. Gothi Romanorum cõſilia perſpicientes, quum reſiſtere haud poſſent, fide publica interpoſita à Romanis abire impetrant. Erat inter eos vir primarius, qui noui regis crudelitatem ſciens, maluit ſe Romano populo quàm regi ſuo committere. Per portam Aſinariam exercitus Belliſarij intromittitur. Multa dux peritiſſimus, magis neceſſaria quàm dictu ſpecioſa, contulit cum Senatu ac militibus : præfectum Gothorum, qui ſe ciuibus permiſerat, miſit Conſtantinopolim. Vrbem locis opportunis cõmunierat, ſciens Gothorum vim futuram. Ex ductoribus quos ſecum habebat, alios in Etruriam, alios in Picenũ miſit, vt vrbes aut deditas aut fractas reciperent. Proſpere omnia cedunt, ſine magno labore multarũ fiunt deditiones. Apud

Romani ſpreto Gothi regis imperio, Belliſarium ad ſe accerſunt.

Peruſiam

Gothi ſuperantur.

Peruſiam trepidatum eſt. Circumſedere imperatorij: Gothi ſuperuenientes, magno illis prælio ſunt congreſſi: acriter pugnatur vtrinque, cadunt multi: ad extremum cedunt Gothi. Id erat conſilium ducum Romanorum, vt qualicunq; conditione Gothi diſtinerentur, ne vrbi Romæ ſuperuenirent priuſquam repararet mœnia: tum impetus ſuſtinere videbantur.

CAP. 35.

VITIGIS autem rex vbi ſuos ad Peruſiam malè pugnaſſe cōperit, omiſſis cæteris Italiæ ciuitatibus, ad Romam caput ire contendit. Itaque centum millibus, & (vt alij dicunt) centum & quinquaginta millibus militum copias educit. Veniēs ad Anienem, quum illum ob profunditatem vado tranſire non poſſet, comperit Belliſarium iam antè ſtrauiſſe pontem ſuper eo, vtraque in parte ripæ turrium cōmunitam firmatamq; præſidio. Ibi caſtra fixit, deliberaturus de gerendis rebus. Belliſarius quoque mille equitibus acceptis ſpeculatum exibat, vt caſtris capiendis locum videret, & cōſilia hoſtium experiretur. Mane primo egreſſus vbi propinquat amni, vidit hoſtile agmen trāſiſſe pontem, vel accepta pecunia vel metu à ſuis proditum. Ibi ſuorum paucitate ad illos comparata, reſpicere milites ſuos vbi videt ad vrbem, vt fuga ſibi conſulerent: fortiſſimus dux, auſpicium belli à fuga ſumere nolens, ſuos adhortatur, meminerint Gothos eſſe quos vident, ſæpe à ſe victos, fortunam eius aſpiciant: præſenti modò ſint animo, victoriam de hoſtibus ſumturam. Hac fiducia manum conſerunt: fortiſſimè vtrinque pugnatur. Gothi intelligentes eſſe hoſtium ducem qui occurriſſet, denſius conglobati, in illum infeſtiſſimi incurrūt. Sed à domeſtica ſuorum manu ſtrenuiſſimè defenſus eſt: retro actique ſunt Gothi multi à paucis, ad pontis præſidia, quę prius acceperant. Illi verò caſtris effuſi ſuis ferunt ſuppetias. Quo vrgente globo, in vrbem retro Belliſarius paulatim tendit. Exierat iam ad famam magna militum ciuiumq; manus: & hoſtem diſtinentes, duci equitibuſq; copiam in vrbem ſe recipiendi fecerunt. Belliſarius ſingulis ſuorū præfectis ſingulas portas attribuit tutandas. Ipſe vicatim circumuectus, ciues bono iuſſit eſſe animo: erexitq; in ſpem ciuitatis ſine negocio defendendæ.

Romani à Gothis pulſi Romam ſe recipiunt.

CAP. 36.

Roma obſidetur, & oppugnata defenditur.

NOCTE illa Gothi ad caſtra ſua redierunt: primo mane ad obſidēdam duxere vrbem. Caſtra ſex in locis firmauere, vt omniū portarum ingreſſus & egreſſus obſeruarent aduſq; Tiberim. Turribus ac propugnaculis loca firmauerunt, vt excurſiones facerent: ac fugati fortè, in præſidia ſe promptè reciperent. Non minor in vrbe Belliſarij cura portis ac mœnibus cuſtodiēdis. Ipſe ſe maioribus Gothorū caſtris oppoſuit: alios duces locis opportunis collocans. Corruperant Gothi omnes aquęductus, qui aquā in vrbem deriuauere. Hi quatuordecim extiterunt: inter quos ex Ianiculo quidā præcipites priſtinorum vſum præbuere. Quibus deſtructis, lembos in fluminis medio binos iunxit intercapedine certa, vt impetus fluminis rotas deuolueret. Arietibus pulſantur muri: intus obiectu terræ ſuccurritur. Multis in locis varia fortuna fuit. Ad molem Adriani fortiſſimè pugnatur: cadūt vtrinq; plurimi. Ad Viuariū maius periculum. Ibi Beſſas præfectus, quo in ſtatu res ſit belli, ſanguine ſignificat. Ille relicto præſidio aduolat: acrius pugnatur præſente duce. Gothi inualeſcunt: ſed tamen fortior erat defendentiū conatus. Gothi ad tria ibi millia ceciderunt. Interea Romani perſpecta hoſtiū multitudine, & Belliſarij militū paucitate, indignati murmurauerunt: ſeq; accuſarūt, qui ſe tanto diſcrimini permiſiſſent. Belliſarius vbi cōperit (neq; enim obſcurū erat quòd populus trepidaret) ſcripſit Imperatori, copias ſuas per præſidia, quæ impoſuit in Sicilia & Italia deditis vrbibus, nimium eſſe cōminutas: opus fore maiori militū numero ad continendos Italiæ populos in fine aduerſus numeroſiſſimos hoſtes. Populum Romanū iam diſſuetum bellorū tumultibus, de ſuorum paucitate iam incerta voluere conſilia. Si imperio, ſi Italiæ velit cōſulere, ſupplementa non pauca militię eſſe circumſpicienda. Imperator acceptis literis Belliſarij non mediocriter motus eſt: copias quas habuit paratas, nauigare iuſſit in Italiam. Præerant illis Valerianus: ſed hyemare in Græcia cogebantur. Romani tamen accepto de ſuppetiis Imperatoris nuncio, recreati ſunt.

Romanis metuentibus promittitur ſupplementum.

CAP. 37.

INTEREA verò in Dalmatia res variè gerebantur. Conſtantianus Imperatoris dux Salonas recepit: Gothi maiorem in modū adunati vrbem obſederunt. Dux Romanus clàm egreſſus, foris cœpit hoſtes vrgere, vt obliti obſidionis in ſe verte-

rentur. Leuibus ſæpe prælijs concurſum eſt, nihil inibi memorabilium rerum peractum. Pendebāt omnia veluti incerta, ad euentus Italiæ, & maximè vrbis Romæ, quam ſciebāt omnes arctà ab Gothis obſidione circumuallari. Interim Vitigis circa vrbem Romam ſæpe oppugnationem aggreditur, nihil intentatum relinquens. Inexpectato agmine Portuenſium vrbem occupauit, vt nihil Romanis importaretur. Ea res in famem maximam reſpexit. Miſſo nuncio Rauennā, obſides quos pridem duxerat, iuſſit occidi: pauci præſentientes, fuga ſibi in Gallias cōſuluerunt Belliſarius famem veritus, imbellem multitudinem Neapolim & in Campaniā iuſſit emitti, quò res frumētaria leuaretur. Romani vxores, liberos, mares, ſenes, & quicquid bello inualidum, noctu emiſere: neq; enim omnes viæ ab hoſtibus inſidebantur. Interea quum annona diligentiſſimè Romæ diſtribueretur, ſuperuenere Imperatoris ſupplementa, mille ſexcenti equites, ſub Martino & Valentino. Quibus acceptis aliam gerendi belli rationem iniit Belliſarius. Nā emiſſos per portas equites iuſſit exerceri in hoſtes, vt & genus pugnæ cernerent, & hoſtem paulatim ſuſtinentes inciperent contemnere. Ea re factum eſt vt parem manum fugarent, maiorem ſuſtinerent, paulatim proficientes in contemptum. Belliſarius diu à præfectis ſtimulatus, quum inedia cœpiſſet vrgeri, confligere ſtatuit. Igitur Valentinum ad molem Adriani, cum expedito equitatu ac peditum copiis, iuſſit oſtentare potius quàm exhibere pugnā, quò Gothos ad Aureliam viam ſedentes diſtineret, ne ſuppetias aliis ferrent. Ad portas in Orientem verſas (vbi rex erat hoſtium) duabus turmis petarmatis, equitum peditumq; copias inſtruxit. Vitigis ex transfuga intelligēs pugnam parari, & ipſe ſuos inſtructis ordinibus collocauit.

Romani obſides Rauennæ occiduntur.

Cap. 38.

Orta luce, portis apertis Romani prorumpunt: genti occurrunt non ſegnes: cædunt caduntq;, nunc victi, nunc victores. Alacritate milites Belliſarij, multitudine ſuperant Gothi: qui ſemper nouis ſupplementis aciē inſtaurauere. Ad Aureliam viam Romani quum de montibus ſe oſtendiſſent hoſtibus, vt in pugnam currerēt, Valentinus conſertos videns, ſuis fert opem. Fugantur Gothi: Romani caſtris hoſtiū diripiendis imminent. Dum ibi impediti præda implicantur, cōglobati iterum Gothi, impeditos & onuſtos aggrediuntur, prædam iterum ad ſe recipiunt. Caſtris quoq; regiis non diſſimilis erat fortuna. Nam vſque eò progreſſi Belliſarij equites, à fronte & latere impugnati, cedere coguntur, & ad pedites ſe recipere. Nec ibi ſatis erant tuti, vrgentibus pro multitudine ſua Gothis: vix portis recipiuntur: & qui excluſi fuerunt, ſtantibus ad mœnia, verſis vultibus in hoſtem, præſidio fuere qui de mœnibus iaculabantur. Hoc prælio Romanorum vires ſatis attenuabantur: magis aūt fames perurgebat, præcipuè quidē in vrbe. Sed tamen per vniuerſam Italiā ea caritas durauit, vt poſt fœda cadauera, mater infœlix filiū ad cibum trucidaret. Belliſarius iam non totis copiis, ſed leuibus præliis hoſtem laceſſebat in campis Neronianis, vbi quondā theatrum erat gladiatorū. Hunc locum diuerſæ partes occupauere, iam Romani, nunc Gothi: inſuper ad Pincianam ſimilis fortuna per ſingulos dies. Interea dum portus occluditur commeatu, tamen ex aliis portubus terreſtri itinere importabantur. Hoc ſuſpicātes Gothi, caſtra noua intra Latinam & Appiam vias, à fornicibus aquæductū, quæ aliquoties concurrunt, cōmuniunt: ibiq; equitum aliquot millia collocant, ad opprimendam fame vrbem. Milites clàm egreſſi noctibus, rapta ciuibus vendidere: ſed hæc nimium pauca multis. Interea Romani circumfuſi Belliſario, querūtur in quas difficultates ſe proiecerint, dum fidem implent Imperatori: ſuos Rauennæ occiſos, vrbem ignominioſè obſeſſam, extra mœnia vaſtata omnia, intus fame intolerabili perurgeri. Duci in hoſtem orant, ſatius gladio quàm fame perire. Ille placidis eos verbis cōſolatur, affuturum de proximo commeatus abundè, cum ſupplemento militum, expectarēt: ſibi curam fore vt ſalua eſſent omnia. Miſit ex ſuis opportuna in loca præfectos, cum equitum ala: qui obſidentes vias, eandem annonæ difficultatem facerent Gothis quam ipſi paterētur. Iuxta S. Paulum caſtra cōmuniuit, aduerſus caſtra in fornicibus.

Romani eruptione facta, à Gothis vincuntur.

Fames horrenda

Belliſarius populi querelas vix ſedat.

Cap. 39.

Venere interim ſupplementa ex Cōſtantinopoli, equites & pedites non pauca millia, cum commeatibus. Et quidem importandi magna erat Romā difficultas. Sed vtrinq; viis publicis inſederant: vt dum colluctarētur pugnantes, currus tranſirent.

irent. Eam rem comminiſcens Belliſarius, cœpit hoſtes ad mœnia defatigare, quò eſſet terra mariq; auxilijs Romanorum, via ad perueniendum quò inſtituere. Igitur ſupplementis in ciuitatem cum comeatib. iam acceptis, Gothi difficiliorē ſibi quàm obſeſſis obſidionem rati (quòd multi in caſtris morbo, multi vulnerib. morerentur) miſſis in vrbem oratoribus, inducias trium menſium paciſcuntur. Medio tempore Iuſtinianum etiam Gothi faciunt arbitrum cauſæ, obſideſq; hinc inde tradi, pro induciis ex fide ſeruandis. Belliſarius Romam, Gothi caſtra aſſeruauere. Sed milites in præſidiis nonnunquam (vt fit) excurſione facta, comeatus tulere. Gothi ea gratia Portuenſem (quam tenuere) vrbem ad horam liquere. Belliſarij milites occupauere. Idem de Cētumcellis deq; Alba factum. Gothi Romam, de violatis fœderibus queſtum miſere: ſuos non reliquiſſe vrbes, ſed euocatos à rege exiſſe: reſtituenda quę contra ius induciarum eſſent occupata. Belliſarius reſpondit, de euocatione conſtare nihil: cæterùm quæ pro derelictis habita fuerant, licitè occupari poterant. Gothi de querimonia irriſi. Mittit interea in Picentes Belliſarius validam equitum manum cum mandatis, ſi manęant induciæ, nihil cōmouendum: ſi à Gothis moueantur, tum quas poſſent vrbes excipiant. Eſſe ibi ſolas Gothorum vxores: quicquid ſit virorum, in Romana caſtra commigraſſe. Per idem tempus Dacius Mediolanēſis archiepiſcopus, & cum eo quidam Mediolani ciues, vrbem Imperatori apud Belliſarium offerunt, ſi modicum illis præſidium mittat. Se quidem ſatis eſſe viribus potentes, Gothos omni Ciſalpina Gallia pellere, ſi ſolo id Imperatoris nomine fieri permittatur. Belliſarius collaudatos bonam ſpem fouere iubet: ſe in tempore illis affuturum pollicetur.

Induciæ trimeſtres.

Mediolanēſium de Gothis pellēdis conſilium.

CAP. 40.

Belliſarius à tribuno pene interfectus.

INTEREA Belliſarius omnia circumſpiciens, ex puſilla re maximum incidit vitæ periculum. Tribunus erat Conſtantianus, cuius milites pretioſum ciui Romano gladium abſtuliſſent. Queſtus ille nihil profecit. Iubet rex reſtitui: non paretur. Vocatus Coſtantianus, quum durius increparetur, gladiū diſtringit in Belliſarium: peneq; ducem interemiſſet, ac ſubuertiſſet omnia Reip. conſilia. At ille pœnas luit. Gothi ex inſidiis vrbem capere adorti ſunt per viam aquæductus: ſed lux viſa candelæ eos prodidit. Inde ratibus impoſitis, ſecundo flumine à pōte Miluio milites campum Martium intrarunt. Murus erat à flumine tum humilis: nunc eſt nullus. Sopiri vigiles medicamine tentantur à duobus pecunia corruptis ciuibus Romanis. At alter pœnitentia facti motus, rem prodit Belliſario: ſocius eius cum veneno deprenditur. Præciſis naribus & auribus, aſino trāſuerſim impoſitus, ad caſtra mittitur Gothorum, quò rem intelligant patefactam. Interea quum toties Gothi ſoluerent inducias, ſcripſit Ioanni quem in Piceno equitum turmæ præfecerat, rem ſtrenuè exequatur. Ille quantū poterat, vrbes & arces occupauit in prouincia. Anxinum & Vrbinum, quòd eſſent munitiſſimæ, præteriit, quòd diutius ibi ſedēdum videretur. Ariminum tanto terrore concuſſit, vt Gothi qui inerant, deſperatis rebus abirent Rauennam: ciues portam Imperatoriis alacres pandebant. Vitigis vbi tam propinquo loco Rauennæ periculum imminere comperit, ſoluta vrbis Romę obſidione eò contendit, ne primaria ſedes detrimentum acciperet. Incendit ad vrbem caſtra, & feſtinat tranſire pontem Anienis. Belliſarius tempora ſeruans cum opportunitatibus, medio iam exercitu trans pontem ſtante, nouiſſimum agmen inuadit: eoq; perduxit anguſtiæ, vt præter cæſos, multi de ponte præcipitati perierunt. Durauit ea obſidio annum integrum & dies nouem.

Roma obſidione liberatur.

CAP. 41.

Ariminum Gothi obſident.

GOTHVS vrbes ſuas præſidiis nouis firmauit, feſtinans ad obſidendum Ariminum. Belliſarius eò mittit diuerſo itinere peditum validam manum, eo conſilio, vt educto Ioāne cum equitatu validiſſimo (qui intra vrbem nullius vſus, & in prouincia neceſſarius eſſet, & iumenta difficili victu intra vrbem tenerentur) pedites in locum cederent equitum, vrbi defendendæ. Gothi pro multitudine impedimentorum, & exercitus magnitudine tardius iter fecere. Præuenerunt ergo pedites Belliſarij Ariminum ingreſſi. Ioannes vbi audiuit mandata Belliſarij, neque ipſe paruit, neq; Damianum patruelem ſuum cum quadringentis parere paſſus eſt. Ergo qui à Belliſario miſſi ſunt præfecti, perſuaſis equitum turmis, equitatum Ioanne nolente deducūt, pedites reponunt, dimiſſo ibi Ioanne & Damiano cū ſuis contubernalib.

Interea accedentes Gothi, cinxerũt obſidione vrbem. Turrim ad oppugnationem Gothi erexere: eam non boues (vt ad Romanas arces) ſed milites incluſi trahebant. Ioannes vnius noctis opera eam cogitationẽ præuertit: nam foſſato eiecto, & vallo coniecto, aditũ machinæ prohibuit. Egreſſus deinde cum copiis oppugnauit obſidentes, turrim parans incendere. Graue fit prælium, cadunt ex Gothis multi: molem tamen tuentur incendio. Itaq; vi expugnandi oppidũ ſpem ponebant: fame aggrediuntur. Interea Mediolanenſes à mari, per Ianuã, præſidium Belliſarij accipiunt. Permittentibus Metenſis regis ducibus lembi curribus impoſiti, ad Padũ deferuntur, vt milites traiiciant. Ticini (quæ nunc Papia eſt) validũ erat præſidium Gothorũ. Egreſſi venientes adoriuntur: ſed in oppidũ retũduntur. Itaq; Mediolanũ deditur Imperatori. Præfectus Belliſarij vltrà progrediẽs, Comum, Bergamum, Nouariam, exemplũ ſecutas Mediolani, deditas vrbes accipit. Viiigis vbi quid ageretur intellexit, fratris filiũ cum expedito mittit equitatu, vt reliquas vrbes in fide contineat, quæ nondũ à Gothis defecerant: & quæ iam defecerant, ſi quid poſſet recipere, qualibet conditione conaretur. Belliſarius inde auctis copiis, Romã ingreditur: Gothisq; in præſidio manẽtibus vrbiũ quas tenebant, ſe oſtendit, vt terreat. Illi longẽ eſſe regem ſuum cum exercitu ſcientes, ſe Imperatori permittũt. Ad Anconam Gothi ducentes, penẽ recepiſſent oppidum. Veniunt nouæ ab Imperatore copiæ: cõſultant cum duce præfecti, multa in vtranq; partem dicuntur. Ariminũ obſidione ſoluendũ erat, quòd extrema fame Ioãnes incluſus cum ſuis vrgeretur. Alij Anxinum obſidendũ: Ioannem duci ſuo contumacẽ, contemnendũ putauerũt. Id vbi ab aliis animaduerſum eſt, totis dicẽdi viribus incumbũt vt Arimino ſubueniatur.

Mediolanũ cũ aliquot alijs oppidis, à Gothis defficit.

CAP. 42.

Ariminum ſtratagemate liberatur,

IGITVR hoc probato conſilio, terra mariq; vrbi ſubuenire Belliſarius contendit. Claſſem ſub oculos Gothorum nauigare facit: copias per ignem noctu oſtẽdit, maiores diuerſis in locis quàm eſſent, ignibus vbiq; crebreſcentibus. Ita Gothis obſidentibus metum immittit, vt formidine circumueniendi ab exercitibus, obſidionem ſoluant. Diſcedunt Rauennam. Obſeſſi pallore horreſcunt per famem. Inde vrbium frequens per Flaminiam deditio ſequitur. Mediolanum iam deditum Imperatori, fame vrgeri videbatur: quòd aditus interclu ſerat Vraias dux Gothorum, fretus auxiliis Ligurum, quę illi regis Metenſium præfecti, ad ea loca manẽtes, permittebant. Belliſarius dum copias liberando Mediolano immittit, dumq; alias ſubmittit, tempus teritur: & ingraueſcente fame, vrbem, extrema paſſi, dedere coguntur Gothis. Interea rex Metenſium quum bella geri cõſpiceret in vicina ſibi regione, arbitrabatur victoris prædam futurã etiam prouinciam ſuam, ni caueat. Igitur Francos & Burgũdiones magna multitudine immittit, qui vel Gothis præſidio ſint ſiue emolumento. Deſcenderant ex Apennini iugis magno agmine veniẽtes. Gothi arbitrati ſibi auxilio venire, animos erexerant. At ſtatim, incertum vnde, conſilio an imprudentia multitudinis, orta rixa inter venientes cæteros & ipſos Gothos: quæ vſque adeo proceſſit, vt tota agmina permearet: ad extremũ Gothi caſtris ceſſerunt. Mirati Imperatorij, quum Gothos cernerent palantes, adeſſe Belliſariũ exiſtimarunt. Nec diu pòſt apparuere Franci & Burgundiones cum Liguſtinis: & vno impetu inuecti etiã illis, caſtris eos exuerunt. Ita vno die duos exercitus, inuicẽ hoſtiles, caſtris expulerũt. Interea Belliſarius non quieſcens, per Etruriã vrbes recepit. Feſulas diu obſeſſas, extrema perurgente fame, Gothi vitam pacti & res, dediderũt. Ad Anxinum, vbi validum inerat præſidiũ, intendit animum: penẽ ad extrema & ibi ventum fuit, ſi aquarum vſus intercluderetur. Fons erat vnicus non longẽ à muris, vnde potabant. Belliſarius intercludendum putauit. Itaq; ſubmiſſis qui aliorum tecti clypeis demolirentur, Gothi oppugnatores fore rati, per muros ſtetere; vbi vident ſuffodi fontem, erumpunt. Conſeritur graue prælium: in quo de ſuperiori loco pugnantes ſuperiores fuere Gothi. Sed præſens Belliſarius vrgebat, integros pro ſauciis aut cæſis ſubmittens: ſed Gothi pertinaciter reſtitere. Ad extremũ victi multitudine defatigantur, & intra mœnia repelluntur. Tum iterum demoliendo fonti inſiſtitur. Sed erat opus tanta firmitate ſubnixum, vt prius ſaxũ de mõte, quàm particulam auferres de fornicis muro. Hic fruſtratus, corrũpendæ aquæ, per fœtidos ſuccos & animalium cadauera intendit. Quæ res difficultatem Gothis ingerebat.

Gothi & Imperator vper Gotis à Frãcis profligantur.

VITI-

Cap. 43.

Vitigis autem obſeſſis opē ferre pollicitus, tantis rebus implicabatur, vt non ſineretur. Obſeſſi de deditione verbum fecere, pacti libertatem cum rebus: milites direptionem vrbis ſperauere. Dux pernicioſum Reipub. videri, tot viros fortes iam penè captos, hoſtilibus dimittere augendis viribus: ſed tamen quia pertinaciter vrbem ſeruauere, nec ſine magno ſanguinis detrimento poſſe capi videbātur, & tempus ſedendi ad obſidionem ducem vrgebat (quòd audiſſet Francos & Burgundiones Gothorū partibus inclinare) maiores caſus præueniens, hac pactione deditionem permittit, vt dimidia rerū parte miles gaudeat, altera maneat dominis, & ipſi dediti maneant in exercitu Imperatoris, ibi facturi ſtipēdia. Sic deditur Anxinum. Qua vrbe recepta, Belliſarius in Vitigim & Rauennam, caput rerum, ducere conſtituit. Muniuit aūt in primis Padi ripam, ne quid importaretur à terra. Nam à mari nullus erat aditus, Arimino & Ancona cum Venetiis pro Imperatore facientibus. Magnam vim frugum nauibus impoſitam, per fluuium Gothi importare contenderant. Sed ſubitò, cunctis mirantibus, fluuius ita deceſſit, vt plæræq; naues hærerent in fundo. Pugnante rerum natura pro Imperatore, Gothi cedunt, naues capiuntur. Rauennæ laborant inedia. Venerāt interea Francorum nuncij, Gothis pollicentes auxilium, ſi in partem dominationis admitterentur. Quingenta millia adducturos ſe iactant, quibus, ſi ſaperet, non ſe opponeret Belliſarius. Ille vbi comperit, & ipſe legationē mittit Vitigi, pollicitus pacem ex arbitrio Imperatoris. Gothus Francorum auxilia magni fecit: ſed ęquas conditiones à tam fortibus ſeruādas non putauit. Itaq; omiſſis Francorum auxiliis, ad Imperatoris pacem protinus inclinauit. Interea Rauennæ publica horrea conflagrabant, maximum deſperandarū rerum monimentum. Id à cœleſti igne, aut à facinoroſis, aut a ſubmiſſis, aut reginæ technis (quæ ab initio regem oderat) factum ſit, incertum erat: Gothi de hoſtibus (vt fit) malè ſuſpicabantur. Interea foris non melius res gerebantur: nam Gothi Alpini inclinabant ad Imperatorem. Et erant qui Ildonadum, vnū ex ducibus Tranſpadanis, regem dicerent. Ille ad pedes Belliſarij fertur à quibuſdam inſignia depoſuiſſe, pollicitum, ſi ille rex Italiæ eſſe velit, ſe cum omni gente illi pariturū: ſed Belliſarium non auſcultaſſe. Venerant interim ab Imperatore ſenatorij legati de pace componenda. Summa autem pacis ineundæ hæc fuit, vt Tranſpadanam prouinciam Gothi tenerent ſuo iure, reliqua Italia cederet Imperatori: dimidium regalis auri in ærarium mitterent publicū, reliquo gauderent. Has leges auerſatus eſt Belliſarius: nam plenā gentis victoriā in manu ſe habere arbitratus eſt. Itaq; ſubſcribere noluit. Gothi, niſi ille ſubſcriberet, nihil actum eſſe rati, perſiſtebant. Creſcēte ergo fame in vrbe perſeuerabat oppugnans Belliſarius, ſuperbiſſimè cōtemnens ſcita Imperatoris ſui. Extrema perurgebat inedia: deditur Rauēna. Vitigis rex cum proceribus mittitur Conſtantinopolim. Ipſe Belliſarius, quum eſſent cōſtituti qui pro Imperatore regerent Italiam, domum, iam poſt annum quintum ex quo venerat in Italiam, victor Gothorum, victor Italiæ, redibat ad triumphum.

Anxinū deditis conditiones.

Franci Gothis auxiliū promittūt, partem dominationis accepturi.

Belliſarius pacem Imperatoris ... factā reſpuit.

Rauenna deditur.

ALBERTI KRANTZII

SVECIÆ LIB. IIII.

Cap. I.

IAm Imperatorij iuris erat iterum Italia: Gothi viribus exhauſti quieuerunt, manusq; victori tradiderūt. Manſiſſetq; res eo diu ſtatu, ſi ea virtute prædīti fuiſſēnt quos reliquit gubernatores Belliſarius, qua fuit ille. Sed defuit humanitas, defuit militaris rei diſciplina. Vnum erat ſtudiū exatiādæ auaritiæ Imperatoris: nec priuatarū ſuarum quiſq; rerū immemor fuit. Exhauſtæ vrbes ære promiſſo Gothis: exacta ratio ab omnibus, qui per tempora Gothorum in adminiſtratione aliqua fuere. Tāta ſæuitum emunctione pecuniæ, vt omnes Gothorum imperia (etiam Itali) rurſum inuocarent. Nec melior erat rerū ratio in exercitu Imperatoris: ſtipendia malè & auarè ſoluebantur, in ærarium

Italia ſub Imperatore quàm ſub Gothis ſtatus deterior.

& in marſupia quiſq; ſua cuncta cōgerebant. Iam rapinæ, iam hoſtica omnia in pace maiora fuere quam bello: iam ſanctimoniam, quam Belliſarius præferebat (vt ne poma in arboribus pendentia, à militibus decerpere pateretur) cuncti requirebant. Quam rem quum Gothi perſentirent, erexere animos, & in rebellionem reſpexerūt. Regem creauere: conſtitueruntq; Vraiam ducem, bellicæ rei ſcientiſſimū. Sed ille honeſta ſe ratione retraxit, aſſerēs indecorum ſibi videri, regnum aſſumere viuente adhuc patruo Vitige. Approbata verecundæ recuſationis legitima ratio, delatumq; regnum, ſe autore, Ildonado. Is erat inter Tranſpadanos dux clariſſimus.

Cap. 2.

Gothi rege creato rebellant.

Ildonadvs inter relictos Gothorū duces, vir magnæ autoritatis, & qui Veronæ diu eſſet dominatus: inde euocatus Papiam, omniū voluntate procerum rex conſtituitur: purpuramq; indutus, cogitare iubetur de totius gentis nō modò ſalute, ſed etiam prouectione. Vehemēter enim deiecta & viribus exhauſta erat. Is nomini & dignitati creditæ facturus ſatis, omnes Gothorum & Italorum, qui conſenſerant, vires & arma ad diem Papiæ iubet conuenire. Initio quidem paucos exercitus, & qui facilè ab Imperatoriis contemnerentur: ſed propediem etiam atq; etiam adauctæ vires, in eum modum inſtructæ ſunt, vt cōtemni non poſſent. Adiuuabat (vt diximus) vehementer Gothorum partes acerbitas exactorum, & auaritia Imperatoris, cum ſuperbia Auguſtæ Theodoræ: quæ pro arbitrio muliebrem (vt ferunt) Imperatorem, in quam voluit partem facilè flexit. Itaque milites pariter, atq; Itali, tantis iniurijs impulſi, ruinam Imperij facilè affectabāt. His creſcens in diem Ildonadus, omnes trans Padum, omneſq; Veneticæ regionis vrbes in poteſtatem recepit: & Italorum Gothorumq; multitudine exercitus eius completus eſt. Quamobrem haud multò pòſt educere in aciem ac fortunam pugnæ tētare non dubitauit. Prælium hoc non procul a Taruiſio fuit, aduerſus Vitalem, qui vnus erat ex Iuſtiniani ducibus. Victorq; Ildonadus tanta ſtrage Vitalis exercitū concidit, vt vix dux ipſe cum paucis euaderet: reliqui omnes aut interficerētur à Gothis, vel captiui ducerentur. Ea victoria, & magna & clara, mirabile quantum Gothorū animi creuere, quantumq; fractæ ſunt aduerſariorum vires: vt non ſolùm trans Padū, per Galliam & Venetias, verùm etiam ab Romana vrbe, citra Padum, Gothorum partes cōfirmarentur, nomenq; Ildonadi celebre fieret apud Imperatorem aliaſq; nationes. Nec multò pòſt Vraiam, maximum inter Gothos virum, Ildonadus rex perſequitur, & ad mortē vſq; perduxit. Quæ res & genti diſcrimen & capiti illius ruinam importauit. Suſpicionem prætenderat rex, quòd cum hoſtibus is dux ſenſiſſet. Re-uera aūt ex motibus proceſſit multorum, quòd inter reginā & vxorem Vraiæ (quæ illum penè locum habuiſſet) cōtentiones eſſent. Acceſſit, quòd regi ſuſpectus eſſet tantus hominis & nobilitate & virtute conſpicui potentatus. Mortem Vraiæ permulti Gothorum improbarūt. Cuius cauſa Ildonadus ipſe rex, à Builla, vno ex cuſtodibus corporis ſui, dum exhiberet proceribus conuiuium, fuit occiſus.

Imperator dux, à Gothorum rege profligatus.

Ildonadus ob necatum Vraiam ipſe interficitur.

Cap. 3.

Araricvs illi in regnū fuit ſuffectus, quod vix menſibus quinq; tenuit. Nam & ille in ſua gente, nullis rebus magnis geſtis, fuit interfectus: ita vt intra biennium duo reges occiderētur: iniquo tēpore Gothicæ genti, quando non reges aut proceres de medio tollere, ſed alios etiā introducere, res proſtrata videbatur poſcere. Sed quid facies genio populi ferocis, quē nec dum amiſit? nec potuit ſub miti cœlo tāto tempore demorata manſueſieri? Mira res tātum valere, & tam diu durare in poſteritate, nociuam illam vim, quam ſub Boreali cœlo antiqui retro patres extulerunt.

Cap. 4.

Totilas quo ad regnū euectus ſit.

Totilas, qui & Baduilla, regnum deinde promeruit, vir malo Italiæ natus, & ſub quo labores priſci renouarentur. Nam vt ad regnum perueniret, ſic ſe res habuit. Ildonado rege interfecto, Baduilla nepos ſibi timens, in Taruiſio ciuitate Venetiarū (quam paterna hæreditate obtinebat) ſeſe cœpit continere: miſitq; clàm Rauennam, & cum Iuſtiniani ducibus pepigit ad eos tranſire. Interea Gothi pœnitentia ducti, quòd Araricum regem creaſſent (hominem nequaquam tanti, vt Gothorum gentem aduerſus tantas hoſtium vires defendere valeret) ad Totilam Ildonadi propinquum reſpicere, atque illum regem optare cœperunt. Quare quum de ipſius Totilæ cum Iuſtiniani ducibus fœdere reſciſſent, tandem in maiorem ſalutis ſuæ adducti conſiderationem, Ararico de medio ſublato, Totilā ipſum regem creaue-

Duces, ignauiæ ab Imperatore exprobrata, belli capiũt consilium.

creauerunt. Cognouerat interea Iuſtinianus ea quæ in Italia cõtigerant: & ducum ſuorum imperitiam increpauit, quòd in tantis hoſtium diſcordiis tantiſq; motibus, ipſi opportunitatem rerum agẽdarum nacti, nihil peregiſſent. Quibus increpationibus moti duces, Rauennæ ſimul omnes conuenerũt. Ibi quum de inferendo bello conſuleretur, placuit ante omnia, ad vrbem Veronam ducere, cuius capiendæ ſpes aliqua offerebatur. Erant verò hi duces vndecim, quorum præcipui habebantur Conſtantianus & Alexander, in Italiam nuper à Iuſtiniano miſſus, ad pecunias colligendas. Profecti igitur cum ingentibus copiis, vbi Veronæ propinquarunt, ſpem dudum ſibi præbitam experiri ſtatuerunt. Erat enim Martianus, vir quidam domi nobilis, caſtellum habens non procul à Verona. Is quia partes Imperatoris animo præferebat, cuſtodem vnius portarum ad exercitum Imperatoris recipiendum induxerat. Re igitur arcanè compoſita, quum eò perueniſſet exercitus, præmittitur Artanades Armenius cum manu delectorum militum, qui portã antè capiat, & reliquũ exercitum præſtoletur. Nihil promiſſorum hoc loco defecit. Nam intempeſta nocte, quum ad portã veniſſent milites, proditor aperiens, intra vrbem eos accepit. Illi portam ingreſſi, mœnibus quoq; ſuper eam captis, exercitui ſignificarunt. At Gothi ſentientes hoſtes eſſe in vrbe, per diuerſam portã aufugerũt. Duces verò captã à ſuis portam audiẽtes, iter quidẽ ſtatim ingreſſi ſunt, ſed antequam ad vrbem venirent, de præda inter ſe diſceptantes, quinq; millia paſſuũ ab vrbe cõſtiterunt. Inter hæc dies eluxit. Arx ex eſt Veronæ vrbi ſupereminens: ex qua intra & extra vrbem proſpectus eſt. Gothi igitur, qui in arcem refugerant, cernẽtes paucos intra vrbem hoſtes (exercitum verò extra vrbẽ manere, nec dum mœnibus appropinquare) ſubitò ex arce impetu facto vrbem peruicerunt, & portam quę tenebatur ab hoſtibus, receperunt atq; clauſerunt. Milites verò qui per noctem fuerant ingreſſi, partim oppreſſi ſunt: partim ad mœnia confugientes, deſuper repugnabãt. Venientes aũt paulò pòſt duces quum clauſam portam reperiſſent, quanquam intus eſſent milites, qui eos vocabant, ac ne ſe desererent precabantur: tamen eueſtigio abierunt. Militum verò pars ſe muro demittẽs, euaſit: quorum de numero fuit Artanades eorum præfectus: cæteri vel capti vel interfecti ſunt. Per hunc itaq; modum, prauitate & auaritia ducum, res apud Veronam non proceſſere.

Veronã ab hoſtib. proditione captam, tamẽ Gothi ſtatim recipiunt.

CAP. 5.

POST hæc Iuſtiniani duces, quando cœpta Veronæ flagitiosè turpiterque euaſerant, diſcordes inter ſe, & alij aliis ſuccedentes, ex his locis abierunt: tranſmiſſoq; Pado amne Placentiam ſunt profecti. Totilas Papiæ per id tempus degebat: cognitoque hoſtium aduentu, quaſcunque potuit copias propere contraxit. Duces inter hæc vltra Placentiam progreſſi, ſecus ripam Padi amnis caſtra faciebant. Totilas autem quanquam foret admodum impar, tamen cum iis quas habebat copiis, obuiam illis exire, & fortunam pugnæ experiri conſtituit. Quum igitur in propinquo eſſent caſtra, ac pugna decernere vtriſq; placuiſſet, Totilas per noctem partem exercitus præmiſit. Quibus iuſſit vt viginti ferè ſtadiis vltra hoſtium caſtra, Trebiam flumen tranſirent: & quum pugnari cœptum eſſet, hoſtem à tergo tumultu quàm maximo poſſent adorirentur. Ipſe verò quum tempus videretur, in hoſtes duxit: idem fecere Iuſtiniani duces. Erat ante aciem Totilæ vir Gothus, nomine Valatis: qui equo inſigni vectus, ipſe quoque inſigniter armatus, in ſingulare certamen omnes prouocabat. Aduerſus hunc, cæteris deſidentibus, Artanades Armenius (cuius in ingreſſu Veronæ mentio fuit) prodiit: ſpectantibuſque vtrinque aciebus concurrerunt, infeſtis ſeſe cuſpidibus petentes. Armenius Gothum dextro latere haſta transfixum occidit: ipſe verò in haſtam interfecti, caſu hærentem ſolo, vi atque impetu adactus, cuſpide transfigitur: ruptoq; thorace vulneratur: ex quo vlnere mox die tertio interiit. Acies ſimul congreſſæ prælium acerrimum inierunt, omniſque ferri experientia in eo certamine verſabatur: ſtabant vtrinque viriliter certantes. Æquata pugna ſatis videbatur, quum magno clamore irruentes Totilæ, quos præmiſerat, equites, maioris agminis ſpeciem prætulerunt. Igitur antè & retro oppugnati duces, primo trepidè, inde effuſa fuga ſibi conſuluerunt: cæſi captique multi. Inde clarior Totilę victoria, quòd dimidia vix parte militum aduerſus maiores duplo copias audebat confligere.

Illuſtris Totilæ victoria.

Cadũt ambo duello certantes.

CAP. 6. INDE in Etruriam vltro mouentes Gothi, vrbes aliquot ſpōte deditas accepere: aliis intulere terrorem. Iuſtinus ex Imperatoriis ducibus vnus, qui pugnę interfuerat, audiens venire Gothos, Florentiam ſe recepit, obſidionem quam pugnam ſuſtinere malens. Sed quum non ſatis eſſent comeatus prouiſi, famem veritus, Rauennam miſit ad conſortes, vt obſeſſo ſibi ferrent auxilium. Illi non ſegniter exercitum expediuere, qui Gothis in Etruria opponeretur. Gothi comperto venire hoſtium maiores copias, ſe ad pugnā opportunis locis, ab obſidione diſcedentes parauere. Qui venerant duces, alio itinere ingreſſi Florentiā, poſt colloquiū de gerendo bello exeunt, prælio cum Gothis certaturi. Præmittitur ex eis vnus cū expedito agmine, qui fortunā pertentet: moles ipſa exercitus inſequitur. Gothi viſis hoſtibus non diſtulere pugnā: acriter concurritur. Et quum ſplendido loco quidam ad latus præfecti Imperatorij cecidiſſet, creditū eſt ipſum cecidiſſe præfectum. Et fuga inde intentata, quum veniſſent ad exercitū ſuum, maiorem in modū tumultuatum eſt. Additoq; illis timore, duces in diuerſum diſſipati, Gothis in conſpectū non venere, nec diu pòſt vnum in locum coierūt. Totilas deinde rex arma circumtulit per Flaminiam: vrbes pactionibus aut armis cepit: inde in Etruriā ſimilē victoriæ curſum habuit. Tranſmiſſo Tyberi mouit in Vmbros, inde in Campaniā. Beneuentum vrbem captam mœnibus ſpoliauit. Inde duxit in Neapolim: quam obſedit, quia portas clauſit, nō tamen oppugnauit. Miſit partem copiarū ad vicinas vrbes recipiendas: in quibus magnam pecuniarū vim conſecutus eſt. Mulieres Romanas nobiles in hac regione inuenit: quas honeſto comitatu ſuis remiſit, gratiam cōparans. Nullus aūt dux partes Imperatoris in ea prouincia curabat. Inde Lucaniam, Apuliam, Calabriam, per duces ſuos mira celeritate recepit: & inde Græcis ductoribus nulla in reliquum pecunia prouenit. Quæ res eò deducta eſt, vt milites nullis ſtipendiis præmiati, neque exire in expeditionem, neque domi magnopere contendebant: ſed verſi ad amicorum rapinas, omnia perturbauere. Inde & duces, clauſis vrbium ſuarum portis, quas adhuc tenebant, ſoli cuſtodiæ incubabant: Ioannes Romę, Cyprianus Peruſij, Iuſtinus Feſulis, Conſtantinus Rauennæ.

Victoria & mutus Gothorum ſucceſſus.

CAP. 7. NEAPOLIS durius inde cœpit obſideri, quando nemo prodibat ad ferendas ſuppetias: prouiderat enim Totilas ne mari aut terra quicquam importaretur. Certumq; fuit vrbem in manus Gothorum venturam breui, ſi nemo tueretur. Imperator præfectū prætorio miſit cum claſſe Italiæ ſubſidio: at is vir bonus, militiæ aūt non ſatis peritus, tempus protrahebat. Demetrius, qui ſub Belliſario diu militabat in Italia, iubetur in Siciliam nauigare, & inde rebus Italiæ conſulere. Is ad omnia gerenda promptiſſimus, excogitauit terrere Gothos. Omnibus quas ex Sicilia cōtrahere potuit nauibus, in claſſem cōparatis, milites ſuos diuiſit, vt ſpeciē magnæ claſſis præberet. Nauigabat in conſpectu Gothorum: & videntes irritabat, obſeſſos aūt recreabat. At ipſe conſcius paucitatis ſuorū, adnauigate non auſus, Romā contendit: vt impoſitis ibi militibus, iuſta claſſe ornata Gothis occurreret. Sed qui Romæ erant milites, bis prælio victi à Gothis, inſcendere recuſabant. Inde cum ſolis quos eduxerat, ire in hoſtē cogitur. Verùm Totilas iam in portu Neapolitano naues habebat velociſſimas, & quæ ſatis videbantur ſuperueniēti ab vrbe Roma Demetrio. Igitur primæ incurrunt, & Demetrij claſſem inuadunt: vana magnitudinis oſtentatio euanuit, apparuit pugnantiū in magna claſſe raritas. Nec mora, capiūtur onerariæ cū cæteris: Demetrius cum paucis cedens in lembos euaſit. Captæ fruges ditauere Gothos: capti milites, qui cædi ſupererant. Sed nō diu pòſt Maximinus, quē diximus præfectū prætorio, cum copiis & frugibus peruenit in Siciliā: & eadē qua prius ignauia rem differebat, non auſus ſe hoſtibus obiectare. Superuenere Imperatoris minæ: & pro illo Demetriū præfecit claſſi. Hyems erat: nec poterant imperare nauigantes ventis, quò minus detruderētur in loca ab Gothis occupata. Ibi capiuntur naues cum militibus. Demetrius in vinculis producitur in conſpectum vrbis, vt concionetur ad populum. Vocatus Conon præfectus, cum militibus & ciuibus. Ibi Demetrius nullam eſſe expectandam illis opem de proximo teſtatur: videre ipſos quo in ſtatu res ſit: cedendum neceſſitati. Ibi miſerabilis ciuium facies: ora macie pallida luctū & extrema præferebāt. Totilas alloquēdos ciues putauit. Teſtatur,

Neapolis obſidione premitur.

Totilas bis nauali prælio victor.

ſtatur, nulla ſe ira aut indignatione percitum veniſſe ad obſidendam vrbem, magis autem ad referendam populo gratiam, ex iugo ſeruitutis erepturum adeſſe, quòd egregiam fidem ad extrema Gothis ſeruaſſent: & nunc eodem ſe manere animo. Erubeſcere magis ſe, quòd populo tam fido genti ſuæ, ea mala quæ neceſſitas habuit, intuliſſet: non vltionem, ſed magis beneficia ab illo præſtolari Neapolitanos, iuſtum fore. Militibus non iraſci, ſi ſecum velint ſtipẽdia facere: ſin ſaluis rebus abire, liberum cuique eſſe. Tanta regis benignitas recreauit anguſtiatos. Orant triginta dierum interualla: quò ſi nulla veniant auxilia, honeſtior fiat deditio. Ille non ſolùm hoc, ſed ter XXX. daturum reſpondit. Mirati tantam in rege benignitatem, quum certi eſſent nulla ſuperuenire auxilia, protinus ſe dediderunt. Ingreſſus ciuitatem, mira in tali rege viſa eſt humanitas: vt curarit fame confectos per momenta reficere, poſitis cuſtodibus, qui ad menſuram largirentur: ne ſe cibo poſt longam famem obruerẽt. Cononi præfecto, cum militibus abituro, naues præbuit. Quum autem diu ventus demoraretur, eãdem prorogauit ſecuritatem. Sed quum nec ſic nauigare poſſent, terreſtri itinere abituris iumenta dedit & comeatus: iunxitq́ue Gothos, qui ſecuros deducerent. Interim miram in ſuos diſciplinã exercebat. Raptori pœna erat mors, & bonorum amiſſio, quæ iniuriam paſſo dabantur. Contrà, nihil erat miſerius Italicis Imperatori parentibus: qui à militibus Imperatoris intus, ab hoſtibus foris premebantur.

Totilæ oratio ad Neapolitanos obſeſſos.

Inaudita barbari clementia & lenitas.

IMPERATOR de his certior factus, in Belliſariũ iterum reſpexit: quòd cæteri ne ſeruare quidẽ poſſent quę acceperant. Hic medio tẽpore in Coſroem Perſarum regẽ (&, vt alij ferunt, Parthorũ) bella gerebat: quibus nõ ſatis benè finitis, in Italiam iterum cõſcribere milites iubetur. Thraces ad quatuor millia conſcripſit. Cum his enauigãs Salonas, præmiſit ex præfectis, qui Hydrunto Calabriæ ciuitati, diu à Gothis obſeſſæ, fruges importaret. Gothi negligentius obſidebãt, quòd neminẽ adeſſe putabant, omnibus ad ſua vota fluentibus. Aderat Valentinus improuiſis, & quod iuſſus eſt impleuit: milites recentes pro exhauſtis impoſuit, comeatus in annũ dedit: & ad ducẽ ſuum reuertitur. Inde Belliſarius Rauennam nauigauit. Per omnem aũt Italiam cuncta ſpe ſua deteriora cõperit, milites nullis ſtipẽdiis præbitis inuitos, prouinciales exhauſtos. Igitur optimũ ducem & incõparabilem, quòd nullas pecunias & exiles copias adduxiſſet, cõcionantem Rauennæ non libenter aut ciues aut milites audiuere: ſtatimq́; aduentus illũ ſui pœnituit. Totilas aũt rex vbiq; proſperatus, Tybur facilè accepit, propter ciuiũ diſſenſiones. Quæ res Romanis difficultates importauit: ſolis enim XVI. millibus paſſuum à Roma diſtat. Inde Anxinum, mouens in Picentes, obſidet. Belliſarius aũt vnum ex ducibus Bononiã miſit cum ſatis valida Illyricorũ manu. In vrbe receptus, deſeritur ab Illyricis ſponte domum abeuntibus, quòd dicerent ſuos domi ab exactoribus tributorũ anguſtiari. Belliſarius Anxino ſupplementa miſit tria millia equitũ. Veniẽtes ingreſſi ſunt: ſed quum nocere hoſtibus non poſſent, & eſſent ſociis oneroſi, ad ducẽ redierunt. In itinere paſſi incurſionem hoſtium, aliquot cohortes amiſerunt, cum veſtibus & impedimentis, quæ muli portabant. Fanum & Piſaurũ vrbes ad littus Adriaticũ, ſuperiori bello cõmunita, Belliſarius inſtaurat. Gothi impedire conati, præueniuntur, mirati tam paucis diebus rem tãtam eſſe peractam. Quum nuſquam prodiret Belliſarius ad pugnam, pro ſuorum paucitate, Gothi quoq; ſedere otioſi nolebant: Aſculum & Firmum oppida in Picentibus circumſedere. Obſeſſi opem implorantes, quum non acciperent, ceſſere Gothis. Interea Belliſarius miſſo ad Imperatorem nũcio, oſtendit Italię ſtatũ, ſupplemẽtis & pecunia opus eſſe. Quæ quum non ſatis promptè mitterentur, non ſe mouit loco: tantùm ſeruandis vrbibus operã impendit. Interea Gothi in Vmbriam mouentes, Spoletum aliquandiu defenſum, quum nemo ſuccurreret, deditũ accepere. Aſſiſium ſe defendit. Occiſo præfecto, tãti viri ſolatio deſtituti ciues, nec de proximo auxilium ſperãtes, ceſſere victoribus dediti. Apud Peruſiam, quum fortiſſimè defenderetur à præſidio, & quum præfectũ eius Cyprianum nullis viis, neque promiſſis neque armis potuit ſuperare: obærato quodam ex militibus eius, curauit occidi. Sed milites perſecuti parricidam, vrbem tuebantur. Igitur fruſtratus ibi Totilas, nec tempora perdere volens, duxit Romam.

CAP. 8.

Belliſarius rurſum in Italiã miſſus, omnia propè deſperata reperit.

Gothis omnia ſuccedunt.

CAP. 9. *Roma à Totila obſidetur.*

VRBEM Romam iterum obſidere venientes Gothi, ſatis firmum inuenere ibi militum præſidium. Præfectus erat Beſſas, & cum illo Conon Neapoli nuper emiſſus, cum non contemnendo ſupplemento, quod nuper miſerat Belliſarius. Totilas autem in primis curauit agreſtibus & ruricolis nullam inferri moleſtiam, ab initio in finem vſque ſuæ gubernationis. Militum non cõtemnenda cohors vrbe egreſſa cum præfectis, caſtra metantes Gothos laceſſunt: orta eſt pugna. Et primò cedere Gothi viſi. Inde vbi incaluere brachia, multis cæſis minor pars ægrè in vrbem retruditur. Inde ſamis timor, quòd claſſem Totilas teneret in mari, eam quam habuit ad Neapolim. Et in ipſo ſenatu facta proditionis ſuſpicione, Cetheus vir primarius pellitur Centumcellas. Belliſarius autem Portuenſi vrbi præſidium immiſit: qui egreſſi in mare claſſem vexabant, multumque per vices commeatum importari procurauerunt. Sed dum illis audentius inuehuntur, à maiori numero opprimuntur. Qua occaſione onerariæ, quas frugibus onuſtas miſit Sicilia Romam papa Vigilius (ibi exulans ex itinere quod accepit in Conſtantinopolim pauſans) intercipiuntur à Gothis, & creſcit fames in vrbe. Interea manus Gothorum alia, iubente rege, Placentiam vrbem ad Padum obſedit: quæ ſola eius prouinciæ in fide permanſit Imperatoris. Belliſarius opem ferre volens & vrbi Romæ & Placentiæ, copias tantas non habebat: & erat terrificum, cum parua tranſire manu per prouincias quæ Gothis paruerunt. Igitur ipſe diſpoſito Rauennæ ſatis firmo præſidio, nauigauit Dyrrhachium, vt exciperet ibi nouas copias ab Imperatore venientes. Interim captis frugibus quas papa ſubmiſerat, extremæ famis metus vrbem premebat. Ciues Pelagium diaconum, multa pietatis opera exercentem, in ea calamitate adoriuntur, rogantque, vt legatione ſuſcepta ad Totilam regem, paucorum dierum inducias oret: intra quas ſi nullum ſit obſeſſis auxilium, futuram deditionem. Suſcepit ille ciuium preces: & exiens regem voluit conuenire, iam ſcientem ex transfugis, quis eſſet rerum ſtatus in vrbe. Volentem exponere mandata rex præuenit, graui oratione increpans Romanorum ingratitudinem, quòd nulla apud eos eſſet memoria beneficiorum ab rege Theodorico & omni gente. Nullum ſe audire legationis verbum, niſi Romani amolitis mœnibus, ſe in fidem victoris permittant, accepturi leges quas victor imperauerit. Pelagius audita ſeueritate, conſtanter reſpondit, Quandoquidem, inquit, rex, vocem legati audire non ſuſtinuiſti, ſed præcidiſti omnem colloquij viam: ad Deum confugimus, qui ſolet ſuperbis reſiſtere. Hæc fatus, e veſtigio in vrbem reuertitur.

Totilas Romanorũ legatos audire non vult.

CAP. 10. *Belliſarius nouas copias accipit.*

CIVES autem cernentes re infecta rediiſſe Pelagium, miſerabiliter animis conciderunt, incerti quò ſe verterent. Statuerunt tamen extrema omnia pertentare, priuſquam ſe crudeliſſimo hoſti permitterent. Paſſi ſunt hac ſame inſanda. Interea venerant à Conſtantinopoli nouæ copiæ Dyrrhachium ad Belliſarium, ſed non quantas res poſcebat: maiores autem vere aſpirante miſſurus Imperator, ad gentes Danubij ripas incolentes præmiſit nuncios. Iam in Concilio apud duces vertebatur, quis rerum gerendarum ordo eſſet. Omnes Romam ex difficultatibus eruendam cenſuerunt: at qua id via fieret, ſententiæ diſcrepant. Erant quibus videretur toto agmine per Calabriam & Campaniam eundum Romã, ne in partes diſciſſæ copiæ minus hoſtibus obſtarent. Belliſarius eam probauit ſententiam, ſi non diuturna Romanis expectantibus mora eſſet. Sciebat famis anguſtiam, ſuorum ad mare interitum, ademptionem frugum de Sicilia miſſarum: itaque quamprimum Romæ ſubueniendum: quòd quinta die portum, flantibus ventis, teneret: per terram verò nimis longinquum, & itinere ipſo & hoſtium incurſu, videbatur. Itaque claſſem ſuam appulit Hydruntum. Gothi obſidentes ceſſere maiori agmini, tranſeuntes itinere duorum dierum vſque Dyrrhachium, quamprimum ſignificantes regi ſuo, veniſſe Belliſarium cum nouis copiis (vt ipſi rebantur) inde terreſtri itinere ducturum Romam. Quod quum audiſſet Totilas, ſtatim ſe præparauit magnis viribus obuiam proficiſci. Vbi verò cognouit à mari venire, totum ſe ad reſiſtendum iuxta vrbem apparabat. Et vt Tybris innauigabilis fieret: vbi maiores arctant fluuium anguſtiæ, ibi pontem inſtruit, catenamque grandem venientibus à mari oppoſuit. Ad extrema pontis turres ligneas firmis præſidiis locauit, vt aditum obſtrueret

ſtrueret venienti. Et Belliſarius quidē nauigans, tenuit cum claſſe portū. Ioannem vnum ex præfectis, cum equitatu Hunnorū fortiſſimo, miſit itinere terreſtri. Qui improuiſos Dyrrhachij Gothos adortus, fudit, oppidūq; cepit. Inde quartis caſtris Canuſium venit. Ibi ex Lucanorū primoribus offendit hominē, qui Græcorū iniurias in Lucanos Brutioſq; oſtendens, coactos populos defeciſſe cōtendit iterum ad Gothos: facilè redituros, ſi clementiam cum benignitate dux illis monſtraret.

Caduntur Gothi ad Dyrrhachium.

Cap. II.

Totilas id comperiens, expeditum è ſuis equitatum Capuam quàm occultiſſimè ire iubet, à tergo adorturum copias Belliſarij equeſtres: cætera ſibi curæ fore. Ioannes vbi intellexit Gothos in inſidiis latere, timens, deflexit ex itinere in Brutios Lucanoſque: & præfectum Gothorum ibi manentem prælio aggreditur. Funduntur plurimi: cæteri cum duce ſuo deduntur Ioanni. Quo viſo, Lucani Brutijq; ſtatim ad Imperatorem rediere. Belliſarius autem accuſabat Ioannis tarditatem, condemnans, quòd non cum Gothis qui Capuæ erant, cōgreſſum inſtituiſſet. Igitur deſtitutus eo conſilio, quum tantas copias non haberet, vt fideret terreſtri itineri: per Tyberim ſtatuit introire Romam cum comeatibus. Beſſæ in vrbe præfecto mādat, vt propediem parato agmine hoſtes diſtineret, quò ſibi tutior foret aditus. Ad rumpendum pontem, & expugnandum hæc excogitauit: Rates duas ferreis roſtris munitas ſignis iunxit, & ſuper vtramq; turrim erexit ſublimiorē quàm eſſent ad pontem. Inde dromonibus fruges impoſuit, armauitq; fortiſſimo milite: reliquam multitudinem per ripam naues trahere, & ad pugnā ſtare præcepit, ipſe in vna ex dromonibus aderat. Gothi ſe nuſquam oſtentarunt, donec ad catenam perueniretur. Ibi ſe opponunt tranſeuntibus: ſed vincuntur. Itaque catena ſuſtollitur. Gothi ſe ad ſuos recipiunt. Quum ad pontem peruenitur, Gothi fortiſſimè dimicant ex turribus & pontis ſubſidiis. Ibi Belliſarius de ſublimiori ſua turri, vas piceum incendit, proiecitq; in turrim Gothorum: quæ ipſam cum Gothis incendit non minus ducentis. Iam propè erat vt victores Græci pontem rumperent. Reliquerat autem Belliſarius ad vrbem Portuenſem, in dextra fluminis, vxorem cum ſupellectile varia: & præfecit cohorti Iſaacem, quem tueretur. Ad primum autem incendium turris nuncius volitabat in portum, Belliſarij proſpera nuncians. Tum præfectus Iſaac, volens & ipſe cumulare gaudia victoriæ, cum militibus amne trāſmiſſo, Gothos laceſſebat. Et primo quidem impetu fugatos exterruit. In ſe autem verſi, Iſaac præfectum cum multis ceperunt, nonnullis antè cæſis. Huius infœlicitatis nūcius venerat Belliſario, antequam pontem expugnaret. Veritusq; ne in periculo vxor eum omni ſupellectile eſſet, omiſſis ad pontem rebus aduolabat. Vbi vidit ſalua eſſe omnia in Portuenſi oppido, comperit & victoriam pulchrā de manibus exortam, & caſſo ſe timore territum.

Belliſarius pontem Totilæ perrumpere conatur.

Repentè perfecta, aduerſo nūcio reuocatur.

Cap. 12.

Interea Romæ intolerabilis fames: equi, muli, aſini conſumpti: ad canes & mures ventum erat. Fecerat hanc pertinaciam & proxima Belliſarij (ſed fruſtrata) expectatio, & irati regis in Romanos indignatio. Multi fame intra domeſticos parietes interierunt: alij herbas, & herbarum radices, etiam beſtiis intactas, deſiderauere. Quatuor erant ad portā Aſinariam Iſauri milites, qui proditionis conſiliū inierunt: demiſſi per funem Totilam adierunt, oſtendentes capiendæ vrbis viā. Mittit cum illis è ſuis, qui conſiderent: quibus videntibus, Iſauri per funem reaſcenderunt. Totilas armatum exercitum ad ſe iubet conuenire, præmittit qui ex condicto per funem aſcendant. Illi prouinus vt conſcenderant, ad portas demiſſi, ſecuribus aperiunt, exercitum Totilæ intromittentes. Continuit autem, quum eſſet ingreſſus, exercitum in ordine ad portas, donec dilucеſceret. Romam eſſe captam, rumor vrbem peruolitat: fœda & miſera vbique fuga per diuerſiſſimas portas. Alij in templa confugiunt: alij domibus occludunturmorituri in penatibus. Sæuit vbiq; gladius: ſternuntur obuij ſine diſcrimine ætatis, ſexus, conditionis. A Laterano per vrbem rex ibat verſus S. Petrum: ad latera eius ſtillantes ſanguine gladij. Ad Vaticanum occurrit Pelagius, ſacris indutus, Euangelia Chriſti baiulans, & genubus nixus miſericordiam implorabat. Num tandem, inquit rex, Pelagi venis ſupplicatum? Ille refert, Quando ſuperna maieſtas te mihi populoque dominum impoſuit, ſupplicare pro hoc grege populi non erubeſco. Parce, miſerere. Motus rex

Roma poſt grauiſſimā famē proditione capta.

iuſſit gladios recondi, neminem ex hoc iugulari, matronas fore intactas. Prædā rerum militi permiſit, corpora libera eſſe mandauit. Non erat Gothis leue Totilæ regis edictum: ſciebant ſeueritatem eius in diſciplina militari. Itaq; interdictis abſtinuere, ſolis vſi permiſſis. Inde conuerſus ad ſuos, Videte, inquit, rerū fluxam conditionem humanarum, cernite fortunæ mutationes. Paucis ante nos annis, ducenta Gothorum millia ſeptem millibus expugnauit & vicit Belliſarius. Ego non totis quatuor millibus, viginti Græcorum millia ſuperaui: & iam vrbem Romam, orbis quondam dominam, ſub pedibus tenemus. Proinde non ſuperbiēdum nobis, ſed Deum præ oculis habentes, fortunæ mutationes extimeſcamus.

Oratio Totilæ ad ſuos oratio.

CAP. 13.

Totilas Romanis ſuorum maiorum beneficia exprobrat.

INDE vocatis Romanis, grauiter illos coarguit, quòd bonorum ab Gothis immemores (quum Theodoricus Odoacrem tyrannū illis abſtuliſſet, tributis liberos omni honore affeciſſet) nulla ab Gothis affecti iniuria, tam facilè ad Græculos, à quibus nulla vnquam bona haberent, defeciſſent: qui nullis rebus niſi emūgendis theſauris ſtuderent, ciuitates ſub Gothis liberas, tributis onerarēt, vectigalibus premerent. Meritò illos luiſſe luituroſq; pœnas tam inhumanæ ingratitudinis. Ita ſine vlla ſpe bona Romanos dimiſit. Accuſabatur illa tēpeſtate Ruſticiana, nobilis mulier, vxor quondā Boetij, quòd ſtatuas Theodorici ſubuertiſſet. Totilas vbi audiuit iuſto dolore (ob occiſos patrem & maritū innocentes viros) percitā id peregiſſe fœminā, abſoluit. Inde legatos ad Imperatorem miſit, Pelagiū, de quo ſuprà, & Theodorum Romanum ciuem. Eos maximis ſacramentis obligauit fideliter mandata peragere, & ad ſe properanter redire. Summa mandatorū hæc fuit. Si velit Imperator Gothos habere amicos, fœderatos, ad omnes expeditiones bellicas fidele magnumq; promptè laturos auxiliū, tum ſe Romam conſeruare & amplificare paratum. Sin aliud ſibi cōſilium ſedeat, Romam eueſtigio euertendam. Neq; enim occupato bellis eam ſeruare ſit facile, neq; hoſti permiſſurū ea frui incolumi. Nauigarunt Oratores, & Imperatorē conueniunt, addentes preces cum lachrymis, niſi miſereretur ille vrbis Romę, actū de illa: ſcire ſe Gothi regis ſeueritatem. Semel extinctam Romam, ſecū trahere clarum ibi ortum nomen Imperij. Ille nihil aliud reſpondit, Eſſe in Italia Belliſariū: illius arbitrio rem fore permiſſam. Manebat in portu Belliſarius febre laborans. Ioannes aūt in Lucanis ea agebat, vt & Gothus arma iſtuc mitteret, quæ conatibus illius reſiſterent. Et tamen Romani legati, cum hoc quod acceperant reſponſo abire nolentes, obuios prehenſabant, qui apud Imperatorem poſſent aliquid, vt miſericordiam pro Imperij matre impetrarent.

Totila ad Imperatorē legatio.

CAP. 14.

DVOS penè iam erat annos ibi papa Vigilius, cauſam dicens aduerſus Imperatricem, de reſtituendo Anthemio ad ſuam ſedem: quod pollicitus eſſet ante pontificatum: & ille ſe tueretur, non poſſe ſedentem in Petri cathedra, aliud quàm quod iuſtum ſit ſentire. De malis promiſſis ſe ſatis pœnitere. Et quū Imperator huic cauſæ adhiberet Pelagium, ſi papam flecteret: ille, quò ſæpius ad conſpectum Imperatoris veniret, non recuſauit: noluit tamen ſcelus ſuadere pontifici. At quicquid bonus Pelagius cum ſuo conſorte ad flectendum rigorem Imperatoris, ad commiſerationem vrbis Romæ intenderant, vanus erat conatus. Nihil proficientes, triſtes redierunt. Audiens autem rex Totilas Imperatoris reſponſa, dubius quid faceret hærebat. Et tamen negari ſibi conſpiciens quæ æquiſſimè poſcere videbatur, cōſilium ſumpſit euertendæ vrbis. Auxit indignationē, quòd Ioannes in Lucanis treugas violaſſet. Igitur inſurgēs crudelitate mirabili, mœnia pro tertia parte ſolo ęquauit. Capitolium incendit: circa forum, & Suburram, & viam Sacram omnia cōflagrauit. Fumabat Quirinalis mons, Auentinus flammam incēdij euomebat, fragor ruentium domorum vbiq; audiebatur. Inter hęc incendia multitudo vrbana cum coniugibus & liberis, ſedibus patriis educebantur, ne deplorandi quidem miſerias ſuas libertatem habens. Totilas populum ac turbam per oppida Campaniæ diſperſit, ſenatores verò & patricios obſidum loca circa ſe retinuit. Roma poſt hæc cum toto exercitu egreſſus, eam deſolatam penitus ac vacuam reliquit, vt neq; vir quiſquam neq; fœmina remaneret. Inde Totilas exercitus partem contra portum collocauit, in loco qui dicitur Algidone: ne Belliſarij milites quicquam moliri per eius abſentiā valerent. Ipſe cum reliquis copiis aduerſus Ioannē in Calabros profectus eſt.

Roma incendio deuaſtatur, & incolis euacuatur.

eſt. Ioannes verò ſimul ac Totilam aduerſus ſe venire cognouit, non prius conſtitit quàm Hydruntum ſe recepit, quod eſt vltimum Calabriæ oppidum. Itaque vbi ad eas partes Totilas peruenit, paruo momento Calabros, Lucanos, Brutios, præter Hydruntos recepit. Interea quum vbiq; Gothis omnia proſperarentur, Spoletum ab illis defecit. Cuſtodiebatur arx ſola: nam mœnia Totilas euerterat. Arx verò facta erat ex amphitheatro, quod antiquitus in ea vrbe fuerat. Autor verò defectionis fuit Martianus quidam Conſtantinopolitanus, qui quum inter cuſtodes eſſet, inita cum XVIII. militibus coniuratione, præfectum præſidij interfecit, arcemq; Belliſario duci ſuo tradidit. Tarentum inde oppidum Calabri, non totum tamen, ſed partem eius comminuentes, reparauere. Inde Totilas omnibus in ea regione Italiæ oppidis præſidio firmatis, in recuperandam Rauennam cœpit reſpicere.

Spoletum à Totila tantis vectorijs potito deficit.

ROMA poſt Gallorum Senonenſium memoriam, nunquam deſerta, nunc ab Gothis euerſa manſit ſine habitatore. Sed Belliſarius febre liberatus, conſiliũ quàm occultè cœpit de ea reparanda. Paucoſq; conſcios habens, quum portum modico (ſed quod ſatis videbatur) præſidio firmaſſet, Romam mirabili celeritate reparauit: conuulſa mœnia & oppleta foſſata, militum diligentia ac promptiſſima vtens opera, intra viceſimũ ſeptimum diem, plus in ea munienda peregit, quàm poſſet quiſquam ſuſpicari. Portas tantùm nullis repagulis firmauit, quòd fabri deeſſent. Totilas quum cõperiſſet, omiſſis rebus omnibus cum Rauenna, aduolauit, nouam molitionem impediturus. Aduenerãt iam antè ciues de propinquis oppidis, ad patriæ reparationem alacres. Gothi primo ſtatim impetu capere vrbem præſumentes, quum cernerent opinione ſua munitiorem, ad pugnam accinguntur. Nec ſegniter Belliſarij milites reſiſtunt, conglobati ad portas, & per mœnia diſpoſiti. Repellunt ſæpe Gothos: aliquando ipſi repulſi retro cedunt. Et pugnam in noctem protrahebant: peruigiles excubias egere: vtcunq; poterant, portas obturauere. Poſtera die innouata ad omnes portas pugna, pertinaciter continuata eſt diu. Concurrerant aliquando magnis viribus: ſignifer Totilæ proſternitur. Ibi verò contentio duriſſima pro ſigno, quum ſuum Gothi vendicarent: & Romani decus ſuum cogitantes, nouo ardore ad capiendũ inſtarent. Sed Gothi defenderunt. Totilas Tybur, quod tenebat, redit. At Romani, ne per Anienem incurſaret, pontes præſciderunt. Et habet ripas amnis ille præruptè altas, & vado eſt intranſibilis: vt difficile fuerit à Tybure Romam incurſare. Ad Peruſiam deinde à Gothis diu laboratum eſt, fruſtra obſidendo. Ioannes compertum habens Belliſarium Romæ eſſe, gratiam inire volens, ſenatores, quos ſub militum cuſtodia Gothus per ciuitates diſtribuerat, reducere ex oppidis, quorum nulla per Campaniam erant mœnia, contendebat. Et hoc proſpiciens Totilas, manum illuc validam equitum ire iuſſit. Sed collatis viribus, à Ioanne victi ceſſerunt: itaq; repertos ibi ſenatores Romam miſit, præter Clementinum & Oreſtem, quorum alter Imperatoris iram veritus, alter equos cauſatus ſibi non eſſe, reſtiterunt. Maior tamen ſenatus pars in vrbe Portuenſi erat. Ibi recepta, quum Gothus vrbem incendiſſet, fœminas plures ſenatorij ordinis Ioannes remiſit. Totilas hæc audiens, relicta ad obſidionem Peruſij parte exercitus, ipſe cũ expeditis magno itinere per Picentes in Campaniam contendit in Calabros, ſumpturus de Ioanne vindictam. Conuenerant ſub noctem: & collatis viribus non multi ceciderunt: ſed Ioannes cum ſuis fatigatus eſt, & diſſipatos milites in Hydrũtum collegit. Splendidum erat hoc regis factum, pro celeritate magnorum itinerum, quæ ipſe eques armatus cum militibus confecerat.

CAP. 15.

Romã Belliſarius reparat.

Dimicatio de ſigno militari.

Remittuntur Senatores.

IMPERATOR literis quàm frequentibus Belliſarij pulſatus, nouas copias miſit peditum, ſcribens Belliſario vt illas in Calabria expectaret. Eò nauigans dux, Cononi legato vrbem Romam cõmiſit. Is auarè annonam vendens, & precium quotidie augens, ſuo intentus lucro, à militibus occiditur. Belliſarius copias receptas exponens, equites præmiſit in locum pabulo promptum. Quorũ pars incidit in Gothorum obuiam manum, quam miſit rex ad Ruſſianum occupãdum, quod Ioannes tenebat. Commiſſo prælio Imperatorij ſuperant. Quod quum rex Gothus acciperet, didiciſſetq; indiſciplinatam Græcorum ſtationem, ſuperueniens omnes penè cæcidit: ſolus alter ex præfectis cum duobus equitibus elabitur. Belliſarius ac-

CAP. 16.

Græci ſtatores à Gotho ſtatim magna clade profligãtur.

B

cepto nuncio de amiſſo equitatu, mare iterum cum peditibus tentauit: & vi tempeſtatis adactus, à Crotone Italiæ in Meſſanam Siciliæ diſpellitur. Ruſſianum interea à Gothis obſidetur. Pacti milites, niſi intra certum tempus adiuuarentur, deditionem facere. Interea Belliſarius Hydruntum cum claſſe redijt: ſuperuenere noua ſupplementa. Iam auctus copijs, obſeſſis opem ferre ſtatuit: adnauigat Ruſſianum. Gothi per littora diſpoſiti, aciem oſtendere: territi Græci retro abeunt. Decernunt in concilio, equitatum ire in Picentes, ibiq́; laceſſere Gothos, quò Totilam ab obſidione auocent. Ille miſſis equitibus, occurrit tumultuantibus, in obſidione perdurans. Et quum omnia obſeſſis defuiſſent, pacti ſunt deditionem, quando nullum oſtendebatur auxilium. Rex paciſcentibus reſpondit, vnius perfidi inter eos pœna contentus, cæteros in militiam ſuam, ſi vellent, conſcriberet, alioqui abituros cum ſingulis veſtimentis. Ita Ruſſianum deditur. Præfectum militum, quòd eius iuſſu in diem præfinitum deditio non fieret, iuſſit occidi. Remanſit cum eo magna pars militum: cæteri relictis equis & armis, Crotonem vicinam vrbem petierunt. Hoc in rerum ſtatu quum eſſet Belliſarius Romæ, iam pertæſum eſt illi diutius bellum gerere: præmiſſa Anthemia vxore, apud Imperatricem agere præcepit vt reuocaretur. Et Imperatricem quidem fato functam reperit: apud Imperatorem facilè impetrauit, quòd belli Parthici metus recrudeſcebat. Et abiens Belliſarius, Romæ Diogenem, virum prudentem & fortem, legatum reliquit, cum tribus millibus militum. Eo abeunte, Gothi Peruſiam, diu obſeſſam, armis cepere.

Ruſsianum Gothis deditione capiunt.

Belliſarij belli tædet.

CAP. 17. TOTILAS proſperatis vndique rebus, quum abſceſſiſſe Belliſarium intelligeret, vrbem Romam tertia cinxit obſidione. Iam autem in eam formam reparata ciuitate, vt quoniam forte inerat præſidium, nulla ſpes capiendæ vrbis foret Gothis, niſi fame. Nam finitima oppida in Gothorum erant poteſtate: & expugnata Portuenſi vrbe, nihil à mari importari ſinebant. Erant Conſtantinopoli ciues Romani, & ad hos miſſus inſuper Godingus vir ſenatorius, qui agebant vt Imperator Belliſarium Italiæ procurandæ remitteret, alioqui actum eſſe de vrbe. Ille ſibi res Italicas curæ reſpondit fore. Sed alijs interuenientibus res antiquatur. Quum iterum atque iterum vrgerent, Liberium quendam ex nobilitate Romana, pronunciauit ducem Italici belli, & apparatibus comparandis cœpit indulgere: ſed ex alijs intermittitur. Itaq; Roma laboraſſet fame, niſi prouidentia legati rebus conſuluiſſet. Is omnia pridem loca intra vrbem vacantia frugibus conſeuit, in hortis, in diuerticulis, in campo Martio. Quæ res inopiam ſuſtentabat. Et erat vrbs eo modo in longum ſuſtinenda, ſi non proditio interueniſſet. Nam milites ad portam Capenam, queſti quòd nullis diu ſtipendijs præmiarentur, ad Totilam ibant, præmium magnum pacti traditæ portæ: ea erat S. Pauli. Rex vbi audiuit, collaudatos bene ſperare iubet. Interea tubicines per noctem lembis impoſitos, per Anienem iubet introire vrbem, & quàm maximo poſſent ſtrepitu tubis clangere: ille interim ad portam ſtabat parato exercitu. Clangebant tubæ, & vrbis velut captæ ſignum præbuere. Dum trepidant alij concurrentes ad clangorem, proditores vrbem reſerant, exercitum ſinunt ingredi. Ita nunc ſecundò ab Totila vrbs capitur. Præfectus cum militibus diuerſa porta dilabentes, fuga ſibi conſulunt ad Centumcellas: nam ea in fide Imperatoris fuit. Hoc Gothus proſpiciens, inſidias eò collocauit, quas inciderunt prodeuntes: & alijs aut captis aut cæſis, Diogenes ipſe elabitur.

Remedium aduerſus famem proximam.

Roma ſecundo à Totila proditione capitur.

CAP. 18. PAVLVS equitum præfectus ex Sicilia, vir fortiſſimus, ea nocte multis in locis, prælia multa perfecit. Ad extremum, cum quadringentis equitibus pontem & molem Adriani apprendit, grauiter afficiens propinquantes Gothos. Totilas aſpiciens, Sinite, inquit, hos ſine ſanguine & impendio meorum euocandos, non habentes vnius diei eſcam. Igitur diem illum ſine cibo agentes, inter ſe quid faciant deliberant. Deditio turpitudinem habere videbatur: & erat incertum, ſi permitteretur, qua fide impleretur à rege truculento. Erant quibus equi in cibum mactandi viderentur, horrebant inſuetum cibum. Fugæ nulla ſpes. Igitur Paulus in medio ſuorum concionatur, vir fortis ad fortes. Quocunque nos vertamus commilitones, extrema nos circumſtant. Nam fugæ nulla facultas eſt, circumſu-

Oratio Pauli ad ſuos, quùm in mole Adriani obſeſsi eſſent.

circumfuſis hoſtium copijs,ac nos impigrè obſeruantibus. Deditio autem, ſupra turpitudinem vilitatemq́; conſilij, cruciatus inſuper & excarnificationes portendit. Barbarorum enim ſæuitia ſimplici mortis genere contenta eſſe non ſolet. Durare verò in obſidione, ac cibo equorum paſci, eorum eſſet qui auxilia ſibi vētura expectarent. Nobis autem carentibus ea ſpe, nulla ratio ſuadere hanc tolerantiā poteſt, niſi viliſſima detrectatio mortis:ceu pueri formidoloſi,dolore cōſici malunt quàm ferro ſecari.Ego verò dedi hoſtibus,& tabeſcere inedia,eorum puto,qui cor & ſanguinem non habent. At nobis ſtrenuis, & præliorum non inſuetis, glorioſa mors complectenda eſt. Sic enim moriamur,vt ſanguine hoſtium madentes,non inulti cadamus,nec rideat hoſtis noſtros interitus,ſed fleat:nec iugulum noſtrum præbeamus,ſed iugulum ſuum ferro noſtro perfringamus.Quid enim paucorum annorū acceſſio nobis prodeſſet, quum etſi nunc ſeruati, paulò pòſt ſimus obituri? Gloria extendere vitam hominibus poteſt, natura non poterit. Ite igitur mecum ad glorioſam mortem, quam ciues ſimul & hoſtes admirabūtur. His dictis incenſi equites,morti ſeſe deuouerūt. Quocirca complexi inuicem & oſculati, certiſſimo moriendi propoſito ad dimicandum ſe parant. Erat verò conſilium,in proximam Gothorū ſtationem irruere,factaq́; permagna hoſtium cæde,pugnādo interire. Quos quum videret Totilas ad extremū caſum parari,veritus,ne hominū deſperatorum conatus,maiorem quam pro numero Gothis cladem adferret:caduceatore ad eos miſſo optionem permiſit,an receptis armis & equis militare vellent Totilæ:aut illis omiſſis,ire quò vellent.Statim omnes militare regi peroptarunt,præter Paulū præfectum,& Iſaurum quendam,qui quòd vxores haberent & liberos, ire Conſtantinopolim elegerunt: quos rex viatico & cæteris rebus adiutos ire permiſit. Romanos autem qui ad templa confugerant,liberos eſſe iuſſit. In vrbem Romā non amplius deſæuijt: ſed quanto antè ſtudio deſtruxit, tanto nunc impenſius cuncta inſtaurare connititur:ædificia pridem incenſa renouauit,à Belliſario ſemiplena conſummauit,ludos equeſtres, ac cætera magnificentiæ opera, quæ florentibus rebus celebrabātur,reſtituit, quò ciues ſparſi maiori in patriam deſiderio redirent. Hanc morum in rege ac animi mutationem, alij voto, quod ſanctis creditur apoſtolis emiſiſſe, prodire volunt:alij ad commoditatem gerendi belli referunt. Nonnulli verecundia adactum ferunt, quòd quum nuper Francorum regis filiam depoſceret coniugem, reſponſum illi aiunt, non credi illum regem eſſe Italiæ, qui caput eius ſubuertiſſet. Sed vero ſimilius eſt (quod ſcribit beatus Gregorius) poſt primam vrbis captiuitatem, adijſſe regem S. Benedictum,qui in Apollinis pridem templo,in Bauro caſtello tum demorabatur. Voluit rex experimenta ſumere ſanctitatis,ſi Benedictus incomperta noſſet. Vnum ex ſatellitibus regio indutum apparatu, ipſe in turba ſecutus eſt. Benedictus obuiam prodibat regi ſuperbo in anteriora: ceſſerat turba deuia ſimulato regi, quum prodiret Benedictus: ſtabat ſolus in conſpectu S. patris. Ille hominem iuſſit in turbam concedere,& oculis deſignatum Totilam euocabat. Hortatur vt Iuſtinianum ſectetur,ſanctimoniam veneretur. Prædicit iterum ab eo Romam capiendam, & Siciliam eius poteſtatis futuram, & nono anno regni occidendum. Creditum eſt,quum pars ab eo denunciatorum eſſet impleta, finem vitæ denunciatum terruiſſe regem, vt manſueſceret.

Totilas in viros fortes obſeſſos clementia vſus, Romam reparat.

Vaticinium ſancti Benedicti.

CAP. 19.

Totilas reliquam Italiam ſubigere, & Siciliam recipere ſtatuit.

ROMA iterum in poteſtatem Gothorum facta, iam meliori ſpe agebat, quòd rex mutatis moribus, iam habitaret quaſi pater cum filijs. Igitur in Siciliam reſpexit, inque eam ſubmittendam armari & fabricari claſſem iuſſit, longas naues cum onerarijs. Prius tamen Centumcellas,vicinam Romæ vrbem, adhuc ſolam Imperatori in ea regione parentem, ſubijcere conatur: inque eam ducit paratum exercitum. Defendit eam Diogenes, nuper Roma elapſus, quum vrbs caperetur. Totilas oppugnaturus, alloquitur præfectum, vrbem dedat, aut ad pugnam prodeat. Ille reſpondit, pugnare ſibi in animo non eſſe: vrbem dedere, antequam Imperatori inſinuet, ſi ille eam tueatur, indecorum ſibi fore. Si patiatur, permittatque tempus vt inſinuetur, & ad terminum conſtitutum nihil fiat, tum ſe deditum. In hæc pacta dantur vtrinque obſides, vt nihil tamen rex tempore medio in oppidum moliatur. Inde claſſe iam expedita, in Siciliam transfretare contendit:

& in ipſo itinere(quòd exercitus per terram ibat) Rhegium in finibus Italiæ obſidetur, Tarentum capitur. Submiſſis autem ad Rhegium copijs, reliquum exercitum tranſportat in Siciliam. Interim in Italia Ariminum Gothi accipiunt: Rhegium quoque non diu inde à Græcis per deditionem accipitur. In Sicilla parua quidem oppida ſtatim Gothis ceſſerunt: apud Syracuſas diu ſedendum fuit. Interea ſenatores qui Conſtantinopoli fuere, quotidie Imperatoris aures pulſabant, vt liberandæ Italiæ intenderet: nec audiebantur, donec vno die ex multis vrbibus Italiæ aduerſa nunciarentur, quòd captum Ariminum, Tarentum, Rhegium, Sicilia quoque peruaſa à Gothis. Tum motus Imperator, Germanum fratruelem ſuum Italico bello aduerſus Gothos ducem declarauit. Magno apparatu ille in Italiam ducere parabat, vir magnæ apud cunctos autoritatis, & rei bellicæ dux non imperitus, genti præterea Gothorum venerabilis, qui Mathaſuintam Vitigis regis relictam, Theodorici neptem, coniugem haberet poſt Vitigem. Et quum expedito exercitu iam teneret Illyricum, iuſſu Imperatoris ſubſiſtere cœpit, quòd gens Sclauinorum (Wandali hi ſunt) dudum ad Danubium habitantes, iam tranſito amne Macedoniam Thraciamque inuaderent. Subſtitit ille iuſſus: & exercitus ſui terrore, (quamuis in illos non duceret) Wandali latius non excurrerunt. Quæ mora Gothis per Italiam & Siciliam tempus dabat, quæ cœperant peragendi. Exibant interea dies, quos ſibi Diogenes ad tradendum oppidum Centumcellas præſtituiſſet: & iam tradere monitus, reſpondit rem eſſe non ſui iuris, eſſe ducem Italicum in itinere, cuius arbitrio res gerenda. Vna erat ea expectatio totius Italiæ: in eum reſpexere omnes. Sed dum ille in Illyricis moratur, morbo correptus, tantam omnium de ſe expectationem fruſtratur. Mox factus de eius morte Imperator certior, filios (quos ſecum duxit puberes) iuſſit patris loco exercitus curam ſuſcipere, quòd per illos non minus quàm per patrem, ſperabat gentem Gothorum ſibi conciliare: accedente procuratione Ioannis Vitaliani, iam per Italiam multis clarè rebus geſtis noti ducis. Is cum adoleſcentibus exercitum Salonas perduxit, inde aſpirante vere mox Rauennam traiecturus.

Germanus in Totilam ab Imperatore mittitur.

Suprà lib. 3. cap. 34.

CAP. 20. PER eadem tempora tuendæ Siciliæ iam cum bonis copijs Liberium miſit Imperator. Ille Gothis impedire non valentibus, per portum Syracuſas intrauit. At veritus ne ſocijs ad commeatus caritatem ſua multitudo accederet, breui inde ſoluens Panormum peruenit, ibique ſubſtitit. Interea Imperator mutato propoſito, Narſetem eunuchum ſuum, ducem Italici belli declarat, Ioanni ſcribens, ne Salonis ſoluat, ſed aduentum Narſetis præſtoletur. Erat Narſes vir præcipuus autoritate, apud Imperatorem primus, pecuniarum receptor & diſpenſator, cuius conſilio plura ab Imperatore gererentur, apud Deum religione fulgens, qui orationibus & vigilijs plura quàm armis cæteri conficerent, apud exteros reges nominatus, omni virtute præditus, armorum ſcius. His artibus pollens, omnem bello neceſſarium apparatum inſtruens, terreſtri itinere per Thraciam contendit, Philippopoli ſubſiſtens, quòd Hunni duobus agminibus eam prouinciam inuaſiſſent. Quàm primùm potuit inde mouens, Salonas contendit. Iam Totilas cognito apparatu hoſtium in Italiam, ex Sicilia redierat: quam quatuor ex ſuis ducibus commendabat, ipſe de Italia curaturus. Et vt potentiam ſuam Gręcis oſtentaret, claſſem ſuam iuſſit per Græciam nauigare, omnia rapinis & cædibus incendijſq; fœdare. Igitur multi intercepti nauigantes, mare omne infeſtum habuere. Totilas Anconam obſedit, terra mariq; oppugnans. Valerianus Rauennæ præfectus, quum viribus ſuis diffideret, Ioanni rem per literas aperit. Ille etſi præceptum Imperatoris haberet, Salonas ante Narſetis aduentum non deſerere: tamen in tanto ſociorum periculo nihil cunctandum ratus, naues perarmat, Valeriano cum ſua claſſe proficiſcenti fit obuius. Colloquium inter duces eò contendit, vt iunctis viribus ferantur in hoſtem, ſocijs obſeſſis ſuppetias facturi. Adnauigant animis erectis: Gothi quoque multitudine nauium ſuperantes, obuiam proficiſcuntur. Fit nauale prælium, magnis vtrinque viribus & animis initum: acerrima diu pugna fuit. Sed Græci experientiores maritimarum rerum, Gothos inſuetos tali pugna vicerunt. Merſæ aliquot naues cum militibus perierunt: captæ aliæ, decem ſolæ fugã ineuntes. Vbi ad littus

Narſes eunuchus in Italiã mittitur.

Gothi Anconam obſidentes, à Græcis nauali prælio victi caſtra deſerunt.

littus venerant milites, ne hoſtis potiretur, naues incẽderunt, terreſtri itinere caſtra petentes. In quibus tanta fuit trepidatio, vt ſoluta obſidione, mox illa pro deſertis habuere. Victores portum ingreſſi ſocijs gratulati ſunt, & illi viciſſim: mox caſtra oppugnaturi deſcendunt. Vbi vacuata cernunt, commeatus in vrbem miſere.

Hoc initium ruinæ Gothorum, ſic effregit animos, ſic erexit Græcorum fiduciam, vt ex hoc tempore magna fuerit inclinatio rerum Gothicarum. Redibat Valerianus Rauẽnam, & Ioannes Salonas. Totilas partem copiarum ex Sicilia deuocauit. Itaq; Artanades Iuſtiniani dux, qui Liberio ſucceſſerat, multis locis in Sicilia ſuperior fuit. Nec multò pòſt Crotoniatas, longa Gothorũ feſſos obſidione, Græcorum claſſis ſuperueniens eripuit, Gothis partim Tarentum, partim in proximos montes fugientibus. Hæc ſecunda Græcorum victoria Gothis rem minuebat. Et iam præfectus Tarenti & Acheruſiæ, Gothi, cernentes inclinationem rerum, diffiſi rebus Gothicis, cum oppidis ad Imperatorem tranſierunt. Quum hæc eſſet conditio rerum per Italiam, Narſes per brumam copijs congregatis, ſe ad iter comparauit. Habebat verò tantum ſolus exercitum, quantum vix omnes ſimul duces per belli huius tẽpora. Pecunijs enim abundans, & ipſe in elargiendo munificus, multa vndiq; arma ex Thracia, ex Græcia & aliunde cõtraxit. Nam & Longobardorum duodecim millia pugnaciſſimorum hominum fertur habuiſſe. Eos Albuinus rex illi conceſſit, qui in Pannonijs tum conſederat: quod in Dania noſtra monſtrauimus. Et Heruli & Hunni, gens natiuo (vt videbatur) odio Gothos inſectata, auxilijs Narſetem intolerabilem fecere. Perſæ quoq; cum non contemnenda ſuorum manu Narſeti aderant, rebus Orientis plurimùm claro. Et Gepidarum manus tanto deeſſe exercitui non paſſa eſt. Sed & Ioannes cognomento Fagon, Græcorum & Thracum validam manum egit. Et Ioannes Vitalianus, filiorum Germani dux, iuſtum exercitum Rauennam tranſportauit. Mouens ergo Salonis cum tantis copijs Narſes per Dalmatiam atq; Liburniam, peruenit Aquileiam. Inde duo illi erant itineta ad Rauennam: alterum breuius per maritima, ſed ibi paludes & ſtagna, & fluuiorum oſtia difficultatem plurimam habebant. Alterum mediterraneum, ex Verona per fluuiorum vada: vbi pauci multorum tranſitum facilè tenerent. Sic enim ripæ, ſic aquæ in altum deſcendunt, vt difficilè tranſeantur. Eas ſciens difficultates Totilas, Teiam ex ducibus præſtantiſſimum miſit, qui ad Veronam copias hoſtiles Atheſi prohiberet: ſin minus, ponè ſequeretur, terga laceſſens. Narſes duodecim millia equitum Longobardorum per mediterranea miſit, vt hoſtem diſtineret, quoad ipſe cum copijs tranſiret maritima. Longobardi gens noua, quæ non longinquam ab Gothis originem haberet, nullo repugnante Atheſim & deinde Padum tranſeuntes, ad Brixelli oppidi mœnia peruenere. Parebat hoc ſemper Rauennatibus. Teias paucitati ſuorũ diffiſus, hoſte longè numeroſiori confligere non audebat. Narſes autem adiutus nauigio Venetorum, foſſas ac paludes, latus ac oſtia fluminum tranſibat, Rauennam ingreſſus. Ibi relicto per dies nouem exercitu, Romam contendit. Arimini præfectus ex Gothis, trãſitum impedire ſategit: ſed commiſſo prælio occiditur, trepidi milites in vrbem refugiunt: allatum caput hoſtis Narſeti. Gauiſus eſt ille bono auſpicio, quòd primo ſtatim prælio dux hoſtium cecidiſſet. Et quanquam facilè Ariminum cepiſſet, noluit tamen tantas copias vnius oppidi obſidione teneri: ſed alacris iter ſuum continuans proficiſcitur. Longobardi, qui iam ad Brixelli mœnia conſederant, multam ex vicinis agris prædam fecerunt. Totilas autem furens indignatione, in nouam gentem educere parat, raptim vocatis Tranſpadanis: tantumq; fidebat feſtinans, vt Teiam fortiſſimum ducem non expectaret. Longobardi equitatu, peditatu Gothi præualuere. Sed quod plerisq; accidit ad extrema ducibus, nunquam diligẽtius ſtruxiſſe aciem, nec vnquam perſpicacius cuncta luſtraſſe, quid ageret hoſtis, quid ſuæ vires poſſent, nunquam circumſpectius fortiuſq; pugnaſſe. Sed tum fortuna fuit, vt cadetet ſub Longobardorum effera gente: quam Albuinus rex exercitum docuit ad prælia paratam, quotidie educens ad gentes Danubij accolas. Occiſo Totila, qui ſuperfuere ex Gothis, Papiam ingreſſi, tum primùm ex fuga ſubſtitere. Longobardi maximis a Narſete muneribus honorati, ad propria remittuntur.

Marginal notes: CAP. 21. — *Græci in Sicilia Gothos fraccunt.* — *Multarum gentiũ auxilia cum Narſete.* — *Lib. 3. c. 5.* — *Arimini præfectus Gothus occiditur.* — *Totilas cum Lõgobardis pugnãs cadit.*

CAP. 22. TEIAS rex in locum demortui Totilæ à ſuis creatur. Is cernens molem belli à Narſete maximam, vicinæ gentis duces bello ſibi ſocios aſciuit, Burgundionum, Francorum, ac Liguſtinorum duces, quos in regionibus illis Theobaldus Metenſium rex reliquiſſet. Itaq; Apenninum tranſeuntes duces, ipſi cum maximis copijs ad Claſtidium conſederunt, (quod eſt agri Papienſis oppidum, Pado vicinum) vnde poterant commeatus facilè ad illos comportari. Teias autem theſauros Totilæ Papiæ reconditos ſuſcipiens, vires in priſtinam Gothorum potentiam reparauit. Narſes autem tranſiens Romam, vrbes & oppida, quæ in medio fuere plurima, aut deditione aut armis cepit: reliquas copias ad obſidionem remiſit. Quum autem veniſſet Romam, & eam clauſam reperiſſet, (quòd eam forti Gothorum præſidio teneri perſenſit) obſidendam curauit. Ibi triſte nuncium accepit, de ſocietate quam iniſſet Teias cum Burgundionibus & Francis, vnde maiora ſibi quàm putauerat, belli pondera imminerent. Sed recreabat Siſualdi Brentorum regis oblata pactio. Is erat ex reliquijs Odoacris Rugiorum regis: cuius populum Theodoricus iuſſit conſidere inter Alpes & Apenninum in Taurinis, rege illis præfecto, quem generũ ſibi fecit, & filium deſtinauit. Pactionis ea forma fuit, vt victis Gothis, ſocius rex aſcribi ſineretur, in amicitia Romani imperij ſemper permanſurus. Et quoniam Narſes multò maioribus copijs quàm adduxerat, ad obſidionem vrbis opus habebat, Ioannem Fagonem cum Græcis & Thracibus ſuis redire iuſſit per itinera quibus venerant, ad obſidendum Ariminum. Alia etiam agmina Spoletum miſit, vt Vmbriæ imminerent, & ſiue per pactionem, ſiue per arma, reciperent oppida. Ipſe interim Romanę obſidioni intenderat. Vrbs Roma, pro ſui magnitudine, necdum aut ciuium multitudine, aut ædificiorum inſtauratione, redierat in florem ſuum: multæ viæ vacuæ, plurima ædificia necdum reſtituta. Inſtiterat quidem Totilas, ſed ciuium exhauſtæ vires, & multorum voluntaria exilia, necnon paucorum cædes, ſuper omnia bellorum incumbens prouiſio, regem vrbi deditiſſimum, ab implemento detinuerunt.

Teias poſt Totilam rex auxilia ſibi comparat.

Narſetis cũ Siſualdo ſocietas.

CAP. 23. GOTHI quum ſe viderent & numero & viribus impares, ad tantam vrbem aduerſus tam multiplicem exercitũ defendendam, ad molem Adriani rebus neceſſarijs importatis, locum cõmunierunt refugio: & tamen vbicũq; fiebat oppugnatio, alacres aderant. Intentata vnum in locũ fortiter oppugnatione, quum Gothi totis reſiſterent viribus, Græci diuerſam vrbis regionem animaduerterunt indefenſam. Et quum Gothi penè omnes ibi diſtinerẽtur, illi allatis ſcalis mœnia apprehenderunt: inq; captam vrbem exercitum ſuum Narſes introduxit. Romani (qua ſolent Itali leuitate) victoribus plaudebant, barbariem (vt ipſi vocant) execrantes. Gothi in ſuam conceſſere munitionem: inde tamen pactione breui tranſeuntes, ad ſuos redierunt. Præfectus Tarenti Gothus, qui (vt diximus) ad Imperatorem tranſijt, facti pœnituit, quum audiret Teiam regem, & Burgundionum Francorumq; belli ſocietatem: ſed obſidum ei traditio ad redeundum obſtiterat. Qua ratione, vt illos abduceret, hæc excogitauit: Hydrunti præfectum Græcum orat, vt ſupplemẽta illi aduerſus Gothos mittat. Ille nihil fraudis proſpiciens, miſit milites quinquaginta. Hos quàm primùm accepit, in vincula coniecit, renuncians præfecto, ſi illos vellet liberos, ſuos illi remitteret obſides. Ille fraudem comperiens, paucis ad cuſtodiam domi relictis, cum maiori parte copiarum ducit in Tarentinum præfectum: nec ſegnior ille occurrit. Collatis viribus vincitur Tarentinus, fuga prolapſus ad ſuos.

Romã Narſes vi capit.

Præfecti Tarētini fraus.

CAP. 24. IN Ciſalpina (quam Itali vocant Galliam: nam nobis eſt Tranſalpina) res variæ fuere. Auxilia Burgundionum Francorumq;, Brixellum & Tanetũ occupare conati, vbi audierunt Valerianum (vnum ex Narſetis ducibus) Bononia mouere cum copijs ingentibus, quieuere. Siſualdus audiens à Narſete fœdera comprobata, paratum exercitum ducit in vicinos Gothorum fines. Nullus diu ibi pauor, apertę vrbium portæ, nihil parati: omnia velut ad manum expoſita. Quæ res excitauit Siſualdum arma mouere. Itaq; ab nihil timentibus, omnia improuiſò facilè ſunt oblata. Teiam regem hoc audientem indignatio ſubit: ſimul & apud Ariminum obſidio, & in Picentibus Græcorum motus illum turbauere. Igitur vocatis in concilium ducibus non modò ſuis, ſed & Burgundionum & Francorum, deliberabat.

Siſualdus multa Gothis facilè adimit.

Seditiq; ſententia, vt quemadmodum Narſes non vno loco, ſed diuerſis ſparſas haberet vires, ipſe quoq; diuiſis prouincijs res erigeret turbatas. Socijs ducibus negotium dat Siſualdo occurrendi: ipſe cum ſuis Gothis Italiam ſumit contuendam. Et primùm quidem Arimino ſubuenire ſtatuit: ſed id occultiſſimum habuit, etiam in quibus ſecretiſſima communicabat, ne quā permanaret ad Valerianum. Igitur in Etruriam ire contendit. Riſiſſe fertur Valerianus, quum audiret quòd tātum exercitum in retia duceret: arbitratus ibi tantas Græcorum vires, vt facilè illum intercíperent. Sed Teias inopinatus Bononiæ appropinquauit. Qua ex re territus, riſum vertit in verū timorem: & prius quàm proſpiceret, adfuit Arimino. Ioannes Fagos, qui obſederat, certior factus de aduētu regis, ceſſit in montes. Teias Ariminum ingreſſus, ſuos confirmauit. Inde caſtra intra Cęſenam & Ariminū poſuit ad amnem, vt vtranq; tueretur vrbem. Ioannes in idipſum intentus, ſi poſſet Cæſenam capere, tempora obſeruabat. At Teias illum præueniens, eò duxit: oppugnauitq; infœlici rebus ſuis cōſilio, ibi terens tempora, quibus in Picentes ante brumam (quæ imminebat) ducere potuiſſet. Nam cecidit inde tam magna nix, quanta ab hominū memoria vix viſa: quæ terram diu tegebat, vt equi culminibus alerentur domorum.
Niuis inuſitata copia.

Cap. 25.

Interim qui in Picentibus præerat Gothorum rebus, omnia ferme oppida pro Imperatore cepit. Teias autem magna iumentorum ſuorum perdita parte, & reliqua inualida, non ante ſummum æſtatis in Picentes peruenit, quum hyemem totam ad Cæſenam perdidiſſet. Narſes tam longā ab hoſte nactus quietem, omnes in Campania vrbes, præter Cumas recepit: multas in Lucanis, plures in Brutijs per duces ſuos. Ipſe interim Romæ manens, reparationi vrbis, & ciuium reuocationi, atq; vrbi implendæ totus incubuit. Narſes inter cæterā prædam, mulieres aliquot Gothorum nobiles, in poteſtatem accepit. Inter quas erat præcipua quædam Totilæ propinqua, quæ rem miram Narſeti aperuit, Totilam theſaurum ſuum binis locis conſtituiſſe: Papiæ (quam partē Teias tulit) & Cumis in arcem, cui etiam tunc Totilæ frater præerat aſſeruandæ. Narſes eò miſit magnam copiarum partem, ad expugnandam Cumarum arcem. At dum rebus ſuis Teias ſtrenuè in Etruria atq; Picentibus intēderet, ſocij bello duces, in citeriore ab vrbe Gallia, non eodem animo geſſere. Siſualdus Eporediam vrbem cepit: Taurinum diu fruſtra obſedit: nemo illi ſe ex animo obiecit. Poſt interualla ſecretò inter ſe collocuti Siſualdus, & Burgundionum duces & Francorum, in aperto quidem hoſtilitatem prætulerunt: ſed reuera prouincias ad prædam inuicem ſunt partiti, tam eas quæ Gothis, quàm quæ Imperatori parebant. Deinde Cumis obſeſſis Teias opem ferre properauit, quòd theſauros ibi reconditos non ignoraret.
Vtrorumq; ſocij præuaricatione res ſuas agunt.

Cap. 26.

Ad Nuceriam ex itinere obſidendam Teias diuertit. Ea etſi in partibus non eſſet, ſibi tamē applicare conatus eſt. Deditam accepit antequam Narſes aduentaret. Qui multum momenti in ducum fortuna cōſtituens, totis cum Gothis virib. confligere ſtatuit: nec detrectauit Gothus. Propinquis locis, ſolo amne Tanrilo interueniente, caſtra fixerunt. Per ripam leuia ſagittarij ſæpe prælia faciebant: & erant ipſi ſibi inuicem duces timori, quòd magnis vterq; viribus niteretur. Hoc erat Gothus ſecundior, quòd pontem, qui ſolus erat in flumine, in poteſtate haberet præſidio munitum. At Narſes facilitate inuehendorum cōmeatuum præualebat. Nam Teiæ naues, quæ commeatus inueherent, partim procellis, partim hoſtibus euerſæ ſunt: vt niſi terra quā inſederat, maturas præbuiſſet fruges, fame laboraret. Abſumptis autem illis, pabulatores longè abibant: ſæpe hoſtium inſidias inciderunt. Quæ res in cōcilio deliberāres retro ad montes abire coegit: non tamen ab amne diuerſi. Secutus Narſes, ſub ipſis montibus caſtra fixit, certus Gothos duriorē ibi famem experturos. Quumq; illa perurgeret, ſtatuunt in aciem deſcendētes confligere: expectabant id alacres Narſetis milites. Gothi ſignis prælatis, & iumētis in monte relictis, quadrato agmine incurrentes ab alto deſcendunt. Et primo quidem impetu Narſetis milites loco pellunt, adiuti montis decliuitate. At Græci collectis animis redeunt in prælium, acriter decertantes. Erat p̄lium hoc non modò ferox, ſed & inhumanum, quum nullus hoſtis caperetur, ſed omnes paſſim obſtātes trucidauere. Teias optimi Imp. & fortiſſimi militis vnà operam fecit: in medio, in cornibus (vbi
Duo hoſtium exercitus proximi.
Internecino prælio Teias cadit.

pugnans aderat) ſuos recreauerat. Iam clypeum ſagittis plenum mutare volebat: quum obuerſo latere alium poteret, nouum ſumpturus, allapſa ſagitta latus perfodit. Ita rex cadit. Gothi tamen ordines ſeruauere pugnandi, iam mitius occidentes, quaſi manu pacem flagitarent. Sed protractum eſt prælium in noctem. Luce orta, iiſdem animis reditur in prælium: Græci gentem delere, Gothi ſeſe tueri annitebantur. Aliquando Gothorum de parte pacis mentio fiebat: ſed Narſes & optimates diſſimulauere. Is etiam dies penè conſumptus eſt prælio, quum Narſes, ſuis potius quàm Gothis parcens, de pace audiuit. Leges hæ ab victore dicebantur, vt Gothi ſuas quiſq; in ciuitates non redirent, priuſquam illæ in manibus eſſent Imperatoris. Erant enim intra LXXII. annos, ab introitu Theodorici, omnes in Italia geniti. Interea omnes Gothi in Etruria & Paduana regione arma deponerent, nô antea reſumpturi quàm ab magiſtratibus vrbis Romæ iuberentur. Ex hoc die Oſtrogothorum nomen euanuit, omnibus (vt erant in ea regione nati) ſe gerentibus pro Italicis. In quam rem multum iuuit nouæ nationis non diu pòſt Longobardorum in Italiam ingreſſus: quem in Dania plenius deſcripſimus.

Oſtrogothorum nomen extinctum.

CAP. 27. PROFLIGATA maximo illo apud Nuceriam prælio Gothorum gente, quum rex ipſe cecidiſſet, & ſuperſtites Gothi leges ſubiſſent victoris: Narſes ad debellandas reliquias, & ad reſiduas vrbes, in quibus erãt Gothorum præſidia, recipiendas, duces ſuos miſit, qui Forum Cornelij, & Lucam obſederunt. Gothi cũ ſocijs Francis & Burgundionibus opem ferre ſuis laborantibus ſtatuere: at Narſetis duces eorum præuenere conſilia. Dagiſteus erat ex Græcis copiarum ductor egregius, qui quantis potuit copijs ſe obiecit hoſtibus ad Bononiam concurrentibus. Nam Luca & forũ Cornelij iam deditæ Imperatori fuere. In hoc exercitu ſpes omnis Gothorum. Concurſum eſt totis agminibus, magno ardore animorum. Gothi fremẽtes, indignanteſq́;, aut ditionem recuperare, aut fortiter interire ſtatuerunt. Igitur incompoſitis ordinibus circumfuſi hoſtibus pugnauerunt. Oppreſſiſſentq́; Græcos, niſi illi ſeruatis ordinibus diſciplinæ militari inſtitiſſent. Itaq; impetus in currẽtium primò ſuſtinuere, inde etiam repulere, & ſine ordinibus pugnantes in fugam vertere. Cæſus vnus ex ducibus exterorum, cæteri Placentiam confugere. Illi cõmuni placito non iam regem, ſed ducem ex Gothis creauere Widitim. Franci cum Gothis & Burgũdionibus nouum ducem Veronam perduxere. Id veritus Dagiſteus, quantò celerius potuit Pado trãſmiſſo, in Veronam duxit. Ergo venientes cum duce ſuo Gothi Veronam non ſunt intromiſſi, ne tantam molem belli in ſe verterent. Redire ſtatuunt Papiam. Sed interclusis vndiq; vijs, quum vbiq; Dagiſteus adeſſet, antequam deliberarent quid fieri cõgrueret, a ſuperueniente hoſte opprimuntur. Captus dux Narſeti mittitur, ab illo Conſtantinopolim. Alij ex ducibus, vnus febre correptus interijt, quum Germaniam petiſſet: alius à victore interficitur. Siſualdus captus, trabe pepẽdit ab alta, propter perfidiam. Dagiſteus reliqua Gothorum oppida in deditionem accepit: & illis legibus, quibus apud Nuceriam, cæteris Gothis vitam & res permiſit. Ita decimo octauo anno poſtquam cœptum eſt hoc Gothicum in Italia bellum, per Narſetem hoc modo terminatum eſt: quum amiſſo Gothico nomine, gens illa Italis intermixta, in eam tota tranſijt nationem.

Græci Dagiſteo duce Gothos profligant.

Widitis dux, nõ rex, Gothorum, vltimã cladem genteis accepit.

CAP. 28. WISIGOTHORVM in Hiſpania nomen & regnum diuturnius, ex eo loco quem nouiſſimè attigimus, repetamus. Tendigiſlaus Wiſigothis nô amplius duobus annis imperauit, cui mox in regnũ ſurrogatur Ageſilan, per annos nouẽ. Quo tempore in Italia (quod proximè diximus) Totilas Oſtrogothorum rex, Italiam cõtra Belliſarium defendit. Quid verò rerum hic rex geſſerit, nô tenemus, quum nulli annales, nulla extent ſcriptorum monimẽta. Vnum hoc ſatis magnum eſt, quòd inter immenſos gentis ſuæ populos ac reges fortes, regnum tenuerit incolume. Et niſi Francorũ reges illa tempeſtate, Hildericus & Clotarius, plus quàm ciuilia bella tenuiſſent, quòd fraternis inter ſe odijs ſæpe confligerent, non ſiuiſſent Gothorum regem Arrianum in pace & trãquillitate agere. Sed domeſtica mala ſicut nunc, ita & tunc, reges implicarũt, adeò vt Chriſti honorẽ, quem omnibus preponere Chriſtianos par eſſet, cogantur poſthabere. Hic tamen quum in gente ſua inſolenter regnum ageret, victus à ſucceſſore, regno deceſſit. Alij ferunt, in conuiuio trucidatum,

Suprà c. 8.

tum, quod ex more gentis proceribus exhibebat.

Cap. 29

ATANAGILDVS Ageſilanti regno ſurrogatur, victus ab illo Romanorum (vt ferunt) auxilio. Narſes enim, extincto in Italia Oſtrogothorũ regno, quum omnem regionem Imperatori denuo ſubieciſſet, ex Romani ſenatus decreto præſidem dedit prouinciǽ Gallicanæ. Quæ diu fuit & permanſit in Romanorum ditione: & adhuc ſeruat nomen, vt Prouincia dicatur, appropriato ſibi nomine, quod habent omnes tributo ſubactæ regiones cõmune. In hanc ergo prouinciam Narſes miſit Amatum patricium, ciuem Romanum, declarans prouinciæ Narbonenſis Aniciensiſq;, & Romanæ, & Alpium præfectum. Copias illi attribuit, quibus & illam tutaretur prouinciam: & illa in parte aduerſus Francos, Burgundiones & Wiſigothos, clauſtra Italiæ cõmuniret. Huius ergo præfecti Romani auxilio, Atanagildus anteceſſorem ſuum regno inſoleſcentem vicit, eiq; in regnũ ſucceſſit: quod tenuit per annos duos & viginti. Iuuat hoc in loco Blondi ſententiam inſerere, quam de hac gente cum Alanis coalita fouet. Verba illius ponenda ſunt. Ea, inquit, longæ pacis quiete, Wiſigothis Hiſpanias, citeriorem vlterioremq; pacatiſſimas habentibus, Alani cũ Wiſigothis ita coaluerunt, vt in illius gentis nomen ſuum ſenſim cõfuderint, atq; amiſerint. Eos enim Alanos oſtẽdimus noluiſſe cum Wandalis in Aphricam nauigare: & poſtea pulſos à Sebaſtiano, Valẽtiniani Imperatoris duce, ex Bætica (quam ſperauerant retinere) ad Wiſigothos cõfugiſſe. Qui ducentes eos ſuſpectos, nunquam ſimul in vno ſecũ loco habere ſtatiua permiſerunt: imò ne vnquam poſſent aut per ſeipſos rebellare, aut in Wandalos (gentem amicam) reſpicere, continuerunt illos in Hiſpania citeriore. Qua ex populorũ mixtura facta eſt, quæ ætate etiam noſtra permanet, gentis vtriuſq; nominis compoſitio. Et qui eo modo incoluerunt citeriorem Hiſpaniam Gothi & Alani, nunc dicuntur corrupto vocabulo Catalani, gens profectò ferociæ illius, quæ generi ſuo in omnibus reſpondeat. Et ſiue caſu factum ſit, ſiue ex ingenio, bene habet, quòd primam compoſito in nomine obtinet partem Gothica gens præſtantior, quæ & Romam capere potuerit florentiſſimã, & capta paulò pòſt Hiſpaniæ regna, mille iam annos ſupraq; (licet aliquando minus integrè) conſeruauerit. Hæc ſi vera ſint non laboro, quum Catalanos habitare vbi caput eſt regionis Valentia, plurimi contendant: & Hiſpaniæ regna poſt Gothos ſæpe mutarint dominos, præſertim paulò ante Carolum Magnum, occupata omni prouincia per Sarracenos: ſed hæc alibi plenius tractata.

Prouincia, quæ hodieq; in Gallico regno dicitur.

Blondi locus.

Catalani cur appellati.

Cap. 30.

LENIGILDVS inde regno ſuccedit cum fratre Lemnia, per annos aliquot. Quo vita functo, ſedecim annis ſolus regnum tenuit, præter religionis cauſam, rex optimus. Nam Arrianam hæreſim pertinaciſſimè defendit. Hic rebellantes Hiſpaniæ ciuitates bello perdomuit, vt colla ſubmitterent. Sed (vt diximus) perfidiæ Arrianæ hic erat promptiſſimus defenſor. Filium habebat Ermigildum, cui vxorem acceperat de domo Franciæ Ingundem, germanam Francorum regis Hilderici. Grauiter tulit cordata fœmina virum ferre in religione diuerſum: & ſalutis eius percupida, egit cum Leandro pontifice, vt maritum ſuum regium iuuenem inuiſere, ſecumq; de vera religione tractare dignaretur. Inuitatus religioſus pontifex, non cunctanter annuit pietatis obire miniſterium, quod ille per quamcunq; occaſionem diu quæſiſſet. Conferens ergo cum illo de vera religione, oſtendit impietatem ex ſcripturis Arrianæ perfidiæ: & egit vſqueadeo, vt iuuenem volentem Chriſto lucraretur. Senſit ergo de Chriſto cum catholica eccleſia Ermigildus. Quod pater vbi comperit, filium ferro vinciri iubet, & in carcerem protrahi. Erat ſacræ dominicæ reſurrectionis nox, ab inferis Lucifero ſurgente illuſtrata: quum rex impius, recordatus filij in carcere deliteſcentis, excanduit, inſtigante malorum omnium incentore diabolo: & miſſo in locum ſpiculatore, optimum iuuenem ſecuri percuſſum, Chriſto martyrem precioſum conſecrauit. Vxor occiſi, cruentam regis iram abominata, fugiens cum paruulo filio, incidit in manus militum Romanorum, quos tunc Mauricius Imp. per quamcunque occaſionem in Gallijs haberet. Capta in Siciliam perducitur, vt inde Conſtantinopolim ad Imperatorem pro obſide mitteretur. Non tulit tenera fœmina militaris feſtinationis incommoda: & nauigationis inſueta, vix terram tetigit Siciliæ: & ineuitabili morbo correpta,

Lenigildus filiũ, ab Arrianiſmo vxoris opera abductum, necat.

vltimum ſpiritum Deo reddidit. Filium eius Imperatori deducũt. Mox Hildebertus, quem alij ſcribunt Hildericum, vt iniuriam ſororis vindicet, exercitum cõparat: mouetq́; in Hiſpaniam, regem Lenigildũ petens: nec ſegnior ille occurrit. Magna vtrinq; animorũ contentione prælium initur, feruent odia: & Francis quidem pietas ipſa ſtimulos præbet. Cadunt vtrinque plurimi, ſed ex Gothis pars maxima: nec alia res, quàm iuſti doloris vindicta quæſita eſt. Inde Imp. Mauricius Hildericũ vocat in Italiam, vt Longobardis (quod inter eos conuenerat) confligat. Miſit enim pridem ingentem vim auri, vt in eam militiam regem obligaret. Et primus quidem conatus irritus fuit. Nunc eò libentius eò cõtendit, quòd germanam, quam adhuc viuere credebat, cum filio eſſet recepturus. Igitur exercitu quanto potuit maximo conſcripto, Alemannos in ſocietatem belli deuocauit, & iam agminibus magnis contendit in Italiam. Sed orta inter Francos & Alemannos graui contentione, quæ ad arma ſpectabat, Alemanni cum ſuo agmine diſceſſere in patriam: irritamq́; fecerunt tantam regis molitionem.

CAP. 31.

Richardus cum ſuis ad fidē catholicam tranſit.

RICHARDVS, alter ex filijs, patri ſurrogatur in regnum. Is fraternos ſecum caſus voluens, perſpiciensq́; omnem circa ſe Chriſtianiſmũ, aliud ac ſe cum gente ſua ſentire de Chriſto Domino, effecit vt Synodus LXXII. epiſcoporũ per Franciam Italiamq́; conuocaretur: inter quos de religione, deq́; æterna Chriſti diuinitate cõſtitueretur, quid ſentire oporteat. Ibi Leander Hiſpalenſis epiſcopus, vir fide catholicus, & in lege Dei exercitatiſſimus, ſimul etiam in ſcripturis doctiſſimus, diſſerẽs, adeò confutauit ſectam Arrianã, vt Richardus ipſe cum proceribus & omni gente ſua, renunciaret paterno & gentili errori, ſeq́; cæteris per catholicam eccleſiam fidelibus religione & fide conformaret. Quæ res per omnes Gallias & Italiam gaudio plena, Gothorum nomen altius extulit, quàm prioribus annis vlla potuerint arma. Hoc ergo iacto fundamento ad æternam ſalutem, rex ille temporum tranquillitatem promeruit: poſt annos regni ſui quindecim, hinc ad meliora tranſiens.

CAP. 32.

BECTERICVS poſt illũ potitus eſt regno, *Filius, ánne aliquis magna de ſtirpe nepotum*, incertum eſt. Neq; memorabilium rerum aliquid traditur ſub eo geſtarum, niſi quòd annis ſeptem regno præfuerit. Vero ſimile eſt, tranquilla nactum tempora, nihil præter nomen & regni tẽpora, ex illius rebus eſſe miſſum in annales. Quãuis hoc ipſum magnũ ſit, & annotatione dignum, ſi illa ſit æquitas & moderatio regum, vt neq; intus tumultus, aut foris bella patiantur. Per eius tamen tẽpora Taxilo rex Boiariorũ conſtituitur, annitente Auſtraſiorum rege, qui tum in Metẽſibus & vicinis Alemannorum prouincijs dominaretur, Francis latè tum imperantibus.

CAP. 33.

SISEBODVS illi ſurrogatus, fœliciter per multa tempora regnabat: peruenit enim regnum eius ad annos vſq; XXIX. Multa eius & præclara fuere facinora. Erexerant animos in libertatem quidam ex ijs vrbibus, quas in ea regione ſuæ ditionis fecerant Wiſigothi: ſpem dabant Romani præſides, qui prouinciam Narbonenſem tenuere. At hic rex contracta ſuorum valida manu, eas ad priſtinam redegit obedientiam. Nec contentus ea victoria, in omnes eos qui labori huic cauſam præbuere, duxit exercitum: & poſt multa quæ inuicem luctantes fecere prælia, variantem diu fortunã ſuperans, ſuperior factus, Romanis ducibus retro pulſis, eam prouinciam ſuæ fecerat ditionis. Qua in re vnum erat præcipuum regis Chriſtiani factum, quòd Iudæos ea in regione multos demorãtes, coegit aut poſſeſſione rerum cedere, aut Chriſti ſacra ſubire. Quæ res illi magnũ diu nomen apud poſteros parturiuit, vt regum omnium ſui temporis clariſſimus diceretur.

Siſebodus rebelles domat, & Iudæos ad Chriſtũ adducit.

CAP. 34.

SINTILAM poſt hunc regno præficiunt Wiſigothi. Cuius præclara nulla memorantur facinora, quòd breui tempore regnauit, (nam regnum eius vix impleuit bienniũ) cæſus in medio populi ſui. Quæ res inſolentiam eius oſtendit. Malus enim diuturnitatis cuſtos eſt metus. Nam quem quiſq; timet, periſſe cupit. Quem verò oderunt multi, non eſt facile diu ſupereſſe, quòd à plurimis obſeruetur luminibus.

CAP. 35.

Vaſconia ſub Francicum ſceptrũ venit.

SISENANDVS hunc regno inſequitur, ad quod peruenit, annitente maximè Dagoberto Francorum rege: tenuitq́; regnum annis XX. Ea tempeſtate Vaſconia, quam dudum Gothi tenuerant, Frãcorum regibus ceſſit. Nam fratrem ſuum Aribertum ea prouincia Dagobertus donauit. Et quum mortuo Ariberto Vaſcones ſe

ab Francorum obedientia retraxiſſent, magno bello preſſi, redire ad priſtina iuga compelluntur. Vnde perſpicuum eſt, Dagoberti nomen ea tempeſtate Gothis fuiſſe terrificum. Indeq́; minus cõuenit admirari, ſi ex eius voluntate regem ſibi Gothi conſciuerint.

CHVTILAN Siſenando ſubſtituitur in regno, quod per annos XVI. fertur tenuiſſe, eo tempore, quo regnũ Franciæ Theodoricus teneret, Clodouæi filius. Iam eò peruentum fuit, vt omnis adminiſtratio Francorum apud maiores domus eſſet, in rege autem inane nomen. Vnde factum eſt, vt contendentibus de prioratu aut de maioritate domus, hoc eſt de adminiſtratione regni, Ebruino atque Wlfoaldo: quum Ebruinus pro Theodorico regnum gubernare contenderet, Wlfoaldus autem pro Hilderico Auſtraſiorum rege, (quę tum fuit proxima regi Francorum poteſtas) ſuperabat tum Wlfoaldus: & capto Ebruino, tonſoratum detruſit in monaſterium Luxouienſe: Theodoricum regem ſimili ſorte concluſit in monaſterio S. Dionyſij. Quæ contentio plus quam ciuilis, effecit vt Chutilan Wiſigothorum rex tranquilla tempora haberet, verſis in ſe per mutua arma Francis. CAP.36.

Franci bello ciuili laborant.

TOLGAN Chutilanis erat filius, qui patre mortuo, admodum puer peruenit ad regnum. Sed non fuit ea temporum cõditio, vt Gothi puerum dominari ſinerent. Propterea tonſoratus, poſtquã annis quatuor præfuit, detruſus eſt in monaſterium. Hoc genus deſtitutionis clementius imitati ſunt Gothi, quod in Francis & Græcis Imperatoribus vſu probatum accepiſſent. Per quæ tempora quum Hildericus rex in venatione caderet, coniurantibus in eum proceribus, quòd ferox iuuenis in eos non ex more nobilitatis ſæuiret. Quo cadente, Theodoricus monaſterio eductus, ad regnum ſublimatur. Ebruinus contemni ſe videns, quòd alius ſe præterito præficeretur palatio, quẽdam ſub imagine quòd filius Lotharij diceretur, regem nititur conſtituere. Multiſq́; ad ſe concurrentibus, exercitum non contemnendũ adunauit. Cernens Theodoricus Ebruini potentiam, fide publica interpoſita, accerſitum aulæ ſuæ præfecit. Ille autem premens alto corde dolorem, pacem ſimulauit, donec occaſionem acciperet eius trucidandi, quem proceres antè præfeciſſent aulæ: & alium iterum Martinũ, virum primatium, qui ſe cum Pipino Breui Ebruino obiecerat, vocatum interfecit. Paſſus tamẽ eſt ille quod fecerat, occiſus & ipſe per dolum. Quibus (vt dixi) temporibus, in ſe verſi Franci, tranquilla tempora Gothis dedere, quãdiu ciuilibus armis ſe non immiſcerent. Sed hæc infrà plenius explicabuntur. CAP.37.

Monachatus non ex voto ſuſceptus, ſed nolenti impoſitus.

CHINTASINDVS, puero (vt diximus) tonſorato, ad regnum volentibus proceribus peruenit: quod annos tenuit viginti. Quo tempore adhuc viguit in Francis de maioritate diſſenſio. Nam Anſigiſus, Pipini Breuis pater, quem proceres, prætérito Ebruino, aulæ præfecerant, à Gunduino, qui ſtuderet Ebruino, perimitur indigna morte: quem ille multis ac magnis muneribus affeciſſet. Repertitius erat infans Gunduinus: ab Anſigiſo excipitur, ad baptiſmi gratiam illo adnitente perducitur, manibus eius ſuſtinetur, affectu filij ab illo educatur, & ad maximos militiæ honores per eundem prouehitur. Nunc illum, malè gratus, manu ſua perimit. Sed Pipinus filius, accito Martino ex ducibus primario, bello aduerſus Ebruinum inſurgit. In quo victi fugam ineunt Pipinus atq; Martinus. Ebruinus autem euocatũ poſtea Martinum perdit. At quum Ebruinus verſus in ſuperbiam, acerbè proceres haberet, Heruenfridus Neuſtriæ primarius, illum peruicit, cõfugiens ad Pipinum. Pro occiſo autem Ebruino, Waraco maior domus conſtituitur. Pipinus autem ſemel acceptam dignitatem fortiter defendit. Nam Giſlemarum Waraconis filium bello ſuperat, & ille cum parente Breui cõceſſit in fata. Bertarius autem gener Waraconis, dignitatem maioratus aduerſus Pipinum, fauente ſibi rege Theodorico, defendit. Pipinus autem & regi & Bertario ſe opponit, vtrunq; ſuſtinens in bello. Et quidem graui prælio commiſſo Bertarius opprimitur, rex ipſe capitur. Iam ſine controuerſia maior domus factus, Franciæ ſtatum in meliora reponit. Quam rem ideo ſumus proſecuti, quòd propria Wiſigothorum facinora non tenemus. Nam & ex hac propagine natus eſt Carolus omnium clariſſimus, cuius in alijs noſtris deſcriptionibus præclara monimenta recolimus. CAP.38.

Domeſtica Francorum certamina.

FLAVIVS Reſcindendus, patre ob ſenium dimittente regnum, adhuc viuen- CAP.39.

ti ſuccedit. Peruenit iſte ad calamitoſa tempora, quibus Sarraceni magna parte Aſiæ in ſuam ditionem redacta, ex Ægypto Aphricam omnem occupauere: & ex illa tranſmittẽtes, in Hiſpaniam venere, Abdirama duce, circa annũ Domini ſeptingenteſimum decimum. Hi Wiſigothorum regnum, Sueuorumq́ꝫ ſub illis (vt ſuprà commemorauimus) degentium, ſuſtulerunt, vt vix tenuis quædam portio (quam ducatum Aquitaniæ dixerunt) illis remaneret. Finitum hoc tempore regnũ, quod annis plus quàm trecentis in Hiſpanijs Gothi tenuere, hi quos Wiſigothos, hoc eſt Occidentales, dixere, non ob eam cauſam, quòd in occidua mundi parte (in Hiſpania) regnarent: ſed quia hoc nomen ad Danubium renouatum, ex primæua ſua patria Suecia ſecum extulere: vbi hodie quoq; diſcrimen eſt Orientalium & Occidẽtalium Gothorum. Ex prima autem illorum de Suecia egreſſione, ad hęc vſq; tempora Leonis Imperatoris, paulò minus annorũ ad duo millia ducenta (quibus gens iſta primùm ad Cimmerium Boſphorum, inde ad mare Põticum, poſtea in Thracia atq; Mœſia, inde ad ripam Danubij, iterũ in Thracijs, poſtea per Italiam & Hiſpanias, rex maximas regnis conſtitutis peregerunt) computantur.

710. Wiſigothorum regnũ à Sarracenis deletur.

Cap. 40. E V D O non iam rex, ſed Gothorum dux, in anguſtum inde à Sarracenis, hinc verò à Francis arctatus, rebus præfuit labore plurimo. In Francis tum rem adminiſtrabat Carolus Martellus, vir ad arma natus, Pipini Breuis filius: & quẽ niſi illo ſeculo fata dediſſent, Sarraceni ſicut Hiſpanias, ita Galliam quoq; omnẽ ditione tenuiſſent. Emerſiſſe ferunt adoleſcẽtem hoc modo: Cõuentus erat omnis per Franciam nobilitatis: & poſt feria quæ agebantur, ludi militares ex more agebantur. Incurrerãt infeſtis inuicẽ haſtis, ſociali (vt vocãt) haſtiludio. Martellus ad eum diem incognitus, & qui nullo precio eſſet apud cæteros, furua veſte, & armis omnibus in atrũ deformatis, in clypeo tres martellos ſimili colore præferebat. Tectus venit in æquor, tectus occurrit obuius omnibus: & quẽcunq; illi ſors obijceret, ſine diſcrimine proſtrauit. Verſi omnium oculi in atrum militem, curioſi quærebant omnes, quis ille eſſet. Nec facilè inuentus eſt qui diceret, cunctis æquè ignorãtibus. Ad poſtulata virginũ ac dominarum galeam detraxit, & inuẽtus eſt Carolus Pipini Breuis filius: inde cognomen mutuatus, vt Martellus diceretur. Veruntamen quamuis Sarraceni, gens impuriſſima, latè tunc (permittẽte Deo) imperium ſuum propagaſſent. Cantabri tamen & Aſtures, qui nouiſſimi in ditionem Romanorum cõceſſerunt, ita labente Romano imperio, ſoli ſe armis, protegente fide Chriſti, tutati ſunt, vt neq; primùm Gothis, nec deinde Sarracenis vnquã ceſſerint. Hæc eſt quæ nunc Gallicia dicitur, gens hominũ inuictiſſimum. Sed ad Eudonẽ reuertamur. Quum is eſſet rerum ſtatus in Francia, vt Dagoberto ſecundo, Childeberti regis filio, regium nomen tenente, Plectrudis relicta Pipini Breuis, pro filio paruulo Theobaldo res regni adminiſtraret, Carolumq́ꝫ Martellũ, prioris matrimonij Pipini filium, iuuenem ſtrenuum, in vinculis haberet Colonia: Dagobertus morte ſubtrahitur, & Martellus vinculis elabitur. Interim Franci quũ alium præfeciſſent aulæ, & regium ſemen non haberent, Danielem quendam ſacerdotem, quòd bonæ exiſtimationis eſſet, appellatum Chilpericum, capillo & barba promiſſis, regem ſalutauere. Martellus autem Clotarium quendam, regij ſanguinis virum, ipſe regem conſtituit. Ita duobus regibus, duobus etiam domus maioribus, res ad pugnã peruenit. Chilpericus Ranfredum maiorem, & Friſonum ducem, ſuarum partium habuit propugnatores. At Martellus cum idolo ſuo delectum militum habens, ſe ad prælium cõparauit. Inita pugna ceſſit Martellus: at renouato prlio, victor fugat Chilpericum. Eum fugientem Eudo Gothus, quòd in acie illi auxilium tuliſſet, exceptũ, ſecum perduxit in Vaſconiam. Martellus autem Ranfredum Andegauiam petẽtem, cum ciuitate in deditionem accepit. Clotarius vita decedit. Tum Martellus miſſis in Vaſconiam ad Eudonem legatis, Chilpericũ repoſcit ad regnum: ille fidei illius cõmendatũ remittit. Non tamen diu ſuperſtes erat. Quin rebus excedẽs humanis, Theodoricum Dagoberti filium, cunctis in cõmune proceribus hoc approbantibus, habuit regni ſucceſſorem. Sed rerum omnium adminiſtrator Martellus erat. Interea dum idem Martellus per Germaniam (cui ex longa ſucceſſione regũ Franciæ præerat) primùm Sueuis, inde Boiaris, poſtea etiam Saxonibus domitis, omnia proſpe-

Carol⁹ Martellus quomodo emerſerit.

Cantabri libertatem ſemper egregiè tutati ſunt.

Duo in Frãcia regium nomen ſumentes ferro decernũt.

rèq́ꝫ eſ-

rè geſſiſſet: vertere arma conſtituit in eundem Gothũ, memor quòd ille prioribus ipſi annis reſtitiſſet. Eudo viribus impar tanto hoſti, (quòd omnes in ſe Germanorum & Gallorum vires vidiſſet conuerſas) auxilium vndecunq; poſtulauit: etiam ad barathrum iuſtæ defenſionis præſidium euocaſſet. Itaq; Abdiramã regem Sarracenorum in Hiſpanijs regnantem, ſuæ defenſioni prætendit. Magnis vtrinq; conatibus bellum paratur: acerrimis odijs concurritur, quòd indignaretur Martellus Chriſtianorum hoſtem à Chriſtiano principe inuocatum. Tantis viribus concurritur, vt confecto prælio, quum victoria apud Martellum eſſet, plus quàm trecenta Sarracenorum millia in ea pugna cæſa inuenirentur. Solet enim ea gens vſq; hodie, non tam induſtria quàm multitudine pugnantiũ fidere. Congeſtis ſpolijs Martellus milites ſuos donat. Sed proceres viribus exhauſti, queruntur, per crebra & longinqua diuturnaq; bella ita ſe exhauſtos, vt niſi inſigni aliqua principis prouidẽtia adiuuarentur, actum de illis eſſet: tantum æris alieni conflatum, vt ſuis facultatibus nullus eſſet exitus. Motum Carolum ferunt ſuaſiſſe pontificibus, ſinerent cleri decimam, quandiu bella aduerſus Chriſti hoſtes gererentur, proceribus. Illũ quàm ſanctè iuraſſe, ſi viueret, magnificè omnia clero repenſurum. Eudo (quo vocante Abdiramas in Franciam demigraſſet) Martello reconciliatus, magnam cladem in eos qui ſuperfuere hoſtes, fecit. Breui autem rebus excedens humanis, quum filios non reliquiſſet, Carolus prouinciam ſuæ fecit ditionis.

Sarracenorũ CCC M. vno prælio cæſa.

Prouincia Frãcia iuncta.

ALBERTI KRANTZII

SVECIÆ LIB. V.

EX ſecundo rerum Sueticarum libro digreſſi, proſecuti ſumus Gothorum (quæ huius gentis portio eſt) præclara facinora, per reſiduã ſecundi libri partem, & duobus proximis executi: quæ Gothica gens per Thracias & Pannonias, per Illyricum & Italiam geſſerit, inde egreſſa in Gallias & Hiſpanias, quæ regna fundarit tenueritq́;, vſq; ad tempora Caroli Martelli (qui auus erat Caroli Magni Francorum regis, & deinde Romani Imperatoris) explicuimus. Res autem Sueticas per annos trecentos & amplius, aut inuidit nobis antiquitas, aut ſubduxit: nihil enim in literas relatum eſt de eis. Quam nos defectionem Gothicis rebus compenſauimus iam dudum commemoratis. Sed quum illi regno in Gallijs & Hiſpanijs finis ſit factus per Carolum Martellum, tandem in Sueciam redeuntes, exequamur quæ nobis ad illa tempora ſunt ad cognoſcendum relicta. Fatemur tamen non vſqueadeo deletam Gothorum in Hiſpanijs memoriam, quin etiam poſt ea tẽpora diu perſeuerauerit apud Barchinonem clarum gentis vocabulum. Sed (vt ſunt rerum omnium certi limites) gens gẽtem perculit, & nomen eius poſteritas intermittit, ſuccreſcẽtibus nouis vbiq; regnis. Quod enim Gothi in Hiſpania fecere Romanis, hoc ipſum paſſi ſunt primùm à Sarracenis, & deinde à Francis. Inter quas gentes coanguſtati Gothi, paulatim vires amiſere, & ex regio nomine ad ducalem principatum deſcenderunt: ex illo autem paulatim etiam imminuti, cum viribus nomen diu ſeruatũ amiſere. Sed in patria prouincia ſemper vſque in hodiernum tenuerunt, nullo facto diſcrimine inter Sueticam & Gothicam adminiſtrationem. Ex hoc enim tempore Gothi, qui in ſua ſemper patria perſtitere, Sueciæ regno adunati, vnis legibus & ſceptris ſemper paruerunt. Igitur valefacto forenſibus Gothorum rebus, ad Sueticas ex hoc tempore commemorandas ſtylum vertamus.

Superiorũ epilogus.

Gothorum in Hiſpania nomen extinctum.

CAP. I.

Fro rex libidinoſus.

QVVM Romano imperio Ludouicus, Caroli Magni filius præſideret, Sueciæ regnum tenuit rex, cui nomen erat Fro. Huic bellum erat cum Siwardo Noruagiæ rege, incertum quibus ex cauſis. Sed exitus oſtendit intemperantem fuiſſe libidinis hunc Sueciæ regem. Vnde facilè conijcimus, ob petitas nuptias, aut denegatam amoris ſui copiam, bellum exercuiſſe: vt erat crebra illa gentium Borealium, priuſ-

quam Chriſto crederent, belligerãdi materia. Sueciæ igitur rex Fro, magno animi ardore, armatas copias duxit in Noruagiã. Collatisq; aciebus, victor Suecus, Noruagiæ regem oppreſſit: & regno per vim occupato, laxauit fræna libidini, regiasq; fœminas quotquot deprehendit, conſtuprauit. Ingemuere proceres. Quid verò facerent victori? Cuius armis ceſſerunt, eius imperia tolerare neceſſe fuit. Reſpexere tamen Daniæ regem Regnerum, adoleſcentem ab armis, ſed feruentem ad vindictam patriæ regionis: erat enim illi maternum genus ex Noruagia. Imploratus ille venit, oppreſſis futurus auxilio.

Exercitus muliebris.

Nobiles fœminæ, aut iniuriam paſſæ, aut quæ formidauere, venienti Danorum regi armatæ occurrũt. Nec enim tum primùm in ea prouincia armari fœminarum agmina audiebãtur: vetus illud fuit in gente. Quod in Dania, & Noruagia, & ſupra in his Sueuicis rebus aliquoties oſtẽdimus. Collatæ acies pugnauerunt: inſignis erat virtus fœminarum. Et tum temerator nuptiarum Fro rex oppreſſus cadit. Pulchrum erat videre fœminas in aciem præliantes. Cęſariem demiſere, ſexũ profeſſæ, quò illuſtrior virtus eſſet in corpore, quod per naturam creditur imbecillum. Sed arſit dolor iniuriæ vel acceptæ, vel formidatæ, in pectore fœmineo: euicitq; pertinacia vindicantiũ, vt faterentur victi victoresq;, eam accepto ferre victoriam præliãribus fœminis. Adeò ad pericula primæ, adeò interritæ ad arma fortium ſunt conſpectæ. Turgentibus buccis Græci Pentheſilæam, Romani Camillam prædicant. Si talia reperirent in ſuis antiquitatibus virtutum exempla, qua voce detonarent? Quãquam Græci Pentheſilæam Gothis debeant, ex quorum illa ſanguine (quod ſupra ſuis locis oſtendimus) prodierit. Tum verò Sueciæ rex geminas pœnas dedit, & inuaſi regni, & honeſtatis corruptionis.

CAP. 2.

HEROTVS illi Sueciæ ſurrogatus in regno: cuius perinde vel maximè nomen inclaruit, quòd inſigni forma puellam filiam eius, coniugem depoſceret Regnerus Daniæ rex potentiſſimus. Iam autem ſatiatus amore eius puellę, quam pro fortibus factis in prælio, quod geſſerat in Noruagia, idem admiratus, coniugem duxit. Quæ etiam repudiata, non ſe de contemptore ſuo vindicauit: ſed prælio laborantem, (quod in Dania diximus) armis adductis fecit eſſe victorem. At Regnerus Heroti Sueciæ regis filiam coniugem depoſcit. Negare tutum non fuit: ſed armis (vt tum conſueuerant) petenti amatam vindicarę oportuit. Tali verò genero filiam permittere, perquam optabile videri poterat Sueonum regi. Sed tamen ea tum inerat ſententia viris primarijs, vt filias ſuas nemini deſponderent, niſi qui præclaro facinore commeruiſſet: nobilitatem non ſanguini, ſed præclaris facinoribus deferentes.

Pugna aduerſus beluas pro vxore obtinenda.

Igitur filiam regis depoſcenti, proponitur conditio ſuperandarũ beluarum. Res mira dictu, ſed quæ in antiquitatibus memorabiliter ſcripta legitur. Potuit per aliam viam rex potẽtiſſimus (qui pridem Noruagiam ſubegiſſet) cupitis perfrui amoribus: indecorum tamen ratus, à ſe quicquam difficile pro ea virgine recuſari, duratam veſtem comparat, quam neq; ferrum neq; dentes beluarum poſſent vlla vi peruincere atque perſtringere. Eaq; indutus beluas expugnauit. Dracones extitiſſe vult Danicus ille ſcriptor Saxo, quos pro amoribus rex iſte pertulit. Vellem adeſſet, vt oſtenderet quomodo ſub algidiſſimis aquilonibus draco viueret, animal feruidiſſimi ſanguinis. Cete grandia prius dèprehendas in mari, quàm dracones in ſaltibus. Sed fidem antiquitati non derogamus. Ille ſuos ſecutus autores, hoc ſcripſit quod reperit: nos itidem facientes, fidem reijciamus in primos annales. Rex Sueciæ Herotus, Daniæ regem fortè incognitum, (ſic enim placuit veteribus à virtute cenſeri cognoſciq;, magis quàm à ſtemmate patrum) propoſitæ militiæ munere functum, victoremq́ue deuocat in regiam, veſte qua pugnauit indutum. Quare nomen illi indidit, vt *Lochbrot* lingua ſuæ gentis diceretur. Ille ſe remĩges ſuoſ primùm inuiſere velle præmonet. Ibi tum regio cultu, famulitio cinctus ſplendido, regiam petit. Tum primùm conſpexiſſe ferunt Sueciæ regem, quis quantúſve fuerit, qui pro ſua filia tantum putauit periculi ſubeundum. Nec mora: optatis potitus nuptijs, multiplicis inde ſobolis fructum accepit. Nec alia huius Suetici regis vlla in antiquitatibus memoria eſt.

Haraldus Chriſtianiſmum amplectitur.

Hæc tamen illa eſſe tempora meminiſſe debemus, per quæ Haraldus primus ex Dania rex, Chriſtianiſmum Moguntiæ ſub Imperatore Ludouico primo accepit: miſſusq́ue cum auxilio in regnum,

Saxo-

Saxonum viribus peruenit in Iutiam, ſecum trahens Anſcharium, (tum adhuc nouæ Corbeiæ monachũ, poſtea Hamburgenſem archiepiſcopum) vt in Dania prædicando euangelio incumberet. Sed quum minimè tum proſperaretur Haraldus, iterum atq; iterum repulſus armis, non potuit niſi clam, diuini verbi ſemen in terram iaci: quippe rege Regnero cum filijs, quos multos habebat, promptiſſimè patrijs erroribus inhærente.

SORLVS Heroto in Sueciæ regno ſuccedit. Hunc lingua noſtra Carolum dici conijcio, quem tum Dani Sorlum, Galli etiam Arlum vocitant. Quum autem audiſſet Daniç rex Regnerus, præteritis leuiris ſuis, alienum hominem regno incumbere, diſſimulandum non putauit. Nam ad ſe quoq; eius rei contemptum pertinere interpretatur. Itaq; Regnerus conſcripto in militiã grandi exercitu, aſſum ptisq; tribus in ſocietatem expeditionis filijs, qui iam per ætatem ferendis armis videbantur idonei, mouit in hoſtem. Vbi autem ex propinquo reges caſtra ſunt metati, prior Sorlus, ſuæ partis inſignem ſeptem cum filijs pugilem, iubet aduerſus ex caſtris prouocare vel regem, vel alium quemlibet totidem filiorum auxilio præditum. Sic enim comparatum eſt apud veteres huius nationis homines, vt parens cũ filijs vna perſona cenſeretur. Quod idem Imperatorum noſtrorum leges non refugiunt. Regnerus Daniæ rex, magno vir animo, octonis congredi, quartus ipſe tum recuſauit. Attamen indecorum reputans, ſi vlla conditione Suecis concederet: animis auctus, pugnæ ſortem ſubijt, quatuor octonis obijciens. Sic enim conuenerat, vt cuius partis pugiles ſuperarentur, is rex victus cenſeretur. Duabus rebus Suetici regis ius excellere putabatur, quòd non ipſe pugnæ ſortem ſubijt, rex aduerſus regem pugnaturus, ſed alium ſubmiſit, Daniæ rege in perſona decertante. Deinde, quòd octo aduerſus quatuor confligere videbantur. Regnerus tamen interritus, aſſumptis tribus filijs, deſcendit in campum iam metatum, Suetico pugile cum ſeptem filijs occurrente. Ibi pro victoria proq; vita acriter certatur. Omnes qui prælio interfuere, grauiter vulnerati ſunt, præter vnum Regneri filium Biornem: qui ex ea re nomen accepit, vt Ferrei lateris diceretur. Igitur victor illo certamine Regnerus, non ſolùm oblatos pugiles oppreſſit, verùm exercitu aduocato, totis viribus conflixit cum Sorlo: eiuſq; copias cum ipſo ad internecionem deleuit. Ita regno potitus, quem voluit regem impoſuit. CAP. 3.

Danus duello, licet impari numero, victor, tota etiam acie pugnãs vincit.

BIORNIS Regneri filius, quòd in pugna inſignem operam nauaſſet, paterno munere regno Sueciæ præficitur. Iam quod in occupatore regni antea vindicabat, ipſe faciebat: legitimis hæredibus præteritis, alienum præficiebat. Sed eſt quod ſæpe aliàs compertum habemus, regna & imperia nõ legibus, ſed armis & capiuntur & conſeruantur. Quum autem regis pater Regnerus prouincias filij obiret, multa circumſpiciens, quæ adoleſcentes fallerent, (vt erat intemperans libidinis) primarij cuiuſdam in Suecia viri filiam, inſigni forma puellam amauit. Nec vi, ſed inſidijs agendum putauit, vt amore potiretur. Sumpta igitur fœminea veſte, per multos gyros peruenit ad amatam: ſeq; quis eſſet aperiens, oppreſſam puellã reliquit prægnantem. Pater vbi filiæ crimen deprendit, puellam adortus, autorem criminis voluit extorquere. Illa flens, vim ſe paſſam queritur à potentiſſimo ſimul & nobiliſſimo viro: nec vltra adijciens, patrem in ſuſpicione reliquit. Ille plenus irarũ, regem Regnerum aggreditur: vim filiæ queritur illatam, adoleſcentiorem regem ſuſpicans. Non tamen accuſauit, ſed atrociſſimam domui ſuæ queſtus illatã iniuriam, popoſcit vltionem. Rex percunctatus quem accuſaret, incompertum ſibi eſſe violatorem oſtendit: ſed regia inquiſitione perquiſitum, latere non poſſe. Tum rex ſeuocatum ſecretius admonuit, quicquid illud foret quod filia eius geſtaret in vtero, ſuum eſſe: proinde quieſceret: filiam ſuam non eſſe ignobilis adulteri ſcortum. Ille iram in tempus diſſimulauit. Sed amicis eam queſtus cum lachrymis vim, multos permouit, vt facilè Danos alieno regno incubantes odiſſent. Tantorumq; ſibi promiſſa ſunt auxiliaria arma, vt ſi duces Sueciæ illi accederent, facilè Danorũ regem Suecia cum filio pelli. Pertentati ſunt duces, ſi vim paſſo ad vlciſcendum iniuriam accederent. Illi nihil, niſi ex ſententia regis ſui Biornis acturos ſe reſponderunt. Tentatus ille quoq; ſubmiſſa legatione, quæ improbã patris libidinem accuſaret, Bior- CAP. 4.

Regnerus Herbarni filiam comprimit, & ipſum prælio delet.

nem quoq;, niſi vindex accederet, vnà ſimul cum parente odio omnium eſſe inuoluendum: proinde videret quid regno ſuo conduceret, patrem an regnum mallet relinquere. Valuit apud Biornem amplius paterni nominis reuerentia, quam aut vlla promiſſa, aut minæ quantælibet. Reiecit indignans oratores. Hesbernus (id enim erat patri puellæ nomen) vbi neque à rege neque à ducibus ſuppetias retulit, ſuorum fretus armis amicorum, quos non paucos in Suecia atque Noruagia habebat, duxit in Danorum regem Regnerum, nepotem ex filia (iam enim adoleuerat) Regneri filium, ſecum in arma ducens. Sed tum Regnerus victor Hesbernum fudit, vireſque illius profligauit. Vbbonem filium captum, quòd maternum auum potius quàm patrem ſequeretur, ad veniam peruenire fecit. Biorn autem, quum aliquot annis Suecicis rebus præfuiſſet, tum conceſſit in fata.

Dania libro 4. cap. 9.

CAP. 5.

WICHSERTVS inde Regneri alius filius, Sueciæ rebus ſuccedit, quum antea Orientis partibus, parta ibi victoria, eundem gubernatorem reliquiſſet. Dion rex erat Orientis: cuius filij, Dian & Daxon, Ruſſi regis filias matrimonio ſibi coniunxere: armisq; freti ſocerorum, in Wichſertum Sueciæ regem bellum excitãt. Nam quum pater Regnerus Helleſponticos viciſſet, legesq; victis dictitaſſet, Wichſerto filio, Sueciæ regi, vicinarũ ſibi partium permiſit imperium. Operæprecium eſt hic intueri quos vocet Saxo noſter Helleſponticos, nõ eos qui anguſto incubant mari, quod Europam Aſiamq; diſterminat. Nam ad illos rex Daniæ aut Sueciæ quomodo perueniſſet? Sunt enim multa centena millia, quę ſeparant terras, nullo illic mari interfluente, quod peruium præſtet iter Danis ad Græciam. Sed quoniam Dionis filios, Ruſſi regis filias matrimonio duxiſſe aſſerit, Wichſertumq; in eos principes mouiſſe exercitum: gentem Ruſſis non longinquam ille vocat Helleſpõticam, non quam Ptolemæus & cæteri omnes hiſtorici & geographi illo nomine dignantur. Daxon, qui ſolus patri ſupererat, (nam parẽtem & fratrem eius Regnerus magno prælio oppreſſit) quum in aciem ductilibus rotis, equos æneos, rũpendis ordinibus immiſiſſet: is (inquam) Daxon, quum Wichſertũ Sueciæ regẽ armis ſuperare diffideret, ad inſidias vertitur. Nam facta cum illo pace (vt credebatur) integerrima, in vna vrbium Orientalium (quam Sueci pridẽ ab hoſtibus ceperant) conuiuio excipitur Daxon ab Suecorum rege. Ibi omnia ex fœdere ſe agere aſſimulans, ſpecie mercatorum multos ſuorum iubet introire. Nemo dolos ſentiebat. Excepta vrbe omnes aduenæ, quaſi merces varij generis importantes, infinita multitudo cõfluxerat. Vbi nox incubabat, ad arma verſi Orientales, inuadunt Sueciæ omnes parẽtes. Rex ipſe magna circũfuſus multitudine, capi non potuit: aceruum magnũ circum ſe fecit trucidatorum. Sed iam fatigatus cæde, quum euadere tumultu cæſorũ non poſſet, capitur: duodecim cum illo fidiſſimi milites capiũtur item. Quibus redeundi in patriam permiſſa optione, eligunt & preponunt cum rege ſuo mori, quàm illo deſerto viuere. Victor Daxon, Wichſertum miſeratus, quòd eſſet egregij corporis dignitate conſpicuus, vitam illi permittit, ſi patiatur aut ſe ſuperiorem, aut imperio parem habere. Cui ille, Paternũ vultum captus & victus non perfero: mori malim, quàm tuo beneficio viuere. Miratus Daxon quid tam obſtinatè mori vellet, arbitriũ ſaltem eligẽdæ mortis admiſit. Neq; hoc, inquit, acceptum ferro. Nam ſcio patrem ſegnius in vltionem armari, ſi degeneri me animo audierit mortis genus delegiſſe. Ille ſubſequitur: Quid, ait, ſi me verſa rerum fortuna captum teneres, moriq; volẽtem, quo genere abſumeres? Incendio, ait ille. Idem ergo tibi erit exitus, ait victor. Igitur cum captis comitibus extructo rogo, viuum ſuperiniecit. Pater vbi cõperit, inconſolabili dolore perculſus, ab vxore increpatus eſt, cur ſe dolori permitteret, & non potius virũ eſſe ſe meminerit. Qua voce animatus vltionẽ parauit. Igitur ducens in filij peremptorem, turmarũ præfectis præceptum dedit ſuper omnia capiendi, ſi vllo modo fieri poſſet, Daxonis, vt viuus in eius perueniret poteſtatem. Nec illum ſpes fruſtrata eſt. Captum enim hoſtium ducem, perduxerũt ad regem. Ibi animi generoſitatem oſtendit, ſolis vinculis coercens quem potuit acerbiſſimo cruciatu excarnificare: victor primũm hoſtis, deinde ſui. Potuit illũ ad clemẽtiam & hoc inuitare, quòd accepiſſet, filio viuendi eſſe ab illo arbitrium permiſſum, quo vti voluiſſet. Sed tum hoſti etiam libertatẽ reddidit, tributa annua cum duodecim

Helleſpõtica gens quæ Saxoni.

Daxonis inſidiæ.

Wichſertus vita ſe ab hoſte donari recuſat.

Dania libro 4. cap. 9.

patribus

paribus diſcalciatis penſitaturum: ea ſe contumelia grauius vindicatū exiſtimans.

CAP. 6.

ERICVM deinde alium filium, (nam erat multa prole numeroſus Regnerus, cui Ventoſi pilei cognomen erat, regno Sueciæ pater pręfecit: Biornem autem dudum inde tranſlatum, iuſſit in Noruagia regnare. Quibus filijs in ſocietatem belli euocatis, Orcades populatur. Ad extremum Scotorum finibus appulit, eorumq; regem Murial, prælio victū, pariter oppreſſit. Quo tempore lònginquam ingreſſus militiam, mare Mediterraneum longa circumitione petiuit. Inde etiam aſſidua in Orientem nauigatione, quum Hiſpaniam omnem reliquiſſet, & in Auſtrū flexus, in Orientem inde verſus, verum illum Helleſponticum, ad anguſtias Europæ atq; Aſiæ ſcribitur perueniſſe, obuia quæque populatus. Nec hoc mirum cenſeri debet. Nam & Italorum teſtimonio, in Noruagia noſtra oſtendimus, Danos ad Conſtantinopolim per occiduas mundi partes nauigando perueniſſe, eiusq; ſuburbia igni ferroq; vaſtaſſe. Facilè tum rebus & viribus exercitatiſſimo fuit vincere Græcos, ciuilibus bellis inuicem attritos. Mirum tamen, qua audacia in tantū præſumptionis erupere Dani, vt circuita magna parte orbis terrarum, vires in tam lōginquam extenderint regionem. Hoc quoq; admiratione non vacat, quum breui ſæpe traiectu grauia maris pericula immineāt, quomodo tam diuturna nauigatione nihil inciderit, quod eam remoraretur: præſertim nauigijs Danorū in hoc genus fluctuum marinorū minus cōuenientibus. Sed erat ea tempeſtate Danis à cœlo permiſſum, vt terris omnibus quas contingere potuiſſent, graues imminerent. Tunc enim littora omnia maris Germanici & Britānici habuere infeſta: tunc Britanniam impugnauere crebrius, Gallias occuparunt. Et ea non ſine numine faciebant, quæ ante illos Gothi & Hunni, & poſt eos Sarraceni, Turcæ, & Tartari factitarunt. Præterea Wandalos & Vngaros, quorum excurſiones incredibile memoratu eſt quot terris & regionibus vaſtitatem induxerunt. Sed per hæc tempora inquietæ erant Galliæ ciuilibus bellis, Italia emaſculata, vt nihil ibi virium remanſiſſe videbatur. Græcia tumultuabatur, iam tanta imperij facta diminutione, vt per Carolum Magnū ante hæc tempora, Occidentale imperium ab Orientali maneret ſeparatum. Sed nunc ad Sueciam noſtram reuertamur. De Erico rege, poſt eam cum patre expeditionem, nihil memorabile legimus, niſi quòd ab Oſteno regij ſanguinis viro victus & oppreſſus, vita ſimul & regno exceſſit, æmulo relinquens principatum.

Danos aliquādo multa maria emenſos, Cōſtantinopolim nauigaſſe.

Ericus ab Oſteno regno & vita priuatur.

CAP. 7.

OSTENVS vir regij ſanguinis, incertum quo patre eretus, oppreſſo Erico regnum occupauit. Pertæſum ſuit regni proceres, tanto tempore Danorum de ſanguine reges illis imperare. Iam pater Regnerus rex victorioſiſſimus in fata cōceſſit, defuitq; qui pro filijs victricia arma circumferret. Ille quidem captus ab hoſte Britannorum rege, & in carcere excruciatus, quod multis intulit paſſus eſt. Miſerabilis exitus, & regi inſolitus. Filij eius vbi audiuere paternam calamitatem, Iwarus quidem tum ſpectaculum edidit populo, nec paſſus eſt vultū demittere, ſed in eadem perſtitit hilaritate. Populum autem, quem rumor perculit, vbi demiſſiore vidit animo, vetat theatro excedere, ſed ad finem vſq; ſpectaculi perdurare. Siwardus codē quo cōperit momento, telo quod manu gerebat, pedem proprium percuſſit, planta perforata, vt indignationem exprimeret, quam animo conceperit. Biorn fortè aleam exercebat, vbi nuncius paternæ necis aderat: talos quos manu tenebat ita cōpreſſit, vt cruor de manibus ſtillaret, hoc primo parentationis genere in parentem vſus. Hella verò Britanniæ tyrannus, qui regum patrem peremerat, vbi audiuit qua fronte parētis necem filij excepiſſent, Iwari profundiorem iram interpretatus, vehementius timuit, qui altius animi dolorem abſcondit. Nec falſus eſt exiſtimatione ſua. Omnes enim Regneri filij in eum duxere: ſed acerbius nemo inſectatur Iwaro. Nam apprenſo in littore oppido, ipſum cōmuniuit, importatis ad ſufficientiam commeatibus. Inde auctus fratrum viribus, mouit in reliquam Angliam. Crebris vaſtationibus Hellam ad arma exciuit. Nam expedito agmine Danis ſe opponit, manusq; cōſerit. Sed tum victus ille ceſſit, captusq; ad cruciatum ſeruatur. Mores enim filij, parentem ab illo ſuum ſerpētibus immiſſis excruciatum, atrociorem pœnam excogitarunt. Vulturem illi à tergo famelicum imminere curarunt, qui viſceribus ſuis paſceretur, donec exhalaret ſpiritum. Hæc quidem Sueticæ re-

Dania libro 4. cap. 10.

Patris morte filij quam varie ſint affecti.

Hellæ mors horrida.

Dania libro 4. cap. 11.

bus aliena: inſerēda tamen pro ſui nouitate putaui. Cæterùm Oſtenus Sueciæ rex, vbi Ericum, patrem Iwari, Biornis, Siwardi regum oppreſſit: ſciens quanta illi imminerent a fratribus bella, regios portus & arces communiuit, exercitumq́; cōſcripſit validiſſimum, tutaturus quod inuaſerat regnum. Fratres autem oppreſſi regis, & ipſi reges, in vltionem armantur. Agnerus Angliæ, Iwarus Danię, Biorn Noruagiæ præſidentes, agmina ſua iunxerunt, in Sueciam mouentes. Sed dum alienum ſitiunt ſanguinem, impenderunt proprium. Nam Agnerus Angliæ princeps, ibi cū multis millibus cæſus occubuit. Nec tamen Oſtenus victor fuit. Siquidem mutuis attriti cladibus, incertum reliquerunt quo loco victoria conſtiterit: nam cruentiſſima erat, vbicunq; fuit.

Incerta ex acri prælio victoria.

Cap. 8. Stvrbiornvs erat Biornis, pridem Sueciæ, inde Noruagiæ regis filius, qui proximus ſceptra Sueciæ legitur tenuiſſe. Nam ea tempora apud Saxonem noſtrū turbatiſſima ſunt, multis in medio rebus omiſſis, & regum nominibus vix recenſitis. Erat ea tēpeſtate in Dania Ericus rex, quem ſibi beatus Anſcharius familiarem effecit, eius indulgentia prædicans in Dania Chriſti euangeliū, ad nouiſſima pontificatus ſui tempora. Ericus erat alius Regneri ex Olauo filio nepos, qui cum fratre patruele Sturbiorno de regno Sueciæ armis grauiſſimè contenderat. Ea enim fuerat Regnerus auus fortuna, vt filijs ſuis regna partiretur plurima. Tenebat enim Daniam primario iure, cui præfecit Siwardum filium. Sueciam occupauit, in qua Biornem, inde Ericum filios præfecit. Noruagiam quoq; tenuit, in quam tranſtulit Biornem. Sed Agnerum (poſt fata eius) fratres Angliæ præfecerunt. Tam latum filijs reliquit dominium. Sed

Regnorum Regneri inter filios partitio.

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Ingens illa virtutis acrimonia paulatim in filijs elanguit, magis autem in nepotibus. Nam Sturbiornus & Ericus, fratrueles, vbi vires inuicem ſibi oppoſuere, magnis ſe conaribus exhauſere. Sed tum ceſſit Sturbiornus: victor Ericus regno deturbauit Sturbiornum. Ille conceſſit in Daniam ad Haraldū: quem vt arctiori ſibi affinitatis vinculo deuinciret, germanam illi deſpondit ſororem in coniugem. Erat is Haraldus, qui ad tempora primi Ottonis peruenit: cuius mater Thira, Angliæ regis filia, longiſſimum illum iecit aggerem, qui hodie quoq; cernitur a mari ad mare porrectum. Pudebat tædebatq́; optimam fœminam, Saxones, quoties vellent, in Iutiam irrumpere: ideo clauſtris voluit cohibere. Nam memoria eius Henricus I. Germaniæ rex, Ottonis pater, exercitū duxit in Iutiam, Sleſwicum occupauit, coloniamq́; fecit Saxonum: conſtituto ad eum limitem marchione, qui vicinos populos in fide contineret. Ad cuius mortem cæſo marchione, pulſa eſt Saxonum de Sleſwico colonia. Non eſt paſſus Otto filius, qui expeditionem renouauit in Iutiam, congreſſus Haraldo: quod in Saxonia atq; Dania diximus. Nunc ob eam tantùm rationem cōmemoramus, vt quæ tempora fuerint quę nunc ſcribimus, innoteſcat. Haraldus ergo Daniæ rex, à Sturbiorno leuiro, Sueciæ rege imploratus aderat. Iam copijs comparatis, ingreſſus mare, peruenit Hallandiam. Ibi accepto nuncio, quòd Otto Romanorum rex, ingenti agmine Iutiam inuaſiſſet, repedare compellitur, vt proprios magis fines tutaretur, quàm alienos inuaderet. Ita deſertus Sturbiornus armis auxiliaribus, nec ſuis potens æmulum regno pellere, quibuſcunq; cōditionibus pacem à rege accipiens, regni præfectura donatus, quieuit. Appellauere tum præfecturam, quam hodie ducatum dicimus. Vnde & Sleſwici diu dixerunt præfecturam, quem noſtri à multa & longa memoria ducatum (vt eſt hodie) habuerunt.

Saxonia libro 3. c. 25. Dania libro 4. cap. 19. & 20.

Sturbiornus regnum precario retinet.

Cap. 9. Ericvs Olaui filius, Regneri nepos, ſine æmulo potitus regno Sueciæ, memor quòd Haraldus rex in ſe copias ductaſſet, ab æmulo imploratus: iniuriam in filium Suenonem vindicare conſtituit, non ſine ſpe eum protinus regno deturbandi, quòd iam ter captus à Wandalis, regnum ære, ſe autem viribus exuiſſet, amiciſq́; deſtitutus, ad victoriam facilis putaretur. Nec illum ſpes fruſtratur. Siquidem congreſſus inuicem prælio regibus apud Sialandiam Sueno, aliquandiu vires hoſtium ſuſtinens, ad extremum victus, fuga ſibi ſalutem quæſiuit. Ita pulſo Suenone, Chriſtianæ pietatis deſertore, Ericus Daniæ regnum Sueciæ coniunxit. Inſtructus ergo duorum regnorum principatu, Daniæ crebrior, ne quid innouaretur, aderat.

Danicum regnū Sueciæ coniungitur.

Septemq;

Septemq́; totis annis tenuit: quo tempore Sueno apud Scotiæ regem exulabat, quũ pridem a Britanniæ principe, & Galliarum ducibus, ſuis ab olim congentilibus, cõtemneretur. Nam ſecuta eſt illum vltio diuina, quòd gemina impietate, in parẽtem Haraldum, & ſummum omnium patrem Deum nocentiſſimus foret. Nam (quod in Dania atq; Wandalia cõmemorauimus) patrem, quòd Chriſtianam foueret religionem, ciuili (imò domeſtico) bello impiiſſimè ad mortem vſq; regno deiectum perſequitur. Susceptam autem ſub Ottone Rom. rege, patrino ſuo, religionẽ & ipſe abiecit, & in omni regno ſuo vt abijcerent, autor fuit. Sed vbi ex errore reſipuit, ad cor reuerſus, dedit illi pridem vindex, nunc propitiatus Deus, gratiam in conſpectu procerum ſuorum, vt poſt ſeptem exilij ſui annos, mortuo Erico rege Sueciæ, in regnum Daniæ reuocaretur. Reuerſusq́; Deum integerrimè coluit, edicto emiſſo, vt paſſim omnes Chriſti religionem virtutibus plenam ambirent. Sed regina Erici regis relicta, quum filium Olauum ex Erico haberet, verita ne dum duobus regnis incertò incumberet, vtroq; fruſtraretur: relicto Daniæ regno in manibus procerũ, (quos Suenoni ſuo inclinare perſenſerat) in Sueciam, cui propter agnationem & paternum ius magis fidebat, ſe contulit: Suenoniq́; regnum ſuum vacuefecit. Ipſa autem filium tenerum, ad legitimos annos ſub tutoribus educauit.

Dania libro 4. cap. 26.

Reuocatur in Daniam Sueno reſipiſcens.

CAP. 10.

Olauus rex Chriſtianus primus.

OLAVVS Erici filius, poſt patrem regno potitur, primus in regibus Sueciæ, qui Chriſti religionem publicè acciperet: in fonte ſacro lotus, Iacobi nomen ſuſcepit. Fuere quidem priuatim plurimi, qui iamdudũ in eo regno, a memoria diui Anſcharij Chriſti iugum aſſumpſerint, in quibus erat Bircæ præfectus, & multi ſine nomine. Nam & Rembertus immediatus Anſchario pontifex, & (aliquot interpoſitis) Vnni Hamburgẽſis, & ille archiepiſcopus, Chriſti fidem in Suecia diſſeminauere. Quo in labore peregrinationis Vnni (quod in Metropoli diximus) vitam impendit: tumulatus in ea quam diximus Birca, niſi quod caput relatum eſt in ſedem ſuam. Huius autem regis matrem, Erici relictam, initio reditus ſui in regnum, Sueno rex Daniæ ſibi vxorem adſciuit: quò affinitatibus communitus, ſecurior foret aduerſus omnes caſus iniquos, quos multos ille præter cæteros fuit expertus, captus & exilio diuturno diſtentus. Ex qua cõiuge Sueno filium ſuſtulit Kanutum, omnibus Danorum regibus præluceniem: qui etiam finitimorum omnium gloriam rebus domi foriſq; geſtis obſcuraret: cuius in Dania plenam fecimus mentionem. Quum eadem fœmina ab Olauo Noruagiæ rege (non illo ſancto) primùm ludificata eſſet: quod in Noruagia noſtra recenſuimus. Iſte Olauus Chriſtiano ritu iam Iacobus, ſatis fœliciter atq; diutinè ſceptrum regni tenuit: quum interea Kanutus vterinus frater eius, in Dania, & S. Olauus (huius quem diximus filius) in Noruagia dominaretur. Trium regum optimorum fœliciſſima tum regna dixerim, quando Chriſtus omnium in medio, fœliciter gubernaret. Erat autem annus poſt natum Chriſtum milleſimus, paucis additis: quum in Romano imperio ageret itidem rex S. Henricus, eius nominis ſecundus, ſi Romanorum reges recenſemus. Alioqui Imperatoriæ maieſtatis eo nomine primus erat, primus quoq; qui de conſtitutione Electorum prodiret ad imperium.

Lib. 3. c. 3.

1000.

CAP. 11.

Emundus rex Noruagiæ auxilijs Danos bello laceſſit.

EMVNDVS Olaui Iacobi frater, ex concubina natus, ſolo nomine Chriſtianus, ad ſceptra ſuccedit: & ideo, quia veræ religionis vel contemptor vel diſſimulator erat, non ſatis fuit rebus bello gerendis fortunatus. Filium enim Amundum, quem ampliandæ ditionis gratia miſit in Orientem, ſtatim bello oppreſſum amiſit. Inita tamen belli ſocietate cum Olauo, (qui poſtea in ſanctos relatus eſt) Daniæ regem Kanutum bello inſequitur. Erat tum in Suecia vir primarius Vbbo, qui Eſtrocham Kanuti regis germanam, pridem a Richardo Normanniæ Gallicæ principe repudiatam, coniugem promeruit: & is regi Kanuto non ſatis gratus, autor oppugnandæ Daniæ fuit Emundo. Olauo autem Noruagiorum regi, altera bellandi cauſa ſuberat: quòd quum in Angliam ſocietatem belli cum Kanuto inijſſet, neque captæ prouinciæ illi portio prouenit, neque tori ſociam (quæ Olauo inhærebat) ab iniuria potuit vendicare, quò minus a Kanuto contaminaretur. His incitus rebus Olauus, quum Emundo incentor belli eſſet Vbbo, mouerunt in Daniam. Quumque à mari incumberet Olauus, à terra per montana Scaniæ, Emundus

Vincũt virtute Dani, vincunt dolo Su.ci.

Sueciæ rex imminebat. Contulere manus maritimo bello Dani atq; Noruagij: ſed victoria Danis incũbebat. Interim pars copiarum Kanuti Emundo congreditur in Scania. Ibi Vbbonis ſolertiſſimi ducis induſtria tracti in vadũ Dani, cedente de induſtria hoſte, inhęrentes limo Dani, paſſim à Suecis cædũtur, decepti magis quam victi. Ea tum fuit fortuna Emundi, vt Vbbonis militari peritia ſuperior haberetur. Emundus autem reuerſus in regnũ, nihil magis ac prius religioni fauebat, ſubditis quoq; grauis admodũ imminebat. Eandem enim ipſam contumaciam exhibebat: hominibus quoq; tyrannidem monſtrauit. Nam miſſos ab archiepiſcopo cõſecratos in prouinciam epiſcopos abiecit contempſitq;: ſecutus acephalũ hominem, qui menitus literas papales, archiepiſcopum ſe dicebat conſecratũ in Sueciam: quum eſſet ſolùm conſecratus in Polonia, vbi nulla fuit ſuperioritas diſponendarũ rerum in prouincias Aquilonares. Cõtemptos ergo oratores archiepiſcopi Hamburgenſis, quum rex à ſe reijceret, Stinkel, regij ſanguinis adoleſcens, miſeratus laborem ac contemptũ virorum, eos fauoribus & obſequijs proſecutus eſt: donec venirent ad reginam viduam, (quam pro ſanguinis propinquitate Sueno rex ſacris adactus, repudiare cõpellebatur) quæ illos materno affectu tranſmiſit in Daniam. At illi tum conſecuti ſunt in Suecia caſus agrorum ſterilitatem, & (vnde illa prouenerat) aëris inæqualitatem, vt culpam ſuam recognoſcens rex, oratũ mitteret in Bremam, venirent legitimi pontifices in prouinciam. Nihil moratus Albertus archiepiſcopus, miſit qui poſcebantur in prouinciam à ſe conſecratos. Hic autem rex diu viuendo, ad eam peruenerat ſenectam, vt cognomine ab annis ducto, Vetulus ſiue Annoſus diceretur: nam fratri non paucis annis regnanti, diu ſuperfuit.

Rex malis monitus, ab errore ſe ad bonam frugem recipit.

CAP. 12.

STINKEL deinde optimus rex, Sueciæ ſceptris ſuccedit. Cui id laudis vel maximè tribuitur, quòd in diebus illius Chriſti religio maximum in regno acceperit incrementũ, exterminatis idolis, quibus gens illa præ multis alijs dedita fuit, quòd toto hoc mundi ſecreto, venerabile illi fuit templum idolorũ apud Vpſolam, nunc quoq; caput gentis & metropolin. Quod idolum tam pertinaciter coluere Gentiles, vt reges etiam ſuos Chriſti ſacris initiatos, adigerent munera mittere in templũ, alioqui regno exigendos. Inuentus eſt rex tanta in Chriſti religione feruens, deuotione inclytus Amander, qui regno carere quam ſacrilegio fidem ſuam polluere maluerit. Ibat itaq; gaudens a conſpectu concilij, quoniam dignus habitus eſt pro nomine Chriſti abijci, & regno deſtitui. Sed iſte rex cuius tempora nũc ſcribimus, Stinkel, perfecit, quum ſanctos pontifices aſciſceret, vt ipſi coram populo ſtupenda mirabilia peragerent: atq; in eam ſententiam victi populares perducti quoque ſunt, vt paterentur ſua idola concremari. Quæ quum ſibi auxilio adeſſe non poſſent, cui tandem opitulari poterant? Eminebat tum pontificum ſacra fides, Popponis & vtriuſq; Odinkari, vt multis ad aſtantium fidem corroborandam clarerent miraculis, quæ partim in metropoli noſtra deſignauimus. Hic tamẽ rex nihil omittebat quod ad propagandam pietatis & ſalutis religionem pertineret. Quocirca iuſtitia & religione ipſe inſignis, temporum promeruit ſuorum trãquillitatem, in paceq; (quod rarum eſt regibus præſertim Aquilonis) quieuit, circa annum Chriſti
1100. poſt mille centum, paucis vel additis vel demptis. Nam punctualis annorum calculus malè deſignatus eſt.

Rex à ſubditis regno religionis cauſa pellitur.

Stinkel Chriſtianiſmum ſtrenue promouet.

CAP. 13.

Funeſtũ de regno dimicantiũ bellum.

ERICI duo deinde de regno cõtenderunt, tantiſq; viribus atq; odijs concurrerunt, vt non ſolùm ipſi, verùm & omnis penè nobilitas ſucciderentur. Erat tamen ex diui Kanuti genere, (qui patrem habuit Suenonem regem, auum autem maternũ Magnum illum Kanutum, quinq; regnorum regem potentiſſimum: cuius laudes in Dania attigimus) multiplex in Suecia nobilitas. Nam cæſo tum per ſummam iniuriam Kanuto rege, (per eam tumultuationem, quam in Dania deſignauimus) regina relicta cum filio Carolo in Flandriam redijt. Cuius principatum idem filius poſtea adminiſtrauit, cæſus & ipſe pro iuſtitia & pietate, deiectus oratorio, quod ſibi fecerat ſub teſtudine, in ſuggeſto eccleſiæ ſancti Donatiani, in oppido Brugis. Filias autem, quas binas ex Kanuto accepit, in Suecia viris primarijs commiſit. Nam primam nobiliſſimo gentis Folconi dedit cõiugem. Ex qua ille ſuſtulit filios Kanutum atq; Benedictum. Ex quibus ortus eſt Birgerius dux, vir potens, horũ alterius filius.

Lib. 4. c. 28.

Quàm latè Kanuti poſteritas propagata ſit.

filius. Alteram verò filiam tradidit coniugem Carolo Gothorũ in Suecia duci, qui ex illa filios ſuſcepit Carolum atq; Kanutum. Ipſa verò in Italiam vſque ſe contulit, toros ſuos ſemper in longinquo habitura: nam comitẽ Apulię Rogerium, ſecundũ habuit illa maritum. Hæc idcirco dixerim, vt quàm latè regium diui Kanuti genus propagatum ſit, agnoſcamus: quando non alijs rebus tempora inſignita leguntur.

CAP. 14.

Halſtenus regno eijcitur.

Lib. 4. c. 34.

HALSTENVS ſuperioris Stinkel filius, legitimo iure poſt duos Ericos mutuo ſe prælio conficientes, rex eſſe promeruit. Sed nihil diuturnũ, quod non totas agat radices. Erat in populo vel nimia nouandarum rerum licentia, vel in Halſteno intolerabilis ſuperbia. Incertum enim quibus ex cauſis, certum eſt tamen, populari tumultu mox regno deiectum. Crediderim, non imparis nobilitatis viros (de quibus proximè diximus) grauiter tuliſſe, ſupra ſe regis imperium non omni virtute conſummati. Quum interim in Dania regnum ſibi per manus traderent Suenonis filij, ea lege patris voluntate poſt inuicem regnantes, vt nulla liberorum ratio haberetur: ſed decedente proximo rege, non eius filij, ſed fratrum vnus natu proximus regno ſuccederet. Sic Haraldo Kanutus, Kanuto ſucceſſit Olauus, illi verò Nicolaus: quam in Dania ſucceſſionem narrauimus.

CAP. 15.

Amander in regnum reſtitutus, rurſus eijcitur.

AMANDER pulſo Halſteno, is qui pridem pro vitãdo ſacrilegio regnum contempſit, nunc populi iudicio reuocatus recepit. Non aliter ac in Romana Repub. Valentinianus, pro Chriſti nomine, tribunatu (quem gerebat) à Iuliano amotus, Imperium promeruit poſt deiectorem ſuum recipere: ita nũc Amander regnum, quod pro religionis amore amiſit, (ne ſe ſacrilegio cõtaminaret) eodem populi impetu nunc reuocatus, rurſus accipere promeruit. Sed reuocatus quum à priſtino ſeueritatis ſuæ rigore nihil remitteret, renouata ſunt in eum odia intermiſſa, iterumq; regno depulſus, ſeceſſit in abditum optatæ quieti locum commodum, vt ocium in tranquillitate perageret: vir pro contemptu regni, regno digniſſimus. Vtinam tanti ſui animi vel vnum reliquiſſet imitatorem. Ita paſſim omnes ambiunt imperia, inquietiſſimum viuendi negocium.

CAP. 16.

Dania libro 5. c. 4. & ſeq.

AQVINVS tum regno ſurrogatur: cuius de rebus geſtis nihil eſt in literas relatum. Per cuius tempora Ericus ille, inter Daniæ reges nominatiſſimus, qui & vrbem Romam inuiſens, regno ſuo Metropolitanum dari impetrauit: & poſtea, deuotionis gratia, dum ſepulchrum (quod iam à fidelibus teneretur) inuiſere decernens, Imperatori Conſtantinopolitano (quem ex itinere ſalutabat) ſui fecit miraculum, quòd grandi corpori vires reſponderent, comitatuſq; famulorum non diſpar eſſet regi. Is tamen in ipſo profectionis ſuæ itinere deficiens, interregnum fecit biennio in Dania, priuſquam certus mortis ſuæ nuncius rediret. Interim verò Aquinus in Suecia rerum potitus, quomodo reliquerit regnum adminiſtratum, in incerto permanſit, quum Danis imperaret Nicolaus, vnus ex fratribus memoratis. Cuius filium Magnum (vt proximè dicemus) Gothi ad regnum ſuum pertraxerunt.

CAP. 17.

Gothi Magnum Sueciæ regem, inuitis Suecis creant.

MAGNVS erat Nicolai Daniæ regis filius, adoleſcens acer, quem Gothi, pertæſi crebræ in Suecia mutationis, ſibi regem aſciuerunt: iterum ſe à corpore regni ſeparantes, vel ſperantes reliquũ ſibi Sueciæ accedere, vt ſub vnius regis (quem ipſi delegerant imperio) omne regnum eſſet. Sueci autem, veteri ſuo iure creandi regem, ſe depelli non ferentes, ſuo regem arbitratu creandum eſſe putauerunt. Suæ ergo gentis hominem ad regnum prouehentes, Gothorum regem contempſere. Gothi tamen ſententiæ ſuæ pertinaciter inhærentes, nouũ Sueciæ regem bello aggreſſi, oppreſſerunt: Magno à ſe regi electo, regni ſedem vacuefecere. Aliquandiu ergo ille Gothis & Suecis regnauit. Sed quum Daniæ quoq; ſucceſſionem pertinaciter defenderet, in eas incidit difficultates, ſub quibus demum obruebatur. Nam Kanutum Sleſwici ducem, poſtea etiam Obotritorum regem, Erici regis, illius qui peregrinationem terræ ſanctæ ingreſſus, in itinere defecit, is filius erat. Apud milites illi paternæ virtutis memoria profuit. Acceſſit propria Kanuti induſtria, quæ hoc effecit, vt à multis non amari nõ poſſet. Sed quum coronam quoq; in Wandalis ab Imperatore mereretur Lothario, eamq; in conuentu regni publicè perferret, tum Magnus exarſit inuidia, Nicolao rege diſſimulante, pro ætatis ſuæ prudẽtia. At

Magnus æquanimiter tolerare non potuit. Vides, inquit, pater, quàm violenta pręſumptione etiam te Nicolao viuo ad regnum cõtendit Kanutus? Nicolaus autem, etſi diſpliceret, quòd ſe præſente, in Danici regni conuentu, corona regia Kanutus vteretur: diſcernens tamen inter Romani Imperatoris & Danici regni iura, ſciebat hoc ad præiudicium ſibi non pertinere. Vnde interpoſitis partibus, reconciliationem inter ſe adoleſcentum intentabat, increpito ad patrem vtroque. Durabat aliquandiu renouata fides: ſed vrebat ſemper Magnum Kanuti apud omnes amor: fixumq; tenebat animo, ſi Kanutus ſupereſſet, fruſtra ſe regni Danici ſucceſſionem præſtolari, quòd vterq; regis filius eſſet, ſed Kanutus virtute & amore ciuium præſtare videretur. Itaq; inſidijs conſtitutis, Kanutum opprimere imparatum decreuit. Et proſperatus eſt malo ſuo. Nam euocatum ad colloquium, inermem armatus excipit, & nihil tale metuentem oppreſſit virum omni virtute præſtantiſſimum, & qui talibus poſt mortem clareret miraculis, vt pòſt, inſtante filio eius rege Waldemaro, qui ob id ad ſedem apoſtolicam nuncios miſit, inter ſanctos relatus ſit. Magnum autem furiæ agitabant, vt viuente adhuc patre ſuo, ab Erico Kanuti fratre, (ſed notho) vindictam fraternæ necis moliente, Magnus temeritatis pœnas lueret: & quòd virum innocentiſſimum perdidiſſet, & quòd ſacra Pentecoſtes ſolennitate acies eduxiſſet, ab hoſte oppreſſus interijt.

Dania libro 5. cap. 11. Magnus Kanutū Carnuca inuidia per inſidias trucidat.

Cap. 18. SVERCONEM Sueci poſt Magnum erexere regem, non ſanguinis claritudine pollentem, non rerum geſtarum gloria inſignem, ſed quòd quemlibet indigenam externo putarent præferendum. Hic magni nihil fertur in rebus bellicis peregiſſe: niſi quòd Vluildam Noricam, Nicolao Danorum regi (poſt mortem inſignis fœminæ Margaretæ) nuptam, clandeſtinè ſollicitatam, miſſis deinde ad hoc nuncijs, thalamo regis abſtractam, ſibi deuinxit, ac loco coniugis habuit regiam concubinam. Nicolaus autem, quò minus tori vlciſceretur iniuriam, proprij regni intricatione remoratur. Nam filij inſolentia tam multis Daniam implicuit bellis, vt ſe expedire non poſſet. Quò enim Kanutus (quem ille perdidit) omnibus amabilior, eò maiori ſe cum filio implicuiſſe omnium odio videbatur, quòd talem ac tantum virum Magnus trucidaſſet, nec pater Nicolaus acriorem vindicem ſe geſſiſſet Kanutianæ necis. Proſcripſit quidem ad tempus regno filium: ſed vbi multa illi aduerſa ſucereſcebant, præſidium ſibi in filio futurum ſperans, illum reuocabat. Tum verò omnes patrem filiumq; pari odio inſectabãtur: & oppreſſo primùm filio, in patrem inde arma vertebant. Quæ res impunitatem peperit adultero. Acceſſit quòd Nicolaus grauis ab annis, non magni penderet, incontinentem fœminam, adulteri viriles annos ſuis ſenilibus prætuliſſe. Sed continuò tum odio ſuorum omnium Nicolaus laborare perſeuerans, Sleſwico exceptus regio more à clero, ab ipſo tumultuante populo opprimitur. Ex hac autem qualicunq; coniuge Suerco filium ſuſtulit, poſt ſe regni ſceptra moderantem, circa ea tempora quibus de corona Daniæ Sueno, Kanutus, Waldemarus conflictarunt.

Suerco vxore Dani abrepta, adulterium impunè tulit.

Dania libro 5. cap. 16.

Cap. 19. CAROLVS Suerconi patri ſuccedit in ſceptra: cuius tempora frater eius Ioannes, vir malè ſibi temperans à libidine, temperauit. Erat alius tum Carolus, vir Danici regni primarius, Hallandiæ præfectus: hodie ducem vocant. Is vxorem habuit ſpectatæ pulchritudinis, ac pudicitiæ ſingularis, ſororemq; virginem. Quarum & ſpecie & honeſtate irritatus vir improbus, poſitis inſidijs, egreſſo iam Carolo ad negocia regni, raptas ſecum perduxit in Sueciam. Alterniſq; abutens ſcortorum in morem, vbi fœdam expleuiſſe libidinem videbatur, vtrãq; remiſit dedecoratam. Fleuere optimæ fœminæ atrocem iniuriam: quid amplius potuere? At Carolus & coniugis & germanæ non leuem, ſed atrocem iniuriam (vt erat) cõtumeliamq; altiore voluens animo, regi Suenoni (qui tũ Daniæ præerat) cumulatè additis lachrymis detexit. Ille in vniuerſam Sueciam rem vindicaturus, vires promittit & arma, nec minus parat expeditionem. Sueciæ rex Carolus legatione ſolenni pacem pertentat, fratris eſſe facinus, à ſe quoq; vindicandũ: quid demeruerint Suecię vel proceres vel ſubditi? Alienæ libidinis crimen luere non merentur. Conquieſcat Daniæ rex, ſe vindicem eſſe ſinat in fratrem: facturum vt omnes intelligant, fraternũ flagitium ſibi fore odioſiſſimum. Sed fruſtra fuit ea legatio. Nam Dani tam certa

Caroli Sueciæ regis inceſta ſtupra bello vindicantur.

ſpe

ſpe Sueciam inuaſuri erant, vt iam inuicem connubia nobilium fœminarum in regno paciſcerentur, quaſi iam victores bellum ad nutum confeciſſent. Exercitum autem per brumam terreſtri itinere deportandũ curauit in Sueciam, longo itinere circumactum atq; fatigatum. Vbi ad Phinnos perueniunt, (pars illa Suetici regni) illi ſe Daniæ regi ſubmittunt, omnia ſua pollicentes: comeatuq; præbito, placauit exercitum tranſeuntem.

VENITVR ad Warendenſes, qui ſe defenſioni præparauere. Flammis ac ferro omnia eorum confinia vaſtantur. Incolæ nemorum fauces truncis arborum obſtrinxere: deiectis tranſuerſo ordine altis de montibus arboribus, ingentia robora prouoluerunt. Sueno rex, indignatus ruticolas armato exercitui iter intercludere, relicto quod paratũ erat prandio, equo inſidens inuolitat. Cui ex propioribus quidam, nihil temere agendum tanto regi ſuggerebat. Ille conuerſus in monitorem, Qui noua, inquit, vxore ducta timidus eſt, domum reuertatur, exprobrans illi recentes nuptias. Nec timidius ille reſpondit, Faciam quod Sueno nõ audebit, ne me timidum vocet, Proinde merentibus exprobrare memento. Protinus vbi ventum eſt ad hoſtes, primus ſe illis obiecit, vbi periculi erat plurimum: nec minus fortiter pugnans quàm dicens occubuit. Damnũ exercitui putabat, talem amiſiſſe virum. Nox prælij laborem diremit. Nam Dani tranſitum ferro aperiebant: hoſtes repugnauere roboribus obuolutis. Poſtera lux dedirionem hoſtium vidit, quum perſeuerarent Dani ferro ſibi viam fecere. Sed tãtus erat rigor brumæ, tam frigus intemperans, vt ne iumenta quibus veherentur milites, ſalua eſſent. Qui amiſſis equis ex equitibus pedites facti fuere milites, onera ſua aliorum iumentis imponentes, ante ſe egerunt, retroq; viam legerunt in Scaniam, rege etiam miſſionem non faciente. Rex vbi comperit multos militum diffluere, expertus difficultatem terreſtris per Scaniam itineris, iubet receptui cani: permittitq; veniam redeundi, aliam expeditionem meditatus. Interea qui iniuſſu regis feſtinabat ante alios in Scaniam, intercepti à finitimis, iam fidem mutantibus, vt ſolutam ſenſere expeditionem, opprimuntur: alij incluſi domibus, quum ignis inijceretur, vnà concremãtur. Iam enim contẽptui habebantur reuertentes, qui tranſeuntes cunctis iniecere formidinem. Ita magno apparatu, ſumptu & labore inſtituta per Scaniam in Sueciam expeditio, in vanum ceſſit. Nam inuij montes, & ſaltus profundiſſimi, ſimul & anguſtæ fauces, Sueciam impenetrabilem fecere: æternis niuibus, & altiſſimis rupibus, cum à Scania mirificè munientibus. Quocirca maritimam meditatus rex expeditionem, tum lacerum reduxit exercitum.

Cap. 20. Dani irrita in Sueciam expeditio.

Bruma durior.

SED ille interea bellis domeſticis implicitus tenebatur, vt facilè externorum obliuiſceretur. Nam Waldemarus, diui Kanuti (quem Magnus occidit) filius, & Kanutus Magni filius, iunctis inuicem affinitatibus, (quum Waldemaro Kanuti germana Sophia deſponderetur) in Suenonem armabantur. Nec contenti, Sueciam, quaſi inibi paterna prædia viſuri, cum rege Carolo ſimilem ineunt familiaritatem, ſorore Waldemari Carolo in coniugem promiſſa ac tradita. Diſſimulabat omnia prudenter Sueno, ne Waldemarum in ſe prouocaret, cuius (vt probè vidit) diſceſſu magna pars virium illi decederet. Aderat interea Gutorinus Sueciæ procerum vnus ex primoribus, qui traditam ſibi puellam, regi ſuo Carolo detulit copulandam. Eam acceſſionem Daniæ rex veritus, commouere ſe in Sueciæ regnum haud poterat. Carolus autem tantis communitus affinitatibus, tranquilla temporum pace potitus, regnum ſuum quietus gubernabat per omnia tempora regis Daniæ Waldemari. Quumq; ille moriens Kanuto filio rerum ſummam reliquiſſet, Scanij tumultuantes, rebus nouis ſtudentes, æmulum regno obijcere Kanuto, virum ex Suecia nobilem Haraldum, ſed (propter cordis hebetudinem) regno ſatis imparem. Carolus rex Sueciæ illum armis ſuis & opibus prouexit in Scaniam. Primordia illi fuere ſatis fortunata: nam vſque ad Lundiam progrediens, omnia ferro demetebat. Obuij autem facti qui pro rege ſtabant, popularem Scaniæ tumultum facilè repreſſerunt. Nam hoſtibus incurrentes, infeſtis haſtis facilè illos verterunt in fugam. Haraldus cum Hakone quodam ex Scaniæ primoribus, fuga turpi in Sueciam relabitur. Lundenſium ciues dubiam oſtendere fidem. Nam

Cap. 21. Dania libro 5. cap. 34.

portas vrbis habuere clauſas: vbi victoriam acceperunt regiorum, illis gratulati, exceperunt.

CAP. 22.

ERICVS Carolo ſucceſſit in regno, *filius, ánne aliquis magna de ſtirpe nepotum*, incertum eſt, quia annales non tradiderunt. Quas etiam præclaras res geſſerit, incompertum habemus. Pacem tamen cum corona Daniæ habuiſſe illum, comperimus ex ijs, quæ interim Daniæ reges actitarunt. Qui à memoria Kanuti, quem primus Waldemarus filium regno reliquit, ad hæc penè tempora, Wandalis Saxonibuſq; conflictati, pacem ad Aquilonem ſeruauere. Per hos enim annos, quibus Ericus Sueciæ regnabat, Kanutus, & inde frater eius Waldemarus, eius nominis ſecundus, & deinde filius eius Ericus, & Abel frater Erici, colluctati Saxonibus, varia fortuna, nunc victi, nunc victores conflictabantur: Lubecam per ea tempora tenuerunt, & amiſerunt: Holſatiam non ſemel inuaſam Dani tenuerunt: quod in
Lib. 8. c. 17. noſtra memorauimus Saxonia. Peruenit autem iſte Ericus viuendo in annū Chri-
1249. ſti quadrageſimum nonum poſt mille ducentos. Quum regni circumiens prouincias, in Godlandiam inſulam perueniſſet, ibi correptus grauiſſima ægritudine, finem fecit viuendi.

CAP. 23.

Birgerius præter omnium ſpē rex creatur.

ERICO fatis abſumpto, quum proceres de ſufficiendo rege tractarent, nec facilè in vnam conuenirent ſententiam aut perſonam, mutuis inter ſe odijs diuiſi: eum erexerūt ad regnum, qui minimo ad id iure, minimaq; ſpe potiundi teneretur, Birgerium nomine: cuius genus annales non commemorant. Hoc tamen non ſiluerunt, maximè fuiſſe regem popularem. Sciebat enim nobilitatem in ſe non æquis eſſe animis, etſi mutua inuidia ſibi regnum detuliſſent: atq; ideo populū ſibi quàm maximè poterat conciliabat. Mercatores quoq;, datis priuilegijs & immunitatibus plurimis in regnum inuitauit. Nec ſe regis nomine ſuperbum attollit, contentus ducis ſolo vocabulo: quo nomine in chartis priuilegiorum quæ extant, inſignitur. Poterat inuidioſum videri apud nobilitatem, regis ſuperbum vocabulum. Quocirca delegit modeſtiæ inſeruire, vt per artem præeſſet imperio, etiamſi minus inſcriberetur vocabulo. Quid enim intereſt in vocabulo, rex an dux cenſeatur, dum eodem iure & imperio teneat rerum omnium poteſtatem? Per eius tempora fuit illa pernicioſa fratrum de regno Daniæ contentio, quum Ericum (alioqui regem optimum) frater eius Abel, ſiue regnandi deſiderio, ſiue alias ob cauſas captum, Slefwico in lacu iuſsit capite truncatū mergi. Nec diu ille ſuperfuit, poſt inuaſum regnum pauco pòſt tempore cæſus à Friſijs quos inuaſerat.

Dania libro 7. cap. 21.

CAP. 24.

Waldemarus diu peregre abeſt, regno à fratre ſpoliatur.

WALDEMARVS filius proximè ducis, qui pro modeſtia ſua regnum ſeruauit incolume, & filijs reliquit: regium nomen, quod ipſe pater ſumere non audebat, aſſumpſit. Hic ergo Waldemarus quum regnum aliquandiu tenuiſſet, peregrinationem ſuſcepit in terram ſanctam, prius de more inuiſens vrbem Romam: ibi quoque indulgentijs loci quæſitis. Sed dum ille deuotionis inſtinctu peregrinatur, rebus (vt putabat) regni ordine bono conſtituis, frater eius Magnus (quod Waldemarus antè non timuit) regni iura occupauit, pro rege legitimo ſe ferens. Et populum reperit qui ſe illi permitteret, Waldemarum regno adminiſtrando minus cenſentes idoneum: qui Eccleſiarum terreret limina, non regum obiret negotia. Rem non diſſimilem actis poſterorum. Sic enim fratres æquè ſe arbitrantur regno propinquos, vt velut in medio poſito regno, ad eum pertineat, qui poſſit occupare & tueri. Non enim legibus aut iure regna quæruntur, ſed armis, iiſdemque conſeruantur. Reuerſus ex peregrinatione ſua Waldemarus, quum fratrem accepiſſe adminiſtrationem ſolùm ſe abſente putaret, facilè præſenti & redeunti ceſſurum. Sed falſus eſt opinione: nam Magnus occupato regno, inſeparabilis incubuit. Ad arma reſpexit Waldemarus, contractis, quos in regno multos pro virtute & modeſtia reliquerat, amicis. Et prælio commiſſo ceſſere qui Waldemaro fauebant: & eo pulſo, Magnus ſemel inuaſum regnum obtinuit defenditq;. Fugatus eſt Waldemarus cum vxore ac liberis, concedens in Daniam ad regem Ericum. Qui venientem hoſpitaliter excepit: & aliquoties facta expeditione pro illo duxit in Sueciam: nihil tamen præter incendia ac prædam potuit emoliri. Magnus autem & ipſe par pari relaturus, expeditionem naualem fecit in Scaniam:

Rex pulſus: alio hoſpes ſe recipit.

niam: & flammis ferroq́; vaſtata prouincia, quum naues præda impleſſet, redibat in Sueciam. Poſt longum deinde exilium, quum armis in fratrem nihil proficeret, dedit ſe in gratiam fratris. Et accepta prouincia, in qua regi minimè poſſet obſiſtere: renunciatoq́; omni iuri quod illi competere poſſet in regno, in conſtituto loco cum vxore & liberis tranquillitati inſeruiens conquieuit:

Cap. 25.

Iſte regna nobis mera prope latrocinia facit.

Magnvs paternum regnum, quod fratri abſtulerat, ſtrenuus tenebat: eadem enim qua parantur vi regna, ſeruare neceſſe eſt. Sed tamen malignus eſt diuturnitatis cuſtos ipſe metus. Quod enim non altas agit radices virgultum, ſtatim exorto ſole areſcit. Magnus igitur quantis potuit viribus regnū ſuum ſepſit tenuitq́; quum interim frater in angulo terræ deliteſcens quietè viuebat. Sed munera necdum intellecta Dei, priuatim conſeneſcere. Ita prorſus ambiunt mortales Imperia, neſcientes quòd in ſublimi minor ſit agentibus licentia. Sic Imperator Diocletianus, quum ex auguſto faſtigio volens in priuatam vitam conceſſiſſet, & à Maximiano conſorte quondam Imperij (qui eodem vrgente Diocletiano purpuram inuitus poſuiſſet) ſollicitaretur reſumere quod ponebat Imperium, reſpondit, Si noſſet Maximianus quàm ſint dulcia quæ meis manibus ſeui olera, ad auguſtam dignitatem redire non properaret. Ego ex duobus, Waldemaro & Magno, ſortem prioris ſortunatiorem putaui.

Diocletiani apophthegma.

Cap. 26.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Birgerivs Magno ſucceſſit in regno, incertum quo ſanguine cretus: nam annales nihil horum reliquerunt. Sed hoc annotatum eſt, dum rex iam ſibi ſecurus regnare putaretur, ab Erico duce captus in vincula conijcitur. Secutus exemplum Magni, qui peregrinatum fratrem excluſit, regno occupato. Iſte germanum domi ſedentem, & nihil minus quàm à fratre timentem cepit, vt pernicioſo Magni exemplo regnum fratri ſurriperet. Quæ captiuitas multorum extitit cauſa malorum. Erat autem tum poſt natum Chriſtum annus circiter quintus ſupra mille trecẽtos. 1305.
Ericus Daniæ rex, quum audiret indignam affinis ſui ſortem, de rerum mutatione cogitauit. Nam conuocatis in inſulam Cimbriæ Germaniæ vicinis principibus, omnes inuicem aut cum ciuibus diſſidentes cõtraxit: factaq́; multis laboribus inter omnes pace, magno auxiliariorum ſuorū ex Germania apparatu duxit in Sueciam, vt Brigerium regem captiuitate laxatum, regno reſtitueret. Vbi venit, paratiſſimos ad arma reperit Brigerij fratres, Ericum & Waldemarum: qui omnibus arcibus præſidia Teutonū impoſuere. Fruſtratus ergo Daniæ rex Ericus, quum oppugnationes arcium & vrbiū fruſtra intentaret: nemine in aciem prodeunte, cum iactura & re infecta reduxit exercitum. Poſt aliquot tamen annos ipſi fratres ad cor reuerſi, recordantes quid egerint in fratrem ſuum regem, natu maiorem, quem regno deiectum, iam diu clauſum ſeruauerũt, inito conſilio, euocatiſq́; ad hoc regni proceribus, quos putabant regni negocio rectè conſulturos, fratrem ſuum regem carcere laxat, acceptis ab illo de impunitate ſacramentis, & conſtitutis ſibi ex ſententia prouinciis in regno, quibus pro captu ſuo magnificè agerent. Igitur Birgerius regni ſceptra recipiens moderatur: filiumque Magnum (quod in formula compoſitionis conuenerat) facit regni conſortem, iubens illum ſacro perunctum oleo, ſecum regem appellari: quò de ſucceſſione ſecurior foret. Quum autem iam olim videretur iniuria & obliuio totalis intericiſſe, earum rerum quas pridem fratres in regem moliebantur: altius cordi eius (licet diſſimulantius) inſedit memoria. Fratres iam nihil à fratre formidantes, iubet reuocari, vt Decembria (de more gentis) conuiuia inibi vocati cum rege peragerent. Illi alacres adſunt, regi ex fide complaciturj. Rex conuiuio exhilaratos militibus circumſundit, capit, & mox gladio cædi iubet publico. Res cunctis proceribus execrabilis viſa, omnes in vindictam excitauit. Itaque facto agmine regem adoriuntur: nec poterat illis iam in ſe conſpirantibus aciem opponere. Fugatus igitur cum regina, ceſſit quà potuit. Filiū eius Magnum, iam regem conſecratum, in arce Steckeburg obſident, & arce capta Magnum quoque ſuæ fecere poteſtatis. Igitur ſacro coram illo miſſali officio peracto, iubent (ſi libeat) expurgata primùm ſacramentali confeſſione conſcientia, ſacris altaribus participari. Ille (quod neceſſe fuit) æternæ conſuluit ſaluti, & in fine (quod paſſi ſunt à patre patrui) cæſus, capite plectitur.

Daniæ lib. 7. cap. 26.

Regem fratres, quē abdicauerāt, vi reſtituunt.

Regis qui fidem violarat filius patre elapſo, capite pœnas luit.

CAP. 27. *Magnus Noruagiam Sueciæ adiungit.*

MAGNVS Erici ducis, quem Birgerius capite truncauit, filius, voluntate procerum ad regnum ſublimatur, adoleſcens ingenuæ virtutis. Qui vſqueadeo proſperatus eſt, vt adiuuante virtute, fauente fortuna, paterno regno Noruagiam quoque cõſociaret, factus rex duorum regnorum. Quod vnde factum ſit, memoria in annalibus nulla extat: hoc tamen quia factum ſit, non ſiletur. Tenebat autem coniugem Ingelbugem: quæ illi peperit filium Magnum, duorum regnorum ſucceſſo-
1326. rem. Nec diu ſuperfuit Magnus pater, quia circa annum Chriſti viceſimũ ſextum poſt mille trecentos, ille in fata conceſſit. Relicta autem eius regina (incertum quo fato) nupſit Kanuto duci Hallandiæ: quem ex infimo militiæ gradu ad militarem rex Daniæ Chriſtophorus prouexit cingulum: inde etiam ad ducalem ſuſtulit dignitatem. Et (quod faſtigium erat honorum) eodem operante, relictam Magni regis Sueciæ atque Noruagiæ coniugem duxit, factus adminiſtrator duorum perinde regnorum. Proceres vtriuſque regni inuiderunt duci, cognomento Pors: at ille virtute ſuperauit inuidiam. Ioannes comes Holſatiæ, Chriſtophori frater vterinus, ad eas nuptias properabat. Sed in famulitio eius ſuborta rixa, Ioannes Brocktorp miles, comiti iunctiſſimus, opprimitur. Qua re comes intellecta, ſuprà quàm dici poteſt turbatus, cœptum iter intermiſit, dum fidiſſimum ſibi virum lugeret. Reuerſus in terram, oppreſſores eius omni ditione ſua proſcripſit, quantum potuit molitus vindictam in necem amantiſſimi militis ſui.

Kanutus ex infimo loco ad ſummos honores eletus.

CAP. 28. MAGNVS Magni filius, patri in Sueciæ atque Noruagiæ regnis ſuccedit: adminiſtrationem agente ex ſententia regis Danorum Kanuto, duce Hallandiæ, vitrico regis pueri. Sic enim expediebat rebus Daniæ, vt is regnis duobus præeſſet, quem rex Daniæ haberet in poteſtate: vtpote quem ſua voluntate creaſſet in eum ditionis modum, vt dux eſſet, reginæ quondam maritus. Magnus autem aliquandiu regno quum præfuiſſet, ſororem ſuam Eufemiam deſpondit Alberto
1336. domino Magnopolenſi. Erat autem XXXVI. ſupra mille trecentos à Chriſto annus, quum nuptiæ Roſtock principali ritu peragerentur, cohoneſtantibus feſtam ſolennitatem multis, qui aderant, principibus. Ericus dux inferioris Saxoniæ, militari tum cingulo ſponſum Albertum exornauit. Peractis autem ſolenniter nuptiis, ingreſſi mare ſponſus cum ſponſa Sueciam petiuere. Traxit ſecum Albertus in ſocietatem nauigationis Rodulphi ducis Saxoniæ filium, & Gerhardi comitis Holſatiæ itidem Henricum filium. Quum autem nauigantes Sueciæ propinquarent, obuiam habuere reginam: quæ ſponſum ſponſamque (imo iam coniuges) regaliter exceptos, ſecum perduxit in regnum. Rex cunctis ad magnificentiam præparatis, venientes hoſpitaliter ac benignè ſuſcepit. Aderat Engelbertus Tarbatenſis ex Liuonia Epiſcopus, de rebus inibi ordinaturus. Quem regni illius pontifices honorantes hoſpitio, orabãt ſacrum Miſſarum peragere officium. Tum rex atque regina, de more ſacro peruncti oleo, coronantur: idque legitimè expletum exhilarauit omnes.

CAP. 29. *Ruſſi arcem ſibi ademptam recipiunt.*

INDE rex Sueciæ bellum Ruſſis inferebat, obſeditq; arcem inſignem Pekeſar, & expugnauit. Quumq; munitionem eius pro tempore roboraſſet, impoſito quadringentorum forti præſidio, victorem reduxit exercitum. Ruſſi aũt vbi audiuere regem in ſua rediiſſe, cum eo præſente manum cõferre non audentes: facto agmine arcem captam, & à Suecis infeſſam, obſidione rurſum vallant: & omni quo poterant apparatu diu oppugnatam, expugnant, omnes quos inuenere ad vnum trucidantes. Inde verò aliquot tranſcurſis annis, filio ſuo Aquino, quem Noruagiæ regem fecit, deſpõdit Eliſabet, Henrici Holſatorum comitis germanam: eamq; miſſis ex regni corpore proceribus, iuſſit adduci. Pacta matrimonij talia fuere, quòd niſi Aquinus dictam puellam acciperet, omnes illico regni proceres ſacramento, quod Magno regi ſuo debebant, eſſent liberi. Noluit enim Henricus comes germanam ſuam trans mare fluxæ Suecorum fidei permittere, niſi illis forẽt pacta firmata conditionibus quas diximus. Nauigarunt cum accepta puella Sueciam verſus: ſed ortus è contrario ventus, in portus Daniæ impulit nauigantes. Rex Waldemarus quum intelligeret profectionis cauſam, quòd in Noruagiam puella regi nuptura deportaretur: animo ſecum voluit, expedire regnis vt torum illum filia ſua teneret

Danus filiã Sueciæ regis filio obtrudit ſponſa abiecta.

teneret Margareta. Itaque aduenis hoſpitaliter habitis, & (adhibitis morandi cauſis, ne elaberentur) aſſeruatis, regem Sueciæ Magnum euocauit filiumque Aquinum. Itaque tribus regibus in vnum conuenientibus, cœpit agere Waldemarus, quàm magno trium regnorum commodo pax ſtaret iugalibus ſacris ſociata. Multis tandem verbis id egit, vt Magnum Sueciæ regem in eam pertraheret ſententiam, vt Aquino filio Margaretam Waldemari Danorum regis filiam ſociaret. Itaque conuentum eſt vt Aquino mox iungeretur Margareta: & nuptiis mox peractis rem perfecere, Sueciæ proceribus ad omnia conturbatis (quòd fidefragi viderentur) ſimul commiſeratis nobilem puellam, quam terris ſuis eduxerant: quòd ſine cauſa abiiceretur repudiata prius quàm ducta.

Cap. 30.

SED conuerſa eſt mox in luctum cithara. Nam ea ſolennitate iure ſponſi, Blanca regina Sueciæ & Chriſtophorus vnicus Waldemari filius diem ſuum obierunt. Sueciæ autem proceres mox ipſo facto ſoluti ſacramento, quod regi ſuo debuerant, de implenda fide cogitabant. Erant autem (vt dicere cœpimus) pacta dotalia firmiſſimis & maximis vallata pœnis. Nam ſi de parte Henrici comitis impedimentum daretur, quò minus ſponſalia in nuptias implerentur, arcem Calmeren, quam de regno Sueciæ tenebat Henricus comes in pignus, amitteret, & rurſus ſexaginta millia au ri talenta perſolueret. E diuerſo, ſi de regis parte ſtaret quò minus implerentur nuptiæ, ipſe regno cederet, & omnium ſacramenta ab illo laxata, ad Henricum comitem tranſirent. Contemptus videbatur inter reges comes. Sed id agebat vir ad arma natus (& qui fortunam ſuam per multas terras expertus, vbique fortiſſimus & fortunatiſſimus haberetur) ne poſſet contemni. Ergo miſſis in regnum literis, proceres commonefecit ſub honore militari, vt dicto parerent: quod niſi facerent, apud omnes principes infamiam eorum denudandam. Mouit bonos viros iuſta expoſtulatio: & ad eum nauigantes venerunt, ſe paratos ad omnia quæ vellet offerentes: nec enim fidei ſuæ detrimentum paſſuros, nec honori vnquam derogaturos. Adierunt Henricum comitem in Holſatia, regnum illi ex pacto fœdere deferentes, ſeſe illi parituros ad omnia polliciti. Aderant autem & pontifices duo, Lincopenſis archicamerarius, & Vexorenſis proximus regni conſiliarius, dominus Carolus de Thuſten, regni marſcalcus, Nicolaus Sturſen dapifer, Ericus Karlſen camerarius, milites, cum multis eiuſdem regni honeſtis militaribus: qui ſe ad ſanguinem impleturos fidem ſpoponderunt. Ille actis gratiis ſuper implenda fide, ſe regno teſtatus imparem, illos remiſit ad Albertum ducem Magnopolenſem, ſocerum ſuum, quòd eius nuper filiam, relictam Ludouici marchionis, coniugem duxiſſet: vt quoniam nati eſſent eius filij ex Euſemia Magni ſorore, non alieni ad regnum viderentur. Quemcunque illi ex tribus eius filiis, Henricum, Albertum, Magnum, elegerint, in eum ſe ius ſuum omne refuſurum. Illi deligunt Albertum ex tribus medium: cumque illo, inſtituta ex Wernouia nauigatione, multa cincti manu militari perueniunt in Calmeren. Inde mouentes in Halmis, promptè recipiuntur, volentibus cunctis: vt teſtata fides impleretur. Permanſit Albertus in regno. Interim euocato ad cauſam Magno, vt (ſi poſſet) ſe tueretur, quum minimè compareret: & in ipſa Quadrageſima, in ſolito conuentionis loco, omne regni conſilium conueniſſet, iterum euocato Magno, nec comparente: in eius contumaciam recenſitis culpis, quas de lecto libro legitimarunt, Magnum ſolenniter regno deſtituerunt: pronunciantes, neminem ex vniuerſo regni corpore, ſacramentis eius in reliquum deuinciri. Et vnanimi conſenſu Albertum eligentes, regem conſtituerunt: & ab eo acceptis & deinde præſtitis ſacramentis, regem ſuum declararunt.

Sueciæ proceres regis ſui perfidiā diſplicere oſtendunt.

Suecia regnum Alberto Alberti filio defertur.

Magnus publico conſilio regno deſtituitur.

Cap. 31.

ALBERTVS igitur Alberti Magnopolenſis ducis filius, rex creatus, pro iure ſuo regni negocia ſollicitus obibat. Magnus autem vbi ſe deſtitutum audiebat, contractis quos ex multis reliquos habebat amicis, queſtus in ſe coniurationem factam armis eſſe vindicandam. Vocatoque in auxilium de Noruagia filio, arma mouit in Albertum. Sed nihil potuit, omnibus ex certa prouidentia conſtitutis, vt neque portus neque arces vllas ſibi parentes inueniret. Vbi armis ergo non potuit, per communes amicos rem in tractatus amicitiæ coniecit. Conuenere in locum conſtitutum, Albertus rex cum patre, principibus & regni proceribus, ex vna: Ma-

Magnus regno destitutus filio Gothiam dari supplex petit.

gnus cum iis quos reliquos habuit ex amicis, & à filio ſuo de Noruagia tranſmiſſis. Ibi primùm lachrymabiliter caſum ſuum Magnus verbis fecit cõmiſerabilem. Et vbi reſponſum pro rebus accepit, ipſe ſua voce ſubiecit, Ego, inquit, mi Alberte quando in me Deus tantum voluit fortunæ permittere, vt in planum ex regio faſtigio deſcenderem: non viuit hodie mortalis quiſpiam, quem tibi putem ex animo meo in regnum iſtud præferendum. Quid enim? Num tu atque Aquinus meus eodem gradu conſiſtitis? Ille ex me patre, tu ex ſorore geniti, eoſdem auos numeratis, ille ex me patre, tu à matre, mea ſorore. Igitur quamuis non deſint qui arma mihi promittant, tamen ecce libens tibi de regno concedo. Tu mihi eam refer vicem, quando ampliſſimum regnum in conſpectu eſt, vt permittas occiduam mihi Gothiam ad vitæ tempora. De reliquo tu tibi cõſule. Viſa eſt oratio eius lachrymis plena: & mouit vniuerſos, præcipuè verò Albertum: iuſſitque bene de ſe ſperare Magnum. Sed quoniam Aquinus ibi filius non aderat, non potuit res tum conſummari. Conuentũ tamen, vt in alium iterum locum atq; diem cœtum cogerent, præſente Aquino, vt tum res omnis ex ſententia decideretur. Interim quietẽ ageret, nihilo turbaturus Albertum. Ita diſceſſum eſt. Redit Albertus regis pater in Germaniam.

CAP. 32. IPSE rex auctus armis nauigauit in Phinniam, vt cõtumacem prouinciam perdomaret. Quumq; ad conſtitutum diem omnia conſtarent ex ſententia, Magnus conquieuit: & Albertus rex omnia pro iure ſuo tenuit per multos annos pacificè. Iamq; dudum confirmatus in regno, quum defuncto Magno nemo ſupereſſet qui obgauniret: ipſe rex ſolenni ac regio inſtructus apparatu, in Magnopolim ſuam enauigauit: ibiq; curiam indixit in vrbe Wiſmaria cunctis principibus Germaniæ inferioris. Confluxere quicquid erat nobilitatis ab Herciniis montibus ad mare, marchiones, duces, comites, & quicquid vbiq; erat præcipuum. Et primùm quidem ratio habita eſt in cõcilio communium temporum, vt pax & tranquillitas inter omnes ſeruaretur. Inde cõuiuiis & ſolennitatibus indultum eſt: haſtiludia, choreæ militares, domicellares ludi, fœminei plauſus vbiq; reſonabant. Concurrerant ad feſtam ſolennitatem de longinquo plurimi, res nouas (quas nunquam antea) viſuri. Non erat qui triſtium rerum vllam memoriam faceret: omnia in ſplendoribus & magnificis apparatibus, & multiplici principum ac dominarum honore agebantur. Quum autem Albertus iam annis circiter ſex & viginti egiſſet in regno, & multa fortiter prudenterq; conſtituiſſet: obiecit ei fortuna hoſtem intolerabilem. Nam Margareta, Daniæ regis Waldemari vnica filia, poſt patrem adminiſtrauit idem regnum ſtrenuiſſimè. Defunctoq; poſt aliquot annos Aquino Noruagię rege, marito ſuo, cum paruulo ſuo Olauo duo regna iam gubernabat. Et quum ille quoq; in primis adoleſcentiæ annis in fata conceſſiſſet, iam ſola duobus præfuit regnis, mulier prudentiſſima. Regi Sueciæ Alberto ſe obiecit. Is enim opportuno loco, vt regnum ſuũ ab incurſione tueretur, arcem erexit, ac cõmuniuit. Margareta arbitrata hoc ſui iuris eſſe præiudiciũ, quòd ſui non (vt prius) vada atq; amnes liberi permearent: firmauit & illa arcem ex aduerſo, vt commeatus intercluderet viam importãdi in arcem regiã. Ea res primùm iurgia excitauit præfectorũ: inde, creſcentibus odiis vtrinq;, res prodiit in apertũ bellum. Contracta valida armorum auxilia. Nam regina, ex duobus regnis, quicquid habuit nobilitatis, in arma vocauit: rex aũt ſuis è regno copiis, addidit ex Germania auxilia plurima. Ita paribus animis ruitur in bellum. Iam productæ acies ſtabant, vt alterno aſpectu ſeſe contẽplarentur. Palus erat inuia, quæ alternos diſcluſit: nonnulla vada, quæ non omnibus erant cõperta. Hærebant Dani, expectantes ſi fortè rex prior tranſitũ pararet: neq; ille feſtinabat. Attamen maiorem animis fiduciam, ex Germanorum, quę ducebat, auxiliis trahens, prior ingreditur paludoſum iter. Ibi cum ſuis tot implicatur difficultatibus, vt hoſtibus viam panderet ad victoriam. Præliatũ tamen eſt acriter ab iis qui æquis conſtitere locis. Sed hæſitantibus in profundo paludis, nulla erat facultas vires exerendi. Itaq; vincuntur cædunturq; regij: ipſe rex cum Erico filio capitur, & reginæ ſeruatur intuendus. Illa expectatione prælij ſuſpenſa, demorabatur nuncium de euentu, in arce Werdingburg. Vbi audiuit ſuorum fœlicem pugnam, captumque regem: aſcenſo curru contendit in Bahuſen, ibiq; iuſſit adeſſe captiuos. Rex ipſe cum

Albertus ex Suecia Wiſmariam ad conuentum habendum nauigat.

Margareta duorum regnorum regina, Alberto grauiſſima.

Dani. lib. 7. cap. 42.

filio

filio iubetur carcere ſeruari: cæteros nobiles, accepta de more fide, laxari iuſſit. Tum prima nocte ita cum rege agitur, vt volens duas arces in manus reginæ conſignaret, Axeburg nouam arcem: vnde omnis mali prodiit origo. In hac captiuitate ſeptem annis rex perdurauit: quum multa interim per principes perque ciuitates maritimas ſuper eius relaxatione agerentur.

Albertus cũ Erico filio, ſeptẽ annos in captiuitate agit.

CAP. 33.

Triũ regnorum vnitas.

MARGARETA Aquini Noruagiæ regis relicta, Waldemari Daniæ regis filia, duobus antea poſſeſſis regnis: iam victrix, tertium Sueciæ regnũ duobus coniunxit. Et ex illo die penè ſemper manſere coniuncta, Noruagia nunquam diſcrepante. Licet Suecia aliquoties ſe tentauerit ſeiungere, rediit tamen ad eam vnionẽ, quam triũ regnorum proceres ſentientes regnis profuturam vnanimi cõſenſu ſeruandam conſtituerunt. Erat ſeptimus poſt mille quadringentos à Chriſto annos, quũ Stocksholm, inſigne Sueciæ emporiũ, inſigni afficeretur clade de cœlo. Nam fulmine tactũ oppidum, penè totum conflagrauit: perierunt incendio ad mille ſexcentos homines. At miſerabilius eſt quod ſequitur. Fœminæ plures, & ſine numero puellæ, nauib. res ſuas inuexerant cum paruulis: aderant & viri non pauci. Priuſquam ſoluerent, ingruebat promiſcuũ vulgus, incendia declinans: & oppletæ tanta multitudine naues ſubſederunt, merſeruntq́; omnem illam multitudinem. Res calamitoſa ſine exemplo. Sed hæc poſtea. Interim Ioannes dux Stargardię, vnus ex captis, poſteaquam ære captiuitatem ſuam luiſſet: exercitum parauit in Sueciã traijcere, præliaturus cum Danis, ad liberationem regis cognati ſui. Vbi aũt expeditis omnibus copiis nauibus impoſuiſſet, ingreſſus nauigationem, grauis exorta tempeſtas claſſem diſiecit. Vna in cõſpectu nauis ex grandioribus mari immerſa periit, multos abſorbens ex fortiſſimis. Altera quædam (magiſtri culpa ac dolo, an vi tempeſtatis incertum) in Calmeren perducta, capitur ab iis qui iam reginæ paruerunt. Nam omne penè regnũ (præter vnam ciuitatem Holmenſem, quæ ſola fidem regi ſeruauit, cum paucis) iam ſe ad reginam contulerat. Ioannes dux lacera vix claſſe in ſua reuertitur. Nam multi ſuorũ vi tempeſtatis in portus adacti, hoſtibus ludibrio fuere, capti. Ita magnis ſumptibus tum inſtituta naualis expeditio, in vacuũ ceſſit: rex tum nihil laxamenti exinde perſenſit. Operæprecium eſt cognoſcere, quid tantum regnum tam ſubitò auerterit regi ſuo, vt cum fortuna vertente, fides penè omnium verteretur, aduerſus ea quæ iam dudum præſtitere ſacramenta. Certè nouitatum cupida ſemper inuenta eſt ea natio. Quam feruenti ergo principio regem ſuum intulerunt regno, tam tepido nunc languidoq́; conamine defendunt: pertæſi (vt apparet) Germanici iamdudum imperij, ad reginã inclinauere: Ita factæ ſunt regis partes duriores. Nam quum nulli vel pauci ſtarent in regno pro rege, ſoli exteri difficulter poterant aliquid in tria regna iam planè conſentientia. Attamen Ioannes idem dux cum duobus filiis, Ioanne & Vlrico, multaq́; manu militari, accedentibus auxiliis ciuium Roſtokcenſium & Wiſmarienſium: qui pro rege, ſuo vtique principe, & nauibus & armis & ære & corporibus militabãt. Ergo circa feſtum aſſumptionis Mariæ nauigantes, primùm ingreſſi inſulam Bornholm, naues ſua præda ſtipabant. Inde in Gotlandiam ducentes, idem factitarunt. Iam in Sueciam mouentes, contenderunt in Stocksholm: quod ſolum oppidum regi parebat. Dani autem duo præſidia erexerant aduerſus oppidum. Sed dux inita oppugnatione, vnum fortalicium facile deiecit: & ciuitatem ingreſſus & egreſſus ad libitum, ſecundò quoque expugnando inuigilabat. Sed erat ibi durior labor: quòd in altiſſima rupe firmatum, non erat aditu facile. Fame tentabat expugnare circumſedens. Id veriti Dani, petito colloquio rem in treugas coniiciunt ad proximũ diem Pentecoſtes. Quòd ſi inſtitiſſent cœpto labori, facilè expugnato præſidio, viam ſibi magnam ad laxãdum captiuitate regem aperuiſſent: tum autem treugis contenti, rem ſuſpenſam reliquerunt. Ciuitates autem Roſtock atq́; Wiſmaria, pro ſuo principe laxando quum non alia cernerent remedia, publicis per terras edictis euocarunt omnes ad prædam, ſuapte fortuna, ſuo lucro aut damno in tria regna militaturos: portus & vrbes ſuas illis patere, vt prædam inde abſtractam ibi partirẽtur, diſtraherentq́; pro arbitrio. Cõfluxit tãta hominum vndecunq; colluuies, vt mare implerent Orientale: & inſtitutis ſæuiere prædationibus terra marique. Sed euenit

1407.

Calamitas tum igne de cœlo, tũ vnda luctuoſa.

Qui Alberto captiuo opẽ parabat, naufragiũ facit.

Secũdus ad regem liberandum conatus.

Nimia ad omnis generis latrocinia aperiuntur feneſtra.

(quod neceſſe fuit) vt tanta mortalium ſine ordine, ſine ſuperiore, ſine autoritate multitudo, ſua abuteretur licentia, paſſim ſine diſcrimine rapientes: hoſtis an fœderatus, in æquo ponebant. Quùm verò nihil hoſtile occurreret, vel intentata præda malè cederet: quicquid in mari obuium fuit, hoſtile erat, illorum interpretatione. Vitalianos ſeſe appellauere, dum mare tenerent infeſtum, poſteaquam ſemel prædæ dulcedo illis innotuit. Memoratæ vrbes etſi mercium raptarum inuectione non parum lucri ſentirent, tamen quia res ſine diſcrimine miſcebantur, nec potuere illi ſemel permiſſam licentiam facilè reuocare, neque facultatem refrænare: vicinarum vrbium odia, & longinquorum mercatorum, non iniuria meruerunt.

Cap. 34. *1394.* Anno qui tum proximè ſequebatur (erat enim nonageſimus quartus poſt mille trecentos) vrbium maritimarum conſilia ſuos miſere oratores in Daniam, tractandi apud reginam gratia, pro relaxatione regis Alberti. Erat tum regina Halſinburgi: eò contenderant qui miſſi fuere, & impleuere ſedulò mandata. Interea Dani atque Germani, quodam in loco exoriente rixa, conuolarunt in arma: futuraq; videbatur cædes maxima omnium Teutonum. Id metuens volenſque præuenire quidam ex oratoribus, vrbis Sundenſis proconſul, feſtinauit in arcem, nunciare reginæ periculum, quod imminebat accitis fide publica oratoribus. Vidit illum Danorum quiſpiam properantem: gladio aggreſſus infeſto, caput ſecuit dimidiatum. Ille cadens moritur: cæteri in naues feſtinauere, abitum ſuum maturantes. Ita tum res permanſit intacta. Proximo autem anno, quum res in eodem ſtatu permaneret, & regnum totum Sueciæ oppido Stockſholm aduerſaretur, quod ſolùm in fide regis permanſit, nec egredi ciues ſinerentur, incluſi hoſtibus: nec importari ſinebāt vrbi commeatus. Itaq; ad famem res in oppido vergebant. Quod vbi Vitaliani cognouere, ex portubus vrbium Roſtock & Wiſmari naues octo grandes frugib. & reliquo commeatu ſtiparunt, amicis importaturi. Erat autem bruma imminens. Nauigationem ingreſſi ſub magiſtro Hugone omniū capitaneo, aduerſis flatibus Sueciam apprendere non valebant. Dani quoque mare tenuerunt infeſtū, vrgentes quos viderāt pro ciuitatibus & rege laborare. Incidit aūt proximis noctibus vehementiſſimum gelu: vt etiam rigenti in mari glacie, naues firmarentur. Hugo futuri prouidus, ex ſuis per glaciem quoſdam per proxima nemora demittit, qui trabibus elatis naues vallarent, ſuperfundentes continuò aquas: quæ in glaciem mox duratæ, inexpugnabiles fecere naues. Iam in eum modū durata erat glacies, vt pedeſtri itinere Dani circumfuſi oppugnarent naues: ſed nihil profecerunt. Machinas adhibere volebant: Cattos vocant, quorum de ſummitate tela in naues cōiicerentur. Id præſentiens Hugo, iubet in veſperum inſcindi glaciem per circuitum nauium. Aderat fortuna. Tenui tum renaſcenti glaciei nix ſupercecidit, vt nullū haberet hoſtis Danus diſcrimen. Admouere tentabat nauibus machinas. Vbi venerant in locum fraudis, demergūtur omnes qui aderant, de nauibus ſublato clamore *Cas, Cas*, ad inſultationem pereuntium. Quum primùm aūt ſoluta eſt glacies, in portum optatum naues peruenere, cōſolationem importantes fame laborantibus ciuilibus amicis. Proximo tamen anno, qui cœpit eſſe ſeptimus à captiuitate regis, vrbium maritimarum oratores Lubeck, Sundis, Gripenſis, Turrianēſis, Elbingenſis, Gdanenſis, Reualienſis, ex placito reginā in Luitholm conuenerant, apud eam de laxatione regis laborantes. Poſt plurimam autem rerum & verborum altercationem, cōuenerant in hanc formam: Vt ſeptem memoratis ciuitatibus regina regem Albertum cum Erico filio conſignaret liberum: Ciuitates fidem facerent reginæ, quòd infra triennium rex ad voluntatem reginæ ſe ære lueret. Ni id faceret, tum memoratæ vrbes ipſum regem cum filio in manus redderent reginæ ſine dolo. Probauit conditionem Albertus. Sed vt ſecuritas quoq; eſſet ciuitatibus, fidem daturus rex, literis & ſigillo ſuo roborauit, vrbem Stockſholm cum arce ſua, fore in manibus ciuitatum. Eo pacto, niſi infra triennium pactis conditionibus ſatisfaceret, ipſi arcem cum vrbe, reginæ contraderent. Habebant autem ciuitates in ea formula arbitrium, vt niſi pateretur, aut regem cum filio reddere, aut ſexaginta millia marcarum argenti perſoluere, aut arcem cum oppido, reginæ in manus tradere. Quæ res tertio capite viam fecit promptiſſimam. His pactis conditionibus, rex captiuitate

Oratoris per tumultum cædes.

Mira claſſis præfecti industria commeatum laborantibus importat.

Conuentio eximendi regis.

ptiuitate laxatus, cum vrbium oratoribus in Magnopolim cum filio reuertitur.

QVVM rex Sueciæ Albertus, captiuitate laxatus, nuptiis nouis ſibi conſuleret, filioq́; daret coniugem filiam ducis de Wolgaſt, quod in Saxonia & Wandalia diximus, currebat interim, & ad finem inclinauit conſtitutũ triennium. Tum ciuitates ſeptem, quæ fidem ſuam obſtrinxerant, regem commouere: vt quoniam arbitrio ſuo permiſſum eſſet, ex tribus vnum deligere: aut argentum perſoluere ſexaginta millium marcarum, aut vrbem Stockholm cum arce tradere, aut in captiuitatem redire: quod illorum præferret. Ille, quod nemo dubitabat, ſe quàm minimo decreuit laxare incommodo. Literas ergo dedit ad ciues Stocksholm. Gratias egit de fide ad extremum impleta: ſemper fuiſſe illi in animo, vitam prius efflare, quam ab illis diſcedere: nec dum poſuiſſe ſpem, ad illos aliquando meliore fortuna redeundi. Nunc tempori cedendum & neceſſitati, quando non eſt alia via perueniendi ad id quod quæritur. Tradant ſe reginæ in præſentiarum. Meliora futura tempora, quando illos non pœnitebit ſeruatæ ad finem fidei. Eas literas quum tenuerunt vrbium memoratarum oratores, in Sueciam ſe contulerunt. Et primùm admonita (vt par erat) communitate vrbis Stocksholm, reginæ, ex pactis conuentis, ad fidei ſuæ impletionem, & regis plenam & effectualem liberationem, oppidum eum arce tradiderunt. Nec enim tam facilem rex iniiſſet de tanto regno tranſactionem, ſi aut fidem in regni proceribus reperiſſet, aut filium ſuum, quem pro ſe regem deſtinauit, diutius habere meruiſſet. Hic erat exitus belli acerrimi. Quũ enim poſt duos annos laxationis ſuæ in fata conceſſiſſet, omnem ſpem recuperandi regni abiecit Albertus, ſua contentus Magnopoli. Tenebat tamen Albertus Godlandiam inſulam, de qua in fœdere & pactis nihil cautum erat. Eam autem domui Teutonicorum in Pruſſia, fratribus beatæ Mariæ, Albertus vendidit. Proximo autem anno, pecuniam expromiſſam in Wiſmariam attulerunt: & miſſis cum eo certis qui præſentarent viris, eiuſdem tum plenariam ſunt adepti poſſeſſionem. Margareta autem trium regnorum iam potẽs regina, omnia regna induſtriè adminiſtrabat: nec erat qui illi contradiceret: quod nulli interim regum potentiſſimorum contingere potuit. Sed erat ſingularis in muliere hac prudentia, qua omne conſilium procerum ita ſibi deuinxit, vt omnes illi parerent ad nutum. Quum autem conſenuiſſet, tranquillitati ſuæ ſtudens, quod & in Dania recitauimus, magno omniũm procerum ſuorum prǽhabito conſilio, Ericum Pomeraniæ ducem adoptauit in filium. Is mox vnanimi omnium conſilio rex delectus trium pariter regnorum, longam retro antiquitatis renouans memoriam, aſſequitur vt vnis legibus tria regna teneret, & (quod eſt mirabilius) mulieris beneficio.

Albertus Stockholm, quam ſolã habebat in Suecia, reginæ tradi aſſentitur.

Erici mors.

Lib. 8 cap. 11. Ericus à Margareta adoptatus, trib. regnis præficitur.

ERICVS inter trium regnorum iura, quæ adoptione quæſiuit, etiam Sueciam tenuit, ſatis ibi quietas in primordio res expertus: quum interim ducibus Sleſwici, & ciuitatibus maritimis (quæ vocantur Wandalicæ) colluctaretur. In archiepiſcopatum tamen Vpſolenſi neſcio quid deprehendens, miſſo ad vrbem Romam ſpeciali nuncio, ipſum accuſauit. Conuictumq́; papa deſtituit archiepiſcopatu: & fratrem quendam ordinis tum noui S. Brigittæ ſurrogauit, virum deuotioni deditum. Qua nunc ſola, eccleſiæ tenentes arces & prædia, non reguntur. Cætera illi per Sueciam diu fuere quieta: vſque adeo vt regina coniunx Erici, Philippa, regis Portugalliæ filia, ibi frequenter commaneret, exoſa tumultus bellicos, non ſatis amans regis mariti mores. In Suecia ergo confidens, poſt multum ibi temporis elanguit, & vitam finiuit, ſepulta in Waſtenſi S. Brigittæ nouo monaſterio. Ericus autem rex, quò illius memoriam ibidem cohoneſtaret, largitus eſt loco memorato largam de tribus millibus nobilium eleemoſynam. Quumque rex intentus diu maneret diuturno bello, quod illi foret cum ducibus Sleſwici, comitibus Holſatiæ, multis interim ad neruum belli (vt fieri ſolet) indigebat. Quapropter crebras in populum ponebat collectas: emunxitque argento tria regna, præcipuè Sueciam: quæ aliis opulentior videbatur: quòd etiam longius poſita, excurſionibus maritimis non ita vt Dania pateret. Hanc crebram exactionem nouorum ſemper cenſuum & impoſitionum primùm diſſimulauere (ſi fortè finis eſſet) inde grauiter tulere regni proceres, indolentes, ſuis viſceribus alienam ali ſæuitiam. Primùm murmure, deinde

CAP. 36.

Vpſolen. archiepiſcopus deponitur.

Proceres cũ rege de nimiis exactionibus expoſtulant.

aperta indignatione ſuam teſtati ſunt impatientiam. Aliquando literis, quandoque etiam nunciis miſſis eam apud regem cauſam egerunt: miſeraretur pauperum laborem, quos de Suecia plus aliis euiſceraret. Diu ſe per patientiam tuliſſe, regnum ære exhauriri: ſed vbi ad ſanguinem vſque emungitur, tempus fore expergiſcendi. Alleuiaret manum ſuam, & onera minueret. Alioqui non ſe videre quibus verbis placarent inſurgentem multitudinem. Omnia accepta ſunt ſummis auribus, nec ad corda penetrauere.

CAP. 37.

Dania lib. 8. cap. 18.

Engelbertus Suetica libertatis vindex.

VBI nulla facta eſt rerum mutatio, Engelbertus quidam ex nobilitate vir præcipuus, quum procerū penè omnium & plebis conſentaneum murmur non ferret, ducem ſe rebellionis profeſſum cunctis exhibuit. Concurrerunt ad illū omnes pro libertate voluntarij, ſtipantq; latera, ſecuturi in omnia ad quæ ille ductaret. Magna igitur manu conflata, arces & oppida quæ pro rege ſtabant expugnauit. Spōtaneos & dedititios in libertatem regni iurare adegit: profeſſus, non ſuā ſe dominationem, ſed veteres regni conſuetudines & libertates quærere. Danici generis præfectos amouit, Suetieos ſubſtituit. Ita penè iuſtæ dominationis ſpecimen præferebat. Sed modeſtia effecit, vt non ſe dominū, ſed libertatis aſſertorem dicēs, diu ſuſtineretur & à populo & à magnatibus. Rex Ericus vbi intellexit, literis ad eum datis, primùm de temeritate non creditæ adminiſtrationis: inde, quòd auderet, deſtitutis arcium præfectis à rege conſtitutis, alios ſibi placitos ſurrogare, increpabat. Grauiſſimè inde increpuit, quòd fidei præſtitæ & iuriſiurādi immemor, illa moliretur, quæ illi & omni ſuo generi & aſſectatoribus perpetuā inferrent perniciem. Nihil profuerunt literæ, vbi iam proceſſum erat à ſolita tranquillitate. Igitur quantęcunq; forent minæ regales, Engelbertus in cœpto perſeuerauit. Rex præſentia opus eſſe arbitratus perſonali (ſi fortè vel proceres vel populus reuererentur præſentem, quem abſentem cōtempſere) profectionē inſtituit in Sueciam. At vbi mare nauigaturus ingreditur, exorta grauiſſima tempeſtate, vna de grandioribus nauis commiſſa procellis ſoluitur: centum ac ſexaginta viris mari demerſis, pauci fragmentis enatauere. Ipſa nauis regia nō pauciores experta fluctus, eò prouehitur, vt rex in ſcapham deſcendens, ægrè euaſerit periculum: illa etiam naui cum eis qui remanſere, in conſpectu regis penitus diulſa. Peruenit inde rex vtcunque in Sueciam: & concurſu ad ſe (vt ſperabat) omnium vel maioris partis facto, facilè ſperabat placare tumultuātes: aut etiam, ſi perſeuerarent, exercitum congregare. Sed longè illum fefellit opinio. Omnes à rege auerſos habuere animos, Engelberto inhærentes. Quod vbi rex experimento ſuo didicit, nihil ratus morādum (propter capitis periculum, quod imminere formidabat) celeri ſe ſubductione in Daniā receptabat. Sed quum res illo diu ordine in Suecia gererentur, Engelbertus autem non rex, non dux, ſed libertatis aſſertor ab omnibus haberetur: incidit (quod fieri ſolet) æmulatio, quæ in necem dicti Engelberti quēdam iuuenem potentis militis filium armabat. Qui capta quam ſeruabat opportunitate, cæcidit Engelbertum, & nihil tale timentem oppreſſit. Indignati proceres vindictam parauere. Sed ea erat patris potentia, & arcium munitio, vt ſine grandi labore nihil poſſent. Omiſſa igitur in tempus vltione, de oppugnandis quæ vaſtabant oppidis & arcibus, quas adhuc ſeruauere Dani regi parentes, agebant. Dumq; de præficiendo iterum capitaneo ſecum deliberant, nec facilè reperiretur qui inuidiam nominis ſubiret, quæ res in magnam moram cōiecit ſuffectionem, interea rex Ericus, audita morte rebellantis Engelberti, miſit ſolennes oratores in Lubecam & vicinas vrbes, oratū vt rem inter ſe ac Sueciæ proceres ad pacem reformandam interciperent. Nec dubitauere ciuitatum concilia regiis poſtulationibus annuere. Nam miſſis ex ſuo quæque ciuitas concilio viris probaris in Sueciam, cauſam omnem in diſquiſitionem poſuerūt. Et poſt multa in omnē partem allegata, in eam peruenere ſententiam, eamq; pactis firmauerūt: Vt Ericus regni Sueciæ gubernacula in cæterum teneret, Sueticos in regno arcibus præficeret, non Danos: regium cenſum, quum ibi præſens adeſſet, totum acciperet, abſens dimidium: veterem oppidis & villis libertatem, mercatoribus vndecunq; venientibus ſua priuilegia ſeruaret. In eum modum cōpoſitis rebus, oratores in ſua alacres redierunt, votorum compotes effecti. Deinde tamen tales in regno regi difficulta-

Naufragiū regis in Sueciam nauigantis.

Opprimitur Engelbertus.

Ciuitatum opera res inter regem et populū componitur.

tes emerſerunt, vt ceruices regni gubernaculis ſubducere cogitaret. Nam Dani ad exemplum Suecorum regem coarctare incipientes, pertæſam illis ſecere regni negociationem. Vnde collectis quæ voluit de regno ſecum exportare rebus, in Pruſſiam enauigauit: inde in terram ſuam conceſſit. Reuocatus, non paruit. Connifus eſt tamen, ſuum in locum, vnum ex fratruelibus aut nepotibus regem ſufficere. Vbi non admittitur, omnibus ſe regni negociis abdicauit: & in Pomeraniam concedens, ibi conſenuit, multos ſuperuiuens annos.

Dania lib. 8 cap. 20. & 21.

CAP. 38.

CHRISTOPHORVS Bauariæ dux, quòd proximo ſanguine regem ſuũ contingeret (erat enim ſororis Erici filius) procerum voluntate, vt cæterorum ſic Sueciæ quoque regno præficitur: electus, introductus coronatusq́; ex ſolenni ritu. Iam enim trium regnorum proceres, repetita vice conuenerant, regem vnum regnis tribus præficere. Sic enim temporum tranquillitati maximè conſuleretur. Nam trium regum facile eſt conſenſum dirimere, ſæpe ex contemptibili re poteſt maximum bellum excãdeſcere. Ita omnes in Chriſtophorum conſenſere. Qui vbi coniugem de nobili Brandeburgenſium domo accepiſſet Dorotheam, noſtri quoque temporis reginam, nullum tamen fecit regni ſucceſſorem. Quod aũt ad Sueciam attinet, nihil in diebus ſuis innouatũ eſt: conterritus ille pactis prioribus, nihil commouit. Gotlandiam autem inſulam, Sueciæ coronæ attinentem, Ericus rex ſolam ex omnibus regnis ſibi retinuit. Mirum quomodo in ius ſuum venerit: quam (vt diximus) Albertus rex Sueciæ, domui Teutonicorum fratrũ in Pruſſia vendidit. Sed eſt quod ſæpe repetimus, terras & regna, inſulas cum vrbibus, non legibus, ſed armis, quæri atque defendi. Vnum hoc de temporibus regis huius in memoriam retulerunt. Venit in Sueciam regio apparatu, oſtenſurus ſe populo ſuo: vt regem ſe meminiſſent habere. Et ſacris ritibus per eccleſiam de more peractis, vbi proceres conuiuialiter ex conſuetudine regionis accepiſſet: iam rebus omnibus compoſitis, quum omnia in naues reportarentur, comportati ſunt etiam theſauri regij, à tantis annis collecti (pro rata ſua regem tangentes) vt exportarẽtur. Iam nauigatio in Daniam inſtituitur. Ibi exorta tempeſtas ſæuiſſima naues regias variè iactauit. Vnam, quæ aurum & argentum cum cæteris regij apparatus inſignibus vectabat, in oculis ſuis mergi rex ipſe conſpexit. Ita non ſolum inde non auctus opibus rediit, verùm etiam plurimis, quas regno intulerat, amiſſis. Sed & intercidit ei tum etiam pretioſior in amicis & fidelibus, quos naufragatus amiſerat, theſaurus. Cætera in regno Sueciæ per eius tempus omnia fuere quieta.

Tria regna ab Suecone replacat.

Krantzij cantilena.

Dania lib. 8. cap. 24. Naufragiũ damnoſum.

CAP. 39.

QVVM autem Chriſtophorus rebus exceſſiſſet humanis, iterum proceres de communi placito tribus regnis vnum præficere regem maturabant. Sed alia mens erat Suecorũ. Illis ex re viſum eſt à pactis diſcedere, vt ſuo rege conſtituto, intra Sueciam ſuis viuerent legibus. Potuit illos cõmouere Erici memoria exorta regni turbatio, nec ſub Chriſtophoro emendata: quum ſub præfectis agerent, regẽ non cernerent. Itaque & populi voluntate, nec procerum reluctante ſententia, ex corpore ſuo regem creare anniſi, opulentiſſimum, & in bonis regno notiſſimum militem regem creauere Carolum Kanuti, primum omnium regum (de quo extat memoria) ex infimo nobilitatis gradu delectum. Daniæ atque Noruagiæ proceres indignati de Suecorum à ſe diſceſſione, regem ſuum euocarunt, quem relicta regina maritum ſuum dignaretur, Chriſtianum, quem dixere more ſuo Chriſtiernum, de Aldenburg & Delmenhorſt comitem. Qui de inſula Gotlandia pulſis Suecis, qui per omnem vitam Chriſtophori eam Erico regi quondam ſuo ſeruauere, eam nũc armis viribusque ſibi conquiſiuit: adiutus ab Adolpho auunculo, qui dux Sleſwici autor erat Chriſtierno coronæ ſuſcipiendæ. At Carolus annis vix ſeptem in regno expletis, quum talem ſe gereret, vt eccleſiis pariter & oppidis æquè grauis immineret: omnibus cœpit ordinibus odioſus haberi, recolentibus humilitatem originis, & iuxta eam, prouectionem regiæ dignitatis. Ille vbi intellexit omnium in ſe odia per ſingulos dies creſcere, non ignorans quem ſoret res finem habitura (quem enim quiſque odit, periiſſe cupit: nec ſecurus viuere poteſt, quem multorum oculi ſeruant ad perniciem) collectis rebus ſuis, quas etiam in priuata vita plurimas habuit, regni theſaurum tutis in locis depoſitum, iuſſit aſſeruari. Ipſe ſibi ſuæq́; ſaluti

Sueci regẽ ſibi priuatũ conſtituunt Carolum.

Dania lib. 8. cap. 26.

Sueciæ rex aufugit.

proſpiciens, brumali tempore, in ipſo quod vocant Carniſpriuio, quum omnis regio conuiuali luxu debacchatur, nauim ingrediens, Gdanum proficiſcitur. Tum nobiles regni, atque prælati communicato conſilio, Chriſtiernum Daniæ atque Noruagiæ regem, in regnum vocauerunt.

CAP. 40.

Chriſtiernus triū regnorū rex I.

Dania lib. 8. cap. 30.

CHRISTIERNVS, ceſſione voluntaria per Carolum regni ſede vacuata, euocatus in Sueciam nauigauit. Proceres cum pontificibus collocuti, quum de iuribus regni cum rege contuliſſent, omniaq; ex ſententia cōſtarent, ſuū regem elegerunt eſſe Chriſtiernū: quando Carolus non bene de regno meritus, conſcientia ſua exturbante, regnū deſeruiſſet. In oppido Stoksholm diuinis ſolēniter peractis, Vpſolenſis archiepiſcopus cōſecrationem de more implet, cūctis ad noui regis gloriam tripudiantibus. Ita ius triū regnorum rurſus in vnum coibat. Anno deinde quarto, Chriſtiernus quum audiſſet Carolū collectos ex regno theſauros, tutum in locum depoſuiſſe, cōtendit in Stoksholm, & fratres prædicatores adortus de theſauris ſciſcitatur. Illi primùm diſſimulauere, velut ignorātes quod peteretur. Vbi rex durius increpitos cōmonefaceret, viderent quid & cui abſconderent: non ſe impunè laturum contumaciam, quòd ſe proderent ſentire clàm cum hoſte regni, cui (vt videretur) reuerſuro, depoſitum æs regni cōſeruarent: ipſi fratres perterriti regis minis, celatum prodidere theſaurum. Aliquot millia fuere: grādis quidem priuato homini pecunia, ſed regi paruula, & tam præcipuè munifico, qualis Chriſtiernus videbatur. Quo tempore reperit rex nuncium apoſtolicum Marinum de Fregeno, mulgentem ære populum Aquilonis. Hunc rex quoq; adortus, accepit de lana tonſarum ouium partem, pactus in reliquum dimidium omnium rerum quas idem populus in cauſam pietatis contuliſſet: quod & ipſi regi ſæpe dimicādum foret aduerſus ſchiſmaticos Ruſſos: qui eccleſiam ſecuti oriētalem, ritus occiduæ damnāt eccleſiæ. Sunt autem Suecis quadam in parte cōtermini. Vnde non iniuſtè pactus eſt rex cum exactore, vt ad pia bella collectam à fidelibus pecuniam dimidiaret: ſumptaq; parte contentus, reliquam defendendo, vbi colligebatur, regno dimitteret.

Thesaurus apud fratres mendicātes depoſitum.

Quod nō capit Chriſtus, rapit fiſcus.

CAP. 41.

Rex in Suecos rebelles mouet.

1469.

SVECI deinde rebellionem oſtenderunt regi Chriſtierno, prætendētes neſcio quid, quod in pactis ſuſceptionis eius cautum haberetur. Quumq; rex non acquieſceret, nec illi diſcederent à ſententia, rex valida armati exercitus manu, ex regnis & Germania contracta, anno regni Suetici ſeptimo (qui fuit nonus & ſexageſimus poſt mille quadringentos) mouit in Sueciam. Illi aūt ex omni regno adunati venientem exceperunt: & collata manu non modò ſuſtinuerunt, ſed etiam repreſſerūt, multis in medio cæſis, aliquot ex nobilitate captis. Sed archiepiſcopus Vpſalenſis, qui regi fidus permanebat, quum regi occurriſſet: ab eo tentus, & in Daniam ductus, non caruit ſuſpicione fidei vacillantis. Anno penè integro in Dania manens, vbi regē fecit integritatis ſuæ certiorem, cum honore remittitur ad eccleſiam: nec eſt inuentus alius, qui regi parem fidem aſſeruaret. Nam quum reuerſus inueniſſet omnes penè regi abalienatos, nec facilè poſſe in viam reduci: regni negociis ſe ſubducens, ad quietem & vitæ tranquillitatem ſe cōpoſuit. In hoc rerum ſtatu quum res perdurarent, erant in Suecia duæ arces, quas pro rege Chriſtierno ſeruauere fideles. Iwarus Axel, miles regni primarius, collecto exercitu poſt aliquot annos, niſus expugnare fortalicia, eiectis (vt ſperabat) de regno cunctis qui regi adhærerent. Sed arcibus introrſus fortiter defenſis, quum rex validam ſuorum obſidentibus manum immiſiſſet: fugauit oppugnantes, ſuis protectis. Auſus eſt item idem miles, ductor exercitus, tranſportate copias in Daniam, fœlicius (vt putabat) in hoſtico pugnaturus. Sed occurrere Dani non ſegnes, collataq; manu captos tenuere ex Suecis ſupra trecentos: inter quos multi fuere genere militares. Intercepta res eſt concilij Lubecenſis cæterorumq; communium amicorum opera, inter regem & proceres: placuitq; regi conuentum agere cum illis in vrbe Lubecana. Conſtituto ad hoc die partium placito, venit rex magno comitatus prælatorum ac procerum numero. Diu expectati Sueci demum adſunt, purgantes morā quòd ventos & auram cœli in ſua non haberent poteſtate. Tractatum eſt: nec poterat, multis indagatis viis, ad concordiam perueniri. In cauſa ferebant, quòd Sueci Carolū ſuum, iam ad priuatam vitam in Suecia ſe collocantem, omnino abdicare nollent: ſed Chri-

Lubecæ rex cum proceribus nō poteſt litem dirimere.

ſtierni

ſtierni(vt videbatur) formidatam potentiam, obiectu Caroli frangere ac retardare ſtatuerunt: è diuerſo, Caroli fortaſſe inſolentiam, Chriſtierni formidine temperare. Sed noluit rex in boue & aſino arare: itaque re infecta retro abeunt. Anno proinde proximo, qui fuit ſeptuageſimus poſt mille quadringentos, rex iterum quàm potuit occultiſſimè expeditione præparata, in Sueciam mouit. Sed nō potuit tantus rex ſe commouere, quin ſemper ſuſpicerent, quibus ea res formidanda eſſet. Venit in Sueciam: & per fauces mōtium ductus in regnum, reperit ante ſe, quos putabat imparatos. Itaque magno accepto per anguſtias viarum incommodo, amiſſis (vt ferebant) plus quàm quingentis, retro duxit exercitum: neque tum proſperatus in expeditione ſumptuoſa. Sed eodē anno quum rebus exceſſiſſet humanis Carolus quondam Sueciæ rex, cœperunt inter proceres oriri contrariæ ſententiæ: quum aliis ad noui regis electionem procedendum videretur, aliis Chriſtiernum ſub priſtinis regni pactis reuocandum. Sub ea autem controuerſia res omnis manſit infecta: ſæpe tentata res armis, ſæpius congreſſionibus placitorū. Sed quum nihil proficerent, in ea ambiguitate permanſere, nec regem recuſantes, nec parentes mandatis. Gubernatorem appellauere ex optimis militem, qui conuocandis regni cœtibus, & omnia vice principis gerendi habeat poteſtatem. Mareſcalcum noſtri vocant, Galli coneſtabulum: magiſtrum equitum dixere Romani, armorū ductorem interpretantes: qui & equeſtris militiæ princeps, arbitrium habeat educendi armatum regni exercitum. Multa veneratione Sueci hominem illum habuere, coronam etiam parati deferre, ſi ambiret. Sed ille prudenter diſſimulauit, gubernatorem ſe dici paſſus, natu maiores & regni prælatos, quenq; ſuo dignatus honore. Rex quoque Chriſtiernus cauſam integram ſeruaturus hæredi, rem in reliquum permiſit intentatam: verſatilem toties fidem expertus, elegit vt inter ea quieſceret, ſi quando voluentibus annis, poſteri eius ſua in regna iura recuperarent. 1470.

Apud Suecos de rege nihil ſtatuo poteſt.

Ioannes Chriſtierni filius regis, in Daniam rex electus & cōfirmatus, in Noruagiam hæreditario iure ſuccedens, Sueciæ quoq; regnum expectabat. Admoniti proceres à vicinarum regionum nobilitate, vt ad antiqua ſecum pacta reſpicientes, communem tribus regnis principem præficerent: nil aliud egerunt, quàm ſi vellet rex Ioannes conuentas dudum ſubire conditiones, Suecis quoq; regnaret. Sed ille niſi liberam regendi poteſtatem haberet, contempſit, temperamenta tamen adhiberi pateretur. Sed ad eorum quibus regnaret nutum imperare, non regnū, ſed ſeruitutem deputauit. Diu præſtolatus eſt, ſi fortè ſua ſponte ad cor redirent: aliquādo curauit admoneri. At quem gubernatorem deputauere regni, ea fuit modeſtia, vt diu populus regem non deſideraret. Igitur in hoc rerum ſtatu multi decurrerūt anni, quum interim Suecia à bello non vacabat. Nam Ruſſi orientalia Sueciæ cōtingentes, nonnunquam bello laceſſere Suecos adoriuntur: viciſſim illi Ruſſis faciunt incurſiones. Nihil tamen magni fiebat præter intercurſiones: nam finibus quiſque ſuis præſidia adhibuere. Interim legationes crebreſcūt principis magni Moſcouiæ, qui ſupra omnes proceres prolatauit imperium, magnam illam vrbem Nouogardiam ſibi parere cogens. Is enim in Daniæ regem modernum Ioannem reſpiciens, facilè, ſi de conditionibus belli conueniret, Sueciæ vtriq; intercepta ad iuga cogerent. Sed rex prudentiſſimus audiebat quidem legationes, & quod tēpori congrueret, reſpondebat: neq; plenam ſchiſmaticis fidem dedit, neque omnino repulit, ſed cum honore dimiſſis oratoribus, interim cogitauit quid regnis ſuis, quid communi Romanæ eccleſiæ conduceret honori. Ita Moſcouitæ ad hunc vſq; diem in incerto relicti, neſciūt quid animi in ſe gerat rex memoratus. Mercatores tamē Germaniæ princeps ille Moſcouitarū in terris ſuis (& præcipuè in Nouogardia) captos tenuit, & rebus omnibus nudatos, diu ſeruauit in carcere: quòd gratificari putaretur ea re principi memorato. Multis deinde pactionibus in medio habitis, poſt longam captiuitatem vix liberati ſunt qui ſuperfuere: ſed de rebus nulla ſpes.

Cap. 42.

Sueci regem non admiſerūt niſi certis pactis cōditionibus.

Moſconiæ princeps Danis ſocietatē ambit.

Interim Ioannes rex cùm titulū præferret electi in Suecia, ſemper expectabat bene gerendæ rei in Suecis occaſionem. Pertæſum eſt aliquando nonnullis ex proceribus, quòd gubernatori (etſi integerrimo ad illum diem viro, tamen omnibus natu & origine impari) ſubeſſe cogerentur. De inuocando rege, quē elegerant

Cap. 43.

Suecorũ inconſtantia.

apud ſe,cogitabant.Sed quoniam multi etiam contrariam fouerunt ſententiam ſine magno incommodo res tranſire non poterant. Ergo inteſtinum veriti malum, diu quieuere. Interim qui Gotlandiam pro Suecis diu gubernauit, ſtrenuus ad arma miles,iam ſenio ingraueſcens, quum intelligeret procerum in regno, ſuper inuocando electo rege, repugnantes ſententias, illis aceſſit, qui putauerunt regno expedire regem habere, & illum regem, quem pridem omnes elegerunt. In eam ſententiam pedibus vadens, quod potuit fecit: regi inſulam cum oppido & arce conſignauit.Ea fuere regi primordia Sueciæ inuadendæ. Inde quum res per proximos annos magis atque magis inter regni proceres agerentur, ipſeque gubernator in vtranq; partem æquè videretur promptus: cœpit perualeſcere eorum ſententia qui regi inclinabant.Et tamen res vndecunque iniecta mora differebatur:nonnullorum verba à rebus, & res à verbis animaduerſa ſunt diſcrepare. Tentata fuere inter vtraſq; partes colloquia.Nam rex ipſe ex ſuo ſubmiſit concilio, qui cum Sueciæ proceribus agerent:ſed nulla in re conuenere. Arma oſtenderunt aliquando: bellum rebellibus animo ſedit: Idq; ingruente iam bruma intentatum eſt. Erat tum in occiduis partibus longa bellorum conſuetudine innutrita gregariorum militũ peditum tum magna manus, ex variis prouinciis coaugeſcens, ſcilicet per Franciam, Flandriam,Brabantiam ac Gelriam: malis vrbium & prouinciarum variè iactabatur. Guardiam dixere,& quaſi cuſtodiam finium quibus inuocabantur. Cuſtodes dicti, vaſtatores erãt:manus hominum impia,quæ nihil ſacrũ putabat. Dei ſummi, ac hominum iniuria,in æquo illis fuit. De iis loquor qui maiorem numerum cõfecere. Cæterùm inerant & viri ſenſati militaris generis, ac ex oppidanis: qui etſi ordines ducebant, aut etiam ſtipabant, rectis tamen animis de Deo, ſanctis & iuſtitia fuere.Sed in tanta colluuie mortalium, à maiori multitudine cenſere ſolemus vniuerſos.Inerant omnium prouinciarum homines, promiſcuũ vulgus, Hiſpani, Galli, Anglici, Scoti, Longobardi, Suitẽſes, ſuperiores Alemanni, Sueui, Bauari, Franci, Saxones: immixti militares, qui ordines duxere. Eam manum rex ſtipẽdio conductam,miſit in Sueciam: aderat ipſe cum equitibus expeditis. Nec minus gubernator,cũ iis qui pactis vetuſtis pertinaciter inhærebant, armauit quos poterat,non contemnendas copias. Eduxit quoq; magnam manum in mineris laborantiũ,ferreum genus hominum: ſagittis quàm frequẽtes vtuntur, acutis longiſq; haſtilibus. Sed præuenerant regis copiæ,ne iungerentur agmina Suecorum, intercepto nuncio,qui locum & tempus conueniendi denſerat. Eduxit autem contractã ſuorum manum gubernator oppido Stocksholm: quod vnum mercaturis maximè idoneum, & in quo multi ex Germanis habitare delegerũt. Eas copias excepere regij: & collata manu,multis cæſis,profligauerunt.Nam vbi fugam intentarunt in oppidum memoratum, multi in ipſo cæſi ſunt itinere. Iam inclinabat regi victoria, copiis expeditioribus profligatis. Veruntamen ruſtica quam diximus multitudo durorum pectorum, in loco demorabatur nuncium à gubernatore. Sed priuſquã victoriæ regiorum ad eos nuncij peruenirent, aderãt pedites memorati de Guardia: & inſtituto in eos prælio quaſi murum oppugnauere, non cedentes loco. Non eſt aliâs viſa ruſtica manus tam pertinaciter locum defendens, donec vulneribus defecti caderent.Quòd ſi equeſtres alas cum ductoribus habuiſſent,nulla vis ſuperaſſet tam immanem & inuictam ad vulnera manum. Iam multitudine morientium adacti, qui ſupererant cedere cogebantur. Victoria fuit regiorum, non tamen incruenta. Nam quotquot ſagittis eorum contingebantur in locis mortalibus, mox animas poſuere.Id erat arcuum robur,& vis dirigentium.Gubernator ipſe,aliquot ſubmiſſis amicis,ad regiam ſe parauit voluntatem. Tum qui ad rem ex proceribus neutrales fuerunt, cum iis qui partes ſemper regias ſunt tutati,ad regem venere.Omnia ex voluntate victoris ſunt conſtituta:ſacramenta præſtantur,inunctio ſolennis peragitur. Et omnibus pro more & arbitrio conſtitutis, poſt aliquantã in regno moram,gubernator ipſe regem reduxit, comitatus in Daniam, ipſe quoque à rege non inhoſpitaliter habitus: quò in fide conſeruaret noui regni populum, nec dum animos in eundem alienos habentem. Is eſt rerum ſtatus in annum vſq; quingenteſimum milleſimum à Chriſto nato & ſalute mundo præſtita.

Guardia ad cuſtodiam inſtituta, prædatrix.

Sueci prælio victi in regis veniũt poteſtatem.

1500.

AD

CAP. 44.

Sueci in regem tumultuantur.

AD eum qui proximus erat annum, quum in eo regno componendis rebus rex inuigilaret, exoritur tumultus a plebe, indignante quòd tam facilè ceſſiſſet omne regnum regi, cui pridem minor populus Thietmarſorum reſtitiſſet. Exceptum eſt murmur non inuitis quorundam ex nobilitate auribus, qui rem miſcuere. Interuenerant eccleſiaſtici nonnulli, qui pro conſuetudine regnorum, conſiliis publicis magnam autoritatem fouent. Effectumque eſt vt rex, quum multa tentaſſet rebus in bonum modum ſalutaremq; ſtatum reparandis, fruſtraretur: clam regno enauigans excederet, regina relicta in arce cum fideli ſuorum præſidio, armis comeatibusque abundè ad omnem caſum præparatis. Prægnans erat, ibique paritura ſperabatur. Quòd ſi marem eſſet enixa, regem indigenam populus ambire, ac placidè accipere putabatur. Sed præſenti adhuc regi illa obuenere a Sueciæ proceribus, vt inſidiatū capiti ſuo non dubitaret. Crebrius inuitatus ad loca ſuſpecta, vitauit congreſſum: ac mira fortuna eluſit omnes inſidiantium moliriones. Non erat altera rebus via, quam perfidum genus armis petere, vi bellorum ad iuga cogere, inſidias & omnem iniuriam vi depellere, cogereq; inuitos vt fidem impleant, pacta firment, faciantq; imperata. Rex ergo æſtate proxima de longinquo vocauit arma: miſere principes ex fide auxilia, venit magna multitudo gregariorum ad ſtipendia. Quæ dum intus comperta habuere Sueci, arma quoque illi contraxere, inuocantes de prouinciis vicinis auxilia. Sed nemo ſe commouerat. Multi tamen ſtipendia facturi, ad eos vndecunque concurrerunt. Rex perfidiam regnicolarum per vrbes maritimas queſtus, premonuit ne quis ſe hoſtibus ſuis immiſceret: hoſtem teſtatus habiturum, qui arma, comeatus aut quaſcunque merces hoſtibus ſuis importaret. Idem rex Scotiæ, Danorum regis ex germana nepos, miſſo per maritimas vrbes honorato nuncio factitabat, ſanguinis nodum, fœderis ſocietatem ad auunculum cunctis denuncians. Adoritur igitur rex auxilio Scotorum hoſtes ſuos Suecos. Sed tanta ſe multitudine in arma contulerunt, vt multis millibus exuperarent venientem. Monituſque à nonnullis qui regi fauebant, niſi quinquaginta millibus fortior veniret, nihil illi ſperandum. Leuibus aliquando prælis concurſum eſt: ſed exercitibus totis non conflixere. Traxere Sueci ſecum in rebellionem Noruagios multos. Cæterùm inuenti ſunt in illa gente, qui fidem regi ſuo implerent, paſſi obſideri. In quibus ſpectata fides militis, qui ante annos aliquot, regia dictante ſententia, manum perdidit: & iam nunc ſollicitatus, etiam armis impulſus, flecti a fide non potuit. Sed iam voluminis huius modum impleuimus.

Exigua regis in ſuos autoritas.

Militis erga regem à quo mulctatus fuerat fides.

ALBERTI KRANTZII
SVECIÆ LIB. VI.

CAP. I.

F ILIVS regis Chriſtiernus, auitum referēs nomen, primis tum in armis detonuit. Is agmine in Noruagiam ducto, ſoluit Suecorū obſidionem: quaſdā arces iam a Suecis inſeſſas expugnauit, æquauitq; ſolo: magnis animis paterna bella gerens, ſublimi omniū ſpe, quòd futurus ſit multis ad prælia regibus fortunatior. Fabulam paſſim circumferunt, eamq; miris fauoribus efferunt. Veterum quendā regum ferunt in profundis Scaniæ ſaltibus venatui intentū, aberraſſe cum paucis in deuia, longoq; die non rediſſe in viam: quòd error illum in interiora miſiſſet. Sub veſperū vidiſſe de longinquo fumū ex domicilio, exhilaratumq; petiiſſe quam agnouit hominum manſionem. Eò quum cōtendiſſet perueniſſetq;, inſtructam reperiſſe domum, focum promptiſſimum, menſam apparatā. Domui præfuiſſe puellam, quę in excipiendo rege ſingulari ſedulitate circum curſitabat. Miratū regem, in tam vaſta ſolitudine tantum eſſe rerum apparatū. Expleuit famē cibus, ac potus ſitim: & iam penè mutus hærebat: quidnam rerū foret, ſecum quæritabat. Puella vbi vidit attonitū regem, prior compellat, Ecquid rex optime verſas in animo? Pone curas: & ſi quod te futuri deſide-

Fabula lepide ficta.

rium noſcendi habet, diſces quæ voles. Percunctare, ſi quid de tuis ſucceſſibus ſucceſſoribuſq́; noſſe velis. Regem tum interrogaſſe, quiſnam futurus ſit poſt illum regni ſtatus, qui in regnum & ſceptra ſucceſſuri. Illam tum ex ordine percenſuiſſe regum nomina, perueniſſeq́; ad exteros, qui in ſceptra vocarentur: primùm Ericum Pomeraniæ ducem, ſine prole abiturum: inde Chriſtophorū Bauarum: quem exciperet Chriſtiernus ex comitibus Friſiæ: cui primùm filius Ioannes in ſceptra ſuccederet: illum verò Chriſtiernus filius exciperet, omnium ante ſe regum futurus bellicoſiſſimus. Hæc quum diceret, horrida voce ſonuiſſe ex latere quendam: regemq́; territum reſpexiſſe, vidiſſeq́; hominem giganteæ magnitudinis, ſtratum ad parietem, armis ingentibus horrentem vſq; ad vmbilicum. Is tum vocem infregit, O ſi mihi tum haſtam & arcum quis redderet! Stupefactum regem ad miracula, ſiluiſſe. Tum puella, Cur, inquit, de proprijs ſucceſſibus nihil perquiris? Regem verò, quot annos eſſet habiturus perquiſiuiſſe. At illa verſa in militem qui regi comes hærebat: Quandiu, inquit, iſte patietur? ſignificans regem manu militis occubiturum. Quod quum miles acciperet, indignabundus ſublata manu puellam dato colapho vindicare conſtituit: illiſitque manum in denſis vepribus. Et mox velut ſomnium cuncta diſparuere: viditque ſe rex in profundo nemore ſine tecto. Eiuſmodi fabulam circumferunt. At ego næniis veterum deputabo: vt erat ſemper Aquilonaris regio maleficiis frequens dedita.

CAP. 2.

Sueci oppidum quod ſuum in regis fide manebat, capiunt.

SVECIA interim rebellionem ſuam proſequitur. Ciuitas Stocksholm aliquandiu in fide regis permanſit: arx cui inerat regina, cum fideli Germanorum manu in tuto erat, quandiu ſuperfuere commeatus. Oppidum diu à Suecis oppugnatum deditur, quum ſibi timeret à fame. Arcis cuſtodis quum cibis & potibus vterentur incommodius, cœperunt ægrè ſpiritum ducere, multis per tempora morientibus. Quumq́ue ſpes propinqua de rege liberaturo obſeſſos, & ad paucos redacti eſſent cuſtodes, reginaq́; ab illis fœmineo decori non magnopere timeret: dedita eſt arx quoque Sueciæ proceribus. Regina, vt erat religioſa fœmina, poſtulauit admitti in monaſterium S. Brigittæ, *Waſten* vocant. Ibique intenta deuotioni, manſitabat aliquot annis: donec minis cardinalis legati Raymundi, & opera conſiliariorum doctorum de Lubeca, qui eò miſſi fuerant, perſuaſum, vt proceres regni inclinarent ad tractatum extra fines regni ineundum, in vna vrbium Pomeraniæ. Horum opera regina educitur, & in regnum reuertitur: quum interim Sueciæ proceres proximo anno ad cœtum conſentirent. Sed increuit nouitas. Nam oppidum Calmec, cum arce quam rex tenuit in conſilio Daniæ, à Suecis oppugnatur: rex aduolāns tutatur. Ita rebus ad bellum renouandum intentatis, conuentus omittitur. Moritur interea Steno miles, regni gubernator: qui vbi nimiùm auſcultauit eccleſiaſticis, miſcuit fas atque nefas. Quum verò qui rectè ſenſerunt de rebus euigilarunt, placuitq́; in commune, vt de communi conſenſu procerum ex tribus regnis, treugæ firmarentur per integrum annum. Interea deligitur locus in Calmec. In eam conuenturi ſint cum rege à ſingulis regnis oratores, cum plena de ſummis rebus poteſtate acturi. Ibi veteres querimoniæ ſingulorum excutientur, ſtatueturq́; quod ad perpetuæ pacis & tranquillitatis commoda videbitur pertinere. In ea expectatione hodie res conquieſcunt. Lubecenſes nauigant in Sueciam intrepidè, gratam regis necdum ad plenum aſſecuti: pactis conditionibus ſtetiſſe non putantur. Ipſi quos habuere promiſſorum ſibi factorum fideiuſſores, exactiſſimè ad aſſem vſque emunxere.

Pax facta, infecta, futura ſperatur.

ALBERTI KRANTZII SVETICAE

HISTORIÆ FINIS.

REGVM, DVCVM ET COMITVM, QVI IN NORVAGIÆ HISTORIA A KRANTZIO COMMEMORANTVR, EX ALPHABETI ET SVCCESSIONIS SIMVL SERIE ENVMERATIO.

NORVAGIÆ REGES.

Ord.	Nom.	Lib.	Cap.	Ord.	Nom.	Lib.	Cap.
3	*Aquinus I.*	1	5	12	*Helgo*	1	22
22	*Aquinus II.*	3	2	8	*Herwillus*	eod.	10
34	*Aquinus III.*	5	14	31	*Ingo*	5	9
37	*Aquinus IIII.*	6	4	44	*Ioannes*	6	13
41	*Aquinus V.*	eod.	7	26	*Kanutus magnus*	5	8
21	*Biornus*	1	38	27	*Magnus I.*	eod.	2
43	*Chriſtiernus*	6	12	29	*Magnus II.*	eod.	5
42	*Chriſtophorus*	eod.	11	33	*Magnus III.*	eod.	11
6	*Collerus*	1	8	38	*Magnus IIII.*	6	5
36	*Ericus I.*	6	3.	39	*Magnus V.*	eod.	6
40	*Ericus II.*	eod.	9	30	*Margareta*	5	8
32	*Erlingus*	5	10	24	*Olaus I.*	3	5
7	*Frogerus*	1	9	25	*Olaus II.*	eod.	6
4	*Gewarus*	eod.	6	35	*Olaus III.*	6	2
9	*Gotharus*	eod.	11	16	*Olo*	1	29
18	*Gotho*	eod.	35	17	*Omundus*	eod.	32
23	*Haraldus I.*	3	3	14	*Regnaldus*	eod.	25
28	*Haraldus II.*	5	3	20	*Regnerus*	eod.	37
11	*Haſmundus I.*	1	21	10	*Rollerus*	eod.	17
13	*Haſmundus II.*	eod.	24	19	*Siwardus*	eod.	36
15	*Haſmundus Regulus*	eod.	27	1	*Suibdagerus*	eod.	8
5	*Helgo Regulus*	eod.	7	2	*Vffo Hammingi*	eod.	4

NORMANNORVM COMITES, DVCES, ET REGES.

	Normannorũ Regalis dignitas	4	1	7	*Robertus dux I*	3	23
	Imperialis affinitas	6	eod.	12	*Robertus II.*	4	7
9	*Drogo dux*	4	4	13	*Rogerius I.*	eod.	12
11	*Gotfridus*	eod.	6	14	*Rogerius II.*	eod.	14
1	*Haddingus*	2	2	16	*Rogerius III. Rex Italiæ*	eod.	15
10	*Hunfredus Comes*	4	5	3	*Rollo dux*	2	27
4	*Richardux dux I.*	3	8	2	*Wilhelmus dux I.*	eod.	17
5	*Richardus II.*	eod.	16	8	*Wilhelmus II. Rex*	3	31
6	*Richardus III.*	eod.	22	15	*Wilhelmus dux III.*	4	14

ALBERTI KRANTZII HAMBVRGENSIS CHRONOGRAPHI, HISTORIÆ RERVM GESTARVM REGNI NORVAGIÆ, SIMVL ET NORMANNORVM.

PRÆFATIO.

Noruagiæ regionis & morum deſcriptio.

NORVAGIA (quam nuncvulgatius Noruegiam dicunt) tertium regnũ Aquilonis, prouincia Borealis nouiſſima, & ideo vltimo à nobis loco inter tres collocata: longitudine quidem ſua in extremam Septentrionis plagam porrigitur: vnde & nomen accepit, à Germanico ductum linguagio. Incipit aũt à prominentibus ſcopulis Baltici freti. Deinde reflexo in Aquilonem dorſo poſtquam feruentis Oceani marginẽ ſuo circuit ambitu, tandem in Riphęis montibus limitem facit: aliquot autẽ ſinus includit multis milliaribus nauigabiles. Circùm habitantes piſcationi indulgẽt: Nam genera piſciũ grandia cum mediocribus, aeri exponunt torrefacienda: quæ ſic arefacta, per Germaniæ littora deuehuntur. Noſtris mercatoribus (Bergas Latini vocant in regno) piſcatores afferunt de longinquo venientes demorantibus. Ea aũt regio propter intemperiem algoris, ſterilior Dania atq; Suecia, apta tamen pecòribus. Robuſtiſſimos educat viros: qui nulla frugum luxuria molliti, ſæpe impugnant alios quàm impugnentur. A multis retro ſeculis partim inopia adacti, partim freti virib. (quę facilè faciunt mortales inſoleſcere) mare Britannicũ diu tenuere infeſtũ. Nonnunquam ſoli, aliquando Danis iuncti, Britanniã & Gallias ſunt populati: nec quieuere, donec de ſuo nomine Normanniam in littore Galliarũ conſtituerent. Quanquam Gallorũ ſcriptores rem perturbantes, omnes ab Aquilone venientes, ſoliti ſint appellare Normannos, non diſcernentes inter Danos & eos qui veri ſunt Normanni. Ab hac tamen gente Danorũ atq; Normannorũ, in littoribus Galliarũ demorante, propagati ſunt & illi Normanni qui penetrarunt in Italiã: & primùm in Apulia, inde in Sicilia, poſt comitatũ atq; ducatum, regna quę hodie extant, conſtituere: quòd ſuis locis oſtendemus. Poſt ſuſceptũ verò Chriſtianiſmum, melioribus imbuti diſciplinis, didicerunt pacem & veritatẽ diligere. Sed quum nefandis maleficiorũ artibus ea gens ab initio ſuper omnes gloriaretur mortales, nunc ſimpliciter cõfitetur cum apoſtolo, Ieſum, & hunc crucifixũ. Sacerdotum & eccleſiarũ tantam habent reuerẽtiam, vt vix Chriſtianus habeatur, qui non quotidie offerat ad diuina quæ audiuerit myſteria. Verùm in ea gente, quia multis ſeculis populus ad ſoluendas eccleſiis decimas, erudiri non poterat (vſqueadeo in omnibus illis prouinciis remiſſa, vt Kanutus rex Daniæ, ob eam cauſam, quòd grauius vrgeret, occiſus, inter martyres honoretur: quippe qui regalibus tributis ſatis onerati ſibi videbantur) diu coacti ſunt ſacerdotes in miniſterio ſacramentorũ accipere à populo vnde viuerent. Cui rei ſe permiſcens auaritia, multos ex clero implicuit labe Simoniaca. Omnis tũc regio dudum

Normanni qui & unde.

Decimarũ tributum ægre imponitur.

Daniæ libro 4. cap. 37.

Chriſtiana fuit, exceptis qui trans montes ad oceanum Borealem agunt. Nam illi magicis artibus & incantationibus ita ſeruiunt, vt ſe ſcire renunciareq́; polliceãtur, quid in toto terrarum orbe rerum agatur. Hi ſunt Lappones agreſtes & vagi, ferarum ſolis pellibus in tanto regionis frigore vſi pro veſtibus. Et loquentes inuicem, frendere magis quàm vlla verba proferre dicuntur, ita vt vix à proximis queant intelligi. Ibi tanta eſt ferarum copia, vt plurima pars regionis ſolo venatu viuat. Capiuntur vri, bubali, elaces, biſontes, etiam in Ruſſia & Polonia. Vulpes ea regio habet nigras, & lepores vrſosq́; albos. Metropolis aũt ciuitas Normannorũ eſt Trondenſis, nunc appellata Nidroſia, quæ templis inſignibus magna populorum frequentatione celebris habetur. Tumulũ habet ſanctiſſimi regis Olaui, cuius martyrium in Metropoli deſcripſimus: ad cuius tumulũ vſq; hodie maxima Deus oſtendit terum miracula. Poſt Normanniam, quæ eſt vltima Aquilonis prouincia, nihil habitationis humanæ: ſed terribilem viſu & infinitum oceanũ, qui mundum complectitur, eſt inuenire. Sunt tamen ab occiduo inſulæ multæ non ignobiles, quæ nunc ferè omnes Normanniæ parent. Ibi ſunt Orchades inſulæ, more Cycladum ſparſæ per oceanũ. De quibus Romani ſcriptores Martianus & Solinus, A tergo, inquiũt, Britanniæ infinitus patet oceanus: Orchades ſunt inſulæ: quarum viginti memorantur deſertæ, ſedecim incoluntur. Vicinæ ſunt Electrides, quæ à naſcente ibi electro nomen tenent. Igitur Orchades inter Normanniam & Britanniam Hyberniamq́; locatæ, feruentis oceani ludibunde minas rident. Ad eas a ciuitate Trondenſi vna die nauigatur. Simile interuallum in Angliã Scotiamq́;. Inſula Iſlandiæ, quæ per immenſum a cæteris ſecreta longè ſita eſt in oceano, vix a nauigantibus agnoſcitur. In ea æſtiuo ſolſtitio, ſole ſignum Cancri tranſeunte, nox nulla: brumali ſolſtitio perinde nullus dies. Nomen habet a glacie, quæ illi ad Boream perpetuò adhæret: nam ibi iam incipit mare congelatum. Tam grandis inſula: vt populos multos contineat, ſolo pecorum paſtu, & nunc captura piſcium, victitantes. Specus habitant plerunq;, aut ad montium latera excauatis manſiunculis: communi tecto, victu & ſtrato gaudent cum iumentis. Itaq; in ſimplicitate ſancta vitã peragentes, quum nihil amplius quærant quàm natura concedit, læti cum apoſtolo prædicant, Habentes victum & amictum, his contenti ſumus. Nam & montes habẽt pro oppidis, & fontes pro deliciis. Beata gens, cuius paupertati nemo inuidet: & inde beatior, quòd Chriſtianiſmum acceperit. Sed mercatores Anglici ac noſtri, quieſcere gentem, & ſuo eſſe contentam non ſinunt. Nam ob piſcaturam euehendam, terram illam frequentantes cum mercibus omnigenis, vitia quoq; noſtra inuexerunt. Nunc enim & fruges aquæ miſcere in potum, & ſimplicis vndæ oderũt hauſtum: nunc aurum & argentum cum noſtris admirantur. Rex Daniæ (qui & Noruagiæ) quotannis præfectum immittit genti. Multa inſignia in moribus eorum. Omnia enim ferè inter eos cõmunia ſunt, præter vxores. Catulos ſuos atq; pueros æquo habent in pretio: niſi quòd a pauperioribus facilius impetres filium quàm catulum. Ita beatos putant qui in regionem noſtram tranſportãtur. Vidimus vtriuſq; ſexus iuuenes à pueris illinc eductos, qui præter nomen nihil gentile retinuerunt. Nam linguã alienam perdidicerunt, ſuam neglexerunt. Epiſcopũ ſuum colunt pro rege: ad cuius nutũ reſpicit omnis populus. Quicquid ex lege, ex ſcripturis, ex conſuetudine aliarũ gentium conſtituit, quàm ſanctè obſeruãt. Iam tamen præfectum (quod diximus) accipere coguntur a rege. Quod exinde inoleuit, quòd mercatores ingreſſi, multa illi lucra faciunt: vnde & rex tributum depoſcit. Adalbertus metropolitanus Hamburgẽſis, anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo vidit ad Chriſtum conuerſos: licet ante ſuſceptam Chriſti fidem, lege naturali viuentes, non multùm diſcrepantes a lege noſtra. Itaq; petentibus illis ordinauit quendã virum ſanctum, primum epiſcopũ, nomine Iſleph: qui ab eadem regione miſſus ad pontificem dictum, aliquandiu apud eum retentus eſt cum ingenti veneratione, perdiſcens noſtra, quibus rudẽ populum in fide erudiret. Per quem tranſmiſit idem epiſcopus apices ſuos populo Iſlandorum & Gronlandorum, venerabiliter eorum ſalutans eccleſias, pollicens propediem ſe venturum ad eos inuiſendos. Qua in re egregiam, quam in legatione ſua voluntatem habuit pontifex, iure laudamus. Quo modo & apoſto-

Lappones.

Orchades & Electrides.

Iſlãdia noctem nullã, & ſolſtitio diem nullã habet.

Mercatorũ auaritia.

Iſlandorum mores, & ad Chriſtũ conuerſio.

Epiſcopus primus Iſlandorum.

apoſtolum didicimus, ad prædicandũ verbum Dei, conſtituiſſe in Hiſpaniam proficiſci: quod implere non potuit. Hanc inſulam nonnulli interpretati ſunt Tylen. Sed Nicolaus Germanus, Ptolemæi lucidator, Tylen ponit inter Normanniam & Scotiam: ea verò quam diximus, longè eſt extra arcticum circulũ: vt eiuſdem viri deſcriptio manifeſtat. Sunt aũt plures aliæ in oceano dicto inſulæ: quarum eſt non minima Gronland, profundo in oceano ſita, contra montes Sueciæ, & Riphei iuga. *Gronland inſula.* Ad quam inſulam à littore Normannorum ferũt vela pandi quinq; aut ſeptem diebus, quo modo ad Iſlandiam. Homines ibi à ſalo cerulei: vnde regio illa nomen accepit. Qui ſimilem Iſlanis vitam agunt, exceptoquòd immaniores ſunt, raptuq; piratico remigantibus infeſti. Holagland inſula Scritifinnorum, eſt Suecis continuata: de qua ſuprà in Suecia diximus. His inſulis longè extra arcticũ circulum poſitis, in æſtiuali ſolſtitio nulla nox, in hyemali nullus dies. Stupenda res, & incognita auſtralibus: qui neſciunt diſparem dierum longitudinẽ contingere per ſolis acceſſum, & receſſum. Nam propter rotunditatẽ orbis terrarum, neceſſe eſt vt ſolis circumitus accedens, alibi diem exhibeat: recedens, alibi noctem relinquat. *Dierum & noctium dimenſio.* Qui dum aſcẽderit ad æſtiuale ſolſtitiũ, iis qui in Borea ſunt, dies prolongat, noctéſq; breuiat: deſcendens aũt ad hyemale ſolſtitium, ſimili ratione facit auſtralibus. Sed vltra has inſulas mare vnius diei curſu fertur innauigabile. *Mare vbi innauigabile.* Tentauit hoc experientiſſimus Normannorum princeps Haroldus: qui latitudinem Septentrionalis oceani ſcrutatus nauibus: tandem caligantibus ante ora deficientibus mundi finibus, immane abyſſi barathrum, retro actis veſtigiis vix ſaluus euaſit. Relatum eſt in literas, Alebrandi Hamburgenſis pontificis temporibus parum ſupra Chriſti milleſimum annum, quoſdam nobiles de Friſia viros, cauſa peregrinandi maris in Boreã vela tetendiſſe: eò quòd incolis eius terræ dicitur, ab oſtio Wiſare (hoc eſt Viſurgi fluminis) directo curſu in Aquilonẽ, nullam terram occurrere in mari oceano. Cuius rei nouitate peruestiganda coniurati ſodales, à littore Friſonum læto celeumate progreſſi ſunt. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam, peruenerunt ad Orchades. Quibus à læua dimiſſis, quum Normanniam in dextris haberent, longo tractu Iſlandiam legunt. A quo loco maria ſulcãtes in vltimũ Septentrionis axem, poſtquam a tergo omnes quas diximus inſulas reliquerunt, Deo & S. Willehardo, patrono ſuo, cõmendantes curioſitatem: ſubitò collapſi ſunt in illam tenebroſam rigentis oceani caliginem, quæ vix oculis penetrari poſſet. Et ecce inſtabilis oceani euripus, ad initia quædam ſui (vt putabatur) arcani recurrens: *Abyſſi vorago, ſeu chaos* infelices nautas iam deſperantes, & de ſola morte cogitantes, vehementiſſimo impetu traxit ad chaos. Hanc dicunt eſſe voraginem abyſſi: in qua fama eſt, omnes maris recurſus, qui decreſcere videntur, abſorberi, & denuo reuomi: quod fluctuatio vocitatur. Tunc illis ſolam Dei miſericordiam implorantibus, vt animas ſuſciperet: impetus ille recurrentis pelagi quaſdam ſociorum naues abripuit: cæteras aũt reuomens, excurſu longo ab alteris poſt terga repulit. Ita illi ab inſtanti periculo, quod oculis viderant, *Inſula admirabilis, factumq; horridum.* opportuno Dei auxilio liberati, toto niſu remotum fluctus adiuuabant. At iam periculum caliginis euadentes, ad quandam inſulam, altiſſimis in circuitu ſcopulis oppidi ritu munitam, inſperatè appulerunt. In quam, viſendorum locorum gratia, nauibus egreſſi, repererunt homines in antris ſubterraneis in meridiano tempore latitantes: præ quorum foribus infinita iacere ferebant vaſarum aureorum argenteorumq; copiam, quæ rara mortalibus atque pretioſa putantur. Itaq; ſumpta parte gazarũ quam ſubleuare poterant, læti remiges, feſtinè remeant ad naues. Quum ſubitò poſt ſe venientes contemplati ſunt homines miræ altitudinis, quos noſtri Cyclopes appellant: quos antecedebant canes magnitudinem cõſuetam ſuperantes. Quorum incurſu ſociorum vnus fertur raptus, & in momento coram eis laniatus: reliqui ſuſcepti in naues cuaſerunt, gigantibus (vt ferebat) ponè in altum vociferando ſequentibus. Tali fortuna iactati Friſones Bremam redeunt. Vbi Alebrando pontifici ex ordine cuncta narrantes, pro Chriſto, reuerſionis & ſalutis ſuę gratesegerunt. Sunt & alia quæ non incongruè dicerentur hoc loco, de æſtu maris *Maris æſtus.* bis per diem citato: quod miraculum præbet omnibus maximum: ita vt ipſi qui arcana rerum perſcrutantur Phyſici, in dubitationem rei cadunt, cuius ignorant

E iiij

originem. Quumq; Macrobius & Beda videantur aliquid dicere, Lucanus aũt ſe nihil ſcire fateatur, diuerſi autores variis pugnant ſententiis: omnes autem incertis aberrant rationibus. Nobis ſufficiat admirari cum propheta, *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: Omnia in ſapientiã feciſti: impleta eſt terra poſſeſsione tua.* Hæc de annalibus noſtris ad verbum retuliſſe ſufficiat. Nunc rerum geſtarum aggrediamur narrationem, quantum nobis ab initio Danicæ ſcriptor hiſtoriæ, Saxo Sialandicus de hac quoq; Normannorum gente prodit: ſeriem rerum deducturi ad conſtitutam in littoribus Galliarum Normanniam: & vſque in Apuliam Italiæ prouinciam, gentis nobilitatem prouectam oſtendemus.

CAP. I. *Suibdagerus rex, libidine infamis.*

IGITVR quum apud Danos regno Gram, quartus à primo rege, præeſſet terræ, apud Normannos rex erat Suibdagerus. Is quum viribus regni inſoleſceret, cœpit vicinis quoq; gẽtibus eſſe onerofus: nec melius libidini quàm armis tẽperabat. Nam regis Gram primùm germanã & deinde filiam miris conditionibus euocatas, & fortè per occaſionem feſtorũ dierũ egreſſas, illis inſidiatus, alterã oppreſſit poſt alteram. Nam ætate illa (vt teſtis eſt Saxo memoratus) magnates prouinciarũ gaudebant raptu ſibi nuptias cõciliare: quæ res crebra inter illos bella cõſeruit. Gram Daniæ rex, vindex regni ſui & ille potẽtiſſimus, ac inſigni corporis ſui robore præditus, vlturus iniuriam ſanguinis ſui maieſtatiſq; contemptũ (quòd non nuptiis depoſceret ex his alteram quã vtranq; ſtupro mallet opprimere) arma corripit, exercitũ contrahit: ac mouet in hoſtem. Concurrunt agmina, & graui prælio decertant: quũ multi vtrinq; caderent, nuſquã tamen victoria inclinabat. Itaq; reparatis viribus, pugnã renouant: acerbiſq; odiis ſæpe ac multùm vtrinq; plurimùm ſanguinis profunditur. Dum aũt hoc bello Daniæ rex detineretur, Simblus Phinnorũ rex, filiam Signem, eidẽ Danorũ regi deſponſatam, Henrico Saxonũ duci coniugem dedit. Feruente enim vtrinq; Danorũ atq; Normannorum inuicẽ bello grauiſſimo, Simblus Danorũ regis vires iam in deſperationem cõfractas cœpit contemnere, futurum ratus vt aut opprimeretur ab hoſte, aut vires eius ita conciderentur, vt à quouis facilè poſſit ſuſtineri. Igitur paratis nuptiis, Gram Danorum rex, cum expeditis militibus, omiſſo interim Noruagico bello (quod magis propriè cupidini quàm gloriæ regni indulgeret, propiorq; ſponſæ quàm militum amori videretur) interuenit: mutatoq; habitu, & ore pauliſper à conſuetudine ſua, ne internoſceretur, diſtorto, cõuiuantibus interfuit. Et quum in immẽſum potandi vſus increſceret ipſe, vt interitus maneret cõſtituto propoſito, quantum poterat potu temperabat. Igitur cunctis per ebrietatem iam ſolutis violentus incubuit: ſtrictiſq; gladiis, nuptiarũ lætitiam vertit in funerum mœrorem: obtruncatis qui aderãt, & rege & ſponſo, puellã nauibus impoſitam abducit. Votis ibi potitus, ad priſtina bella reuertitur, Suibdagerũ Normãniæ regem adortus. Auxerãt illi iam vires Saxonũ arma, quòd infenſi eſſent Danorum regi, ob truncatũ in nuptiis principem ſuum Henricum. Quomodo verò tam longinquam Saxones militiam agerent, in Saxonia noſtra expoſuimus. Grauibus inuicem odiis iterum concurritur, magno prælio ad multorum interitum deſudantes. Sed tum cadit Gram Daniæ rex, aliàs vir fortiſſimus, regnumq; ceſſit violento.

Daniæ libro 1. cap. 6.

Lib. 1. cap. 2.

CAP. 2. *Suibdagerus tribus regnis præeſt.*

PRIMA hæc Normannorum gloria, proximis Danis imperaſſe. Nam Suibdagerus rex, cauſa inferior (quòd ſtupra defenderat) ſed armis factus ſuperior, vtrique regno cœpit imperare, Daniam in ſua iura traducens. Atque regis filiam, antè ſtupro cognitam, legitimis ſibi nuptiis deuinxit. Vnde liquidè deprehenſum coniicimus, ob negatũ filiæ regalis matrimonium, inſidias cõcupitæ puellæ poſuiſſe Normannum. Sed quum occiſus ab illo Daniæ rex, duos ex totidem coniugiis filios reliquiſſet (Gutorinũ ex Gro coniuge, Haddingum ex Signe) aſſiduis coniugis flexus lachrymis, Gutorinum coniugis germanum, vtroque iunctam parente, exilio reuocatum Daniæ præfecit: quum interim victori tributa penderet. Ea lege ſuccedit in regnum: fratre vindictam paternæ necis meditante. Hic ergo Suibdagerus primus trium regnorum moderator illuxit: quòd Noruagiã paterna ſucceſſione teneat, Sueciam autem cum Dania, victo Gram rege, qui vtrunque regnum tenebat

(quod

(quod in Dania ſignificauimus)pariter obtinebat. Hæc eſt(vt diximus)prima Normannorũ gloria, quòd ante omnes, quorum extat memoria, gens illa tribus regnis imperaret. *Lib. 1. cap. 8.* Sed Haddingus, alter Danorũ regis filius, quum in Suecia aliiſq; regnis Orientis militiam ſedulus peregiſſet, vbiq; victoriis & fortibus factis inclareſcens: ingentem ſibi vicinorũ principum conciliauit amorẽ, apud proximos queſtus exilium, quòd paterno regno pulſus extorris ageret. Armaq; rogabat & paternæ necis vindicandæ gratia, & regno alienis (quibus parebat) habenis eripiendo. Facilè aũt impetrauit apud ſuæ virtutis admiratores, vt iunctis armis in Suibdagerum ducerent. Nec ille ſegnis arma contrahit, exercitum cõſcribit, naues bellicis armamentis inſtructiſſimas educit: naualiq; prælio certaturus, iuxta Gotlandiam Haddingo hoſti ſe opponit. Ibi diu ac multùm pugnatũ eſt in alterutrũ: ſed ceſſit tãdem Suibdagerus, aut viribus aut fortuna minor. Quumq; verecundũ fortibus (& præcipuè in ea tempeſtate) hoſti cedere, & nimis dedecoroſum haberetur: quum capi poſſet, cædi maluit: nam fuga quærere ſalutẽ, morte grauius iudicabat. Oppreſſus perinde hoſti liquit victoriam. Sic Haddingus non ſolùm exterorum ditatus manubiis, verùm etiam paternæ fraternæq; vindictæ factus compos, inſignibus auctus trophæis, exilium regno mutauit: cui patriam non antè repetere contigit quàm regere. *Haddingus victo hoste regno potitur.*

HASMVNDVS Suibdageri filius, vt patris iniuriam vindicaret, Haddingo congreſſus, poſtquam filium Ericum, cuius charitatem proprio ſpiritui pręferebat, fortiſſimè dimicantem cecidiſſe cognouit: auido facti animo lucem peroſus, geminam capulo manum immittens, abſque periculi reſpectu, reflexo in tergum clypeo, complures egit in mortem. *CAP. 3.* At dum ita graſſatur in omnes Haſmundus, non tulit Haddingus impunè ſuos cadere: haſta ſæuiẽtem traiicit amentata. *Suecia libro 1. cap. 14.* Cadit ictus graui vulnere moribundus. Sed neque ſolatia morituro defuere. Siquidem inter exiguas vitæ reliquias, vulneratum interfectoris pedem perpetua claudicatione mulctauit: cladem que ſuam, paruulo vltionis momento memorabilem reddidit. Ita alterum debilitas, alterum viuendi finis excepit. Corpus eius ſolenni funere elatum, apud Vpſolam in Suecia, regiis procuratur exequiis. Cuius coniunx Gunilda, ne viro ſupereſſet, ſpiritum ſibi ferro ſurripuit: virumq; fato inſequi quàm vita deſerere præoptauit. *Haſmundi mortui vxor ſeipſam interficit.* Huius etiam corpus amici ſepulturæ mandantes, mariti cineribus coniunxerunt: dignam eius tumulo rati, cuius charitatem vitæ propriæ prætuliſſet. Iacet itaque Gunilda, aliquantò ſpecioſius virum buſto, quàm tori ſocietate complexa. Iam Haddingus trium regnorum vnicus moderator, omnibus rerum geſtarum gloria incomparabilis eminebat.

VFFO Hammingi nobilis viri filius, quum ſanguinem traheret potẽtiſſimi regis Suibdageri: multos procerum, auitam ob memoriam, ſibi deuinctos habebat. *CAP. 4.* Sueciam verò atque Noruagiam tutari ab Haddingo non ſatis fidebat. Nam manus conſerere cum illo protinus euitabat, quòd paternis auitiſq; manibus infeſtum pariter & infauſtum Haddingi genium formidaret. *Suecia libro 1. cap. 15.* Igitur in Daniam exercitũ traiicit, hoſtileſq; lares inceſſere, quam proprios tueri, ſatius duxit: opportunũ propugnandarum genus iniuriarum exiſtimans, quod ab hoſte pateretur, viciſſim inferre. Ita Danis ad propria defenſanda redire compulſis, ſalutemque patriæ exterarum rerum dominio præferentibus, domeſticum ſolum hoſtilibus armis vacuefactum repetiit. Nec tamen quieuit Haddingus. Nam per hybernum tempus viribus coactis, verno educit, Sueciamq; inuadit, Noruagiæ deinde incubiturus. Vffo fortiter repugnat. Diuq; tractum bellum, in ſummam deſperationem Danos adegit. Nam alieno regno incubantes, ad extremam famem compulſi, equos caneſque commanducare cœperunt, ad extremum ne humanis carnibus abſtinentes. *Danorum horrenda fames.* Tanta fuit vincendi pertinacia, vt extrema paterentur, ne inglorij remearent. Nouiſſimo prælio cõſertis armis, victores Sueci, Danis primò pro magna parte cęſis, Haddingum cum paucis in fugam coegerunt. Victus fugit in Helſingiam (Daniæ atque Noruagiæ confinis inſula erat) diuque victi fortunam tulit, vbicunque terrarum eandem ſortem perpeſſus. Quam illi rem ferunt contigiſſe, quòd maleficij genere (quæ res tum plurimùm in illis gentibus eualuit) eſſet irretitus.

AQVINVS interea quadã in parte Noruagiæ regnabat. Tulit hoc magnitudo regno- *CAP. 5.*

rum, vt quamuis totius regni titulus apud Danorum regem eſſet, eo tempore tamen in non contemnenda regni parte alius præeſſet. Hic filiam ſpectatæ formæ nuptiis ſeruabat ſibi copulandam. Quumq́; eam puellam giganteæ magnitudinis viro deſponſatam audiret, non tulit rei indignitatem Haddingus Daniæ rex fortiſſimus. Nam nauibus perarmatis, in Noruagiam regnum ſuæ ditionis contendit: nuptias quas audierat turbaturus. Nec defuit fortuna viribus. Nā oppreſſum prælio virum interemit: triſtibus nuptiis eximens puellam nobilem. Lætus pater, læti fuere regni proceres: quòd formidabili viro perempto, Danorum regem potius ſuſpicerent dominum, quàm ferocem illum tyrannum ſuſtinerent. Incognitus tamen omnibus eſſe voluit Haddingus, vt fortunæ exitum pertentaret. Multos ſimili veſte ſecum inſtruxit, vt incertum habeant quis eſſet quem regem venerarētur. Conſpicua tamen erat virtus Haddingi in ſuſcepto prælio: nam ille manu ſua perdidit hoſtem velut ferociſſimum. Vulnera autem quædam excepit: quorum gratia curandorum, puella, tanto erepta periculo, medēdi gnara, Haddingum adiit, curam pollicita: ille non aſpernatur. Puella verò cruris vulneri annulū inſeruit: quod magnitudo vulneris & recens dolor facilè fecit diſſimulari: obducta cicatrice, aurum abſconditur. Similis habitus Haddingum facit in turba incognitum. Pater interea virginis, priuſquam Daniæ proceres dimitteret donatos, filiæ dat arbitrium ex his maritū deligere. Latebat in turba Haddingus: quòd voluit. Puella patris primùm, deinde cunctorum poſtulata venia, orabat ſingulorum crura nudari. Miratur pater quid ſibi vellet noua ſuperſtitio: Haddingo etiam nihil ſuſpicante. Permittitur puellæ quod voluit. Illa ſingulorum crura digito percurrens, annulum ſuum quæſiuit. Vbi ad Haddingum peruenit, deprehendens auri locum, virum amplexatur, Hunc, inquit, pater, maritū delegi: hic eſt ille qui me ſæui tyranni manibus eripuit. Lætus pater filiæ permittit quod optauit: Haddingus tum ſe prodit. Exaggeratur cunctorū lætitia de præſente rege Danorum. Quis tum puella fortunatior? Splendidas pro regia fortuna nuptias filiæ pater inſtruxit. Acceſſit honori magnitudo imperij, quòd Haddingus iuſto titulo etiam tum in Noruagia regnabat. Feſta vbiq́; celebrauere conuiuia: carmina (de more gentis) canunt victori, omni de re lætitia increbreſcit. Libet hoc loco inſerere fabellam, quam Saxo prætereundam non putauit, neſcio quo conſilio. Sed (vt ego arbitror) oſtendere voluit pleriſq́; ſuæ narrationis locis, quibus maleficiis & quàm frequentibus Borealis illa gens vteretur in paganiſmo. Mihi verò ea res in cōmemorationem deuocatur, vt videat prudens lector, quibus purgamentis abiiciendis ſtudendum ſit ei qui ſynceram rerū hiſtoriam conquirit. Verba Saxonis ponenda putaui. Apud puellam nuper ſibi cōiugio deuinctam, Haddingo diuerſante, mirum dictu prodigium incidit. Equidem cœnante eo, fœmina cicutarum gerula, propter focum humo caput extuliſſe conſpecta, porrectoq́; ſinu percunctari viſa, qua mundi parte tam recentia gramina brumali tempore fuiſſent exorta. Cuius cognoſcendi cupidum regem, proprio obuolutum amiculo, refuga ſecum ſub terras abduxit: credo diis infernalibus ita deſtinantibus, vt in ea loca viuus adduceretur, quæ morienti petenda fuerant. Primùm igitur rapidæ cuiuſdam caliginis nebulam penetrantes, perq́; callem diuturnis adeſum meatibus incedentes, quoſdā prætextatos amictoſq́; oſtro proceres conſpiciuntur. Quibus præteritis, loca demum aprica ſubeunt, quæ delata à fœmina gramina protulerunt. Progreſſiq́; præcipitis lapſus ac liuentis aquæ fluuium, diuerſiq́; generis tela rapido volumine detorquentem, eundemq́; ponte meabilem factum offendunt. Quo pertranſito, binas acies mutuis viribus contemplantur. Quarum conditionē à fœmina percunctante Haddingo, Hi ſunt, inquit, qui ferro in necem acti, cladis ſuæ ſpeciem continuo proteſtantur exemplo, præſentiq́; ſpectaculo præteritæ vitæ facinus æmulantur. Prodeuntibus, murus aditu tranſcenſuque difficilis obſiſtebat. Quem fœmina nequicquam tranſilire conata, quum nec corrugati quidem exilitate corporis proficeret, galli caput, quem ſecum fortè deferebat, abruptum vltra mœnium ſepta iactauit: ſtatimq́; rediuiuus ales, reſumpti fidem ſpectaculi claro teſtabatur occētu. Fabella Vergilianis inſomniis non abſimilis, quam per eburneam portā par erat emittere, *Quæ falſa in cœlum mittunt inſomnia manes.*

Danus ſponſam ipſe nuptiarū die rapit.

Lepida hiſtoria.

Hiſtoriā fabularū expertem conſcribere difficile eſt.

QVVM

CAP. 6.

QVVM in hoc rerum ſtatu Noruagia eſſet, vt exteris regibus pareret, implicitiq; Danorũ reges Sueticis bellis tenerentur: interim duces Noruagię, ſibi magis quàm regi Daniæ ſtudentes, in membrum diſciſſum regnum gubernauere. Diuq; ea res valuit: donec Gewarus vnus ex primoribus conſurgens, cæteros ſibi duces parere cogit: regnumq; in priſtinum florem reparauit. Tãto nomine cœpit inſignis non ſolùm iuſtitia & fortitudine, ſed etiam prudentia haberi, vt Sueciæ per ea tempora rex Hotbrodus, quum viribus ſuis diffideret (quippe qui acerrimo bello cum Danorum rege conflictaret, in quo periit) filium Hotherum Gewari fidei permiſit: educatumq; adoleſcentem omni virtute præditum fecit. Implicuit autem illum variis laboribus filia Nanna: quam Hotherus alumnus, puerilibus incrementis cum puella ſuccreſcens, coniugem depoſcebat. Moxq; impetraſſet, ſi non Balderus, vir regij ſanguinis, qui regnabat in Selandia Daniæ inſula, eodem potiundæ puellę voto ferbuiſſet. Suborta inde bella in Suecia peregimus, nunc quod ad Gewarum Noruagiæ principèm pertinet, ſolùm executuri. Florebat ille ſingulari prouidẽtia, vſqueadeo vt futurorum præſcius putaretur. Præmonuit alumnum, quibus modis imminentẽ illi Saxoniæ regem Gelderum ſuperaret. Quod in Saxonia attigimus. Prætereo, quòd Hotherum alumnum ad ſyluarum ſatyrum Minungum ire iuſſit atque mandauit: docuit item, quibus viis gladium & armillam extorqueret. Quorum ea vis fertur extitiſſe, vt aduerſus gladium nulla proficeret incantatio, armilla verò pondere & precio incomparabilis haberetur. Quarum rerum monitu Gewari compos factus Hotherus, & hoſtem ſuperauit Balderum, maleficiis præualere conatum: qui opum affluentia fuit incredibili.

Gewarus Noruagia regnum occupat.

Suecia lib. 1. cap. 18.

Lib. 1. cap. 5.

CAP. 7.

HELGO Hologiæ regulus (pars ea in Noruagia eſt) per eam tempeſtatem Cuſonis Biarmorum regis filiam, coniugem poſtulabat: eamq; ob rem crebræ ierant legationes. Sed pater filiam ignoto iuueni dare recuſabat. Si, inquit, coniugem poſtulat, veniat, præſentiq; ore qui vir ſit oſtendat. Solebant enim illa tempeſtate regij iuuenes ipſi ſponſalia ſua præſentes agere. Sed Helgo contemptibili lingua fuit, nec vultu ſatis placido: quæ res effecit vt per legatos potius rem ageret. Sed quum nihil ſic proficeret, verſus in amicum Sueciæ regem Hotherum, obſecrabat vt medium ſe conſerendis optatis nuptiis inſereret. Non recuſauit ille: claſſemq; armauit non contemnendam, viribus & armis extorturus, ſi perſuaſionibus nihil impetraret. Conuenit puellæ patrem: placidoq; ſermone abſenti licet iuueni, ſenem conciliauit. Proderat facunda dicentis oratio. Profecit autem metus armorum: quæ exprompta cernebat, ſi non votis reſpondiſſet. Percunctari tamen filiam iubet, ſi petenti allubeſceret ſponſo. Illa viri fortunam ex mediatoris ſplẽdore metita, incomparabilem coniectans regem, qui tanto fungeretur oratore, facilè annuebat. Acceptam in nauigia regiam cum dote puellam, ſponſo aduexit.

Hotherus amico ſe paranymphũ præbet.

CAP. 8.

TRANSIERVNT hoc in rerum ſtatu anni plurimi, vt nihil magni in gente ea ageretur: donec Collerus rex Noruagiam regno teneret, ea tẽpeſtate quum apud Danos Roricus regno præeſſet. Præfectus autem Iutiæ Horwendillus, relicto fratre in cura agrorum, piraticæ ſibi operam deſumpſit. Erat ea tempeſtate non inhonorum militiæ genus, inſidiari per mare tranſeuntibus: quaſi rebus quas dicunt fortunæ, in medio collocatis, qui viribus præſtaret, eas tolleret, victoriæque præmium haberet. Sed rex Noruagiæ Collerus non eſt paſſus hominem impunè digraſſari: probroſum ſibi exiſtimans, ſi alius ſe potẽtior in mari videretur: ſimul gloriæ ſuæ plurimùm acceſſurum, ſi tam latè nominatim maris dominatorem ſuperatum caſtigaret. Armatur claſſis, & expedito milite completur. Diu quæſitum in mari, multis maris ſinibus perſcrutatis, non reperit. Sunt inſulæ multæ mari Baltico, ſunt plures Britannico: harum vnam petit Collerus claſſe, quòd fidem præberet ſtationem nauibus. Eandem fortè alio in portu petebat aut tenuit Horwendillus. Erat opacum in medio nemus. Dulce viſum viris diu ſalo iactis, apricari nemore: diuerſo luſtra itinere perquirunt varia. Profunda ſylua caſus obuium tulit Collerum Horwendillo, quem nulla prius potuit diligentia indagare. Soli ſolus occurrens, arma tamen quiſque ſua ferebat. Sciſcitantur alterna inuicem nomina: redduntur. Lætus rex, quòd obuiã haberet quem diu quæſiſſet. Sed illũ Horwendillus

Piraticam exercere color non pudebat.

Hoſtis caſu in hoſtẽ incidit, quem diu quæſierat.

præueniens, Quo, inquit, pugnæ genere mecum decertas? Nam duellum viribus probandis maximè idoneum cenſeo. Non detrectat rex: nam id genus & audaciæ promptius, & victoriæ propius dinoſcitur. Quandoquidem, ait Collerus, mihi pugnæ permittis arbitrium, illud ipſum quod laudas accipio. Sed ſit hæc lex duorum, vt victor victum tumulo dignetur. Nam etſi animi nobis æmulatio incedat: naturę tamen communio nos iungit. Illud quoque inter nos conuenerit, ſi victoria citra mortem, in ſolo vulnere aut membri truncatione conſtiterit: quando membrorum vſu mulctatus, perpetuum ſentiet fortunæ detrimentum, accedat illi ſolatio, vt denis auri talentis a victore muneretur. Acceptis conditionibus initur cõflictus. Horwendillus iuuenis ferox, non tam ſui cautus muniẽdi, quàm cædendi auidus, clypeum contempſit: gladium vtraq; manu diſtrinxit. Regis ſcutum facilè diſcuſſit: ſortiterque repugnantem, ac diu æquis viribus confligentem, pede deſecto mutilauit: ſecutuſq;, geminato vulnere extinxit. Extinctum regio tumulo, ad conuentas prius conditiones, ſepeliuit. Normanni rege, incertum qua ſorte amiſſo, quum victum & extinctum acciperent, claſſe repetita patriam adnauigant, ſuæ quiſq; intentus domui: redibatque in multa membra regni diſcuſſio. Nam quod de apibus Maro ſcribit, -*Rege incolumi mens omnibus vna: Amiſſo, rupere fidem*,- hoc in gentibus manifeſtè monſtratur.

Collerus cadit duello.

CAP. 9. FROGERVS Noruagiæ regno præerat per id tempus, quo Froto cognomento Vegetus, Danis regnaret. Inceſſere vtriſq;, incertũ quibus ex cauſis, bella, quę Noruagiæ rex ſatis initio habuit per duces adminiſtrare. Sed fortuna ſemper Danorum regi inclinabat. Decem enim Noruagiæ duces diuerſis prælijs fudit, quoſdam vna pugna concurrentes, nonnullos etiam diuerſis agminibus regi Danorum ſe opponentes. Pertẽtare ſtatuit ipſe fortunam: ſi fortè ſuis auſpiciis, ad eam diem inuictus Danorũ rex, vinci poſſet. Magnis Noruagiæ viribus bellum inſtruitur: omni quàm potuit virtute educta, mouere conſtituit in Frotonem. Multa prius leuia prę lia peraguntur. Sed toto regni robore fuit decertandum. Indicitur conuentus in inſulam: vbi cõtractis vtrinq; viribus, prælium videbatur ineundum. Placuit rem compendio finire. Grandæuus Noruagiæ rex Frogerus, parcendũ ratus multitudini, quòd plurimum iam ſanguinis ſuſum eſſet, quodq; athleticæ illi fideret arti, & deorum ſuorum fauore non minimo inniteretur. Ferunt enim illum hoc a ſuis numinibus impetratum tuliſſe, vt à nemine vinceretur, quàm qui certaminis tempore, ſubiectum pedibus eius puluerem (quod factu difficillimum putabatur) manu conuelleret. His fiſus præſidiis duellum indixit Frotoni. Turpe erat recuſare. Iam tamen ſciens Froto qua ſpe duellũ iniret ſenex in iuuenem, ab induſtria mutuatur, vt falleret, quem aliàs ſternere non poſſet. Venitur in circum quadrato ſignatum puluere. Vbi conſtiterant, Froto arma mutanda obtulit Frogero. Nec difficile fuit impetrare: quòd aurata omnia Frotonis eſſent. Gladium, loricam, galeam permutant. Tum locum quoque permutandum Froto ait, quòd ibi potiſſimùm dolos ſtrueret: qui vt laterent, de aliis permutandis præmiſit. Quando, inquit, omnia commutata ſunt, æquum eſt, & loci fieri permutationem. Non diſſentit ſenex. Vbi diſceſſit, Froto veſtigium ſignatum in puluere calcibus Frogeri, manu collegit, ac perinde fatum viri complet. Spe certus prælium committit vterq;. Ibi Frogerus iam numinum ſuorum fauore deſtitutus, vincitur: & Noruagiam Danorũ rex iure victoriæ conſequitur: non tamen diu tenuit. Quippe morte defectus quum paruulum liquiſſet filium, ætatis contemptu ſe Normanni facilè in libertatem vendicarunt.

Dania lib. 1. cap. 25.

Frogerus ſingulari certamine à Dano ſuperatur.

CAP. 10. HIRWILLVS deinde Hallandiæ princeps (pars ea eſt Daniæ, aliquando Noruagiæ ſeruiens: quòd in medio conſtituta, palæſtram pugnæ regibus præbet) Noruagiam, inita cum Danis ſocietate, armis tentat, ea tempeſtate qua rex ſummam in Dania Fridleuus poſſideret. Quippe regis deſtitutã facilè ratus eſt expugnare prouinciam, ſibique regni iura conſciſcere. Sed non tam facilè quàm putabat, expertus eſt Noruagiam ſub leges mittere. Quippe inde egreſſæ puellæ, operas terra marique exercebant. Nam Ruſilam virginem, militari voto res bellicas æmulantem, ármis diu ſenſit repugnantem. Ad extremum tamen oppreſſam atque deuictam, honore funeris proſecutus eſt. Inde rebus Noruagiæ omiſſis, vbi ſocia arma contraxit,

Hirwillus puellã bello præſtantem ſuperat.

traxit,in Daniam vertitur idem Hirwillus, Danorũ regi cruento bello cõflictatus.

CAP. II.

GOTARVS Noruagiæ regnum tenebat ea tempeſtate, qua Froto rex iuuenis in Dania rerum potiretur: cuius ætas contemptui facta proceribus,omnẽ libitum, licitum ſore putabant. Regni tutores & eorum filij,multa abuſi in populum potentia,regem cuncta diſſimulãtem odioſum fecere. Id vbi comperit Gotarus Noruagiæ rex, contractis in concionẽ militibus, refert proprium Danos faſtidire regem, exoptantes alium, ſi quis ſe oſtenderet Daniæ regnaturus. Seq; eò exercitum ducturum,decreuiſſe:facilè Daniam hoc in rerum ſtatu occupari poſſe,ſi armis peteretur. A Frotone enim ram auarè quàm ferociter eſſe imperatum. Tunc exurgens quidam ex proceribus Ericus,contraria rem oratione prohibuit. Sæpe,inquit,alieni appetitores ſuo fraudantur. Animat rex fiduciam tuam fruſtra internus regionis liuor,quem plerunq; hoſtilis explodit aduentus. Nam etſi nunc Dani diuiduis eſſe ſententijs videantur, vnanimes tamen venientem hoſtem excipient. Corrixantes porcos conciliatiere lupi. Prudentis conſilium efficit, vt factum careat pœnitentia. Proinde proceribus abundẽ ſtipatus quietẽ rex amplectere: per alios gerendi belli exploratam potes habere facultatem. Quod fabro forceps,tuus tibi tribuat miles, tuq; tuorum tibi opera vſui parcere condiſcito. Hæc Ericus. Quem rex vt imprudentem hactenus habitum, diſerti deinceps donat agnomine. Quod enim ſuaſit regi atque proceribus, omnino perſuaſit, regemq; in ſuam tunc traxit ſententiam. Nam illo quietem agente, claſſem laceſſendis Danis intermittit.

Nō eſt ſemper eminus diſſidentes aggredi.

CAP. 12.

RAFNVS erat ex Noruagiæ proceribus vir præcipuus,cui laceſſendi per piraticam Danos negocium ceſſit. Excepit illum Oddo, cui naualium rerum cura erat in Daniæ regno:vir magicæ doctus,ita vt abſq; carina(dictu mirum)altum percurrens,hoſtilia ſæpe nauigia,concitatis carmine procellis euerterit. Itaq; ne cũ piratis in maritimarum rerum diſcrimen deſcenderet, exaſperatos maleficio fluctus, ad naufragia iiſdem infligenda perducere ſolebat. Hic vt negociatoribus atrox,ita clemens agreſtibus extitit: qui eadem merces qua ſtiuam æſtimatione commẽſus,ruſtici operis nundinas ſordidis quæſtibus anteponebat. Idem inito cum Noruagijs conflictu, ita vi carminũ hoſtilem hebetauit aſpectum, vt diſtrictos Danorum enſes eminus radios iacere,& tãquam flammabundos ſcintillare putarent. Cæterùm hoſtes adeò retuſis erant obtutibus,vt ne ferrum quidem vagina detractũ viſu poſſent excipere: victa quippe fulgore acies, præſtigioſi coruſcaminis erat impatiens. Cæſo itaq; Rafno cum multa ſuorum parte,ſex ſolæ naues Noruagiam repetentes, documento fuere regi,haud facilè Danos obteri poſſe. Ab his etiam Frotonem ſola pugilum ope ſubnixum, inuito regnare populo, vulgatum eſt, dominio in tyrannidem verſo. Cuius famæ experiundæ gratia, Rollerus(vt erat exterarum luſtrator rerum,ignotaq; viſendi auidus) Frotonis ſe deuouit contubernio pociturum. Ericus germanus eius frater, illum, quanquam habitu corporis eximius eſſet, temerè votum nuncupaſſe firmabat. Ad vltimum, pertinaciſſimam propoſiti eius perſeuerantiam conſpicatus,ſe quoque ſimilis voti nuncupatione conſtringit. Iiſdem ſe rex pollicitus eſt,quoſcunq; delectu probaſſent,comites donaturum. Itaque fratribus patrem primò adire placuit,commeatuſq; neceſſaria tam longinqui itineris ſubſidia poſtulare. A quo paternè ſuſcepti, die poſtera in nemus viſendi pecoris gratiâ perducuntur. Senex quippe armentis opulentus erat. Aperiebanturq; illis gazæ; quas diu clauſas telluris antra condiderant:è quibus quę placuiſſent,ſublegere permittuntur. Nec cupidius oblatum beneficium quàm receptum. Ita egeſtis humo opibus,tollunt complacitas. Horum interea remiges aut cũram egere corporis,aut iactis ſe molibus exercebant: alij ſaltu, quidam curſu concitauere corpus, hi vires valida ſaxorum iaculatione tentabant, illi ſagittæ vſum tenſo experiebantur arcu. Ita roboris firmitatem vario exercitationis genere proſequebãtur, fuere etiam qui ſomnum, quietemq; potione captarent.

Magica artis vis mira.

Rolleri & Erici fratrū mirabilis audacia.

CAP. 13.

ERICVS cum Rollero fratre peregrinationem illam læti ſuſceperant, experimentũ facturi quis foret Danici regni ſtatus. Rex nauigium donat ituris: ibant alacres maria ſulcantes. Vbi eò peruenerunt, variam experti ſunt fortunam. Ericus interdum militari opera, nonnunquam linguæ & ingenij patrocinio, per omnes ſe

difficultates victorem agit. Perturbato curiæ ſtatu intrepidus ſe ingerit: conſilio & ingenio omnia ſibi peruia faciens, ad regem Frotonem peruenit. Qui hominis induſtrij vigilantia delectatus, forti eius opera ſæpe vtitur ad legationes, ad obeunda maris diſcrimina. Ille vbique victor, rem ad arbitrium moderatur. Tantumq; Danorum regi inuiſceratur, vt & germanam eius, à multis petitam, coniugem acciperet, & Sueciæ regno per illum rex potiretur. Frater autem Erici Rollerus promeruit regis relictam, cui ille repudium fecerat. At Gotarus Noruagiæ rex, omnem Erici fortunam fama volante didicerat. Alebat autem filiam eximiæ pulchritudinis, quam rex Froto, dimiſſa (vt diximus in Dania) coniuge, iam adulterio fœdata, vxorem poſtulabat. Erico legationis munus imponitur. Quod ille non inuitus ſuſcepit, vt & regi optimè de ſe merito obſequeretur, & patriam, tanto iam auctus honore, non inuitus inuiſeret. Igitur aſſumpto in legationis officium fratre, & vtriuſq; coniuge, quæ indiuiſas ſe comites tanti itineris faciebãt, nauigationem ingreditur. Vbi rex Gotarus aduentaſſe Ericum cum fratre cõperit, regiasq; pariter adeſſe fœminas fama nunciauit: exardeſcens deſiderio, temperare ſibi nõ potuit vt primùm legationis vim acciperet, ſed præueniens dicturum Ericum, Quãdo, inquit, ad nos incolumis Erice redijſti, vehementer gaudemus. Vnicæ te filiæ nihil petentem, lego maritum. Tu mihi viciſſim cede Gumwaram Frotonis germanam. Durũ erat regi, in cuius manibus iam erat, ex aduerſo repugnare. Igitur diſſimulato legationis ſuæ mandato, ſpondet obſequium. Vxorem tamen de eo quod ageretur facit certiorem, pertentans animum mulieris. Iam, inquit, arbitrij eſt ô regia puella, regem, aut citerioris fortunæ habere maritum. Gotarus te expetit coniugem: quid reſpondes? Quem illa per deorum numina impenſius obteſtari aggreſſa, iocóne hæc an ſeriò meditata proferret: eo ſe dicente ſeriò fuiſſe locutum, Ergo, inquit, extremum mihi ruborem inijcere paras, quam virginem adamaſti, viduam relicturus. Sæpe rebus fama contraria eſt: popularis me de te fefellit opinio. Conſtanti nupſiſſe putabam, & nunc ventis leuiorem experior, quem indubitatæ fidei ſperabam non niſi fato diſiungendam. Hæc fata, abundè lachrymata eſt. Grata Erico vxoris fuit indignatio. Cui mox amplexum inijciens, Scire, inquit, volebam, quantum mihi in te fidei eſſet: mors ſola diremptionis noſtrę ius habet. Te tamen Gotarus raptui deſtinat, amorem latrocinio quæſiturus. Quem quum peregerit, tua geſtum ſimula voluntate: nihilominus nuptias dilatura, quouſq; ille mihi filiam ſuam nuptui tradiderit. Qua impetrata, vnà ego ac Gotarus nuptias agemus. Itaq; diſparata nobis ad nuptias conuiuia atq; triclinia, medium parietem communem habentia, præberi curabo, ne me fortè coram oculis habito, languidiore regem contemplatione perſtringas. Deinde Brocum, cum delecta promptiſſimorum manu haud procul iubet deliteſcere, ſibi, quum res poſceret, auxilio futurum.

Dania libro 1. cap. 30.

Ericus vxorem quid facto opus ſit monet.

Cap. 14. INDE accito Rollero fratre, prouocandi regis gratia, cum nupta ac ſupellectile, ſimulato metu fugam nauigio petiuit. Regia claſſis fugientem inſequitur: & rex ipſe propius adnauigans, Hæc eſt, inquit, Erice fides quam ſpoponderas? Sic abis cum coniuge quam ego à te expetiui? Data publica fide, in littus proximum concedunt. Ibi Ericus exhibito legationis officio, filiam regis Frotonis depoſcit. Ille reiecit poſtulationem. Vt, inquiens, ſororem merear Frotonis, filiam meam tibi deſpondeo. Ericus rem ſupra merita confeſſus, ſimulat regis ſe voto pariturum, ſi tamen Gumwara in torum ſuum conſentiat. Illa (vt docta erat à marito) ſimulationem prætendit: hoc tamen depoſcens, vt prior Ericus regis filiam accipiat, quàm ſe priuetur coniuge. Rex annuit: nuptiæ parantur. Hoc autem fugæ vmbraculum ideo prætendit Ericus, vt iniuria ab ipſo rege primùm profecta, iuſto deinde profugio cum eius filia vindicaretur. Igitur inſtructis pro regia magnificentia conuiuijs, nuptiæ Erico atque Aluildæ (id regiæ puellæ nomen erat) parantur, diuerſis, iunctis tamen communi pariete, cœnaculis rex atque Ericus accumbebant. Regi Gumwara, Erico Aluilda ex latere fuit. Iam ſumptis epulis, rex nuptijs aucturus iocunditatem, ad Ericum ingreditur. Gumwara reiecto in dorſo aſſere, (qui aulæis vndiq; pendentibus veſtiebatur) ad Ericũ in alio diſcumbentem cœnaculo, priuſquam rex introiret, delabitur. Miratus rex eam Erico aſſidere, quam in

ſuo reliquit triclinio, audit à circumſtãtibus formæ ſe ſimilitudine falli: eſſe Gumwaræ germanam perſimilem. Ille oris habitũ & omnem ornatũ oculis ſignans, hæret ſtupens. Regreſſus in manſionem ſuam, viſurus venit, ſi ibi ſit Gumwara. Interea relabitur illa, loco priore cõſiſtens. Ericus interim Aluildam appellat, malitne regis Frotonis nuptias quàm ſuas? Quippe regium ſanguinem nulli aptius quàm regi iungendum. Illa ſe, puellari verecundia, patris arbitrio nuptias inire reſpondet, nec aliud velle quàm quod parens. Ille, ſi aſſentiatur monitis ſuis, reginam ſore, & omnibus fortunatiorem ſpondet. Vbi pertinacius inſtitit, puellam flexit. Rex iterũ mutans conuiuij locum, ad Ericum regreſſus, ante ſe vidit quam reliquit in alio diuerſorio Gumwaram. Hæret rurſum ſtupens, quid tam ſimile in duabus fœminis, vt nihil diſparitatis poſſit annotari. In hac ambiguitate rei, verúmne cerneret, an ſimilitudine falleretur, conuiuium exit in noctem. Rex Ericum iuncta filia mittit in thalamum, nuptias conſummare. Ericus puellam honorificè appellans, ſeorſum cubare iubet: Gumwaram ſuam ille amplexus, conſopitur.

Aluilda per Ericũ flectitur.

Cap. 15.

REX autem miraculo rei permotus, ſimiliter ſuturarum expectatione nuptiarum ſuſpenſus, noctem ducit inſomnem, ſecum voluens quid miraculi viderit in duabus fœminis. Subit mentem id quod erat, dirũſum parietẽ creaſſe errorem: miſitq; qui ſpecularetur. At iam Ericus illum præuenerat, curans vt ante noctem cõpaginaretur. Miſit deinde armatos duos in cubiculum, qui contemplarentur quid interim de Erico eſſet & Gumwara: quòd ſi vnà cubãtes inuenirent, Ericum iugularent. Illi clàm ingreſſi, Ericum vigilem fallere non poterant. Itaq; expectantes vt profundiore ſomno mergeretur, Erico neſcientes ſpacium ſe colligendi dedere. Ille dilapſus ſtrato, correptis armis inſidiatores inuadit, & obtruncat. Mox Rollerus frater ſignum dat buccina: excurrunt expediti Erici milites, aulam deſpoliant. Rex hoſtes aliunde veritus, in naues decurrerat. Ericus Aluildam ſuamq; ducẽs Gumwaram, in ſuas quoq; deproperat, iam omnia comperiens, vt mandauerat, expedita. Igitur raptim præda in naues congeſta, ante diem vela pandit. Rex interim deliteſcens, nec quid ageretur intelligens, lucem cenſuit expectandam. Orta dies rem aperuit: iam Ericus mare tenebat. Iubet expediri claſſem Gotarus, vt latrones inſequatur, qui inſigni ludificationis genere & filiam abducerent repugnantem, & regiam ſpoliauerint, omni cum ornamentis abducta ſupellectile. Sed erant inter proceres, qui meliore conſilio, temperare furori regem adhortarentur. Non eſſe rem ſubitaneam, tantum apparatum potentiſſimi Danorum regis claſſe tumultuaria adoriri: totis regni viribus incumbendum, vt tanta iniuria vindicetur. Interim Ericus proſpera vſus nauigatione, Frotoni ſponſam non inuitam adducit. Regales inſtruuntur nuptiæ, perſonant atria cõuiuijs, regio luxu cuncta redundant. Erici magnum apud regem, & in omni loco nomen prædicatur.

Aluilda abducitur.

Cap. 16.

GOTARVS Noruagiæ rex, quamuis ſuorum conſilio remoraretur, quieſcere non poterat. Tantus erat dolor iniuriæ, tãtus ſeruor amoris irritati, vt omnia etiam extrema perpetienda duceret, quàm hoſtem impunitũ vt fineret. Itaq; nauigationem infœlicem ingreſſus, in ea loca tẽpeſtate preſſus detruditur, vnde expediri ſine magno diſcrimine non poterat. Dum præſtolantur proſperos ventos, omnem abſumpſere commeatũ. Fame igitur preſſi nautæ, mutua ſe cæde conſumpſerunt. Rex ipſe cum paucis terrã ingreſſus, magno labore montiũ cacumina permenſus, multo vix tẽpore peruenit ad homines. Ericus verò, vt ſemper primus inter regios erat ſtipatores & conſiliarios: ſi quid explorandum conſilio, ſi quid exercendũ viribus, vbi Erico prouincia obuenit, expeditam rem rex arbitratus eſt. Danorum itaq; ductor, fœlicibus ille auſpicijs per omnia pericula vexit incolumes. Wandalorũ nunciatur eruptio. Erico negociũ datur, vt expeditis quotquot videretur nauibus, rem gereret. Quam ita adminiſtrauit, vt hoſtibus cladẽ, ſuis victoriam relinqueret. Interea Gotarus, ſumẽdi de Erico ſupplicij gratia, vindicandiq; abducta filiæ iniuriã, exercitum de integro cõparat, copias conſcribit. Nec ſegnior illo rex Danorũ Froto, comparata claſſe, ſocero gener occurrit in prælium, Noruagiam petens, non expectaturus donec ille in Daniam aduolaret. Vbi vidit Gotarus vires Danorum ſuis ſuperiores, fretus ſoceri nomine, quòd filiam eius (vt diximus) Frtoto teneret vxorẽ,

Gotharus in maris periculum.

Colloquium & rixa Gotari & Erici.

pacem per legatos poſtulat. Non fore ſibi rem cum Frotone, ſed Erico, qui perfidia multiplici ſe læſiſſet. Ericus aderat, & de regis voluntate reſpondet, impudens videri negocium, vbi latrocinium ingreſſus pacem prior turbauit, priorem pacis facere mẽtionem. Effectum tamen per legatos, vt pace ac fide publica interpoſita, in colloquium reges deſcẽderent. Ibi grauis orta inter Gothorum regem Ericumq́; contentio, quòd rex obijceret Erico ingratitudinem. Nam immemor beneficiorum, peſſima pro magnis in ſe meritis rependeret. Ericus contrà, ſi quid vnquam ſibi à rege benenefici videretur collatum, id ſalutaris conſilij ſemper compẽſaſſet obſequio. Frotonem verò regem, ac ſe legatum eius, violatos eſſe, quòd neq; legationẽ eius ab initio ſuſceperit, inde etiam acceptam reiecerit. Si volentem puellam ad regnum prouexerit, nullius ſe eo nomine culpæ videri obnoxium. Super omnia verò, quãdo ademptam ille voluit eius cum coniuge vitam, tum ſe diuina atq; humana perturbantem nihil illi reliquiſſe, quo aut Ericus illi obnoxius, aut ille non omni genere ſcelerum obſtrictus maneret. Ex verborum contentione eò peruẽtum eſt, vt ſigna canerent, pugnaq́; inſtrueretur. Acerbis vtrinq; odijs decertatum eſt. Sed tum Gotarus Normannorum rex opprimitur, regnumq́; Froto largitur Rollero Erici germano, quòd bonam tum & aliâs Danorum regi operam nauaſſet.

Gotarus in prælio cadit.

Rollerus regnum confirmat.

CAP. 17. ROLLERVS ergo regno potitus Noruagiæ, id adunauit, reddita in illo monarchia, quæ iam dudum per duces & regulos diſſipata erat. Subtraxerant enim multi ſe obedientiæ regis ſui. Sed Rollerus fretus auxilijs & Frotonis Danorum, & Erici Suecorum regis viribus, regnum ſuum in priſtinum decorem reparauit. Inſuper Eſtoniam, Curetiam, Orientales prouincias, quæ etiam hodie extant, parentq́; nũc ordini Teutonicorum in Liuonia, atq; Hallandiam, quæ nunc Daniæ paret, in ſuam redegit ditionem. Magnoq́; bello, quod Frotoni tunc erat in regem Hunnorũ, ob repudiatam à Frotone Hunnorũ regis filiam, (quam ipſam nunc Rollerus coniugem tenebat) magno fuit eidem Danorum regi adiumento. Bello victor Froto, victricem claſſem reduxit in Daniam, Rollerus redijt in Noruagiam. Sed Noruagiorum proceres indomita ceruice, aſſueti libertati, iterum ſe regis ſui ſubduxerunt iugo. Nam vt quiſq; magnæ prouinciæ præerat, pro magnitudine virium animos ſumens, regi ſuo rebellarunt.

Haſmundi & Aſuici amicorum par.

CAP. 18. IN hoc rerum ſtatu, Alfus quidam procerum, filium habens Haſmũdum, Hetmarchiam gubernabat. Biornus autẽ, cui filius erat Aſuicus Wyck, prouinciam tenebat. Sinus iſte maris regioni nomen dedit. Quumq́; Haſmũdus iuuenis venationi indulgeret, ferarũ indagines perſcrutãtem, nox ſolum oppreſſit. Comites deuia ſecuti ſuam quiſq; viam ingreſſi ſunt: Haſmundus autem errorẽ in vaſtiſſimas ſolitudines conuertit. Fames illum primùm in canes qui ſequebantur, inde etiam in equum dẽtes vertere cõpulit. Longo circumactus errore, eam contigit prouinciam cui Biornus pręerat: filioq́; eius Aſuico tanta inuiſceratus eſt familiaritate, vt duorũ vnus animus haberetur. Eaq́; delectatus ſocietate, patriam non requirebat. Tantus vtrinq; amor inceſſit, vt quum vnus eſſet amborũ affectus, quàm ſanctè inuicẽ iurauerunt, & vitę & mortis cõmunem ſibi ſortem fore, nec alterũ alteri ſuperfuturũ. Mors inopina tulit Aſuicũ. Haſmundus ſacramenti memor, viuus in ſpecũ deſcendit, quò iuſſerat mortuũ inferri ſocium. Ingens erat loci capacitas: ſed ea cõditio, vt volens nolensq́; in ſpecu manere neceſſe haberet. Eo tẽpore Froto Daniæ rex cum exercitu Noruagiã petebat, Rollero ſuppetias laturus, vt beneficiũ in eo ſuũ tueretur. Ericus Rolleri frater exercitus magnæ parti pręerat. Peruenit is in locũ recẽtis, ſed magni tumuli. Theſaurũ ineſſe rati proceres, ſcrutari locũ conſtituerunt, ſi fortè regionis incolæ latibula rebus charioribus ibi quæſiſſent. Sorte quærũt hominẽ, qui in ſporta ſubmiſſus fortunam pertẽtaret: demittitur. Sed qui iutus erat Aſmundus, mox adoritur immiſſum: & illo de ſporta perturbato, ſignum clamore dat ſocijs extrahendi. Quumq́; in lucem veniſſet mortifera ſpecie ignotus homo, (quem recens etiam ſanguis de colluctatione immiſſi fœdaſſet) protinus qui extraxere, fugerunt: ſolus Aſmundus ad os inferni ſpecus relinquitur. Reuocat clamore fugientes. Vbi redeunt, docet fortunam ſuam. Affingit, ſepultum Aſuicum ab inferis ad ſe reuerſum, primùm quæ aderãt, equum cũ cane, perediſſe: inde in ſe morſus cõuertiſſe.

tiſſe. Niſi commutatione eius quem immiſerant, ad ſuperos redijſſet, mox inter mortuos remanſiſſe. Ita mirabili vice primùm in errore peregrinationis, inde ſtulta tumulatione periculum mortis ſine exemplo tranſiuiſſe.

CAP. 19.

SED & rex Noruagiam ingreſſus, qua venerat cauſa, bellum intentabat: in Rollero ſeſe contemptum arbitratus, cui ipſe regni autor fuiſſet. Vt autem multitudinis quam bello inferebat, monimentum relinqueret oculis Noruagiorum, iuſſit per ſingula capita ſingulos in aceruum lapides comportari. Noruagij comperto quid ab hoſtibus ageretur, & ipſi per ocium ſaxa congerebant. Cernuntur hodie tumuli congeſtorum lapidum. Sed quum ad prælium ventum eſſet, tanta vtrinq; animorum vi certatum eſt, vt rara fuerit ſimilis clades in prælio cæſorum. Victor quidem Froto Danorum rex fuit: ſed tam illi cruenta fuit victoria, vt ex tribus millibus, quas inuexiſſe fertur, nauibus, ſolas LXX. incolumes reduxerit. Credo non tum tanta, vt nunc ſunt, mole fuiſſe nauigia. Vtcunq;, tum re peracta, victor in Daniam Froto remeabat.

Magna claſſis iactura.

CAP. 20.

PER quæ tempora in eadem Noruagia duodecim fuere germani fratres, viribus acres, pugnis exerciti: qui ſocijs per latrocinij licentiam adunatis, ingẽtis agminis ſpeciem præbuere, terroremq́; regibus ingerebant. Haldanus Erici Sueconrum regis filius, quum crebris illorũ incurſibus terreretur, Fridleuum Frotonis filium, iam Ruſſiæ imminentem, aduerſus Normannos fratres inuocabat. Munitionem ſibi firmauerunt in altiſſima rupe, quę flumine de montibus cadente cingeretur, vt inacceſſa cæteris videretur. Nam illi, vbi opus euenerat, occulto vado tranſibant. Hoc illis certiſſimum fugæ præſidium, vbi à ſocijs deſerti tuta capeſſere cogerẽtur. Sed Fridleuus Frotonis filius, vir omnium periculorum caſibus probatus ac interritus, magnis ſe rebus inuocari adiutorem gauiſus, aditum reperit: nihil opinantes fratres occupauit, & ſuperauit. Primam hanc gloriam ſuis gentibus oſtendit: nam vſq; in eum diem Orientis Ruſſiæ partibus, patris imperio quæſitis præerat.

Fratres 12. à Fridleuo delentur.

CAP. 21.

NORVAGIAM Haſmũdus iam tenebat, incertum an is quem emerſiſſe ab inferis paulò antè memorauimus: nam annales relinquunt in ambiguo. Et quoniam miraculis plena ſemper fuit regio, libet augurari eũdem ad ſceptra vſq; perueniſſe. Erat enim Hetmarchiæ reguli filius. Filiam hic genuit ſingulari & exquiſita ſpecie, accedente prudentia cum pudicitia, cæteriſq; dotibus fœmineæ dignitatis. Hanc Fridleuus Daniæ rex, miſſis in eam inſulam legatis, ſpõſam depoſcebat. Pater Haſmundus mãdata ferentibus reſpondit, non eſſe Frotonis patris eius merita in Noruagiam, vt filius inde ſponſam mereretur. Grauiſſimo bello per illum exhauſtam proceribus prouinciam, abſumptam omnem nobilitatem: durare memoriam hoſtilis facti, venire quandoq; iuſtam vindictam. Irent, regi ſuo renunciarent, inde affinitatis iura depoſceret, quò maiores illius benemerita collocaſſent. Noruagiæ puellas in patria ſua inuenturas ſe dignos maritos. Non ignorabat filia legationis negotium: ſuboleuit durum patris ad legatos reſponſum. Auſa patri in faciem reſiſtere prodijt, Da, inquiens, veniam pater, puellari audaciæ. Videris mihi regno tuiſq; omnibus non rectè conſulere, qui generum tam potentem aſpernaris. Quid enim aliud niſi tibi odium, tuis laborẽ creaueris & periculum: quando his viribus eſt rex Danię, vt cogere poſſet quod nunc non impetrat precibus? Ille filiam durius increpitam abire iuſſit, puellaria penſa circumuerteret, at ſibi regni curam permitteret. Fridleuus ſuorum reditũ ſine fructu æquanimiter tulit: attamen propoſito non deſtiuit, irritatus potius quàm auerſus prima recuſatione. Haſmundus autem indignatus, acrius reſpondet, ſemel ſatis videri negatam filiam: iteratam verò in idipſum legationẽ, non aliud ſe interpretari quàm belli denũciationem. Quòd ſi hoc in ſe foret animo Fridleuus, vt bello minaretur, iuſtius ſe præripere bellandi cauſam, quòd Noruagia in eum vſq; diem ſatis perſentiret Danię vulnera: illos autem primos expiare crimina patrũ. Correptoſq; oratores atroci morte mulctauit. Fridleuus Daniæ rex vbi audiuit, iuſta indignatione ſuccenſus excanduit, contra ius gẽtium violatos oratores, ſeſe generum contemni: quem vltro, ſi ſaperet rex Noruagiæ, poſtularet. Igitur conſcriptum exercitum perarmat: claſſem validam inſtruxit: mouitq́; properè in Noruagiam. Nec Haſmundus ſegnior occurrit, naualis pugna

Dania libro 5. cap. 34.

Filia patrẽ, qui procum recuſabat, liberius coarguit.

Violatorum legatorum iniuria.

inſtruitur, multum vtrinq; ſanguinis profunditur. Diu incertis alis ſuperuoſitabat victoria: ſed demum Danis inclinauit. Cæſiq; magna clade Noruagij, pœnas dedere temerati iuris gentium. Sed neq; Danis incruēta victoria fuit. Nam fortis quiſq; aut in prælio occubuit, aut vulneratus diſceſſit. Qui ſuperfuere cladi Noruagij, fuga ſibi conſuluere. Secutus rex, puellam non inuitam optatis nuptijs ſibi iunxit, & victricem claſſem coniuge lætus in patriam reuexit.

CAP. 22. HELGO deinde ſceptris Noruagiæ ſucceſſit, cuius apud exteros nomen per occaſionem nuptiarum innotuit. Ea tum regibus prima bellandi cauſa fuit. Vt enim quiſq; viribus poterat, nuptias ſibi ex ſententia non ſine armis conciliabat. Fridleuus Danię rex, geminas cum filijs totidem filias reliquit. Harum natu maiorem rex Noruagiæ ſibi poſcebat vxorem: nec eam interpoſita legatione poſcendam putabat, ſed ipſe ſibi nuncius ibat, negocia ſua procuraturus ex ſententia. Sic enim fortium virorum tum conſuetudo ferebat, vt viderent viderenturq;. Regiam nauem, quæ Daniam petebat, tanto luxu inſtruxerat, vt picto velo, rudentibus purpureis, malo etiam inaurato nauigaret. Regemq; Danorum adiens, ſuus ſibi nũcius ad rem perficiendam erat. Ingellus (id erat regi nomen) placere ſibi regium illius ſchema ait: cæterùm nemini permittendam filiam, niſi qui inito certamine magnum aliquod fortitudinis ſpecimē præbuiſſet. Interritus Helgo nihil tale formidabat. Erat ex proceribus regni, qui eandem puellam procaretur, certamenq; offerret Helgoni Normanno. Sed is octo fratrum fretus auxilio nonus ipſe in certamen erat deſcenſurus. Quod quum Helgo nulla pactionis interuentione diſcuſſiſſet, recuſare non poſſe videbatur, igitur partim verecundia recuſationis, partim fiducia virium conditionem acciperet. Puella aũt miſeratione fortis iniquæ commota, Helgonem ſeuocat, quòd ſe tãto immiſceret diſcrimini ſeuerius increpat: conſiliũ tamen adhibet. Eſſe apud Sueciæ regem virum pugilē, Starcuterum inuictũ, olim patri ſuo militantem Frotoni, ſed nunc fratris Ingelli mores & molitiē ac ventris curam deteſtatũ, reliquiſſe illum. Hunc ſuadet auxilio inuocandũ: non defuturum, ſi per patris ſui Frotonis amorē imploretur. Accepit ille cõſilium, profectus in Sueciã, vt Starcuterum conueniat. Quumq; illi amantiſſimi regis ſui Frotonis nomē legationi ſuæ prætenderet, omnia ſe pro voto conſequuturũ ſperabat. Propinquabat autem Bircæ oppido, quo manebat. & præmiſit, qui Starcuterum ad filiæ Frotonis nuptias inuitaret. Indignatus vir ſeuerus ait, Niſi amantiſſimi mihi olim cultiſſimiq; ſemper viri nomen obtenderes, malè mulctatum perderem, quòd me alienæ culinæ ſectatorem arbitratus, ad nidorem gulæ deuocaueris. Erat enim vir continentiſſimæ ſobrietatis. Quod quum Helgoni renunciaretur, ingreſſus hominem hac voce ſalutat, Frotonis te filia mittit oratum, vt iniquæ ſorte pugnæ preſſum, quem optat maritum, præſidio tuearis. Edoctumq; quid ageretur orauit, opem ferret. Ille precãtem iuſſit bonam fouere ſpem, reuertiq; per viam qua venerat, ſe opportuno in tempore affuturum. Nec fefellit promiſſor: aderat enim tempore & loco, quę à pugnaturo dicerat Helgone. Interea parantur Helgoni nuptiæ: regius enim iuuenis etiam ante expletam pugnam votis potitur. Dabant id ſanguini eius, dabant fiduciȩ, certi nihil moraturum, quo pugna impleretur. Starcuterus adeſt. Laceſſitus à conuiuantibus, quum latratus ederent, verbis compeſcuit. Sed illi conuicijs non pepercere, ſenem irridentes, qui iuuenibus ſe opponeret. Pugnæ poſtera lux præſtituitur. Starcuterus excubias etiam promiſſo adiecit, vt beneficium ſuũ redderet cumulatius. Nam foribus nuptialis thalami ſe obiecit, ne qua vis fieret Helgoni aut puellæ. Helgo ante lucem expergefactus, non potuit non eſſe anxius tanto imminēte periculo. Sed ſopor, qui etiam merentibus ſurrepit, illum oppreſſit in lucem vſq;. Ingreſſus cubiculum iam orta luce Starcuterus, vbi dulci ſopore fuſum vidit: noua gaudia interrũpere non paſſus, quietem permiſit. Egreſſusq; ſolus locum pugnæ petiuit, demoratus aduerſarios. Hybernum frigus erat, quo etiam durãdum ventis corpus obiecit. Nouem fratres ſecuti & ipſi montem petunt, incertũ habentes, quando aduerſarij ſint affuturi. Mittunt ex ſuis in verticem, qui ſpecularetur venientes. Miſſus ſpeculator vidit ex obliquo conſidere ſenem. Rogat quid ibi demoretur: vbi ſint qui pugnam in eo die & loco conſtitutam obeant. Senex eius rei cauſſa ſe adeſſe affirmat.

Helgoni ob amicam à riuale bellũ indicitur.

Starcutero auxilium Helgo implorat.

Quod

Quod vbi accepit ille, renunciat nouem fratribus, præſtolari ſe nem vnum in vertice, qui ad pugnam ſe diceret exiſſe obeundam. Alacres illi conſurgunt, in montem tendentes. Et vbi ſedenti proximant, per contemptum rogant, ſingulos malit, an omnes vna pugna excipere. Ille riſum refert: quoties canes adlatrent ſolere ſe omnes vnà quotquot circumſtēt, abigere. Igitur cōgreſſos pariter omnes paulatim ſternit, aliquot etiā inter pugnandum (quod neceſſe fuit) vulneribus acceptis. Victor in regiam, grauiter licet vulneratus redijt, Helgoni nuptias ſe conſeruaſſe lætatus. *Starcaterus nouem fratres ſternit.*

CAP. 23.

HATHERVS ſubinde regulus, celebre nomē in Noruagiæ primatibus promeruit. Thorildam filiā nuptijs ſeruabat & excolebat primarij viri Grimmonis, quem non tam maiorum ſuorum ſtemmata nobilitarant, quàm fortium virium inuicta poteſtas efferebat. Huic deſponſam regiam puellā quum ſama longè lateq; loqueretur, (nam natales impares auxere rumorē) peruenit ad Haldanum Daniæ regem, virum præcipua fortitudine præſtantem. Qui totius nobilitatis dedecus reputabat, ſi vir plebeius regalibus nuptijs honoraretur. Simul & gloriæ ſuæ ſtudens, armata propria claſſe Noruagiam petit, nuptias cohærentes diſſipaturus. Et quanquam in ſenectutem cœlebs peruenerit, non minus tamen reguli promiſſione quàm adulteræ petulantia cōcitatus, duellum offert iactabundo. Initurus autem pugnam, cunctis agnitionis ſuæ notas, adulterini oris illuuie reſpergens, vt pugnæ locum teigit, prior enſem diſtringit. Quem ad hoſtilem ſentiens obriguiſſe aſpectum, (erat enim vterq; magiæ ſcius) humi deiecit: alioq; vagina producto, Grimmonem appetens, extremos loricæ nexus, cum occidua clypei parte perſecuit. Quod factū Grimmo admiratione proſecutus, Vetulum, inquit, acrius dimicantem non memini. Statimq; ferrum exerens, obiectam gladio parmam penetrabili ſectione cōuulſit. Cuius immorantē ictui dexteram Haldanus nihil hæſitans, obuia ferri celeritate corripuit. Ille nihilominus læua gladium ſtringens, ferientis fœmur transfegit, mutilati corporis vltionem exiguo vulnere proſecutus. Victor Haldanus, victo reſiduum vitæ pecunia redimendi fecit poteſtatem, ne imbelli & manco miſeras animæ reliquias deformiter adimere videretur. Quo facto, tantum ſe penè in ſeruando hoſte egit, quantum geſſerat in vincendo. Cuius victoriæ præmium, Thorildæ nuptias aſſecutus, filium ex ea Haſmundum ſuſtulit: à quo ſe Noruagiæ reges originem duxiſſe magni æſtimant, ab Haldano ſolennem generis ſui ſeriem retexentes.

Haldanus duello Sxerem promeretur.

Dania libro 2. cap. 5.

Noruagiæ regum origo.

CAP. 24.

HASMVNDVS inde, patre natus Haldano Danorum rege, materni ſanguinis reſpectu Noruagiæ ſceptra promeruit, filioſq; genuit Hagbartum, Hamundum & Helwicum. Hi quum iuuentæ tēpora militaribus triuiſſent exercitijs, terra mariq; celebre nomen habuere. Sed quum mari imminerent, obuios habuere Danorum regis filios, centenis nauibus incedentes. Idem piraticæ ſtudium vtroſq; æmulationis inuidia vertit in arma. Itaq; nauali prælio pugnauere: protractaq; in noctem pugna, proximam lucem expectauere: vt renouato certamine, cui inclinaret victoria, (quod nox fecit incertum) cerneretur. Sed ea fuit in vtroque exercitu fortuna, vt multitudine cæſorum ac vulneratorum vtriq; territi, colloquium in poſteram lucem cōſeruarent. Conueniunt, vt poſitis odijs ſocietatem armorum inirent, communi ſorte & lucro pugnas in reliquum obituri. Normanni cum Danis in Daniam peruenere: & obuerſati in regia, multam inuicem familiaritatem iniere. Erat autem Daniæ regi filia Sygne nubilis. Ea Hagbarti ſpecie delectata, & inuicem ille puellæ, occultum ignem fouebant. Sed regijs iuuenibus, interuentu procacium linguarum, graues diſcordiæ interceſſere, quæ etiam ad arma peruenerant. Conflictatum eſt cruento prælio: cecidere fratres Hagbarti. Sed ille recentibus ſuperueniens viribus, vltionem peregit, filios Danorum regis opprimens. Et quamuis palam in eum omnes gererent hoſtiles animos, qui tantam in regis filijs ſtragem peregiſſet, ille tamen amoris ſui obliuiſci non poterat. Ardebat enim occultus ignis grauior. Inde ſæuiens, quòd voti compotem non haberet, dolos intentauit audaciſſimus amor. Nam puellæ veſtibus indutus, in regiam venit: amata ſua potitur. Sed eos triſtis habuit exitus, vt vterque ſæuiſſima morte deperirent: ille enim deprenſus cruce ſuſpenditur, illa cum triclinio ſua ſponte conflagrauit. Quam rem quia in Suecia digeſſimus, hîc breuiter diſſilimus. *Lib. 5. c. 40.*

Magna poſt biduanum prælium amicitia.

CAP. 25. REGNALDVS deinde Noruagiæ ſceptris potitur. Hunc graui bello Gunnarus Sueonum regulus inſectabatur, vir crudelitate & ſęuitia inſignis, qui qualicunq; ex cauſa cõtractum in Normannos odium, ita exercebat, vt non hoſtium more agros vaſtare, prędam abigere contentus eſſet: ſed acerbiori odio graſſatus, ſolum ſanguinem ſitiebat, in cæde plurima plurimũ gaudens. Huius ſæuitiam veritus rex Noruagiæ Regnaldus, filiam vita chariorem, facta & exciſa ſpecu abdidit, multos cum illo gladios recondens: vt ſi quando ad illam eſſet penetratum, puellam defenſuri arma non longè requirerent. Nam honeſtum illi ingẽs famulitium, regiam quoq; ſupellectilem cum theſauris ibi recondidit. Progreſſus in prælium, quum iam bene de filia cõſtitutum putaret, vt tyranno quibus poterat viribus obuium ſe ferret, homo iam ſenio fractus facilè opprimitur. Infenſus victor victæ genti, vt non ſola ſubiectione illam premeret, ſed etiam inſigni contumelia afficeret, canem Noruagijs regem dedit: indignitatem gentis inde notatam volens, quòd digni haberẽtur, qui non humano imperio, ſed latratibus canum terrerẽtur. Eiuſmodi regi proceres addidit, quos inſigni maleficio notabiles peruidiſſet. Sed & gemina illis tributa induxit, vt & vernalia & autumnalia penderent. Audiens verò theſauros regni cum regia ſupellectile cõſepultos, exquirere ſtatuit: conſcios perquiſiuit. Quos vbi nullos repent, (ita enim puellæ pater curauerat) ipſe cum fidelibus ſcrutabundus inceſſit. Ventum eſt eò loci, in quo murmur incertum inſtrepuit: propiuſq; aure applicata, deprenſa eſt vox humana. Ibi fodi iubens, deprendit cuniculatos anfractus: penetranſq;, familiam omnem puellæ peremit, puellam cũ theſauris eduxit. Acceptaq; cõiuge, filium ex ea ſuſcepit paternæ crudelitatis non modò imitatorem, ſed etiam ſuperatorem Hildigerum, qui pòſt Noruagiam materni generis ditionem tenuit.

Canis Noruagijs per ludibrium rex datur.

Gunnarus puellam ſui metu abditã reperit, & vxorem ducit.

CAP. 26. HILDIGERVS ex Gunnaro Drotaq; matre natus, mox ſæuitiam paternã vſq; ad illius etiam faſtidiũ imitatur. Gunnarus enim pater, vbi indolem filij ad peſſima quæq; propenſam vidit, & immanitati pronã, ſæpe multumq; corripuit: nec tamen profecit: dominãte in eo quod natum erat, nihil potuit diſciplina prodeſſe. Vbi incorrigibilem ſenſit, exilio damnauit. Sed tum quoq; apparuit quod poeta ſcribit,

Cælum, non animum mutat, qui trans mare currit.

Suecia libro 1. cap. 48.

Sed Aluerus Suecię rex, ſanguinolentum hominem in pretio habuit, eumq; tyrannide donauit. Ibi finitimos bello ac cædibus implicando, omne ætatis penè tempus armis exegit: nihilq; exilij conditione ex cõſueto crudelitatis habitu remittens, animum cum loco mutare non eſt paſſus. Interim verò Gunnarus tyrannus. quũ neq; ipſe crudelitati modum daret, a Borcaro eiuſdem prouinciæ viro potẽte, armis impetitus, vita conceſſit. Victoriæ præmiũ Drota Noruagiæ regis filia fuit. Quæ etiam ægrè nuptijs aſſenſa non eſt, quòd parentis vltorem iure cõplexura videretur. Neq; enim lugentis patrem filiæ, eius interfectori, voluptuoſus poterat obtemperare cõſenſus. Huius Borcari filius Haldanus fuit: cuius iuuentæ initia ſtoliditatis opinione referta fuere, ſequens verò ætas fulgentiſſimis operũ inſignibus illuſtris euaſit, maximiſq; vitæ ornamentis inclaruit. Sed eius vitæ decurſum in Dania ſumus executi. Erat ea tum regnorum Borealium conditio, vt laceris pro ſe quiſq; membris diuerſi regnarent. Sic in Dania, ſic in Noruagia res tum gerebantur. Mutuis perinde viribus attriti, minus ſplenduerunt apud exteros ea tempeſtate reges.

Vir ferus opprimitur.

Lib. 2. cap. 8. &c.

CAP. 27. HASMVNDVS in Wicatorum prouincia, Noruagiæ parte, regnabat. At illum germana natu quidem minor, animo tamen auctior, quietum regnare nõ ſinebat. Erat in fœmina virilis audacia, & militaris animus, quo fratrẽ regno penè expulit. Haraldus Haldani (quem diximus) filius, tum Daniæ regnabat. Illum Haſmundus in fœmineam audaciam, belli ſocium (aut potius defenſorem) inuocabat. Non ſegnis ille aderat. Sed vt muliebrem ſe audaciam flocci pendere monſtraret, inermis in prælium proceſſit: lacerna indutus purpurea, mitram auro variatã geſtabat pro galea. Prælium non ſegne initur, cędunt caduntq; viciſſim plurimi. Qui pro fœmina ſtabant, mirati hoſtium ducem inermem depugnare, ſuiq; contemptum interpretati, acrius inuecti ſunt in eum. Mille telis petitus non læditur. Profuit illi vis magica, qua plurimùm niteretur, vt inuulnerabilis permaneret. Haraldus corpore integer, hoſtes aut bello conſumpſit, aut fugam corripere coegit: ſicq; regnum Haſmundo

Haraldus Haſmũdum à ſororis moleſtijs liberat.

mundo proſtrata ſorore reſtituit. A quo oblatis ſibi victoriæ præmijs, ſolam gloriæ mercedem ſufficere dixit: tantumq́; ſe in repudiandis muneribus geſſit, quantum egerat in promerendis. Quo facto, non minorem omnibus continentiæ ſuæ quàm fortitudinis admirationem incuſſit, claritatem ſe, non pecuniam, ex victoria percepturum teſtatus. Non eſt in ea gēte inſolitum à vetuſta memoria, fœminas præclaris operibus, & militaribus operis inclareſcere. Vt minus miremur vel Camillā in Italia, vel Pēthesilæam in Troiano bello, vel Orithiā cæteraſq́; præclaras fœminas, quarū in Suecia fecimus mentionem. Nam per hanc quam ſcribimus ætatem, poſt natum Chriſtum per annos circiter c c. aut ſuprà, quum in Noruagia rex Omūdus rerum potiretur, Sticla & Ruſla, virgines armis innutritæ, cum Trondo fratre aſſiduum bellum egere. Haraldus autem Daniæ rex, indignè tulit tantum poſſe fœminas in viros. Sponte ſua nauigabat in Noruagiā, opem laturus in fœminas, vt detergeret ſexus cōtumeliam, quòd aduerſus militares viros fœminę inſoleſcerent. Inſecutus claſſe puellas, quū eas inuicem diſtraxiſſet, aggreſſus alteram poſt alteram, & expugnauit & oppreſſit. Teſtatur nomen quod portubus diu remanſit, ab euentu victoriæ, quum ex deuictis puellis vocabulū ſortirentur. Olauus tāto eius beneficio non ingratus, daturum ſe offerebat, ſi quid in regno ſuo eſſet, quod illius animū afficeret. Haraldus gloriam virtutis præmium ſatis ſibi fore duxit, nec aliud de manu eius munus agnoſcere voluit. Hic eſt ille, qui (vt in Dania teſtati ſumus) primus enauigans, littora Galliarū explorabat, vſq; ad Rheni fluēta procurrens. Vbboni Friſio homini ſe obiecit, qui latera Iutiæ populatus, crebra ſtrage inſoleſcebat. Sed quum armis inuulnerabilē ſenſiſſet, milites ad eum capiendū immiſit, proſtratumq́; vinciri iuſſit cōpedibus. Delectatus autem viri inuicta virtute, intantum ſibi hominem conciliauit, vt germanā illi ſuam coniugē daret. Huius fretus & audacia & belli gerendi peritia, Wandaliā ſæpe petiuit, & cæde vaſtitateq́; impleuit. Sed (quod in hac cōmemoratione præcipuum eſt) hoc viro monſtrante, littora Saxoniæ legebat, & ad Rheni fluenta graſſabūdus peruenit. Nam Wandalorum ducibus, Duc & Dal, in cōmilitium ſuſceptis, ductore Vbbone Aquitaniam vſq; deſcendit, eamq́; cædibus & rapina fœdauit. Inde conuerſus in Britanniam, Humbroto rege proſtrato, promptiſſimos quoſq; ex iuuentute ſibi aſciuit: quorū pręcipuus Orni cognomento Britannicus habebatur. Harū rerum fama athletas è varijs partibus orbis accerſitos, in mercenariam manum redegit. Quorū frequentia auctus, adeò regnorum omnium motus nominis ſui terrore cōpleuit, vt eorum rectoribus mutuum conſerendæ manus auſum excuteret. Sed nec quiſquā maris dominationem abſq; eius nutu vſurpare præſumpſit. Quippe quondam in Danorum repub. dimidiū terrę, & pelagi imperium fuit. Hæc, quum Noruagiam deſcribimus, in Daniam libēter reuerſi, cōmemoranda putauimus, quòd hac tempeſtate primus rex ille fuit, qui Galliæ littora ſit auſus infeſtare, ſignaq́; transferre in Britanniam. Sed nos Galliarum commemoratione contenti ſimus, quòd ibi Normanni nomen ſuum in littore fixerunt, Normanniam vſq; hodie de ſuo nomine maritimam vocitantes.

Dania libro 2. cap. 10.

Lib. 1. cap. 7. &c.

Dania libro 2. cap. 11.

Lib. 2. c. 15.

Haraldus Vbbonē ex hoſte ſibi amicū facit.

Haraldi remota in ipſam Galliam nauigationes.

Cap. 28.

Et vt Italorum iactabunda ſemper gloriatio retundatur, operępretium iudicaui hac in parte cōmemorare, quomodo ante Romanos duces à Danis Britannia ſit appetita. Omitto quæ in literas non relata, indubitata fide tenemus, quum toties maria omnia circumuecti Dani inſulas popularentur, Britanniam opulentam non præteriere intactam. Hoc ſolùm dico quod annales teſtātur: ante natum Chriſtum multis ſeculis, Froto rex Daniæ Britanniam populatur: & onuſtū iam præda exercitum reducens, quum audiſſet inſulæ habitatores ad arma conclamaſſe, ſeq́; ingenti agmine infeſtos conſectari, iubet prædam abijcere, ne onuſti ab expeditis ſuperentur, vtq́; ipſi Britones potius iam ſuas prædas reſumentes, à Danis opprimantur. Eoq́; conſilio victor factus, inſulam opibus ſuis ſpoliauit, Lundoniam occupauit, Dalmanum præfectum eius cepit, locupletatum reduxit exercitum. Inde poſt aliquot ſecula Fridleuus Daniæ rex, poſt vaſtatam Hyberniam, oppidumq́; eius Duſlinam euerſum, Britanniam populatur. Et ante illum Ambletus Iutiæ præfectus, quum apud eundē Britanniæ regem exularet, in quas voluit conditiones perpulit. Froto deinde longæuus rex, (per cuius tempora in terris natus eſt Chriſtus

Froto in Britannia Britannos delet.

Dania libro 1. c. 11. & 27.

Chriſtus ſub Frotone natus.

Dominus) Britanniam expugnauit. Circa quæ tempota primus ex Romanis C. Cæſar, ante occupatam monarchiam, Britãniam inglorius attigit. Claudius in prouinciam deinde redegit, Seuerus edomuit tebellantem: & alij deinde Imperatores, quorum opportuno tempore mentionem ingeremus: hoc modò attigiſſe contentu, quòd Dani in Borealibus regnis inclaruerunt, priuſquam Romani in ſua ditione conualeſcerent. Haraldus autem, cuius nunc tempora contigimus, primus inter eos qui in literas miſſi ſunt, Galliarum littora contigit. Quod noſtro interim ſat erit nunc iudicio. Quòd ſi ab initio literis floruiſſet hæc regio, quàm magnifica legeremus militaris operæ geſta in hac gente! Sed hæc interim ſufficiant.

CAP. 29.

Olo adoleſcens latrones in ipſorum luſtro conficit. Dania libro 2. cap. 12.

OLO Noruagiæ imperabat ea tẽpeſtate, memorati Haraldi ſorore editus. Tertium ætatis agebat luſtrum, quum audiret inſigni latrocinio publicas in Hermarchia obſideri vias, patre per ſenium negligentius agente. Adoleſcens ſenem aggreditur, Audis pater, inquit, quæ mala quotidie deferuntur nobis ex Hermarchia? Incolumi rege iſta fieri perquam indignum cenſeo: arma depoſco, tãns malis occurſurus. Pater illi ex ſententia permittit eligere iumenta, comites, & quæ velit arma. Delectu habito iuuenis proficiſcitur, canibus ſcrutatus per indaginem latronum manſionem. Multa obſtitere gradienti, denſa in primis ſyluarum volumina, amnes vorticoſi, paludes penè intranſibiles. Nix & pruina indicia fecere gradientium ante ſe latronum. Nihil imperuium virtuti: aggeres congeſti, amnes profundi, portarũ repagula, cuncta ceſſere forti: inuentoſq; latrones, cruenta cæde mactauit. Hæc prima indolis ingenuæ fuere argumẽta. Inde auunculum viſurus Haraldum, contendit in Daniam. Priuſquã tamen perueniret, alterum egregiæ virtutis ſpecimen oſtendit. Olauus erat Wermorum regulus, quem ob negatam coniugio filiam, pugil inſignis virtutis & probatę induſtriæ (qui fratre nihil inferiore niteretur) in duellum prouocabat. Mœſta domus non inuenit quid ageret. Viribus propulſare non erat facilè, multis millibus dominantes: recuſare duellum, probro proximũ habebatur: ſubire ſortem iniquam, pernicioſum. Sic affectæ domui Olo incognitus interuenit: ſciſcitatus ex reguli filio, quid cauſæ eſſet tanto domum eſſe oppletam luctu. Ille refert quid infœlicitatis accidiſſet ex nominatiſſimis pugilibus, quibus tradenda filia, niſi quid auxilij proueniret, videretur. Abſit, inquit ille, dedecus, vt nobilis puella plebeio ſeruiat marito. Bene ſperare iubeo. Erat Oloni perquam terrificus oculorum fulgor, quem facilè humanus intuitus non ſuſtineret. Hoc ſciens caput obnubit, ne cui terrorem ingereret, néve à quouis noſceretur. Nox ingruit: & ad euincendas tenebras, lucem de more mutuantur ab igne in candelam tranſlato. Regia puella, vt erat ſingulari humanitate prædita, aduenis ſedulum impendit miniſterium. Hoſpitis autem Olonis perpendens inuolutã faciem, curioſius (ex more fœmineo) ſcrutatur quid tegeret. Fulgorem autem oculorum non ſuſtinens, velut ictu percuſſa decidit. Id quum iterum ac tertiò, experiundi gratia, cõperiſſet, puellæ pater, quidnam pateretur rogat, vt coram hoſpite trepidaret. Illa ſecretius parẽti refert in aurẽ, Ni me fallit, pater, exiſtimatio, iuuenis ille generoſum trahit ſanguinem, magna gente vndecunq; natus: nam oculorum eius fulgorem ferre non potui. Dignus me coniuge, ſi non improba pugilum vota nobis obſiſterent. Rogatur ab omnibus Olo, velamen fronti prætenſum retrahat, & ſe viſendum, ſi amicus acceſſerit, cunctis præbeat. Non obſtiut precantibus: mox diſiecto velamine, frontis decorem prodit. Erat autem flaua cæſarie, & facie honora. Continuò lætior conuiuij conſeſſus. Ne tamen quẽquam oculorum fulgor terreret, deiectis in terram luminibus, rarius ſuſpexit. In medijs iam tum ferueſcentis cœnæ gaudijs aderant pugiles, aut puellam aut athletam ſibi dari poſtulantes. Duxere autem denos ſecum ſuæ ſortis iuuenes. Nihil moratus Olo ſe pugnæ offert, lege data ne quis à tergo pugnantem adoriretur, ſed ingenuè occurrerent à fronte: illi promittunt. Venitur ad metatum pugnæ campum: vnus duodenis opponitur. Nec magnus erat Olonis labor, victos proſternere, quippe qui igne oculorum terreret obuios. Stratis itaq; aduerſantibus, lætus pater Oloni (cuius interim genus didicerat) filiam victoriæ præmium tradit. Nec minus ille gratus accepit, ſumma charitate complexus puellam: quæ filium illi peperit Omundum.

Olonis præfulgens aſpectus.

Solus Olo duodecim pugiles vincit.

Ne c-

CAP. 30.

NECDVM tamen animo profectionem in Daniam, viſendi auūculi gratia poſuit: ſed iterum auerſus itinere, differre votum coactus eſt. Audierat oppugnari patriam à Thorone regulo, qui accitis in coniurationem proceribus bellum Noruagiæ inferebat. Cogitauit Olo præuenire dolis hoſtem. Diſſimulato habitu ſenilem in morem ſeſe compoſuit, aliquot ex ſatellitio iuuenes fœminea veſte texit: & Thoronis domum expetēs, manere ibi nocte quæ inſtabat, diſpoſuit. Multum verò hoſpitalitatis in ea gente vſq; in hunc diem excolitur. Igitur ignota facie hoſpes cum comitatu excipitur. Et vbi epulis exēpta fames, vnde veniat rogatur. Ille longinqui ſe regis militia diu tentum aſſeuerat: nunc verò odio regalis filij extruſus, alio in loco ſe militię cōſtringere cogatur, paratus vbicunq; militare. Quumq; deiectis ſemper in terram oculis hęreret, per iocum à militibus rex ſalutatur: genua curuant, dextras porrigunt, obſequia per ironiam repromittūt. Quibus ille quod ioco fecerāt, ratum habere iuſſis, ſignum dat ſuis, ferrum exerant. Id enim prouidit, quò minus terrori eſſent, vt baculis ferrum clauderent. Ebriam iam ſub noctē aulam fortes inuadunt, regem obtruncant, & quotquot ſe armis tueri parabant. Nam erant qui iocum verterunt in veram fidem, vbi ſe victos viderunt. Itaque hoſte extincto, patriæ patriq; pacem reportauit. Erat inter morientes, qui vaticinaretur futurum, vt quomodo ille penatibus in ſuis Thoronem oppримeret, ita ipſe quoq; à domeſticis ſuis interiret. Quod exitus mox perdocuit. Sed tum filio maris arbitrium permittebat, ſeptuaginta nauibus perarmatis. Tanta claſſe mari Britānico Olo imminebat, quā non territurus prouinciam, in quam copias ſuas expoſuiſſet? Quos adierat maritimos, in ſuum nomen iurare coegit, ſplēdidam vbiq; prædam agens, commilitones quoque auxit magna rerum geſtarum fama. Quicquid erat in militia præcipuum, Olonis agmini mox acceſſit. Inter alios verò Starcuterus Oloni militauit, vir admirabilis, cuius & ſuprà pleriſq; locis, in Dania & in Suecia mentionem fecimus, & facturi ſumus ex commodo. Nam is Oloni fatum peperit ad extremum ſenectæ ſuæ ſeramq; vitam. Cuius rei ipſe dolore quoq; iniqui facinoris deperijt.

Olo Thoronē in ipſius aula trucidat.

Lib. 2. c. 12. & 13. Suecia libro 2. c. 21. &c.

CAP. 31.

IAM multiplici auctus victoria, quum terra mariq; præclara multa peregiſſet Olo, in Daniam ad auunculū conceſſit, viſurus & regni ſtatum & mores regionis. Haraldus iam ſeneſcens, ſpectatæ virtutis iuuenem, arctiſſimè complexus honorabat. Aliquandiu autem ſecum amiciſſimè habitum mittit ad Ringonem Suecię regem, vt eius quoq; regionis morem videret: habiturus ibi exercendæ virtutis materiam, quam apud vetulum regem non inueniret. Vigebat adhuc amor, durabat familiaritas regum: quippe qui occultis de rebus ad ſe nūcios ſecretò ſemper habuere. Sed incidit difficile tempus. Dum apud Ringonem Sueciæ regem Olo maneret (nam Haraldo & Ringoni pridem amiciſſimis, primùm diſcordia, inde inuidia inceſſit & odium) ferunt malignos interpretes ſeuiſſe odia altrinſecus. Sunt tamē qui arbitrentur, Haraldum regem bellicoſiſſimum, qui omnem ætatem in armis triuiſſet, quæſiſſe exitum vitæ per arma: magiſq; inſtituiſſe hoc bellum exercendæ iuuentutis gratia, quàm vlla alia de cauſa. Adſtipulatur huic credulitati tarditas apparatus: ſeptem enim annis cōtinuis bellum apparabant. Vndiq; vires contraxere, arma parauere, naues cum bellicis inſtrumentis communiere. Non facilè alia in gente ſimilem aut multitudine pugnantium, aut varietate auxiliorum, aut diuturnitate inſtructionum pugnam legens reperies. Sed omnia nunc breuius à nobis attingentur, quòd in Dania ac Suecia res ſint cōmemoratæ. Hoc ſolùm nobis reliquum eſt propoſito, oſtendere, Noruagios tunc cum Olone ſuo in partibus fuiſſe Suecorum. Victrix ea pars fuit. Vnde factum eſt, vt Ringo Sueciæ rex, magno illo victor prœlio, Olonem (cuius ſingularem operam ſit expertus) Scania donauerit, quum illum Sueciæ regno in reliquum ſeruire conſtituiſſet. Nec tamen diu paſſi ſunt Dani impoſitam ſibi à victore dominari puellam. Nam proceres adito Olone, deprecati ſunt, vt quibuſcunque conditionibus abactam ceruicibus eorum fœminam faceret conquieſcere, ipſeq; regnum ſubiret. Fecit Olo quod voluere. Sed talem ſe in regno gerebat, vt facilè facti ſui Danos pœniteret. Cruentum exercebat imperium, & tyrannidem magis quàm iuſtum præferebat dominatum. Paciſcuntur cum Starcutero inuictiſſimo pugile, vt regem, qui in tyrannum degeneraſſet, tolleret è

Olo Suecos aduerſus Danum victoriæ autor exiſtit.

medio. Ille vt erat monſtrorum euictor & domitor, ſuæ arbitratus ineſſe virtutis, hominum generi ſalutem inferre: non dubitauit accepto precio operam polliceri. Balneis rex vtebatur, quum illum Starcuterus adiret, parricidiū meditatus. Suſpiciens rex, terruit venientem: ad fulgorem luminum eius, etiam fortiſſimus Starcuterus ſubſiſtere non potuit: ſed auerſus abibat. Rex arbitratus magni eſſe rem momenti, quam afferret vir fortiſſimus, flexo in terram lumine Starcuterum reuocabat. Ille redibat, gladio confodiens regem veſte nudatum. Hic exitus Olonis. Sed continua parricidam pœnitudo apprendit, quæ ad vitæ illius exitum durabat.

Olo Danorum liberator, poſtea tyrannus, à Starcutero trucidatur.

CAP. 32.

OMVNDVS Olonis filius, quum Daniam iam hęredibus vacuam poſt patrem Olonem teneret, Noruagiam iam rege vacantem, occupauere duces, aut reguli: in cuius non contemnenda parte Ringo quidam regnare cœpit. Huius filiam dum cõiugio poſceret Omundus, non impetrauit, reſponſo illi dato, non ſolere Noruagios dare filias niſi fortiſſimis viris, & qui ſe rebus magnis dignos generoſis nuptijs comprobaſſent. Indignatus Omundus, ab impari nobilitate ſe contemptum, ſimul animo volutans quæ illi irrogaretur iniuria, ab illo cui meritò præeſſet, (nam auito genere Noruagiæ regnum ſibi deberi) parat vlciſci iniuriam: armat claſſem, ducit in Noruagiam. Aberat Ringo impugnans aliena, ignarus quòd interim ſua lacerentur: facilè indefenſam prouinciam Omundus vaſtabat. Sed nõ diu aberat Ringo, dum quæ gererentur intellexit. Partem copiarum quas habebat Ringo, immittit hoſti, reliquam in inſidijs collocauit. Omundus forti ſe patre genitum aſtruens, non maiores immiſit ex aduerſo venientibus: non ſuæ virtutis eſſe cõiectans, ſi maioribus copijs minores ſuperaſſet. Confligitur vtrinq; fortiter: ſed tum Dani ceſſere. Nec profuit noua ſubmittere auxilia: ſemel enim dorſa vertentes, fruſtra in pugnã concíeris. *Nec vera virtus quum ſemel excidit, Curat reponi deterioribus*, ait Flaccus. Omundus tamen tũ victus ceſſit, vires reparans, vt grauior hoſti occurrat. Dani, vt primã offenſam dexteriore pugna redimerent, alacriores & ipſi redibãt. Pertinacibus vtrinq; odijs pugnatur: certant, certi non cedere: cadunt vtrinq; plurimi. Nam fuga morte viſa grauior. Is verò tum erat exitus, vt Dani regi ſuo operam nauãtes, ſuperarent: victi Normanni manus dant, Ringone iam lethaliter vulnerato. Accepto enim vulnere, ſuos dato ſigno reuocat à prælio. Omundum rogat propius aſſiſtere, & vltimum ducens ſpiritum, vix iſta voce tremula promit, Satis conſpecta virtus tua, iam dudum promeruit te mihi eſſe generum: quem q; vltro poſcere debui, demés ad arma vocaui. Eò nunc ventũ eſt, vt improbitatis pœnas luens, quem antea deprecantem contempſi, nunc etiam rogem generum fidei dignari: vnicum hoc mortis ſolarium habiturus, ſi fortem ac potẽtem maritum filiæ reliquero. Hæc moriens vix effregit: nec reſponſum expectauit, feſtinans è vita. Omũdus alteram ex Ringonis filiabus ipſe ducit, alteram Hormundo (cuius in eo bello operam fortem expertus eſt) permiſit, vtriq; Danorum & Noruagiæ regno imperitans.

Cedũt Dani duce Omundo rege.

Ringo morti proximus, Omundo ſe filia nubat, petit.

CAP. 33.

RVSLA virgo, cum Trondo fratre, per eam tempeſtatem Noruagiæ incubuit. Nam vt erat regnum in membra lacerum, partem ſibi ducum quiſq; ac procerum regendam deſumpſit. Hic puella de rerum ſumma cum Omundo cõflictabat. Primum autem ad reliquos regulos arma cõuertit: & ſuperior facta, non tulit Omundum patriæ ſuæ imperare, nec in ſua Noruagia vel vllam tenere prouinciam. Nam aſſidua incurſione vexabat præfectos eius. Miſit rex validam ſuorũ manum ad reprimendam inſoleſcẽtem fœminam: nec enim dignabatur rex ipſe in fœminã ducere. Quotquot autem miſſæ ſunt copiæ, à victrice puella repelluntur. Hallandiam adhuc regi parentem, Ruſla cum exercitu inuadit. Ibi cõglobati Danorum proceres, vaſtanti ſe obijciunt: prælioq; commiſſo fugant, ſolis XXX. nauibus ad fugam relictis: nam cætera claſſe penitus eſt hoſtis. Regreſſa in Noruagiam, à fratre Trondo excipitur: iam laceris viribus, facilis opprimi viſa. Sed illa pſtans animis, fratrem (vt ſæpe antea) vincit, compellitq; in fugam. Omundus rex, inſoleſcentis fœminæ iniuriam diutiųs ferre non paſſus, præmittit claſſem, quæ primoribus terræ regem cõciliarent, fœminamq; facerent odioſam. Qua via quum vndiq;, etiam à ſuis exigeretur, omnes vires in claſſem contulit. Congreſſaq; Danorum ductoribus vincitur: atq; paucis nauibus ad fugam retentis, notas petit regiones. At frater, iam etiam

Ruſla virgo bellatrix, à fratre, quẽ vexauerat, opprimitur.

ille

ille Danorũ regi incretus, ſanguinis vinculum penitus in ſe aboleri paſſus, germanam vndiq; exactam, iam viribus carentem, admoto agmine oppreſſit. Fortiſſimi virginis milites, Therias cum Biorno, vbi audiunt occubuiſſe dominam, pertæſum & illos eſt vitæ. Danorum regi duellum offerunt, præſertim quòd ſe iureiurando conſtrictos meminiſſent, vindices fore occiſæ dominæ. Probroſum viſum eſt regi, recuſare oblatum duellum. Reſtitere diu proceres: at vicit regis propoſitum. Congreſſus ergo duobus, alterum occidit, alterum vita & præfectura gentis donauit. *Omundus duello aduerſus duos victor.*

CAP. 34. *Scriptorũ penuria multa latent ignota.*

QVVM verò iam per aliquot annos nihil magni gereretur, veriuſq; coniectantibus ea ſubit ratio, quòd nulli adhuc rerum ſcriptores extarent, qui tempora inſignirent: multorum regum facinora in vtroque regno latuerunt. Per quæ tempora (quod in Dania oſtendimus) Longobardi egreſſi Scania, primùm in Rugia, deinde in Pannonijs conſederunt: nouiſſimè tranſierunt in Italiam, ibiq; prouinciam & regnum de ſuo nomine fundauerunt, nomine ipſo vſq; in hanc diem permanente. Per quæ etiam tempora Dani & Noruagij, iunctis viribus, mare infeſtum habuere. Quid autem rerum peregerint, in faſtos & literas relatum nõ legimus, niſi quia coniectura aſſequimur, gentem rapinis & bello aſſuetam non quieuiſſe, præſertim poſtquam guſtata dulcedine prædæ, iam Aquitaniam in Galliarum littore, & Britanniam fortunatiſſimam inſulam compertas habuere. Sigibertus autem Gallorũ hiſtoricus, tradit Theodoricum Francorum regem, qui Clodouæo patri (quem alij dixere Lotharium) in regno ſucceſſerat, circa annum Chriſti quingenteſimum, quum in Italia Theodoricus Oſtrogothorum rex (quem de Verona cognominãt) dominaretur, conflictaſſe in Galliarum littore Cochilaco Danorum regi, Galliarum maritima infeſtanti. Quod quia Danorum ſcriptor non attigit, multa in medio ſecula tranſiliens: coniectura eſt, multa præclara in his nationibus facinora perpetuo ſilentio eſſe ſepulta. Nec nobis effingere permiſſum quæ non legimus, non ea leuitas ſcribentium hiſtorias & annales retexentium. *Dieterich Von Bern.*

CAP. 35.

GOTHO rex Noruagiam tenebat ea tempeſtate, qua Gotfridus (quem alij Gotricum dixere) Daniæ regnabat. Attigerat autem ille annos Caroli Magni iam ad imperium perducti, hoc eſt annum Chriſti DCCC. Magna in medio trecentorum annorum tranſitio, qua nulla iam in annalibus Noruagiæ memoria eſt. Gotho autem Noruagiorum rex & alijs quidem virtutibus præſtans, & liberalitate inſignis habebatur. Nam Tylenſium ducibus iam ſe pridem bello laceſſentibus, & nunc redeuntibus in gratiam, dona dedit, armillas auro fulgentes. Cuius doni magnificentiam quum ex aulicis quidam extuliſſet, non fore alium regem liberalitate præſtãtiorem iactabat. Cui alius quidam ex donatis, Magnifica quidem regis tui munificentia nobis etiam prædicãda eſt, quæ iure optimo ab omnibus prædicetur. Quòd autem nullum liberalitate maiorem putaſti, iniurium eſt Danorum regi Gotrico: quem hac virtute omnibus eminentiorem inuenies. Et quomodo, inquit ille, fieri poteſt, vt ſit in illo quàm in noſtro rege maior liberalitas? Eſſe, ait ille, rebus comprobabo. Itaque pignore depoſito certamen ineunt, vt tollat qui re ipſa comprobat, cuius ſit regis maior munificẽtia. Profectus in Daniam Tylenſis, regem offendit inter milites donatiua partientem: aſtatq; ignotus ipſe inter notos militum vultus. Suſpiciens rex, quod illi nomen ſit rogat. Ille inſigni proceritate decorus, & virilis ac comis, vulpeculam ſe dici reſpondit. Ergo, inquit rex, ad prædam inſidiaturus aduenisti? Detractiſq; manu armillis, illi proiecit, dono ſibi concilians alienigenam, cuius & vultus & verbi promptitudo placebat. Ille doni magnificentiam efferens, brachium armilla præditum ſublimius præferebat, manum aliam, vt poterat, recondens. Rogatus à rege quid ſiniſtram abſconderet: reſpondit illam vereri cundari, nec audere in publicum prodire, quum ornata ſorore, illa maneret inhonora. Rex dicentis libertate delectatus, Ergo, inquit, ornetur & illa: aliaſq; proiecit armillas. Tunc ille, Vt noueris, optime rex, non hoc me ſolùm immerentem munere decorari, depoſitum eſt à me pignus in Noruagia, vt re ipſa comprobem, liberalitate tua, cunctos te reges ſuperare: & hoc me nunc ornatum per te pignore denuncio. Viciſti tu cunctos virtute: ego quoque per te vici competitorem. Exhilaratus rex, quòd rerum omnium ignarus, tantum muneris in ignotum contuliſſet,

800. *De liberalitate inter reges certamen.*

G

vnde apud exteros nomen eius cum laude increſceret. Reuerſus ille in Noruagiam, depoſitum à concertante pignus repoſcit, & accipit: re ipſa declarans quantum eius rei certamine promeruiſſet.

CAP. 36. SIWARDUS quidam Noruagienſium dux, per ea tempora tantum commendatus eſt Gotrico Danorum regi, vt filiam eius coniugem mereretur. Inde nominis ſui filium ſuſtulit cognomento Ringonem, qui ſuccedentibus ſibi proſperè rebus, ad regnum poſtea Daniæ auito iure peruenit. Sed competitorem habuit alium ex eodem auo nepotem, ſuum quoq; conſobrinum, ſecum etiam nomine participantem: qui quum Iutiam teneret, hic Scaniam Sialandiamq; regebat. Sed Siwardus æmulum regni rum ſubmouere curabat, quippe qui eodem iure, vno ſanguinis gradu, de rerum ſumma certaret. Magis autem ſe exteris, quibus contemptui lacerum & dimidium erat regnum, oppoſuit. Quumq; diu foris arma toto ferè quinquennio, pro nutrione & honore regni ac patriæ exerceret, ſuo penè regno deſtitutus eſt. Sed hæc in Dania proſequentibus, permittitur hoc loco tranſilire, non niſi Noruagicis nunc rebus inmentionem venientibus.

Lib. 4. c. 5.

CAP. 37. REGNERUS quoq; huius filius, natus & ipſe Noruagico ſanguine, quum Daniæ regnum proſtrato in agmine parēte teneret, audiretq; Sueciæ regem Fro, Noruagiæ violētum incumbere, (quippe qui occiſo auo eius Siwardo, regias fœminas in contumeliam proſtituens, publicè illis abuteretur) vtriuſq; rei ſe ſpondebat vltorem. Venienti cum claſſe Regnero, multæ virgines ac fœminæ, aut metuentes aut iam paſſæ ſtuprum, virili habitu ſeſe in armis futuras vindices obtulere. Quarū alacritate rex delectatus, pugnam lætus inibat. Fortiterq; dimicarū eſt tam viris quàm fœminis, quas ſpecialiter fortes faciebat dolor cōtemptæ vel obſeſſæ pudicitiæ. Inter alias autem Landgertha eminebat, humeroq; inuolitans capillus fœminam eſſe prodebat. Quæ quum prima inter acies emineret, regis in ſe facilè cōuertit aſpectum. Iamq; multo ſudore ac ſanguine parta victoria, vni ſe fœminæ acceptū ferre rex dictitabat: deq; nomine ac patria eius multa rogitans, vbi comperit innuptam virginem, interpoſito ſolenni nuncio, de nuptijs iuſſit interpellari. Illa verbo aſſenſa, (quippe regem recuſare maritum, dictu horrendum videbatur) aliud tamen cogitabat. Nam perpetuæ virginitatis propoſito, nulli ſe viro polluendam permittere proponebat. At rex iuuenis, (quem in venerē ſollicitabat conſpecta in armis puellæ virtus) exquiſito manſionis eius habitaculo, adnauigans, nō ſine graui periculo potitus eſt voto, & ex ea prolem ſuſcepit. Sed deinde potitus regio ſanguine ad coniugium, Suenonum ex genere, primūm deſideratiſſimæ coniugi, nihil tale merenti, repudium indixit. Illa nihil mota, caſtitatē quam virgo conceperat, iam vidua pertinacius ſeruare cōſtituit. At non perſtitit. Quippe viro forti nuptias expetenti, non contemnendæ quoq; nobilitatis, coniunx adicitur: nam prouinciæ Noruagiorū imperabat. Traducta, militiæ ſtudium nō intermiſit. Nam quum Regnerus Daniæ rex, prior marinis, ab æmulo regni Haraldo, bello peteretur, quem Iutij Scanijq; ſibi regem delegerāt, auxilia ſibi de Noruagia aſciuit. Aderat Landgertha cum marito ac filio, repudiatoremq; ſuum, immemor iniuriæ, forti auxilio defendit. Nam inita pugna, vbi terga dare Dani cœperant, circumſpicerentq; quomodo Iutas deuitarent, præuolans fœmina, manu ſua prælium reſtituit, partim pudore, partim exemplo commonitos Regneri milites, ex victis fecit victores. Inerat hoſtili agmini manus Imperatoris Ludouici, qui Haraldum Moguntiæ baptizatum, auxilijs adiutum remiſit in regnum. Sed ceſſit tum virtute Noruagijs. Puduit tunc Regnerum regem, tantis bene de ſe meritæ fœminæ virtutibus iniuriam repudij irrogaſſe. Illa verò arde̅tiſſimi ſpiritus fœmina, vbi operam priori marito nauauit, regreſſa in patriam, virum quem tenebat, iam ad ignauiam prolabentem exoſa, ferro extinxit: dominationemq; correptam fœmina viro maturius peregit. Regnerus verò quū multos ex diuerſis vxoribus filios ſuſtuliſſet, imperium ſuum prolatare curauit.

Sueciæ libro 5. cap. 1.

Landgertha virgo cū multis alijs pro pudicitia certat.

Daniæ libro 4. c. 6. & 7.

Lādgertha regi à quo vxor dimiſſa fuerat, bello opem fert.

CAP. 38. BIORNEM igitur filium auito regno Noruagiæ præfecit pater Regnerus: alios autem alijs in prouincijs reges & principes conſtituit. Late enim victoriam circumferebat. Romanum interea imperium adminiſtrabat Imperator Ludouicus, Caroli Magni filius: quo tempore Normanni (vt ſcribit Sigibertus Gemblacenſis mona-

monachus, Gallorum hiſtoricus) grauiter infeſtarunt Saxoniæ ac Galliarum littora. Dorſtadium ad Albim, Antuerpiam ad Scaldim fluuios, & Wykland emporiũ ſitum ad oſtium Moſæ vaſtauerunt. A Friſonibus tributũ exigunt, & accipiunt. Annus hic erat poſt octingenteſimum trigeſimus, quo tempore ab Ludouico primùm fundata eſt Hamburgenſis eccleſia, archiepiſcopatũ eius eodem Imperatore inſtituente, cui præerat tum Anſcharius pater, antea Corbeięſis monachus. Quam rem in Metropoli diximus. In Flandrienſi littore, quum Dani Normaniq; idẽ pertentarent (vaſtare ſcilicet terras, prædas abigere) ab ijs qui Imperatoris prouiſione erãt in præſidio, repulſi ſunt. In oſtio Sequanæ, quum vim ſuam Dani item Normannique explicare cœpiſſent, reſiſtentibus ſibi littoris riparumq; cuſtodibus, paucis amiſſis abierunt. In Aquitanico littore proſperis vſi ſucceſſibus, vico Burnod depopulato, cum ingenti præda reuerſi ſunt ad propria. Anno deinde quarto, in inſula quæ Walacra vocatur, (Sialandiæ maritimæ regionis portio eſt) multos trucidauerunt, & aliquandiu ibi commorantes, cenſu exacto, Dorſtadium redierunt, & tributis impoſitis & exactis enauigarunt. Quibus Ludouicus Imperator auditis, ad Noruagiam arcem firmiſſimam in Gelriam contendit, cuius aduentu cognito Normanni retro ceſſerunt. Nec longum tempus in medio, quum noua excurſione graſſantes, Friſiæ incommoda maxima importarunt: nec minora tamen receperunt. Tertio deinde anno vrbem Monnetum aggreſſi, interfecto præſide, & ex clero plurimis, necnon promiſcui ſexus innumeram multitudinẽ peſſundantes, deprędata ciuitate, inferioris Aquitaniæ partes aggrediuntur, in inſula hyemantes. Anno deinde XLIIII. poſt octingentos, Britanniam ingreſſi, non primùm, quam Angli Saxones aliquot ſeculis incoluerunt, triduo pugnantes, victores effecti, prædas neceſque ſine diſcrimine facientes, terra pro libito ſunt potiti. Anno deinde proximo, qui fuit XLV. poſt DCCC. rex gentis Roricus, ſexcentas naues per Albim fluuium in Germaniam aduerſus Ludouicum dirigit. Quibus Saxones occurrentes, commiſſo prælio cœleſti fulti præſidio, victores fiunt. Vnde digreſſi, Sclauorum (hoc eſt Wandalorum) quandam impetunt & capiunt ciuitatem. Hæc omnia Gemblacen. Sigiberti ſunt teſtimonia. Hanc ego arbitror ciuitatem extitiſſe Hamburgam: quæ tamen nunquam Wandalici, ſed ſemper Saxonici iuris fuiſſe perhibetur. Galli autem, qui Danorum Normannorumq; nullum fecere diſcrimen, nunc etiam confundunt Wandalicum ius atq; Saxonicum. Annales autem noſtri huius vaſtationis memoriam habent hoc modo: Normanni, inquiunt, piraticis excurſionibus vſquequaq; digraſſati, Friſones tributo ſubijciunt. Eodemq; tempore per Rhenum vecti, Coloniam obſederunt, per Albiam verò Hamburg incenderunt. Inclyta ciuitas tota aut incendio aut præda diſperijt: & reliqua, quæ in Metropoli noſtra proſecuti ſumus. Quod verò ad Normannos pertinet, Sigiberti teſtimonia exequamur. Eodem, inquit, anno, aluco Sequanæ reuerſi maria repetunt, cuncta maris finitima diripiunt, vaſtant, & incendijs deformant. Quo tempore quum ſpoliato monaſterio Sethin, naues onuſti præda repeterent, ita cæcati ſunt, vt errantes paludibus mergerentur, & interirent, vt vix pauci ſupereſſent, qui cladem alijs nunciarent. Qua de re commotus Ericus, legatos miſit Imp. Germaniæ Ludouico, captiuos reddere ſpondens cum adempta præda. Hæc inſerẽda putaui Gallorum teſtimonia, ne ad rem quam docendam ſuſcepimus, vnius duntaxat Saxonis voce nitamur.

Normannorũ infeſtationes.

830.

844.

Roricus Normannorum rex à Saxonibus victus.

Cap. 39.

Britannia cur Anglia dicta.

REGNERO victorioſo Daniæ rege, rebus humanis exempto, filij eius regna latè tenuerunt: & iam victorijs aſſueti ſub parente, in mare quoq; Britannicum vires experiri cœperunt: tentata ſæpius & aliquoties expugnata Britannia, quæ dudũ de Anglorum Saxonũ nomine (poſtquam illam occupauerunt) dicta eſt Anglia. Gallias quoq; ijdem regij iuuenes attentare conniſi ſunt per eandem hanc ætatem. Et quũ iam Ludouicus Imperator rebus humanis excederet, filijq; eius mutuas in ſe vires conuerterent, de ſucceſſione non cõſentientes: audentiores facti Aquilonares populi (præſertim Dani cum Normannis) primò quidem in mari piraticam, inde terrarũ vaſtationem per littora Germaniæ atq; Franciæ (quæ ab olim Gallia dicta ſemper fuit) peregerunt. Gallorũ tamen ſcriptores non diſcernentes, quotquot ab Aquilone gentes venerant, vno nomine dixere Normannos. Nec facile fuit

principes earum expeditionum diſcernere, quum promiſcuo vſu primùm Regneri regis filij, qui vtrunq; regnum tenebant, deinde poſt eos vtriuſq; nationis principes vim illam prouincijs intulere. Vetus enim eius gentis ante ſuſceptum Chriſtianiſmum conſuetudo fuit, maria ac terras infeſtare. Sed ea diu cum Orientalibus Eſtonibus, Sembis, Curonibus, Ruſſis, Hunnis exercitia militaria fuere: inde cū Auſtralibus de ſua parte Wandalis atq; Saxonibus. Creſcente audacia penetratum eſt in mare Britannicum, vt Friſij, Galli, Britones (ſiue Angli) ab illis incurſionem crebram perferrent. Ea fuit iuſta quondam inter fratres regis filios, regni hæredes, hæreditatis diuiſio, vt altero regni iura per terras adminiſtrante, alter mari dominaretur, piraticam exercens, iuſto (vt arbitrantur) militiæ genere. Dum ergo Imperatoris Ludouici filij fraternis & plus quàm ciuilibus bellis in ſe arma verterent, nō erat qui Normannis Daniſq; tum mirificè in mari ſæuientibus, littoraq; vaſtātibus ferro flammiſq;, occurreret: primùm ſibi Friſiam parere coegerunt. Quanquam ſæpe aliàs ab ea gente ſint attentati, tributaq; penderent. Sed non erat hæc tam violenta manus cōtenta ſubiectione ac tributis: prædam quoq; opulentam exquirebat. Mirū autem his de rebus Saxonis noſtri ſilentium, qui friuolos regum amores, & monſtruoſas (ſi non mendoſas) pugnas executus, iſta preſſis labijs præterijt. Sed non eſt ea culpa viri diligentiſſimi, quòd per eam ætatem (vt apparet) nulli annales ſcriberentur: perturbatiſq; omnibus in eis prouincijs, vix regum inuicem ſibi ſuccedentium nomina teneantur, de rebus geſtis nihil. Quò minus mirū videri debet, ſi non ea quæ intus gererentur, memoriæ ſunt mandata, nec potuerint quæ foris. Nec tamen eas res ſilētio præteriſſe debet videri Saxo, quādo Regneri filios ſub patre primùm, deinde poſt eū longè lateq; excurriſſe cōmemorat in Gallias, Aquitaniam, Britanniam, Scotiam, Orientē quoq;, Ruſſiam, Eſtoniam, Sueciā, Normanniamq; luſtraſſe, & victorijs ſuis impleuiſſe: quam rem in Dania tetigimus. Ergo Francorum hiſtoriæ illas excurſiones ac terrarū vaſtationes vbi attingunt, breuiando percurrunt: nulla principū nomina, nulla gētis diu alia proloquuntur facinora, quam quòd igni ferroq; omnia fœdarūt, terroreq; mirabili omnes terræ habitatores concuſſerunt, vt diu nemo inueniretur ex principibus viris, qui exercitu armato fideret illis aciem opponere: tanta erat excurrentium ferocia, tanta ſæuitia. Multis quidem antea locis & temporibus, in Saxoniam Friſiamq; factæ ſunt Danorum Normannorumq; excurſiones, (adeò etiam, vt tributa Saxonibus Friſijſq; imperarentur) nouiſſimè ab rege etiam Gotfrido, qui tempora attigit Caroli Magni.

Normanni in Gallias excurrunt.

Cap. 40. QVVM autem idem rex Gotfridus in ditione ſua teneret Saxones, audiſſetq; Carolum Franciæ regem, & deinde Romanorū Imperatorem, in gente Saxonum multa bella peragere: aliquoties magnis viribus occurrere ei conſtituit. Præſertim
804. anno poſt octingētesimum quarto, (quo tempore multa Saxonum millia Carolus tranſtulit in Scaniam, reductis Francigenis, qui terram habitarent) venit quidem rex Gotfridus in confinia Saxoniæ: ſed vltrà progredi non tentauit. Miſit tamen ad Imperatorem nuncios cum mādatis, in locum qui dicitur Holdeſten, ad ripam
810. Albis. Deinde anno ſexto, qui fuit decimus poſt octingenteſimum, Imperator Aquiſgrani conſidens, exercitum comparauit in Danos: audiuit enim ducentas naues Friſiam ex Normannia (ſic enim vocant Galli omnia Aquilonis regna) appuliſſe. Sed meliori conſilio, poſitis iuxta Viſurgum caſtris, hoſtes ibi duxit expectandos. Nam ea fuiſſe ferebatur iactantia rex Danorum, vt gloriaretur quouis ſe loco Imperatori occurſurum. Saxo tamen noſter congreſſos dicit exercitus: ſed tunc victorem terrarum orbis populum, terga Danis oſtendiſſe. Nulla tamen vel loca vel tempora deſignat: quod factum oportuit. Noſtri verò annales, qui vtraque deſignant, Imperatorem omni bellico apparatu expectaſſe tradunt hoſtis aduentum: quum interea diuerſi venirent nuncij, claſſem Danorum eſſe regreſſam, regem vel à ſatellite vel à filio trucidatum: cui Hemmingus patruelis eius ſuffectus eſt. Is quoque pacem firmauit cum Ludouico Caroli filio. Interuenit tamen vtriuſque regno Olauus Gotfridi filius. Sed quoniam non erat regnum eius diuturnum, nihil præclari ex eo memoratur. Hemmingo quoq; nec longum imperāte, nepotes ex filiabus Gotfridi mutuas vires attriuerunt: & ſuperſtes Regnerus (quod antea diximus) Haral-

Danus Carolo Magno ſe opponere cogitat.

Dania libro 4. cap. 2.

Haraldum competitorem, iam Iutijs regnantem, expulit. Iſq; Imperatorem Ludouicum acceſſit Moguntiam, ibi baptizatus: & auxilium reductionis, & prædicatores verbi diuini in Daniam promeruit, cum quo profectus eſt Anſcharius. Inde verò repulſo denuo Haraldo, exterminata aut perturbata eſt res Chriſtiana, Anſchario nihilominus intra regnum manēte, qui non aliud quàm martyrij coronam expectans expectauit: ſed longo debuit in terris martyrio conſummari. Noruagij verò cum Danis, per ea tēpora per Ligerim aſcendentes, Turonos ſuccenderunt: per Sequanos, Pariſios obſederūt. Deinde euaſtata Lotharingia, & Friſia ſubacta, Normanni atq; Dani *In ſua victrici conuerſi viſcera dextra*, ciuilibus & domeſticis armis mutuas vires attriuerūt. Nam Haraldo (quem ſuprà diximus) Gutorini filio, aduerſus occupatorem Danici regni præliante, Noruagiæ atq; Daniæ viribus tanta mole cōcurſum eſt, vt omnes regij ſanguinis proceres extincti ſint, ſolusq; Ericus (quem à conflictu ætas adhuc paruula detinuit) ſuperſtes remanſerit. In Noruagia autem tanta facta eſt ſceptri cōfuſio, vt diſciſſis mēbratim regni viribus, partem ſibi quiſq; (vt fieri ſolet) teneret: & qui in prouincijs locum non reperit, maria ſibi deſumpſit exercenda: vt quicquid excurſionibus terrarum, & piraticis deprædationibus occuparent, pro ſuo ducerent. Inter quos nominati ſunt Horicus, Orduicus, Gotofridus, Rodulphus & Ignarus: qui diuiſis turmis & nauibus omnia maria & littora infeſta habuere, infenſi vbiq; Chriſtianis, quòd Chriſti religio iam primùm ab Haraldo per Anſcharium, deinde per Ericum regem in Daniam atq; Sueciam penetrauit. Geminam ergo bellandi cauſam prætendebant, quòd nouas ſedes in Gallijs quærerent, & quòd Chriſti fidem infeſtis animis perſequerētur. Ludouicus tamen Germaniæ rex, Ludouici primi Imperatoris filius, germanus Lotharij, quum multas in circuitu ſuo nationes domuiſſet Wādalorum, ad quos Bohemi, Poloni Ruſſiq; pertinent, (diuerſis quidem nominibus, ſed vna lingua, vnis moribus gens ſemper vna habenda) Normannos idem rex pactionibus & fœderibus ita continuit, vt quamuis vicinis ei prouincijs violenti incumberent, à ſuis tamen portubus, agris & littoribus abſtinuere. Ita alternis ſemper donis prudentiſſimus rex, ferocem gētem (quam armis auertere difficile fuit) bonis conditionibus in fœderum fide ſemper retineret. Nam ferunt, Aquilonis reges, quum crebris ab eo muneribus præuenti eſſent, capulo tenus auratum gladium cum vagina dono remiſiſſe.

Normannorum in mediam Galliam excurſio.

Dania libro 4. cap. 13.

Normannorū cum Ludouico imp. fœdus.

CAP. 41.

8 c o.

ANNVS erat poſt natum Chriſtum octingenteſimus, iuxta ſupputationem Siberti, quum Friſia & omnis Flandria vaſtaretur a Normannis atque Danis. Flandrenſes & vicinarum vrbium pontifices & abbates, cum ſanctorum reliquijs confugerunt in oppidum ſancti Audomari, tum munitiſſimum. Eodem anno, inferioris Galliæ (quam Britones incolunt) adeuntes Normanni regionem, ter cum illis manū conſerunt: demum incolæ ſuperantur. Scoti quoq; à Normannis per annos plurimos effecti tributarij. Nec vlla potuit inſula reſiſtere graſſantibus. Poſt duos autem annos, quū Normanni Burdegalam Iudæis ꝓdentibus caperent, captam populatamq; incendunt. Scoti ſuper Normannos venientes, auxilio Dei victores, eos à finibus ſuis propellunt. Vnde rex Scotorum ad Carolum Franciæ regem, pacis & amicitiæ gratia legatos mittit cum muneribus, viam ſibi petendi Romam concedi poſcens. Eodem anno Petrotorium Aquitaniæ vrbem Normanni populantes incendunt, atq; impunè remeant ad naues. Deinde poſt duos annos Friſiam & Batauos populantur: & in oppidum Flandriæ Gandauum venientes, S. Bauonis monaſterium incenderunt. Deinde Rotinum, & vſq; Bellouacum pedeſtri gradu peruenerant. Qua incenſa quum redirent, intercepti a Francis, quadam parte profligati ſunt. Inde poſt duos annos, hoc eſt LII. ducentis quinquaginta nauibus Friſiam adeunt: acceptaq; præda pro libito & alia abduxerunt. Proximo inde anno menſe Iulio, relicta Scania, Ligerim adeuntes, Nannetum & monaſterium S. Florentij, ac vicina loca populantur. Deinde a Nannetenſibus ſuperiora petentes, VI. idus Nouemb. vrbem Turonicam adeunt, atq; incēdunt, cum eccleſia S. Martini, & cæteris adiacentibus locis. Sed quia euidenti certitudine compertum fuerat de illoru aduentu, ad Aureliam ciuitatem corpus S. fuit trāſportatum. Quo etiam anno, inteſtino inter ſe prçlio dimicantes, adeò certamine obſtinatiſſimo debacchati

Normanni Galliæ ora infeſtata.

Burdegalā capitur ꝓ proditoribus Iudæis.

8 5 2.

Gallia à Normannis vaſtatur.

ſunt, vt Orico rege & cæteris inter ſe regibus interfectis, penè omnis nobilitas interierit. Tunc Ligeri inſiſtentes, denuo ciuitatem Andegauorum incendio concremant, deinde Burdegalam. Anno poſt tertio Ligerim ingreſſi, relictis nauibus, pedeſtri itinere vrbem Pictauorum adire contendunt. Sed occurrentibus Aquitanis ita profligati ſunt, vt vltra trecentos pauci euaſerint. Eodem anno decimo quarto Kal. Maij. ciuitatem Aureliam impugnant, prædantur, & impunè reuertuntur. Et medio Auguſto Sequanam ingrediuntur: & vaſtatis direptisq; ex vtraque parte fluminis ciuitatibus, atque villis, locum qui dicitur Foſſa Ginaldi, Sequanæ contiguum, ſtationeq; munitum, deligunt ad hyemandum. Poſt duos verò annos v. Kalendas Ianuarij, Normanni Lutetiam Pariſiorum inuadunt atq; incendunt, baſilicam ſancti Petri & ſanctæ Genouefæ, ac cæteras omnes, præter domum ſancti Stephani, Vincentij, Germani, Dionyſij eccleſias: pro quibus, ne incenderentur, magna pecuniæ ſumma perſoluta eſt. Ludouicum abbatem ſancti Dionyſij capiunt. Inde Saxoniam aggreſſi, inde repelluntur. Ad Scaldim fluuium poſt biennium ingreſſi, loca populantur vicina. At vulgus promiſcuum inter Sequanam & Ligerim, quum ſe ſacramentis terribilibus coniungerent, aduerſus hoſtes in Sequana conſiſtentes fortiter reſiſtit. Sed quia ineptè eorum ſumpta eſt coniuratio, à potentioribus facilè interficiuntur. Hæc ab annotatione Sigiberti accepta præmiſimus, cuncta reſolutius dicturi.

Lutetia capta.

ALBERTI KRANTZII
NORVAGIÆ LIB. II.

CAP. I.

NORMANNORVM antiquitates ſuperiore libro retexuimus: nunc ad præclara, quæ in Gallijs egerunt facinora peruenientes, nouo rectè ordimur principio. Et quanquam Danorū atq; Normānorum promiſcua ſint hæc negocia, (pariter enim ad eam militiam à memoria Regneri regis, qui vtrūq; regnum viuens moderatus eſt: cuius etiam filij ex vtroque regno vires comparantes, promiſcuam fecerunt vtriuſq; gentis militiam, ſunt progreſſi) obtinuit tamen Gallorū conſuetudo, vt vna omnes voce Normanni dicantur, qui ab Aquilone Gallias petiuerunt. Omnis autem illa Borealis natio, priuſquam Chriſto crederet, ferociſſimos aluit & emiſit viros, quibus rapere, latrocinari terra mariq; laudi foret: vt aliquando Lacedæmonij in præcipuis virtutibus furta numerant. In his autem prouincijs Aquilonis crebra fratrū regum ea fuit hæreditatis partitio, vt alius terra, alius ponto dominaretur. Piraticam enim iuſtā deputabant militiam: eaq; locupletati, inter ſuos erant honoratiores. Quumq; deeſſent qui maria tranſcuntes ſpoliarentur, in proxima verſi littora, prædas agebant in naues. Itaq; diu per multa ſecula cum finitimis luctabantur. Wandali fuere, qui tenebant littus Germanicum à Cherſoneſo Cimbrica vſq; in Pruſſiam: quibus aſſidua bella ab incurſantibus Danis. Illi quoq; aliquando exaſperati, audebant inferre quæ paterentur, Daniam incurſationibus fatigantes. Orientem verſus Sembos, Eſtones, Ruſſos habuere, quotidianam belli materiam ac virtutis palæſtram. Sæpe in Occidentem verſi, Angliam vaſtabant, præcipuè ea parte quæ reſpicit Aquilonem in regione Northumbrorum. Neq; Saxonia neq; Friſia immunes fuere. Sed creſcente paulatim audacia, auſi ſunt in Gallias (quæ nunc Francia eſt) arma transferre, ab eo tempore quo Lotharius Ludouici Pij filius, Caroli Magni nepos, in patrem verſus, impietatem exercebat: patre autem fatis abſumpto, cum fratribus de regni finibus grauiſſimo bello implicaretur. Nam laborantibus in regni meditullio principibus, maritima Franciæ erant iniurijs expoſita incurſantium piratarū. Ex illo quidem tempore, quum multis vicibus Danica claſſis in prædam abiret, poſteaquam Galliæ guſtauit dulcedinem, facilè Saxoniæ prædas omiſit, quòd ibi duriora exciperet verbera, & minores inde prædas abduceret. Francia enim vbertate gle-

Normanni qui.

Franciam quàm Saxoniā prædari Normanni malebant.

bæ maiora præmia præſerebat, & molliorem ad arma populū proferre videbatur.

CAP. 2.

Haddingi Normannorum regis depradationes.

INTER alios verò qui claſſis præfecti poſt Roricum regem nauigabant, Haddingus quidam regio ſanguine, ſed feroci animo vir, natus ad arma, fortem exercitum dux fortis in Galliam exponebat, prædabundus incedens quocunque ſe verteret. Eccleſiarum incendia, matronarum ſtupra, puellarum raptus, virorum neces ſine numero peregit. Diſplicuit illi præda, quam non ſanguis commendabat. Longum fuerit recenſere, quæ monaſteria ſubuerſa, quot trucidati monachi, quot virgines Chriſto ſacræ conculcatæ. Captiui pertrahuntur in naues, ſtipatur præda nauis capaciſſima, ex vna raptim prouincia in aliam deportatur: fugiunt, caſtra quocunq; applicant. Sæuiſſima hominum crudelitas tantum iniecit terroris regnicolis, vt diu nemo inueniretur qui exercitum opponeret graſſabundus. Iam plenus erat Haddingus ſpolijs, quæ contraxit ex Gallijs. Maiora interim animo concepit. Italiam enim incuſtoditam vel audierat vel præſumebat: in qua contribules ſui Longobardi, & ante eos Gothi, gens vicina, diu dominabantur. Dignam eſſe prouinciam ratus, in qua ſubigenda omnis labor exantlaretur: immortale ſibi nomen futurum, ſi ipſam Romam mundi caput caperet, vnde totum nomen vendicarent, qui in Francia & Germania Romani Imperatores dicerentur. Igitur inſtructa claſſe petebat Italiam, ſiue magno illo circuitu omnem Hiſpaniam circumuectus, per mediterraneum mare à columnis Herculis ingreſſus, Tyrrhenum intrauerit: ſiue terreſtri itinere per Gallias in Rhodanum prouectus, inde inuentis vndecunq; nauibus (rem enim in incerto reliquit antiquitas) Italiam cōtigerit. Lunam ciuitatem primam habere cœpit in cōſpectu: florebat autem ea tempeſtate in Ligurum prouincia ad mare. Eamq; arbitratus Romam, (quòd non mediocris inter vrbes Italiæ tum Luna eſſet) magnitudine nominis ſtupefactus, dolo magis quàm vi agendum arbitratus eſt.

Normannorum in Italiam expeditio.

CAP. 3. 857.

ANNVS erat à Chriſti exortu temporali, poſt octingenteſimum quinquageſimus ſeptimus, quum (vt ait Sigibertus) Normanni inter Hiſpaniam & Aphricam nauigantes, ingrediuntur Rhodanum, depopulatiſq; ciuitatibus ac monaſterijs, in inſulam quæ Camaria dicitur, peruenerunt. Hanc ego interpretor eſſe nauigationem, quam deſcribimus. Abſoluit enim hic teſtis quod ſupra in quæſtione reliquimus, eos in Italiam tranſeuntes, inter Hiſpaniam & Aphricā (hoc eſt per Mediterraneum) nauigaſſe. Quamuis & hoc non incongruè poſſit accipi, Normannos per Galliam pedeſtri itinere mouentes, in Rhodano reperiſſe naues, quibus cōſcenſis, ex hoc fluuio Liguſticum mare petentes, Lunam ciuitatem Italiæ primam habuerint in cōſpectu. Igitur quum Romam ſe videre putaret Haddingus, delegit viros linguæ gnaros, quos in vrbem ad loci præſides miſit oratores. Illi viam emenſi, ad epiſcopum loci comitemq; prouinciæ perueniunt: mandataq; exponentes, pacem præſantur, ac amicis ſalutem. Venimus, inquiūt, Dania forte pulſi, quòd terra multitudinem hominum non caperet. Maria multa tranſeuntes, Franciam primam ingredimur pacifici: indeq; eiecti armis errauimus. Tempeſtatibus acti, incognitam nobis regionem veſtram appulimus: nihil à vobis niſi hoſpitalem terram depoſcimus. Sunt nobis æra non pauca commeatibus comparandis: à mari terris expoſitos, paulùm reſpirare fas ſit. Senior noſter, quem principis loco colimus, iam ætate feſſus, ac viribus defectus, maris tædio fractus, ſacris initiari, ſacrum bapriſmatis fontem depoſcit: quia de re in Francia manens intellexit, de mundo iam trāſiturus. Si quid in hac terra pium eſt, miſereſcite. Plura dicturis, pōtifex interloquitur, Non eſt noſtræ, inquit, religionis, quenquam pietatis lauacro prohibere, aut diu precantem ſuſpendere: inuitamus diſſimulantes, ſuademus reluctantibus. Si ea res cordi vobis eſt, principem veſtrum producite: tellus hoſpitalis ſit vobis. Commercia rerum omnium pacificis non negamus. Præproperum ſermonem elicuit & gentis formidata ſæuitia, & pietatis officium, quòd præferebant implorantes. Facile enim fuit precantibus permittere, quod vi poterant extorquere repulſi.

Normannorum ad Lunenſes legatio.

CAP. 4.

Haddingus ſimulato baptiſmo & morte Lunam captā populatur.

IGITVR magno apparatu lauacrum in eccleſia præparatur, circumſtāt primarij vrbis viri & fœminæ. Spectaculū gerebatur, cernere virū barbaræ nationis principem, ad ſacra Chriſti properantem. Vbi cuncta ex ſententia cōſtiterant, prodibat

auro fultus & oſtro princeps Haddingus, baculo innixus, vix debilē (vt ſimulabat) greſſum trahens. Magnus ordo præibat iuuenum honeſta facie ac veſte, maior vallabat circulus propinquorum militum & præfectorum. Ventum eſt ad baptiſterij locum. Ibi ſolenni ritu ſacris initiatus, lauacrū corpore, non corde perſenſit: quippe dolum verſabat in animo. Iam ſpeculatus vrbem, pacificus (vti venerat) redibat in naues, inter manus deportatus famulorum. Proxima luce fama egreditur, morte functū principem, ſimulatur luctus in toto exercitu grauis. Rumor diffunditur per vrbem, bene cum illo actum, quum lotus ſacro baptiſmatis fonte, purus euolauerit ad æthera. Procedunt pullati ex primoribus, locum poſcunt ſepulturæ inſigni parte tēpli. Non mediocria feciſſe legata narratur eccleſijs, arma & cornupedem, cum auro plurimo & gemmis. Non difficulter impetrant. Parantur in vrbe regio more funeralia: tota ad exequias concurrit turba ciuitatis. Feretro armatus imponitur: omnis exercitus in armis principem ſuum ad tumulum conſequitur. Pietatis ſunt viſa obſequia: & ne ciuitas terreatur, illum ſe ritū in gente ſua principis tumulandi mentiuntur. Nemo dolum ſuſpicatur in luctu: ea facies erat omnium, vt nihil minus quam inſidias cogitare viderentur. Procedit funus: omnis in officio pietatis ciuitas fuit, mœſtus in armis ſequitur exercitus. Pontifex ſacris indutus, diuinū peragere parabat officium: ad exequiarum cultum omnes reſpexere. Feretrum deponitur auro fulgens, operimentum detrahitur. Armatus exurgit Haddingus, dat ſignum militibus. Primus ipſe gladio ferit aſtantes. Ibi luctus ſimulatus ab exercitu, in verum vrbis luctum conuertitur: ſternuntur paſſim ſacra cum profanis. Antiſtes loci corruit, viri, fœminæ, ſenes, pueri, clerus, laici ſine diſcrimine proteruntur: rapiuntur vaſa ſacra, veſtes precioſæ, & quicquid vſquam vel in templis vel in ædibus precio erat, abducitur: captiui in naues, puellæ, matronæ, cum præda deferuntur. exuſta ciuitas, & in perniciem data, luebat pœnam facilis credulitatis. Haddingus præda onuſtus regreditur in Franciam. Romam diu ſibi viſus eſt protriuiſſe, donec errore cognito demitteret animos. Itaq; in Frāciam rediens, inito cum rege Francorum pacto, (Carolus caluus hic erat) Carnotum cum vicinis agris accepit habirādum, vt in reliquum regi militaret, Chriſtianis ſacris initiatus. Bior autem, quem hactenus puerum regem circūduxit, cum præda in patriam reuerſurus abibat. Sed magna ſuorum parte amiſſa naufragio, eiectus conceſſit in Friſiam, ibiq; deceſſit. Haddingus autem permiſſis locis habitans, ibi pacatus perdurauit vſq; in tempora Rollonis. Qui pòſt veniens, omnem Neuſtriam de ſuo ac ſuorum nomine Normanniam appellauit: quod ſuo loco & ordine commemorabimus.

Carnotenſis ager Normannis cōceſſus.

CAP. 5.

Normannorum crebræ in Galliam deprædationes.

862

Ex hac die, poſteaquam guſtata Galliarum dulcedine ſedes ibi cœpiſſent habere Normanni, nunquam deſtiterunt alij atq; alij duces, collectis ex Dania Noruagiaq; militibus, Franciam infeſtare. Monaſterium S. Walarici, & Sanorabicum Ambianorum ciuitatem, circa annum LXII. poſt octingenteſimum, (vt Sigibertus commemorat) aliaq; vicina loca rapinis & incendijs fœdarunt. Sunt autem hæ regiones Picardiæ, inter Flandriam Pariſiumq; ad maris littora. Deinde inſulam Rheni Batauiam, quæ nunc Selandia dicitur, ſimili feruore inuadunt, Nouiomum noctu ingreſſi, Innuonem epiſcopum loci cum alijs nobilibus, tam clericis quam laicis, capiunt, & vaſtata ciuitate ſecum abducunt, atque in itinere interficiunt. Tertio dehinc anno, qui fuit LXV. poſt octingentos, Normanni in Suma fluuio cōmanentes, receptis obſidibus ab vicina gente, vt in fide permaneant, ad Anglos Saxones in Angliā nauigant. A quibus repulſi, quoquo verſum fluctuant. Ad Rhodanum vſque peruenere: & ad Valentiam ciuitatem, quæ eſt in mediterraneo ad Hiſpaniam, prædando perducuntur. Qua vrbe in prædam diſtracta, in inſulam in Rhodano (quam ſuæ manſioni firmauerant) reuertuntur. Inde etiam Italiam repetunt, & Piſas ciuitatem, aliaſq; capiunt & deuaſtant. Anno qui proximus erat, ad Lutetiam Pariſiorum reuertūtur, & eccleſiam ſancti Vincentij ac Germani incendio conſumunt, negociatoreſq; per Sequanam fugientes inſequuntur, & capiunt. Alij quoq; Normannorum Taruanenſium pagum adeunt & deuaſtant, quum ex Anglia reuerterentur. Deinde duce Welando, ducentis nauibus Sequanam inuadunt, & caſtellum in inſula, quæ Oſcellus dicitur, obſident. Sed quinque millibus librarum

Valētia homonyma fallitur: eſt enim in Gallia Lugdunenſi.

librarum argenti acceptis, ſe redimunt. Hanc illis pecuniam Carolus Caluus Imperator Romani populi, de regno Franciæ perſolui procurauit. Multis deinde vicibus ac locis populatione intentata proficiunt. Anno pòſt tertio Coloniam Agrippinam in prædam diripiunt. Dorſtadiũ per Albim Friſonum cõfugiunt, vaſtantq́ꝫ. Ad caſtellum Vorneſium prędabundi perueniunt, onuſta præda reuertuntur. Poſt duos inde annos in Ligerim fluuium aſcenderunt, monaſterium Floriacenſe deuaſtant, Aureliani vrbē cum eccleſijs incendunt: eccleſiam tamen S. Crucis, multùm inſtantibus flammæ Normannis, incendere non poterant. Ad Pictauim ciuitatem eo tempore prædabundi perueniunt: & ingruente iam hyeme, inſulam, quam ſtationi ſuæ firmauerant, ibi hyematuri repetunt.

Colonia diripitur.

CAP. 6.
869.

CAROLVS Francorum rex, cognomento Caluus, qui poſtea ad Romanum peruenit imperium, anno LXIX. poſt octingentos, quum Normanni regno eius intolerabiles imminerent, nec armis repelli poſſent, auro quàm armis decertare maluit. Quaruot enim millia auri talenta depactus eſt, vt incendijs, prædis & cædibus abſtinerent. Et indicta collatione per regnum ſuum, ad exoluẽdum tributum, de quoque manſo ingenui denarios ſex, de ſeruili tres, de accolis vnus, de duobus hoſpitio receptis vnus: & decima de mercibus negociatorum: ſed de presbyteris quoq; ſecundum vires cuiuſq; patrimonij vectigal exigitur. Inde verò de ſingulis manſis, tam ingenuo quàm ſeruili, denarius vnus. Et quum nec ſic ſumma impleretur, geminatis inſuper viribus hæc penſa perſoluuntur. Regni quoque primores ad collectam vocantur, ad facultatum ſuarum pondus, vt æs conficiatur Normannis numerandum. In argento, auro, vino conſtituta erat portio. Præterea & mancipia à Normannis capta, (quæ poſt initum pactum profugerant) aut reddita, aut eorum æſtimatione ſunt redempta. Et ſi quis ex Normannis cæſus prætẽderetur, magno ære luebatur. Is tum metus erat huius in Gallijs nationis. Eodem anno, menſe Iulio, Normanni mare ingrediuntur: & pars quædam vſque in Italiam nauigauit. Quidam verò commixti Britonibus, circiter quadringenti, de Ligeri equites progreſſi, Cenomannis vrbe potiuntur. Qua in prædam diſtracta, quum onuſti inde reuerterentur, obuiam habuere cuneum Gallicanorum militum, quorum ductores Robertus, Raginulſus, Godfridus atq; Henricus comites. Sed ea tum, quæ ſemper aliàs Gallorum vis erat, cæſi pleriq;, alij ad mortem vulnerati: omnes victi ſunt & diſſipati. Proximo deinde anno Hugo abbas, (cui cognomen dederat præſumptio, quòd ſe monaſteriorum præſidem diceret) & Ganfridus cum Tranſequanis, ſe Normannis obiecere in Ligeri, & collata manu paucos inde peremerũt. Captus ibi monachus apoſtata, qui ſe Normannis coniunxit, illos crudelitate exuperans, capite plexus eſt. Sed Normanni nihil minus digraſſati, incolis terræ pacem vendiderunt, auro, argento, veſte, vino, pane in precium receptis. Miſera Francia, quę viros tum fortes non haberet.

Francia rex regni ſui direptionem auro à Normãnis redemit.

Cenomannorum oppidũ à Normannis diripitur.

CAP. 7.

ANDEGAVENSEM per hæc tempora vrbem Normanni habitandam cepere: iam enim quieſcendum ſibi putauerunt. Sed Carolus Franciæ rex, Caluus cognomento, iuncto ſibi Salome Britonum rege vallabant hoſtes obſidione duriſſima. Eas conditiones tum ſunt accipere coacti, quas Carolus præſcripſit. Nam datis obſidibus abierunt, relicta ciuitate libera. Hoc autem abeuntes à rege poſcunt, liceat inſulam proximam ad paucos dies incolere, ibiq; comeatu iuuari: interim qui inter illos fuere Chriſtiani, poſſint ad regem reuerti: qui verò paganiſmo relicto fidem Chriſti vellent profiteri, eos quoq; non reſpuendos: cæteri, quibus induratum eſſet cor, ſuas ſedes nulla interpoſita mora repeterent. Interim verò quum littora quoq; Germaniæ tentanda putarent, à regno Ludouici Germaniæ regis tributa poſcentes, ab exercitu eius pulſi cedunt, nihil præter vulnera & neces in lucro portantes. Illo autem iam ſubtracto (obierat enim LXXVI. poſt octingentos) *Effera barbaries laxis regnabat habenis.* Nam ille Normannos gentem ferociſſimam, fœderibus ac bellis compreſſos, eo modo continuit, vt quum Franciam totam vaſtauerint, regnum eius vel minimo læſerint. Morte autem abſumpto rege, magnis viribus Albi flumine tranſmiſſo, Saxoniam petiuerunt, & crudeliter vaſtauerunt. Bruno dux Saxoniæ cæſus, cum alijs duodecim comitibus: Tiadeticus & Marquardus

Normanni in Gallia caduntur.

Saxonia decimatur.

episcopi obtruncati. Quam rem quia in Saxonia & Metropoli ſumus executi, hoc *Lib. 2. c. 31.* tantùm loco attigiſſe ſaltē ſatis ſit. Sed hoc ſilentio tranſire non poſſumus, quòd ex hoc loco imperitis nata eſt fabula, quā magnis & inflatis buccis circūlatant, cæſum coronatumq́; martyrio papam Benedictum, & cū eo epiſcopos, duces & comites ex eo loco cædis tranſuectas in Ebbeſtorp cæſorum reliquias. Vbi paucis in verbis multa ſunt mendacia. Non enim cęſus Hamburgenſis papa, ſed in pace quieuit antipapa. Nec cum eo duces, comites & epiſcopi perierunt: venit enim miſſus in exilium. Sed dux cū comitibus & epiſcopis in Ebbeſtorp Normannis cōflictatus, pro Chriſto cæſus eſt, vt non illuc aduectæ reliquiæ, ſed in loco cædis tumulatæ agnoſcantur. Sed hęc quia plenius in ſuis locis diximus, hìc tantùm tenuiter attingimus.

CAP. 8. *Normanni Germaniā ipſam vaſtant.*

QVO etiam tempore Friſia populata eſt, Traiectum ciuitas exciſa. S. Rabodus vrbis epiſcopus, cedens perſecutioni, Dauentriæ ſedem conſtituit: ibiq́; moratus, anathematis gladio paganos vltus eſt. Tunc piratæ Coloniam & Treuiros incenderunt, Aquiſgrani palatium ſtabulum equis ſuis fecerunt: Moguntia verò propter metum barbarorum inſtaurari cœpit. Quid multa? Vrbes cum ciuibus ipſis, totoq́; grege habitantium obruti ſunt, eccleſiæ illuſtres cum fidelibus incenſæ. Ludouicus autem Imperator eius nominis ſecundus, Lotharij filius, cum Normannis fœliciter pugnauit. Interea Rembertus Hamburgēſis archiepiſcopus, ad redemptionem captiuorum, cunctis quæ habebat expenſis, quum multos apud paganos adhuc miſerabiliter detentos cerneret, altaris etiam vaſa non dubitauit impendere, dicens, melius fore, Domino animas quàm aurum ſeruare. Quo tempore Normanni (diuino nimirum iudicio) ad quendam Friſiæ pagum perueniunt, qui in remotis ac mari magno vicinis locis ſitus eſt, quem igni ferroq́; ſubuertere conniſi *Decem Normannorum millia cæſa.* ſunt. Erat tum illic epiſcopus Rembertus, cuius exhortationibus & doctrina cōfortati Friſij hoſtibus congrediuntur, & proſtrauerunt ex eis plus quàm decem millia: multò etiam pluribus, dum fugæ præſidium quærerent, in tranſitu vadorum enecatis. Normanni, plagam quam in Friſia acceperant, in totum Imperium vlturi, cum regibus Sigfrido & Godfrido, per Rhenū & Moſam & Scaldim fluuios Galliam inuadentes, miſerabili cæde Chriſtianos obtruncarunt, ipſumq́; regem Carolum, bello petentes, ludibrio penè habuerunt. In Angliam quoque vnum ex ſuis miſere Haldanum. Qui dum ab Anglis cęſus eſſet, ſurrogatur Gundredus: is autem Nordtumbriam expugnauit. Atque ex illo tempore Friſia & Anglia in ditione Danorum fuiſſe feruntur.

CAP. 9. 880.

QVVM Ludouici Balbi, Francorū regis, impuberes filij regnum tenerent, circa annum Chriſti LXXX. poſt octingentos, Normanni ad flumen Ligerim infeſtis incurſionibus graſſantes prędas agere, ad reges fratres deferūtur querimoniæ. Qui *Normannorum in Gallia clades.* magna militum contracta multitudine, in hoſtem prodeuntes, Normannos notabili ſtrage afficiunt, nouem millibus occiſis, quampluribus etiam in Viennæ fluuio demerſis. Paruo autem pòſt tempore, dum Viennam obſidet Ludouicus rex, per nuncios certior ſactus de Normannorum incurſione, Carolo Lotharij filio ad obſidionē relicto, aduerſus Normannos ſe conuertit. Gens enim barbara & Chriſtianā adhuc gratiam exoſa fuit. Igitur cōmiſſo acerrimè prælio, Ludouicus Normannos in fugam vertit, multis occiſis. Reuertēte autem ab hoſte victore exercitu, tam effuſa fuga Franci diſſipati ſunt, vt victis ſimiles viderentur. Reuocato autē ex fuga milite, Ludouicus iterum in Normannos bellum inſtaurans, quum diſſipato milite raros corporis ſui cuſtodes circum ſe haberet, venit Compendium. Inſurgētibus iterum Normannis, & per Ligeris ripas prędas agentibus, Theodorico viro militari, copias attribuit, qui Normannos prælio adoriretur: ipſe non multò pòſt Turonū profectus, Britonum non paruam manū ad id bellum mittit. Morte autem ſublato Ludouico, Carolus rex ſuſceptum in Normannos bellum proſequitur. Quo tem- *Godfridus Normannorū princeps baptizatur, ſed animo non ſincero.* pore Normanni in Campaniam vſque Galliarum irruperunt, multis vrbibus templiſq́; direptis atq; incenſis. Altera interim ferociſſimæ gentis manus, duce Aſtango, Ligeri traiecto ad Maternam conſedit: in quam Carolus duxit expeditionem. Sed animo propè cōtabuit, quū hoſtem haberet in proſpectu. Qua de re fœdus pacemq́; inijt cū gente, ſi modò Godfridus eius gentis princeps, Chriſti fidē profiteretur.

retur. Cōditione non reiecta, Godfridus ſimul cum baptiſmate ſpiritalis regenerationis, Friſiam omnē à rege dono accepit, donatus inſuper magnis muneribus. Vbi Friſiam incolere caſtris permiſſus eſt in perniciem regni, non longè pòſt XL. millibus armatorum inſtructus, Pariſium circumuallat. At viriliter agētibus oppidanis, Ganſelmo quoq; antiſtite, & Eudone comite (qui regnū poſtea adminiſtrauit) adueniente, quum obſidio hoſti non procederet, eam ſoluens, Laudunum vrbem in edito colle poſitam inuadit. Inde agrum Nouiodunenſem atq; Sueſſionenſem populati, Remos Normanni adoriūtur. Quibus rebus indignatus rex Carolus, aduerſus illos ex Wormacia (vbi conuentū habebat) iterum inſurgit, & egregio niſu præliatur: ſternit, occidit fugatq́;. Sed tamen neq; ſic auertere potuit digraſſantes.

CAP. 10.

Normannorū ingenſes & barbara populationes.

HÆC ſunt illa turbulentiſſima Franciæ regni tempora, quibus (vt ait Sigibertus) Normanni, iunctis ſibi Danis, Franciā & Lotharingiam peruagātes, Ambianum, Attrebatum, Corbeiam, Cameracū, Teroanam, fines Morinorum, Menapiorum, Brabantinorum, omnemq́; circa Scaldim fluuium terram, monaſteria ſanctorum Walarici, Richarij ferro & igne fœdāt. Inde Walam fluuium ingreſſi, totam Batauiam, palatium etiam Neomagi incenderunt. Quo tempore Godfridus & Sigiſridus reges Normannorū, cum inæſtimabili multitudine iuxta Moſam in loco Haſban conſidentes, Leodium, Traiectū, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bunnam, cum adiacentibus caſtellis exurunt. Aquiſgrani in palatio equos ſtabulantes, oppidum & palatium incendunt, præterea monaſteriū Walmundarium. Sacri ordinis in vtroq; ſexu miniſtri, vbi poterant latuere, & ſanctorum reliquias locis tutioribus abdebant. Vrbē Treuerim quoq; incendunt, & Metim vſq; pertendunt: ibiq; conſerto prælio Chriſtianos vincunt, in quo Walo Metenſium pręſul cæſus eſt. Annus 881. erat LXXXI. poſt octingentos, quum Ludouicus, Ludouici Germaniæ regis filius, Caroli Imperatoris & Carolomanni regis frater, contra Normannos (qui Corbeiæ monaſterium, & Ambianum ciuitatem, aliaq́; ſancta loca occupauerant) obuiam profectus eſt. Caſtello firmato apud Cōpendium, Natiuitatē Domini, & S. Paſcha celebrauit: quo tempore Gandaui Chriſti hoſtes hyemarunt. Deinde Tornacū ciuitatem & omnia monaſteria ſupra Scaldim fluuium ferro & igne ſubuerterūt, interfectis accolis terræ, aut captiuitatis. Deinde ſedem ſibi mutauerunt, & Coceriacum caſtrum ſibi ad hyemandum firmant. Inde Menapios & quoſq; obuios ad internecionem delent, omnemq́; terram incendio deformant. Quo etiam tempore ante Sithim monaſterium ingreſſi cum infinita multitudine, ipſum oppidum cum eccleſijs cremauerunt, excepta S. Otmari eccleſia, quæ Dei prouidentia erat communita. At Normanni interſectis omnibus quos inuenire poterāt, omnem terram vſq; Sumam peruagati ſunt: & capta præda hominum, & pecudum infinita multitudine, abierunt. Inde Cameracū ingreſſi, incendijs & cæde ciuitatem deformant: & onuſti præda, ad ſua caſtra reuertuntur. Inde circa Purificationem iterū mouentes, per Teroanam iter capiunt: & vſq; Centula, monaſterium S. Richarij & S. Walarici, ac omnia loca circa mare, monaſteria & vicos (quæ hodie Picardia eſt) ſubuertunt. Inde Ambianū ciuitatem atq; Corbeiam peruagantes, multis onuſti prædis, ſine impedimento ad ſua repedauere caſtra. Poſtea autē menſe Februario, Attrebatum inuadūt, & obuios omnes perdunt. Interim Ludouicus rex graui dolore angebatur: conuocat exercitum, præparatq́; ſe ad prælium. Normanni verò menſe Iulio, nouis copijs fluuium Sumam tranſierunt: & omnia vaſtantes, vſq; ad Bellouacorū ciuitatem perueniunt. Quibus rex obuius prælium inijt: Normanni terga vertunt. Quos rex inſecutus, glorioſiſſimè de illis triumphauit. Illi verò per Gandauum redeuntes, reparatis nauibus, terra mariq́; iter facientes, Moſam ſunt ingreſſi: & in Haſloi ſedem firmant ad hyemandum, caſtris firmiter communitis.

CAP. 11.

Normanni fœdifragi.

IMPERATOR Carolus, eius nominis tertius, filius Ludouici Germanorum regis, exercitum congregauit, & Normannos in Haſloi obſedit. Godfridus gentis rex ad Imperatorem exit interpoſita publica fide. Pactuſque Friſiam, (quam olim Roricus renuit) ac Giſlam filiam Lotharij quondam regis, & ipſe baptizatus, & ab Imperatore de ſonte ſacro leuatus eſt. Sigefrido quoque munerato, eos à ſuo fecit abire regno. Qui mox Franciam repetentes, à Carolomanno Francorum rege,

Portē Oſiam flumen, & Nellam oppidum diruunt.

quum per Terracinam iter agerent, Iſam tranſeuntes, in Analle comprenſi, commiſſo prælio ſunt victi, cecideruntq́; ex illis viri mille. At nihil eos pugna hæc perdomuit: nam ad naues cōuerſi, omne regnum ferro & igne vaſtant: & eccleſijs incoliſq́; terrę deletis, Veromanduos perueniunt, vbi eccleſiam S. Quintini incenderunt, & eccleſiam S. Mariæ in Attrebato ciuitate. Et Octobri menſe finiente, Lanetum equites pediteſq́; cum multo veniunt apparatu bellico. Naues quoque è mari Sumam fluuium ingreſſę, regem cunctumq́; exercitum eius fugere compulerunt, atque Iſam fluuium tranſire fecerunt. Ciuitatem Ambianum captam, ſibi ad hyemandum firmauerunt. Franci videntes Normannorum res in omnibus proſperari, quendam virum prudentem (cui Chriſtiano nomen erat) mittunt ad illos oratorem, qui cum illis de regni redemptione cautè ageret. Venit Bellouacum: & inde Ambianum profectus, ad agendum iniunctum mandatum. Normanni interim non ceſſant cædere populum Chriſtianum, atque eccleſias deſtructis villis ſubruere. Per omnes enim vicos iactabant inſepulta Chriſtianorum corpora, promiſcuè cleri ac populi, iuuenum, virginum, puerorum lactentium: non erat via aut locus, quo non ſpargerentur occiſorum cadauera. Tribulatio grauis, & ſine exemplo calamitas infinita. Interim Franciæ primores inito conſilio, Danici generis virum Chriſtianum, regiq́; fidelem, nepotem Rorici Dani, mittūt ad Normannos, vt tributum accipientes regno abirent. Illi ad ſummam XII. millia argenti talenta pacti, abituros ſe pollicentur. Et datis inuicem obſidibus, aliquandiu pacati conſederunt: deinde trans Scaldim ire cœperunt. Ibiq́; direptis & incenſis omnibus, vrbes, oppida, caſtella, monaſteria, eccleſias pari calamitate afflixerunt. Poſt ſanctum igitur Paſcha Franci incipiunt æra promiſſa perſoluere: ſpoliantur eccleſiæ & eccleſiaſtica mancipia. Tandem conſtituto ære iam perſoluto, menſe Octobri finiente, adunantur Franci, vt etiamſi fidem promiſſam violarent, armis cōtrairent. Illi verò ſua caſtra incendunt. Rex cum expedito agmine, tranſito Iſa flumine, lento eos gradu inſequitur. Normanni iter agentes, Bononiam veniunt. Vrbs eſt ad mare Britannicum, ſita in ea quæ nunc eſt Picardia. Inde pars mare inijt: & pars altera Louanium, in regno quondam Lotharij, caſtra ad hyemādum firmant. Carolomannus deinde rex, quum in ſylua Baſin venatui indulgeret: aprumq́; acrius inſectaretur: quidam è ſuis, Bartholdus nomine, quum illi auxiliator aſtaret, caſu regem venabulo in tibia vulnerauit. Quo accepto vulnere, ſeptem duntaxat diebus ſuperuixit, atq; eodem in loco defunctus eſt, anno ætatis ſuæ XVIII. Sepultus in eccleſia ſancti Dionyſij martyris.

Franci legatū de pace ad Normannos mittūt.

Magna pecunia Normannis penditur.

CAP. 12. IMPERATOR Carolus, Carolomanno fratre mortuo, venit Pontionum: ibiq́; occurrentes Franci, eum regem ſuum agnouerunt, & inde redijt in terram ſuam. Tunc Normanni abſente rege ſæuire iterum cœperunt, arbitrati rege defuncto pacta finita. Franci opportunis locis firmarunt præſidia, vt à mari ingreſſum illis interdicant. Arcem ædificant ad fluuium Iſam, in loco qui dicitur ad Pontem Iſæ, quam Aletranno præfecto mandant cuſtodiendam. Normanni verò menſe Nouembri Iſam ingreſſi, arcem obſidione cingunt. Qui tutari voluere, diffidentes, pacem poſtulāt, pacti abire ſine armis. Datis inuicem obſidibus, Aletrannus cum ſuis venit Bellouacum. Normanni arcem incenderunt, diripientes quæ inerant. Hac peracta victoria, Pariſium petunt, turrimq́; aggreſſi valde oppugnant: at Chriſtiani viriliter eam tuentur, continuataq́; eſt oppugnatio à mane in veſperam: noxq́; diremit prælium. Atq; ita Normanni ea nocte regreſſi ſunt ad naues. Sequenti luce iterum oppugnatio cœpta eſt in eadem: fit rurſum cōcertatio ad ſolis vſq; occubitum. Normanni multis ſuorum amiſſis ad naues redeunt: indeq́; ſibi firmāt præſidium aduerſus ciuitatem, eamq́; obſidionem trahere contendunt, opportunis locis armatos collocantes. Deinde turrim ciuitatis iterum aggreſſi, ignem portæ admouent. Qui intus erant, igni dominanti reſiſtere non valentes, capiuntur, atq; in opprobrium Chriſtianorum varijs pœnis afficiuntur, inde in fluuium perturbantur. Euertunt turrim: vrbem atrocius oppugnant. Ganſelmus epiſcopus, dum populum ſibi commiſſum pro viribus tueri contendit, crebrò cum Normannorum rege Sigefrido inito colloquio, familiaritatem quandam ad illum conſerere videbatur.

Lutetia Pariſiorū obſidetur & capitur.

batur. Vt vrbem obſidione liberaret, inſtitit: perfeciſſetq́ue, niſi diem interea clauſiſſet extremum. Quo defuncto, ingrauatur oppugnatio. Imperator vbi audiuit, expedito agmine contendit Pariſium: at nihil profecit. Illius enim auxilio fruſtrato, Normanni atrocius ſæuientes, & ciuitatẽ & arbitrium redemptionis in ſua cœperunt habere poteſtate: quodq́ue illi præfinierunt, ciues implere cogebantur. Sic rebus ab Imperatore non melioratis, ille quidem in ſua reuertitur. Sigefridus autem Normannorum rex, ciuitate iam relicta in ſua poteſtate, Iſam fluuium ingreſſus, terra ac flumine iter facit poſt eum, omnia igni ferroque conſumens. Quod quum Imperator cognouiſſet, feſtinè rediit in terram ſuam. Sigefridus autem vbique graſſatus, famoſiſſimam illam S. Medardi eccleſiam igne concremauit, & regia inibi palatia, interfectis ac captis terræ accolis. Normanni verò, qui per Sequanam aſcenderant à Pariſio, cum omni exercitu & ſupellectili, nauibuſque Hionam fluuium ingreſſi, Senonas ciuitatem obſederunt. *Normanni in Sequanorum fines.* Sed Euerhardus eius ciuitatis archiepiſcopus, ſtatim cum illis de redemptione vrbis egit, & obtinuit pro voto. Erat autem annus Chriſti DCCCLXXXVI. *886.*

CAROLOMANNO Francorum rege ex venatione, vt diximus, mortuo (cuius etiam frater Ludouicus priore anno obierat) Normanni Franciam repetũt, dicentes ſe cum rege tantùm Frãcorum, non cum Francis pepigiſſe. *Cap. 13.* *Normanni dolorum in paciſcendo artifices.* Hinc cõpulſi Franci, Carolum Imperatorem in auxilium vocantes, Franciam ei ſubijciunt. Qui contra Normannos apud Louanium caſtra metatus, ſemel & iterum miſit exercitum: at nihil magni aut Imperatore dignum peregit. Regnauit autem in Francia annis tantùm quinque. Hugo filius Lotharij regis ex Waldrada pellice, paternum Lotharingiæ regnũ rebellando ſperans accipere, Godfrido Normannorum regi, cui ſoror eius Giſla nupta fuerat, ſuadet, medietate regni affectati promiſſa, vt ab Imperatore Imperiales ſibi fiſcos adiiceret: Imperatorem circumuenire contendens. Si daret, Normanni hoſtes, ex regni viſceribus alerentur: ſi negaret, iuſtam rebellandi cauſam habere videbantur. Ad eam rem peragendam miſit Imperator Henricum Brabanuiæ ducem, qui ſuper his rebus tractaret cum rege Godfrido: poſitis autem inſidiis, Normãnis malignatus perimitur. Nec multò pòſt Hugo malorum incentor ab Henrico excæcatur, nouiſſimè monachus in Primma attondetur. *Duo Normannorum reges moriuntur.* Inde à Louaniano exeuntes Normanni Pariſiũ obſident. In quos Henricus dux mouens exercitum, in foueam quam Normanni factam operuerant, præcipitat, ibiq́ue trucidatur. Anno proximo Sigefridus Normannorum rex, verno finiente ad Sequanam rediit, vaſtatione ſolita. Et circa autumni tempora Friſiam petit, ibiq́ue interfectus eſt. Normanni verò ingreſſi Franciam, Pariſium ab Imperatore promiſſum receperunt. Poſtea Matronam fluuium ingreſſi, Ganſiaco ſibi ſtationem caſtrenſem cõmuniunt. Franci auſtrales, videntes Imperatoris vires ad regendũ Imperium inualidas, eiecto de regno, Arnulphum filium Carolomanni, qui eius erat ex fratre nepos, in regni ſolium conſtituunt. Tunc Normanni omnia loca vſq́ue ad Moſam, more ſolito, partemq́ue Burgundiæ vaſtauerunt, & igne concremarunt. Priuſquam autem Carolus Imperio deſtitueretur, Normannos littoribus Franciæ propellere non preualens, inito fœdere conceſſit eis regiones vltra Sequanam maritimas, quæ Neuſtria dicitur: nam & illi regno non ſatis parebant. *Normãnia hodie, quæ olim Neuſtria.* Quæ etiam poſteriori tempore ex hac gente nomen eſt mutuata, vt Normannia diceretur.

ARNVLPHVS Imperator, Carolomanni filius, patruo ſuo, Carolo ex Imperatore etiam neceſſariis egenti, fiſcos in Alemannia delegauit. *Cap. 14.* Qui anno inſequenti obiit. Romanum inde Imperium & regnum Francorum miſerè decerpitur. In Italia nempe Berengarius & Guido de regno contendunt. Franci verò neglecto Carolo, Ludouici Balbi filio, puero vix bimo, regem ſibi præficiunt Odonem, filium Roberti ducis, qui a Normannis fuit occiſus. *Odo Francia rex.* Rodulphus autem corona ſibi impoſita, rex Burgundionum conſtituitur: quod regnum multo & antè & pòſt tempore durauit. Odoni autem Francorum regi, anno Chriſti DCCCLXXXVIII. inopinata contigit victoria ſuper Oxonam fluuium memoratum. *888.* Nam die nati Baptiſtæ, cum paruo exercitu Normannorum exercitui obuius factus eſt ſuper flumen memoratum: commiſſoque prælio, mox victor extitit. Quæ victoria illi non

modicam autoritatem comparauit ſimul & gloriam. Pòſt ab Arnulpho Imperatore conuocatur ad regni conuentum Wormaciæ celebratum. Aderat cum ſuorum non contemnenda manu, honorificè ab Imperatore ſuſceptus. Factiq́ue ſunt amici: & peractis placitis cum honore dimittitur. Interim Normanni Meldis ciuitatem obſidione vallant, machinas inſtruunt, aggerem comportant ad vrbem capiendam. Quumq́ue obſidionem diu ſuſtinerent, & labore exhauſti ac rebus attenuati eſſent, nec vllum reſpexere liberationis auxilium: pacti cum Normannis, deditionem faciunt, abire permiſſi ſine armis. Reſerantur portæ, fit via Chriſtianis vt egrederentur, delegatis qui eos quò vellent, ſaluos perducerent. Quumq́ue amnem Matronam tranſiſſent, Normanni eos inſecuti comprenderunt, epiſcopum cum omni populo tenentes. Indeq; reuerſi, igne iniecto ciuitatem concremarunt, muros quantum valuere ſubuerterunt: atque in eo commorati ſunt loco ad menſem vſque Nouembrem.

Meldis deditione in Normannorum venit poteſtatem.

Cap. 15. Circa quæ tempora Odo rex congregato exercitu venit Pariſium: ibiq́ue caſtra metatus eſt prope ciuitatem, ne in ea obſideretur. Normanni verò per Matronam & Sequanam regreſſi, indeq́ue terreſtri & fluuiali itinere profecti, Limam fluuium ingreſſi, per latera eius & ripas ſtationes ſibi firmauerunt. Circa autumni tempora Pariſium redierunt. Contra quos Odo rex venit: & nunciis intercurrentibus munerati ſunt ab eo. Reuerſi à Pariſio, relicta Sequana, per mare nauale iter, & circum latera pedeſtre atque equeſtre agentes, in territorio Conſtantiæ ciuitatis, circa caſtrum S. Laudi, ſedem ſibi faciunt, ipſamq́ue arcem oppugnare non ceſ-
889. ſant. Erat autem annus Domini DCCCLXXXIX. Anno deinde proximo Laudi arcem, interfectis pugnatoribus, Normanni funditus euertentes, terræ coæquant in feſtiuitate omnium ſanctorum. Iſam ingreſſi Nouomagium petunt. Odo verò rex adunato exercitu, ſuper Iſæ ripam conſedit, ne regno eius violenti incumberent. Normanni verò qui Nouomagij erant, mouentes exercitum vſque Moſam, omnem terram peruagati ſunt: Scaldimq́ue tranſeuntes Odo rex inſecutus eſt. Comprenditq́ue eos ſuper Galteram, ſed non vt voluit: nam diſperſi per ſyluas euaſere, atque ad caſtra ſua reuerſi ſunt. Circa autem autumnum relictis caſtris in Nouomagio, maritima petierunt, ibiq́ue toto æſtiuo tempore immorati ſunt: indeq; reuertentes Moſam ſunt ingreſſi. Quod audiens Arnulphus Imperator, velociter accurrit, eoſq; vltra Scaldim & prope Attrebatum inſecutus eſt: ſed non comprehendit. Inde rediit in regnum ſuum. Normanni verò, qui Nouomagio inerrabant, menſe Nouembri iter ingrediuntur, & Ambiani ſibi ſedem firmauerunt. Arnulphus Imp. iterum adunato exercitu venit aduerſus eos: & Deo ſe protegente caſtra eorum expugnauit, arcemq; cepit, interfecta magna eorum multitudine. Atq; hac potitus victoria, redit in regnum ſuum. Normanni autem qui huc illucq́ue diſperſi fuerant, in eodem loco renouant præſidium. Odo autem rex contractis copiis Aurelianum concedit: ſed nihil proſperè peregit. Verùm poſthac in pago Viromandenſi, ob vigilum inertiam accepit incommodum: nam ſuperuenientes
891. Normanni eum in fugam protruſerunt. Annus hic erat XCI. Quo tempore Normanni per autumnum mare ſunt ingreſſi.

Caduntur Normanni ob Imp. Arnulpho.

Cap. 16. Annvs erat poſt natum Chriſtum DCCCXCV. quum in Romano Impe-
895. rio Arnulphus erat. Magna claſſis Normannorum Danorumq́ue finibus expedita, armis viriſque inſtructa, Franciæ littora legit. Quam in facinus memorandum multa ſtimulabant, amor prædæ, magni nominis gloria, & gentilium ſuorum per Daniam & Noruagiam memoria celebrata: qui poſt militiæ laborem, in Galliis optatas ſedes conſecuti, compoſita pace beati quieſcerent. Erat huic claſſi præfectus vir magno genere, maiori animo ac fiducia Rollo: qui fratrem inteſtino gentis ſuæ bello nuper amiſerat, quòd regi ſuo fratres pro magnitudine fortunæ ſuſpecti haberentur, auſi etiam regi bello obuiam ire. Sed vbi fortunam tentare ſtatuerunt, congreſſi bello, alter cecidit ex fratribus. Hic verò quem ſcribimus Rollo, inſtructa claſſe, maris pericula ſtatuit pertentare, quòd non ſatis ſecurus in regno ageret: quæ vna vel maxima cauſa fuit claſſem perarmandi, fortunamq; pertentandi. Prima verò Angliam cōtigit nauigatio, veterem Danici regni palæſtram: in qua multi

Rollo Normannorum dux.

Danorum

Danorum proceres fortunam tentauere nonnulli ad ſceptra peruenerũt ſi non totius regni, magnæ tamen partis. Siquidẽ Anglia ab initio, non vno (vt nunc) ſceptro regebatur. Erat Anglorum Saxonũ ſua prouincia (quę toti tamen inſulæ poſtea nomen dedit) erat & Marciorũ regnũ inde diuiſum. Sed Nordhũbrorũ natio regem fouebat: & Pictones & Scoti in eadẽ inſula ſuas ditiones defenderant. Danis aũt in Nordhumbris crebrior erat conuerſatio. Eam tum gentẽ adortus Rollo, quum copias in terrã expoſuiſſet, nauibus nihilominus in tuta reductis, caſtra cœpit metari atq; firmare: inde progreſſus, prædã circumegit opimã. Cõglobati habitatores hoſtibus obuiã ire pergunt, audent conſerere manus: ſed nihil erat quod ferociã gentis ab Aquilone miſſæ poſſit æquiparare. Cæduntur Angli, & retro ferentes pedẽ in tuta ſe recipiunt. Renouatta denuo pugna, nihilo fortuna melior fuit. Dani ac Normanni quoties collibuit egreſſi, hominũ atq; pecudum cæterarumq; rerũ prædam cõportabant, ſtipabantq; naues omniũ generum captis rebus. Tum Rolloni duci incertũ cœpit eſſe, fluctuabatq; animo quid mallet. Locupletatos præda reducere in patriam amor quidem fuit: ſed terruit regis in ſe indignatio. Franciam petere cupido traxit: ſed terruit nouũ in eam gentem de prælio periculum. Angliam in deditionem accipere mens inclinauit: ſed nondũ molem regij exercitus erat expertus.

Anglia ab initio partitio.

Cæduntur Angli.

CAP. 17.

Rollonis ſomnium, eiuſq; interpretatio.

QVVM hac fluctuatione vacillaret, ſomnus dubitantem corripuit. Vidit ſe in regione Franciæ ſublimi colle conſidere, caput obiectantem flumini quod montis ſupercilio demanabat. Subtus ad collis latera atque pedem montis, variorum generum volucres, eodem de flumine tingi: ſiniſtras alas habuere ruſas. Tum expleta lotione paſtum cunctas vnà capere, indeque ſubuolantes nidificare, ac tempore expleto prolem educere. Quum expergiſceretur, vehementer motus eſt viſionis nouitate: In medio magnatum conſultans, quid viderit exponit: non erat qui rem interpretaretur. Viſum eſt ex captiuis Anglicis aduocare Chriſticolas: quòd id genus hominum, quæ ipſi neſcirẽt, callere putaretur. Erat in captiuis vir induſtrius, qui diuinitus duci monſtrata doceret, ſuarum rerum ac gentis totius fœlicem exitum in Francia: quòd terram eſſet acceptutus in poſſeſſionem quietam, ſublimis gloria, & religionem lauacri baptiſmalis cum omni gente ſua ſubiturus: ibiq; pace quieta, cum omni ſua ſuorumq; poſteritate permãſurus. Placuit interpretatio Rolloni, quòd viſioni allubeſcere, & ſpei ſuæ conformis videretur: facileque credidit quod optabat. Igitur conſtituit, rebus omnibus poſthabitis, Franciam petere. Sed quoniam magnas iam res in Anglia peregerat, voluit fortunam ſequi ducem. Regemq;, priuſquam abiret, legatione miſſa ſtatuit pertentare: vt ſi pronum in fœdus inueniret, haberet præſidium caſuum futurorum: ſin minus, inſtituto tamen itinere nauigationem decretam iniret. Viros itaque delegit induſtrios, quos ad regem Angliæ Alſtenum, virum fide & religione præcipuum, mitteret, cum mãdatis huiuſcemodi, Extruſi patria, exilio terras petiuimus. Exeuntes ſecuti ſunt plurimi, qui nos ad repetendam ferroq; vendicandam patriam animarent, viribus inſtruerent, & plurima ſpe nos firmarent ad victoriam. Quod quum animo volueremus, armis amiſſam patriam repetere, turbo nos diſpulit in portus Anglicos: vbi tempeſtiuum nauigationi tẽpus demorantes, brumalis rigor corripuit. Noſtros in terram emendi comeatus gratia egreſſos, incolæ malè mulctarunt: viros ad arma natos atq; innutritos, iniuria mouit defenſionem parare. Ita inter paucos leuibus præliis certatum eſt. Princeps ac ſenior noſter Rollo à te pacem poſtulat, terram permitti hoſpitalem, comeatibus neceſſaria pretio parari. Hæc vbi admiſeris, pacatus ſedebit, vernum tempus ad nauigandum expectaturus.

Rollonis ad Alſtenum Angliæ poſtulata.

CAP. 18.

ALSTENVS rex non ignarus Danicæ ferocitatis, quantis agminibus latera premeret Anglici littoris: promptus conceſſit quod rogabatur. Sed & comitatem adiecit, Non ſolùm inquiens, hoſpes permitto quod efflagitas, verùm ducem veſtrum cominus conſpicere cupido inceſſit. Non dedignetur ſubire tecta manſioneſque noſtras, in quibus amiciſſimos experietur. Ea vbi renunciata ſunt Rolloni, parat comitatum non contemnendum: deligit viros proceritate conſpicuos, & ingenio non ſegnes: regi promptus occurrit, excipitur, comiter dona profert, ſed maiora recipit. Tum confidentes ſermonem contulere. Prior Alſtenus rex, Ego te,

Rollonis & Angli colloquium.

inquit, Rollo dux fortiſſime, lætus in his ædibus conſpicio. Fama gentis tuæ nobis comperta eſt, Martium genus arma tractatis inuictiſſima. Sed neque tu inter præclaros viros latuiſti, comperta ſunt nobis fortia facta. Libet talium virorum inire familiaritatem. Habes in cõſpectu regnum vniuerſum: delige tibi tuiſq; ſedes perpetuæ manſionis, fœduſq; ineamus ſempiternũ. Promiſſis lætus Rollo reſpondit, Ego exhibitionis tuę magna promiſſa rex optime potentiſſimeq; magni facio: dent modò ſuperi deſideratos rerum exitus, tibi ſemper deditiſſimus permaneo. Si quando rebus fortuna votiſq; aſpiret, non ingratus tantę in nos humanitati videbor. Regno tuo cõſidere, etiamſi animus ferat, & inuitet dignatio humanitatis tuæ, fata tamen non ſinunt: conſtitutum habeo (idq; certus implebo) Franciam inuiſere. Magniq; facio ex te mihi hoc munus oblatum. Placet inter nos perpetuò ſanciri, vnam ambobus eſſe fortunam, alterum in altero præſidium: idq; offero & accipio. Faxint ſuperi fauſtũ ſit atq; fœlix. Hac ſermonis viciſſitudine diem deducentes in veſperam, læta de more gentis inibant conuiuia. Et primo mane digreſſi, amiciſſimè ſe ſunt complexati, quum vterque pro cuiuſque fortuna munera ſibi detuliſſent.

CAP. 19.

Rollo cum claſſe in Galliam nauigans, aliò defertur.

ROLLO per brumam nauigationi opportuna præparabat: militiam ſupplebat ex Anglis, commeatus iuſſit comportari. Vt primùm verni temporis flatus aſpirabat, ſoluit è littore, nauigationem ingreditur, tendens in littora Galliarum. Sed dum mare medium tenerent, exorta tempeſtas, nauticam licet turbam exterruit. Tonat cœlum, micant fulgura, venti ſæuiunt, inter cœlum & terram naues iactantur incertę. Sed nihil eſt quod viros perturbet, in æquo ponentes perire an viuere: ſuperat conſtantia mare impacatum. Walacra terra ſe primam prodit in conſpectum. Selandiæ ea inſula eſt. Illam ingreſſi, excipiunt prælio occurrentes in armis inſulæ habitatores. Nam vbi viderant allabi de mari claſſem armatam, ad arma cõclamant.

Walacram Vo occupatã vaſtat.

Fortiter quidem reſiſtunt, ne in terram deſcendant: ſed fortius nituntur quos maris odium ab recẽti periculo, & terræ deſiderium ſtimulauit. Repulſi incolæ locum permittunt ingreſſis: latiuſq; euagati Dani prædam vndique conuectant. Memor Alſtenus rex Anglorum, fœderum quæ cum Rollone inierat, naues XII. granis onuſtas mittit poſt abeuntem. Excipit Rollo gratum munus ab amico: gratiam ſe illi relaturum in tempore (faueant ſuperi) repromittit. Vbi videre incolæ quia fruges de mari afferuntur aduectis, manſionem eorum (quam temporaneam ſperauere) diuturnam interpretantes futuram, vndequaq; ſibi contrahunt auxilia. Iam enim per littora Francorum reges poſitis præſidibus, ſtationes fecere aduerſus incurſiones de mari. Sic comites Hollandiæ Flandriæq; prodierunt. Igitur Walacrenſes ad pellendos terra ſua Danos graſſatores, arma conuocãt proximorum. Conueniunt Reynerus Longicollus Basbacenſis Hamacenſiſque dux, atque Rabedus Friſię regionis princeps. Denſantur cunei, acies inſtruuntur. Sed nulla vis obſtare potuit Rolloni, quò minus fugatis in caſtra hoſtibus, liber, quò voluit, ad prædam ſuos emiſerit. Nec contentus Walacram terram igne ferroque fœdare: quinetiam firmatis in ea caſtris, & præſidiis (quæ copioſa putauit) collocatis, partem copiarum ſecum deſumpſit in Friſiam, Rabedo repenſurus in ſuo, quod ille intulit in ſolo a-

Friſij in patria victi, ad tributũ adiguntur.

lieno. Friſij, gens in mole corporum inſignis, & animo ſatis interrito, hoſtibus obuiam pergunt. Confligunt acriter pro patria: ſed pares eſſe Rolloni non poterant. Nam Dani, vt primos Friſiorum conatus eluderent, genibus nixi, ſcuta præferunt capitibus. Friſij per contemptum habuere ſubmiſſos: paucitatem interpretati, animoſius incurrunt. Sed à Danis intrepidè excipiuntur, reprimunturque viriliter, multis in medio cæſis. Dant terga Friſij, leges accipiunt victoris. Quas viſum eſt conditiones impoſuit: tributa cum cenſibus impoſitis volentes accepere. Victor cum optima præda ad naues regreditur, Reynerum quæſiturus, qui in Walacris illum cum Friſiis oppugnabat.

CAP. 20.

Reynerus captus, ſumma humanitate à Rollone dimittitur.

INTRAT Scaldim fluuium à Friſiis victrice claſſe, terram populatur. Adeſt opportunis locis ad prælium Reynerus: irritat magis quàm oppugnat hoſtes. Aliquot leuibus pręliis ſe offert obuium, ſed repellitur: crebrius incurſat, ſed citò redit. Poſt multa intercipitur inſidiis latentium infrà ſupraque Danorum. Nec minus duodecim ex promptioribus Rollonis militibus intercepti, ad vxorem Reyneri

pertra-

pertrahuntur. Dolet illa captũ maritũ: ſed ex parte conſolatur, quòd duodecim capitum impendio facilè vnus redimatur. Mittit mulieri mãdata Rollo, niſi protinus remittat captos milites, cũ omni auro ſuo atq; argento (adhibito Chriſtianę religionis iureiurando, quòd fideliter omne aurũ miſerit) illico Reynerus gladiũ excipiet. Territa mulier ſeueris hoſtiũ mãdatis, quum vita ſua chariorẽ maritũ ex morte ſua redimere cõcupiſceret, mox omne aurũ & argentum, ſignatũ & informe, adhibito iuramento miſit cum militibus. Rollo mulieris pietate collaudata, Reynerum vinctum iuſſit adſtare. Quid, inquit, in te Reynere cõmiſi, vt cum Friſiis me in Walacris oppugnares? Vides qua fortuna ſis: ferrũ ademptũ cum libertate: aurum tuum atq; argentũ in manibus meis eſt. Quod in me munus non cõferres, in te libet collocare. Liberũ te remitto coniugi ac tuis: dimidium auri à te accepti pondus rependo, donum meq; teq; dignum adiicio. Vade memor beneficij: potiuſq; quid amicus quàm inimicus poſſim, experire. Ille gratias habens conceſſit illico ad ſuos.

CAP. 21. 896.

ANNVS erat Chriſtianæ ſalutis poſt octingentos nonageſimus ſextus, quum Rollo Scaldi flumine ingreſſo mare petiuit: Sequanamq́ue quęrit, memor viſionis ſuæ in Anglia. Primumq; ingredienti fluminis oſtia, occurrit Gimegia ſeruorũ Dei habitaculum. Inde pacato agmine mouens, ad S. Vedaſti capellam peruenit. Inde quoque nihil prædatus, abſcedens, Rotomago appropinquauit. Iamdudum plebs omnis, vrbana cum ruſtica, loci antiſtitem interpellat Franconem, vt pietatis gratia ſe medium interponat barbaræ nationi ac commiſſo ſibi gregi. Nam viribus armatis occurrere tam ferocibus hoſtibus, perquam ſtultum habuere, exhauſti crebris Danorum incurſationibus. Non recuſat pontifex etiam hoſtia fieri pro populo. Occurrit Rolloni: miſericordiam implorat: facturum populum quæ iubeat, excepta religionis cauſa. Facilè placatur quem nulla arma interturbauere: itaque pacato agmine ingreditur vrbem, claſſem tutis locis iubet collocari. Circumſpicit regionem ſatis quidem feracem, ſed cultoribus exhauſtã. Videt diſiecta mœnia ruinas ædificiorum, quas priores gentis ſuæ incurſiones patrauerant. Vocat in concilium primores: deliberant quo ſit opus facto. Vna omnium ſententia, ſedes illas capiendas, muniendas præſidiis, armiſq; defendendas: ſatis prædiorum pro numero militum atque nobilium. Recordatur ille viſionis, quum excelſam vrbis rupem intuetur: hanc putat eſſe oſtenſam ac promiſſam dudum ſibi ſuiſq; terram. Nec mora, de quiete cogitant omnes. Sciunt tamen, multis ac magnis præliis, cum regio exercitu ac cæteris terræ poteſtatibus, ſibi confligendum eſſe. Igitur amnis ſuperiora petentes expediunt aditus atque vada, populanturq́ue vicina ripis loca. Interim fama volans diffunditur per omne regnum, veniſſe innumera barbarorum agmina in Sequanam: reminiſcuntur gentis ferociam. Prima cõſilia ad ſubmittendum quendam ex ea gente nobilem, qui ſuperioribus annis locum promeruit in Galliis. Iam aſſuetus moribus Gallorum, manſuefactus quidam videbatur. Illum rogarunt Franciæ primores, Tu, inquiunt, nationis & linguam & mores percalles. Vade ſciſcitatum, quid accepturi in precium terram linquant, in mare redeuntes. Ille ne in ſuſpicionem Francis veniret, poſtulat duos ex primariis, qui ſecum irent comites. Adequitat ripis, de proximo cum illis ſermonem habiturus. Et patria lingua, qui ſint, vnde veniant, quidvé petãt, rogat. Illi de nauibus, aiunt, Dani ſumus: quod tibi noſtra lingua loquenti potuit indicare, cultus item noſter, ac nauium apparatus, ſi vnquam Daniam vidiſti. Venimus poſt acceptam de terra prædam, ſedes in regno capere. Si quis obſtiterit, arma experietur noſtra. Illa ſubinde, Audiſtis, inquit, vnquam veſtræ gentis hominem, eaſdem ex iiſdem partes petiiſſe, & quibus ille ſit fortunis vſus? Audiuimus, inquiunt: ſed malus illum exitus abſumpſit. Dij melius, inquit ille ſecum. Tum illis viciſſim ait, Vultis regi ſubeſſe Francorum, illiuſque facere imperata? Illi verò, Non ea, inquiunt, lege exiuimus, vt cuiquam ſeruiamus: imperare quærimus, aut certè æquo iure conſiſtere. Quis, ait ille, veſter eſt princeps aut ſenior? Nullus, reſpondent illi: nam æquo per omnia iure imperamus. Non poteſt, inquit ille ſecum, diuturnum eſſe imperium, quod ſine ordine adminiſtratur. Dani autem è nauibus, Si nihil aliud ſciſcitatum veniſtis, abite, arma parate: alioqui veniſſe pœnitebit.

Rollo in Gallia ſedem deligit.

Danorum cum Francorum oratore ad eos miſſo colloquium.

Frācos exercitū aduerſus Rollonē comparant.

Frācos Rollo certamine ſuperat.

Pariſiorum obſidio.

Baiocū capitur.

Cap. 22. Illi retro cedunt, renunciantes regi & primatibus gentis cum fiducia ferocitatem. Igitur vocantur in arma per Franciam milites, conſcribuntur ſtipendiarij, magnus inſtruitur exercitus. Ipſe inter primos, qui nuncius pridem abierat, in contribules (imò congentiles) ire iubetur. Magna in robore eius, ſi modò fidelis perſeueret, fiducia eſt. Conſultus tamen quid de bello gerendo ſentiret, reſpondet ferox videri agmen, magno virium robore, multa bellorum experientia: non ſine magna circumſpectione tentandam pugnam. Tum Rolandus ſignifer, Quid, inquit, conſilium requirimus ab alienigena? Vulpes vulpi aut lupus lupo quomodo repugnabit? Noſtris viribus inſurgendum eſt hoſtibus. Tum ille, illata ſibi contumelia prouocatus, Hodie, inquit, agam, vt contemni à quouis non poſſim: qui vir eſt, arma ac dextram in hoſtē portendat. Rolandus autem cum expeditis cohortibus in primam prouolat aciem, forti opera compenſans verba magnifica. Sed non ſic aduenerant Dani, non ita prælijs aſſueuerant, vt Francis cederent. Cadit Rolandus ipſe cum expeditioribus. Danus ille, quem diximus, in poſtrema acie non ſegniter dimicans, coactus eſt hoſtibus terga dare. Potitus victoria Rollo, Quid, inquit, peccauimus in Francos, vt nos in prælium ſeuocatos impeterēt? Pactis conditionibus, quàm armis facilius nobiſcum egiſſent. Illico caſtris longius euecti, Meldenſe oppidum obſidione cinxerunt. Adeſt dux Raynaldus, & obſidentes laceſſit. Illi verſi in oppugnantes, fugant Francos, multoſque cedunt. Raynaldus à quodam Sequanæ piſcatore, qui iam partes Rollonis ſequebatur, confoſſus interiit. Inde fluuium aſcendentes Pariſium contendunt, ordinataque obſidione acriter ciuitatem oppugnant. Quumq; diu ſedendum ſibi ad obſidionem intelligerent, defecturi commeatus videbantur. Illico in prædam exeuntes, Baiocenſem prouinciam vaſtauerunt. Habitatores qua poterant armata multitudine occurrunt: ſed facilè reprimuntur. Baiocum obſident oppidum. Ciues ingreſſi pugnam, conſerunt cum parte obſidentium: nam tota agmina concurrere non poterant. Capitur Boco ex primoribus Normannorum ducibus. Senſit damnum in viro forti Rollo princeps amiſſo: pactuſq; illo reddito annuas vrbi inducias. Interim ad obſidionem Pariſiorum reuertuntur. Qua per annum continuata, quum pactum Baiocenſibus tempus exiſſet, redit, vrbemque Baiocenſem capit oppugnatam. In præda, primario genere & ſpecie ſingulari erat puella, Papa nomine, Beringarij principis in Francorum gente filia. Eam ſibi Rollo cōiugem aſciuit, & ex ea Wilhelmum ſuſtulit filium, virum præcipuæ virtutis, poſt ſe potitum principatu.

Ebroicenſis Vrbs capitur.

Rollo euocatus ab Alſteno, Anglos rebelles ſubigit.

Cap. 23. Reversvs ad obſidionem Pariſiorum, quam non intermiſit, partem copiarum miſit Ebroicas, ad expugnandam ciuitatem. Diu ciues reſtiterunt, animati à pontifice, vt hoſtibus Chriſti obuiam irent intrepidi. Sed præualuit hoſtium inſolentia. Vrbe capta epiſcopus tamen cum ſuis elabitur. Durante obſidione Pariſiorum, Angli in regem ſuum Alſtenum inſurrexerūt, freti temporū occaſione: quòd Rollo, quem ſciebant arctiſſimo fœdere regi ſuo inhærere, bellis implicitus Francorū, ſuppetias ferre non poſſet. Preſſus ergo tumultuante regno Alſtenus, ad amicum reſpexit Rollonem, mittens ex fidelibus, qui docerent qua rerum anguſtia laboraret. Rollo fœderum nō immemor, intermiſſa Pariſiorū obſidione, ad liberandum amicū, cum omnibus copiis contendit in Angliā. Et iunctis agminibus, facilè præualuerūt tumultuantibus. Captæ vrbes tumultuantiū, domiti perduelliones ad obedientiā regis ſui rediere. Rex nō ingratus amico, permittit illi regni dimidium: deſignat vrbes, limites facit vtriuſq; ditionis: Rollo imperat victis, obſides ſeruandę pacis ſtatuuntur, vt diuiſim & regi & ſibi ſint pignora pacis ſeruandæ. Nihil horum recuſatum eſt: exhibent. Tum dux regi, Quando, inquit, & hoſpitio primùm deinde frugum impendio me rex egregiè & inſigniter munerasti, gratuitam tibi operam libens rependi: vt aliqua ex parte tuis in me meritis reſponderim. Regni partem quam exhibes, non accipio: totum tibi iure tuo poſſideto. Mihi in Franciam redeundum eſt: obſides tuorum tibi habeto: quò plures tenes pignora, ſolidiorem pacis habiturus conditionem. Senior ſolutus in lachrymas, quas potuit gratias dixit, regalibus donis afficiens amicum, quando regni partem aſpernatur. Vnum petenti Rolloni libens permiſit, vt qui ex Anglia ſua ſponte militiam eius ſequi vellent,

lent, bona regis venia vterentur. Valefacto ſic regi, in Franciam vela pandit: & diuiſis agminibus, partim Sequanam, partim Ligerim, nonnullos etiam ſuorum in Garumnam facit aſcendere: vt vndecunque prædabundi incederent. Ipſe Pariſium ad oppugnandam iterum ciuitatem contendit.

FRANCIÆ regnum ea tempeſtate occupauit Odo quidam ex regni proceribus. Sed magno regni corpore perinde diuiſo, minus poterat. Nam Ludouici Balbi filium, Carolum puerum duodennem, nonnulli raptum Remis regem cõſecrauerunt. Quumq; per annos plurimos Normanni Frãciam lacerauerint, nec armis diuiſi reprimi poſſent, nouo conſilio proceres pactis conditionibus agendum rati cum gente quam viribus abigere non poterant. Nam eccleſiarum incẽdia, vrbium euerſiones, caſtellorum direptiones, cædes exercituum, captiuitates ciuium, miſerabilem regni ſtatum fecere. Aduocato igitur Frãcone Rotomagenſi archiepiſcopo, qui iamdudum ſe rebus interponens, hoſtium duci familiarior videbatur, mittunt illum rogatum trium menſium iuducias: interim pacis futuræ iacienda fundamenta. Non recuſat pontifex. Profectus in hoſtium caſtra, reperit Rollonem non aduerſantem induciis, aut etiam paci. Iam enim reſpexit in ea quæ viſio dudum illi repromiſit. Interim Burgundionum dux Richardus, & Pictauenſium Ebalus, acceptis treugis indignati, quòd non armis potius quàm pactis ageretur cum barbaris terræ vaſtatoribus. Vix pacti dies exeunt, & iam prompti cum expeditis cohortibus adſunt Burgundiones & Pictaui. Rollo ſibi arbitratus illuſum, quòd ad arma contrahenda induciæ ſumerentur, acrior inſurgit: & equitum ſuper ſe venientium manum, fortiter in eam verſus, repellit. Grande agmen peditum à tergo erat, ſegnius accedens, vt equiti laboranti adeſſet: promiſcuum vulgus erat, armati inermeſq;, vt quemque ſors obtulerat. Vt venere ſub aſpectum hoſtium, iam equitum alæ, quæ ante tempus primam pugnam inierant, fuga abiere. Vt poterãt pedites, hoſtem vrgebant. Ibi tum grauior cædes quàm pugna. Miſerabile vulgus aut equorum pedibus proterebatur, aut armis exceptum cædebatur. Quem fuga ſubducere potuit, tantùm euaſit: nam in prælio nulla ſalus. Normanni victores prædam legerunt. CAP. 24.

Francorum cũ Rollone induciæ.

Victor in Frãcos Rollo.

INDE Carnotum obſidione premebant. Pontifex gentis Wantelinus populum animabat, ſtare pro iniuriis, patriã rueri, Chriſti hoſtibus non cedere: auxilium de cœlo futurũ. Interim mittit ad Francos, Burgundiones ac Pictauos, liberationẽ vrbis, per ſancta obteſtatus, rogans. Adeſt nihil moratus dux Burgundionũ Richardus, cum expedita ſuorũ manu. Obſidentes infeſtat: & interim obſeſſis, vt erumperent, dato ſigno, intercipere decreuit obſidentes. Ciues cum ſuo pontifice armati erumpunt: vtrinq; oppugnantur Normanni: diu reſtiterunt. At vbi inſtantius vrgebant hinc Burgundiones, inde ciues, dux Rollo cedit, magis religioni quàm armis locũ permittens. Conceſſit aũt in editiora loca cum agmine ſuo. Quædam autem copiarũ eius pars verticem propinqui montis plurimo vix labore cõprendit, ac in morem caſtrorum præmuniuit. In veſperũ Ebalus Pictauorum comes aderat cum non contemnenda ſuorũ manu: & verſus in Richardũ ſtomachatur, quòd non eo expectato eſſet depugnatum. En tibi, Richardus inquit, oſtẽdens partem hoſtilium copiarum monti inſidentem, ſi quid potes, hoſtes in conſpectu ſunt. Ille vt rebus æquaret verba, illico contendit in montẽ. Dani fortiter obſiſtunt adeunti. Rapit pluteos, quos illi parabant obſidioni tolerandæ: & his protectus, molitur aſcenſum. At fortius illi reſiſtunt, vertentes in ſui munitionẽ quod hoſtes attuliſſent. Itaque fruſtrato labore, quum nox ingrueret, ad Richardum Ebalus aſcendit: cõmunicatoq; conſilio, ac copiis coniunctis, montẽ arcta cingunt obſidione. Tum Dani obſeſſi, circumſpicientes, quid agerent dubitauerũt. Erat in agmine homo Friſius, inſignis audaciæ. Si, inquit, inertes durauerimus in lucem, conſumpti ſumus, non tam armis quàm inedia. Conſilium ſumamus ex tempore. Medio noctis cõticinio quidã ex nobis occultis ſemitis deſcendant: & vbi ſe in tutum receperint, tubis concrepent, ſpeciem præbentes redeũtis in noſtrum auxilium ducis. Tum cætera cohors armata per medios deſcendat, ferro ſibi viam aperiens. Ceſſit fœliciter placitum omnibus conſilium. Nam vbi iam obſidentes ſtatutis vigiliis ſe in requiem collocaſſent, inſonuere tubæ, ignes circùm micuere: cohors armata deſcendit, CAP. 25.

Rollo in locũ editum cedit, vnde poſtea fuit abductus.

gladios circumferens. Obſidentes inopinato correpti terrore, fugam magis quàm pugnam in nocte parauere. Igitur Normanni incolumes peruenerunt ad ſuos. Exorta iam luce, citatis agminibus hoſtes ſuos inſequũtur Richardus atq; Ebalus, adhuc de recenti fuga ſtupidos. Rollo iam caſtra firmauit, in circuitu cæſorũ animantium cruentas pelles tendens, vt horrorem prætenderent: magis illudens hoſtibus quàm obſiſtens. Terruit inſolita ſpecies propinquantes. Quis, inquiunt, cruentum hominum genus inſequetur? Quem non mouent mortifera ſanguinolentorũ ſpecies caſtrorũ? Igitur ad ſua redeuntes, liquere caſtris ſuis tum intactos Normannos.

Cap. 26.

Rollo exaſperatus de Carnoti infœlici obſidione, violentius agit. Nam incendiis & ferro omnes quas attigit populatur prouincias, vrit eccleſias, ſine diſcrimine ſæuit in omnia. Rex ipſe quotidianis ſuorum lachrymis motus, iterum vocat conciliũ principum: ſummis de rebus agitur. Ibi vna omnium ſententia fuit, quando inuictam gentem ferro & armis pellere nemo præualet, pactis cum ea conditionibus agatur, vt acceptis ſedibus in regno, Chriſtũ incipiat venerari. Erant qui ſuggererent, principem gentis, ſi ſacrum ſubiret lauacrum, regis affinitate dignãdum: quòd regio ſanguine cretus, viribus inuictus haberetur. Rex ſuorum accepta deliberatione vocat Rotomagenſium pontificem, mittitq; qui mandata Rolloni perferat. Ille ſelectos aditus obſeruans, ducem interpellat, Quid iuuat, inquiens, dux fortiſſime, quotidianis te gentemq; tuam periculis immittere, cędibus & incendiis intendere, rapto viuere? Humanius longè fuerit, pace ſequeſtra cum Francis agere, vnis ex legibus viuere, eandem complecti religionem: vt æternæ quoq; ſaluti & immortalitati conſulatur. Rex tibi magnas offert conditiones, ſi pacem cum religione fueris amplexatus. Terram quam inhabitas, perpetuò tibi tuiſq; iure permittit: inſuper ſororium te ſuum dignabitur. Retulit rem in concilium omnium procerum dux. Placitas (imò optatas) conditiones contemnendas nemo putauit. Terra ſatis opima, ſi excolatur, fluminibus ad piſces, nemoribus ad venationem opportuna, mari patens ad merces conuehendas: nemini videri mediocre regis per germanam promereri affinitatẽ. Paciſcuntur trimeſtres inducias, vt res ex ſententia compleatur. Perueniunt ad commune placitum. Ibi teſtatur docetq; Rollo, nunquam niſi prouocatum ſe ad arma veniſſe: ſic in Walacris, ſic in aliis locis priorẽ à Francis irritatum. Ad ſedes ſe veniſſe quærendas, patria eiectum. Quæ ſi dentur, facturum ne pœniteat Francos illũ hoſpitio excepiſſe. Robertus inter primores Franciæ duces, regias tum vices impleuit cum pontifice. Terra illi in perpetuam poſſeſſionem deputata, regia illi puella deſpondetur. Paratur regenerationis lauacrum, imbuitur ſacræ fidei rudimentis: Robertus dux illum de ſacro fonte ſuſcipit, nomen illi ſuum indens: vt ex Rollone deinceps fit Robertus. Et tamen quia terra cultore vacabat, crebris incurſionibus euaſtata, negabat tantæ multitudini alimenta: aliam quoque illi ſubiicere conuenit, quæ ſumptus abundè ſuppeditaret. Oſtenditur Flandria, quam non ignorabat Robertus, militaribus ſæpe illã expeditionibus pertranſiens. Nõ placuit: quia paludibus & ſaltibus plena, videbatur infructuoſa. Ab occidua regione permiſſa eſt Britannia. Res aũt vt omni iure conſiſteret, regis, archiepiſcoporum, epiſcoporum, ducum nobiliumq; iureiurãdo firmatæ ſunt. Neuſtria quidem (quam exinde de ſuo nomine Normanni dixere Normanniam) facilè regi donum fuit: quòd exhauſta pridem (vt diximus) cultore vacua fuit, excurſionib. Danorum aſſiduè expoſita. Danos igitur Danis putauit opponendos. Acceſſit Britannia, contumax ſemper regi terra, vt domaretur. Placuit coràm rem omnẽ perficere. Vbi in regium conſpectũ peruenit Robertus, aderãt ex Francis regi blandientes, qui hortarentur Robertum procumbere, regiaq; oſculo veſtigia honorare. Horrebat liber animus & dux inuictus ſeruile miniſterium: alium ex aſtantibus officio vicariũ dedit. Rex illi pedem protẽdit. Erat is Carolus Simplex, Balbi filius. Ille mordicus apprenſo pede regem reſupinat. Indignari nonnulli ex Francis intumuere: alij altius ſecum populi libertatem & ferocitatem reputantes, regem placauere. Cunctis igitur ex ſententia peractis, rex in ſua reuertitur: Frãco archiepiſcopus & dux Robertus nuptiis peragendis inſtitere. Quibus etiam ex more perfectis, dux Normannorum Robertus, à religione ſumẽs initium, eccleſias memorabiles ditioni ſuæ, quas

Francorum conſiliũ de pace cũ Normannis facienda.

Rollo baptizatus regis ſororem in matrimonium accepit.

priora

priora tempora fœdauerunt, magnificè munerauit: & hac munificentia primos baptiſmatis ſui dies impendit.

Cap. 27.

Rollo, Robertus dux, furta grauiſſime punit.

Robertvs ex Rollone, dux Normannorum, quum regendæ prouinciæ, quam regia confirmatione tenuerat, intenderet, ſeuerè ſuis interdixit latrocinia, furta & omne genus rapinæ. Sciebat difficile genti vaſtatrici, quæ bellis, prædis, rapinis & ſæuitiis tamdiu intenderat, pacatis animis ſedere, longam exuere conſuetudinem. Decreuit vt ruſtici colendi agri inſtrumenta in agris linquerent, & conſueſcerent ſui, præterire non ſua. Ea res longo cœpit vſu firmari. Quum reuerſus autem quidam ex agricolis domum, ab importuna vxore ſua rogatur, cur inſtrumenta ſua non adueheret, ille ducis præcepta prætendit. At illa dum maritus interim domi per æſtum quippiam ageret, furtim delabitur in agrum, inſtrumenta ſubducit, & abſcondit: vt in reliquum redderet maritum rei ſuæ attentiorem. Reuerſus vir in agros, vbi non repperit quæ dimiſit, rem ad loci præfectum referebat: ille autem duci prætendit. Vocatus à duce ruſticus, precium recepit amiſſorum. Iubetur præfectus, ignis purgatione adhibita, furem explorare. Primus conatus irritus fuit. Nam ignis furem non prodidit, quum omnes villani ſubirent ſcrutinium. Id quum renunciaſſet præfectus duci, ille conuertitur in epiſcopum, Deus, inquiens, Chriſtianorum, ſi eſt conſcius ſecretorum, cur furem non prodit? At ille nec dum bene firmatum in religione non corripuit: ſed cauſam prætendit, quia ignis nec dum furem tetigit. Iubetur diligentius inquirere præfectus, etiam apud vicinas villas ſcrutaturus. Nec ſic quiſquã repertus eſt. Vocatur à duce ruſticus: ſi cui prodiderit rem in agro eſſe, rogatur. Ille nemini præter vxorem, dixiſſe reſpõdit. Adeſſe iubetur illa: ſeparatimq́; rogatur quid egerit cum mariti inſtrumentis. Primùm diſſimulanter reſpõdit, nihil ſe noſſe: ſed quæſtionibus adpoſita furtum fatetur. Tum maritum dux clàm vocabat. Sciebas, inquit, vxorem furacem, an non? Ille, Sciebam, inquit. Cui dux, Cur criminoſam aut non punieras, aut non deſerebas? Illico iuſſit ambos ſuſpendio necari. Hac ſeueritate iudicij legem ſanxit obſeruandam fore.

Superſtitioſa ignis purgatio, ab archiepiſcopo tamen non vt debebat, reprehenditur.

Cap. 28.

Sed & illud commemoratione dignum iudicaui, quid primùm pacem turbauerit inter regem atque Normannos. Venerant ex Francis iuuenes duo Rotomagum, vt Giſlam coniugem ducis, regis germanam, ex quibuſdam interpellarent. Mulier incautè formidoloſa, noluit illos in conſpectum prodire mariti, veritа ne quid ille ſuſpicaretur de occultis à rege mandatis. Sepoſitos ergo in penitiorem domum, lautè curauit tractari. Normanni qui viderant ingreſſos, mirari quòd non prodirent in conſpectum ducis, ſuſpicari cœperunt agi neſcio quid contra principem ſuum. Quidam ex iis adorti ducem, Quid, inquiunt, aut quærunt, aut afferunt ſecretò ad te ingreſſi? Num te tuorum pœnitet vt ſecreta cum exteris pertractes negocia, conſiliaque foueas tuis incomperta? Ille miratus, quum nihil intelligeret, ingreditur ad vxorem, Vbi ſunt, inquiens, regis quos ad nos miſit nuncios? Pauida mulier abſconditos producit. Ille, vt ſuſpicionem aduerſus ſe ſuorum purgaret, productos in forum publicum occidi iuſſit, quòd non in aperto rem omnem peregiſſent. Turbatur anxia mulier: & dolore animi corporiſque ægritudinem aſſecuta, mortem obiit. Rex ab ſororis immaturo funere, & ſuorum innoxia cæde, iniquum cepit in ducem animum. Ea res comperta Roberto Francorum duci, mandat Roberto Rotomagenſi, Normannorum duci, Nihil pro hac re turberis, quòd inſenſus nomini tuo rex videatur. Si iubes, regem cum amicis propulſabo, regnumque ipſe inuadam. Cui remandat Normannus, Vltrà quàm ſatis eſt curſum tendis. Satis ſuperque fuerat regem fatigare: ſupra modeſtiam eſt regem propellere, & regium nomen aſſumere. Hac morum ſeueritate pacem meruit diuturnam. Scribit tamen Sigibertus, per hæc tempora Normannos in regno ſe vehementer commouiſſe. Ea fuerit eiuſdem gentis alia claſſis, an ex hoc Rotomagenſium populo, incompertum habemus. Normanni, inquit, per hæc tempora iterum à Pariſio repulſi, fines Britonum inceſſerunt. Et primò quidem victores, inde à Britonibus vincuntur, duobus prælijs XII. millibus peremptis. Et iterum, Normanni Lothoringiam repetentes, circa Leodium cum Chriſtianis pugnant, & vincuntur. Sunderoldus Moguntinus archiepiſcopus, à Normannis

Rollonis vxor animi ægritudine moritur.

Normannorum ſtrages.

Wormatiæ martyrizatur. Arnulphus rex audita cæde ſuorum, à Baioaria contra Normannos pugnaturus mouet eum exercitu valido. Quos circa fluuium qui Tilia dicitur, pedeſtri prælio adortus, tantam ex eis ſtragem fecit: vt ex innumerabili multitudine vix ſupereſſet, qui ad claſſem aduerſum nuncium referret. Normannorum reſidui, tranſuadata Moſa, Ribuariam & Arduennam vaſtando peruagantes, trans mare recedunt. At hæc ego per recapitulationem ab illo dicta accipio, priuſquam Rollo in Neuſtria pacatus reſidere cœpiſſet. Nam huius inſignis victoriæ & noſtri meminere annales, quæ peracta memoratur anno DCCCLXXXVIII. quum iſta in Robertum Rollonis commutatio, & ſedis quietæ acceptio, ad 97. aut ſuprà perueniſſet. Sola ergo ordinis & temporum perturbatio facta eſt in huius rei à Sigiberto commemoratione. Niſi dixerimus aliam extitiſſe Normannorum manum, quæ in Germania ſit graſſata, dum in Francia Rollo iam pacatus reſediſſet.

Rollo prius dictus.

Sed nos quæ de Roberto ſunt, protinus concludamus. Robertus (vt dicere cœpimus) contraxit annos, accepta quiete, in extremam vſq; ſenectam. Filium, quem ex Papa prima vxore ſuſtulerat, in ſpem ducatus prouexit. Nam inter manus eius iurare fecit proceres, quòd illi poſt patrem fideles permanerent. Ita in Chriſti religione tranſiuit Robertus (vti fidimus) in regna longè meliora, dux tempore ſuo fortiſſimus pariter & fœliciſſimus.

CAP. 29.

Wilhelmus Rollonis filius, dux Normannorum.

WILHELMVS patri filius in ditione ſuccedit, matre Papa genitus, nobili ſtirpe Francorum: duplicisq; in ſe nobilitatis ſanguinem traxit. Eum ab infantia ſacris initiatum, in timore Dei pater iuſſit educari apud virũ probatæ virtutis Batonem, gentis ſuæ comitem. Erat autem puer ita religioni deditus, vt relicto ſeculo cupierit ſepoſitus Chriſto militare, monachali habitu deſumpto. Sed quia patri erat vnicus, ſolum id votis repugnare videbatur. Igitur paterna voluntate, & procerum vnanimi conſilio atq; ſententia, paternę ditioni præeſſe cõpellitur. Nihil tamen mutauit in moribus: animi integritatem, iuſtitiæ rigorem, frontis modeſtiam ſemper prębferebat. Prima illi turbatio fuit ex Britannis: qui nouo principatu res item nouas moliebantur, ſubtrahere ſcilicet Wilhelmo, quam patri ſeruauerant obedientiam. Berengarius atq; Alanus principes extitere factionis atq; rebellionis, quòd dicerẽt temporaliter ſe Roberto permiſſos, quoad prouincia eius cultui redderetur, ipſi, quamdiu vixit, nihil recuſantes, honori hoc illius tribuerint, quòd in fide permanſerint. Nũc ſe ſolutos vinculo dominationis, libertatẽ ſuam ſine inuidia meritò tueri.

Britanni à Normannia ducis ditione deficientes ſubiguntur.

Wilhelmus contracto ſuorũ concilio, rem pertractauit. Indignũ viſum eſt proceribus, Britones à iugo diſcedere. Quòd ſi à rege vindicarẽtur, ſatis & hoc durum videri, antiqua ditione carere Normannos: nunc ſua ſe temeritate in libertatẽ recipere conantes, aduerſus præſtitam Roberto patri fidem, iuratam filio fidelitatem: omni odio digniſſimos haberi, ferro & igni ad iuga reuocandos. Igitur paratur expeditio in Britanniam: equitum peditumq; copiæ dẽſantur in cuneos: Britanniam ferro & igni populatur. Britanni vrbibus & arcibus communitis ſe cõtinuere, non auſi in aciem prodire: quòd viribus hoſti impares viderentur. Viſum eſt proceribus Normannorum, euaſtata regione ſatis malorum perpeſſos, redire in iuga volentes. Qua ſpe reducitur exercitus in Normanniam. At pręter ſpem accidit, vt dilapſo exercitu ſecuti Britanni, viciſſim Normannorum ditionem peruagarentur. Renouantur deinde agmina militantium: reducitur in Britanniam expeditio militaris, & durioribus preſſuris Britãni coanguſtantur. Igitur rebus diffiſi, legatos de pace miſerunt. Wilhelmus cõſilio ſuorum euocato, has illis leges indixit, vt aurum in ſumptus expeditionis perſoluerent, ſolita tributa penderent, Alanus in exilium abiret: quòd autor coniurationis haberetur: Berengarius, quòd inuitus (vt conſtabat) penè rebellaret, in præfectura ſolita permaneret. His ita compoſitis, atque à Britannis iam pacis cupidiſſimis comprobatis, Wilhelmus reduxit exercitum.

CAP. 30.

IAM apud proximos ſermo increbuit, vt proſpiciens poſteritati dux adoleſcẽs, nuptiis animum inclinaret. Circumſpexere omnes qua ex nobilitate domoq; coniunx illi peteretur. Eualuit nominis atq; virtutis eius fama inter Francos, primique principes regni eius familiaritatẽ inire cupiebant. Xenia mittere & accipere, principali ritu, iam apud maiores inoleuit. Wilhelmus multis indies charior pro virtu-

te cœpit haberi, coliq; ſedulius à Francis quàm ſuis. Quæ res inuidia (vt fieri ſolet) non caruit: erantq; in Normannis, quibus doleret, quòd Francos, à quibus honorabatur, honoraret. Iam, inquiunt, dux noſter maiore fiducia reſpicit in Francos quàm ſuæ gentis nobilitatem. Materna illum ſuperbia effert: maternũ genus quàm paternum facit commendatiorem. Quid futurum vbi nuptiæ acceſſerint? Extorres erimus: ſolis Francis fides erit, nos velut ſeruiles contemnemur. Ea reportabimus laborum præmia, periculorum ſanguinis. Proinde præcurramus inchoata in nos iuga deteriora: libertati & honori conſulamus. Riulphus princeps erat factionis in ducem, autorq; cõſilij, vt mitterent qui poſtularent terram à duce, in Riſlum vſque fluuium. Sic etiam militarem populum ſibi magis conciliarent: duci ruricolas relinquerent, vt quandocunq; molienti aliquid in ſuos, non inferioribus illi viribus occurrant. Audita legatione dux, quum non ignoraret quò res illa reſpiceret, conuocato fidelium procerum concilio, ex illorum ſententia remandauit placidis verbis, Arma & equi, aurum cum argento, & quicquid domi meæ pretioſum eſt, veſtris commodis inſeruiet. Terra quam ſub parente accepiſtis contenti, mihi parete: commoda prouinciæ ad vos pertineant, mihi inane nomen remaneat principatus. Vos conſiliorum participes, mecum vnà rem omnem tractabitis. Communia vtriſque pericula: vobis bellorum prẽmia, mihi inanis honor ſufficiet. Hæc tam mollis reſpõſio non (vt debuit) iram mitigauit, ſed ſuperbiam erexit. Nam ad arma iam cõclamantes, caſtra firmabant: domeſtica bella inchoaturi. Iubentq; concitò redire nuncium, qui duriora duci mandata ferat, exeat ciuitate, abeat ditione, ad Francos ſuos proficiſcatur. Non ferre Danicum ſanguinem, ſubeſſe Franco principatui. Hoc ſe multis vulneribus egiſſe, vt liberi viuant. Niſi ceſſerit, futurum vt pœniteat pertinaciæ: nam ciuitatem oppugnare, & de proximo capere confidant. Territus hoc nuncio dux, miſit ad amicos, vt adſint: eõtraxitq; arma quæ tempus dedit. Armauit ex vrbicis, quos militibus inſeruit. Et vt præueniret obſidionẽ, exiuit in collem: vnde proſpiceret & numerum & conatus aduerſantium. Cernens longè illos ſuperare multitudine, in proximum ex amicis conuertitur, Impares, inquit, ſumus tantæ multitudini: cedendum tempori. Ipſe mihi petendus Syluanectenſis auunculus, vt eius adiutus armis, recuperem qua iam me extrudũt perfidi ditionem. Tum ille, Qua fronte Franciam nos tecum petemus, in qua permanẽt veſtigia priſtinæ vaſtationis? Sunt quibus parentes, filios, fratres, cognatos, affines abſtulimus. Illi quibus nos oculis intuebuntur? Itaq; ſi hoc tibi ſedet conſilium, ad limites Eptæ fluminis te perducemus: nos verò inuentis vndecunque nauibus Daniam repetemus. Quomodo enim ſine duce conſiſtemus in aliena regione? Quanquam ſi tibi patrij ſanguinis vigor remaneret, hoſtibus cedẽdum non putares. Dux accepta ab amico contumelia, excanduit, Si hoc, inquiens, timori datur, ignauo, non prudenti: audete ſequi quã præcedo. Et poſtulans haſtam, ſe vertit in hoſtes. Tum idem ille manu iniecta familiarius, Conſilio, inquit, dux fortiſſime opus eſt in re tanta. Vide prius quos ad vrbis cuſtodiam delegeris: conſidera qui te ſequantur in prælium. Quibus prouiſis, quum imbellem multitudinẽ vrbi relegaret, expeditioribus ſumptis cõcitus fertur in hoſtes. Quos imparatiores deprehendit, quum nihil tale proſpicerent. Igitur exemplo & verbo ſuos commonefaciens, multis pauci promptiores ſunt inuenti. Nec diu ſtetit ambigua victoria: fuſi fugatiq;, caſtra deſeruere tumultuantes: plures in fuga quàm in acie ſunt cæſi, multi perierunt paludibus aut ripis immerſi. Wilhelmus dux fugatis facinoroſis, multiſq; perditis, incolumem reduxit exercitum in vrbem, ex illo die conſpectior cunctis, formidoloſior hoſtibus, amicis charior. Nec facilè inuentus eſt qui prælio laceſſeret, aut coniuratione noua in ſe ducem prouocaret. Iam ineundis nuptiis animum intendebat.

Normannorum in ducem offenſio & rebellio.

Rebelles à duce delentur.

CAP. 31.

Wilhelmus vxorem ducit.

HERIBERTVS inter Francorum primores, vir nobilis & clarus, filiam Wilhelmo duci deſponderat. Regali luxu omnis erat apparatus nuptiarum. Multi vtriuſque partis proceres conuenere: nonnulli ex Francia principes honeſtabant ſolennia nuptiarum. Nec annus euoluitur, Wilhelmo filius ex cõiuge naſcitur: quem ſacris Chriſtianis initiatum appellari iuſſit Richardum. Claruit indies magis atque magis dux Wilhelmus. Burgundionũ Pictauorumq; comites illum coluere: Hugo

maior in regno princeps,familiaritatem eius expetebat. Venantem aliquando ducem quum præmonuiſſent dux Hugo memoratus, comes Pictauorum Wilhelmus & Heribertus ſocer adiere. Ille perbenignè exceptos, humaniſſimè tractauit. Inter cõuiuandum Wilhelmus Pictauus, Wilhelmum appellat Rotomagenſem. Scis qua ad te cauſa venerim dux inclyte? Affinitatem tuam requiro. Neque interpoſitis nunciis agēdum putaui,tuam ipſe dignationem adire volui. Germanam ſororem tuam ſi vxorem mihi permiſeris, perpetuum apud me pignus amoris collocatum rectè putabis. Ille tranſuerſo comitem reſponſo volens experiri, Non conuenit,inquit,forti genere natam puellam, leporinis viris permittere. Vbi vidit cõmotum iniuria comitem, vultũ hilarauit. Cras,inquit,optime comes,interpoſito meorum conſilio placidè poſtulatis tuis reſpondebo. Nec mora,quum illuceſceret,vocato in conſilium Hugone duce, Heriberto atq; procerũ ſuorum magno numero, deliberat viri potentis inire affinitatem: Wilhelmoq; memorato germanã deſpondet, eamq; perduci iubet apparatu magnifico in vrbem Pictauorum. Tum verò omni rerũ abundantiſſimo ſplendore nuptiis peractis, in diem magnificari magis magiſq; cœpit Wilhelmus Normannus. Erat per id tempus in carcere rex Franciæ Carolus. Ibiq; quum defeciſſet, Alſtenus Angliæ rex, nepotē ſuum, memorati Caroli filium, vt ad coronam perduceret, non alio vtēdum putauit quàm Wilhelmo interuentore. Paternum fœdus illi renouabat, deprecans, vt illo interueniente, paterna ſceptra Ludouicus mereretur, & vt Alanus Brito (iamdudũ apud ſe exulans) ſuo apud Wilhelmum interuentu gratiam haberet, patriæque redderetur. Vtrunque impetrauit Alſtenus. Nam Wilhelmus apud Hugonem ducem cæteroſque peregit, vt Ludouicus in regno ſuccederet, & Alanus patria ſede potiretur. Erat tamen eidem Ludouico regnum inſtabile, propter magnam primatum in regno potentiam. Vnde ſibi conſulendum putauit proximorum regum fœdere.

Pictauorũ comes cum Wilhelmo affinitatem contrahit.

Ludouicus Frãciæ rex.

CAP. 32. PRÆFVIT tum Germaniæ rebus Henricus Cæſar, genere Saxo, eius nominis primus, Ottonis primi pater. Is interpellatus per nuncios à Ludouico rege de fœdere, reſpondit nolle ſe Franciæ rebus implicari, niſi interuentu Wilhelmi Normanni: ille ſi ſe medium interponeret, fœdus non recuſare. Ludouicus rex, miſſo ſtatim nuncio ad Wilhelmũ, orabat vt illi occurreret in pago Baiocenſi. Non cunctatur dux, expeditũ ſumit comitatum, regiq; obuiã proficiſcitur. Perbenignè ſeſe ſalutant. Prior rex, Noſti, inquit, Wilhelme frater, quibus procerũ iacter motibus. Pietatis tuæ fuerit, memorem eſſe auitorũ in te tuoſq; beneficiorũ, vt arma conferas, & fœdera cõcilies, inter Henricum Germaniæ Cęſarem ac me. Ille nihil moratus, quod eſt opis ſuæ promptè pollicetur, regemq; ſecum orat Rotomagũ proficiſci. Vbi annuit peruenitq;, excepit hoſpitaliter, diuq; ſecum habuit honore regio, redeuntemq; in ſua deduxit: & quoties premeretur, denuo exceptum armis tuebatur. Miſit deinde ex fidiſſimis Tetgerum quendã, ad Henricum Cæſarem, oratum vt fœdere cum Ludouico rege cõgredi dignaretur. Erat multa inter Henricũ atq; Wilhelmum familiaritas. Exceptum hoſpitaliter Wilhelmi nuncium Cæſar apud ſe aliquot dies perbenignè habuit: vnumq; ex ducibus ſuis Cononem, cum eodem remiſit ad Wilhelmum, mandata verbis prolaturum. Vbi in cõſpectum Wilhelmi Cono venit, oſtendit ſe miſſum à Cæſare ſuo, vt quæ Wilhelmus optaret, perficerentur. Occurret, inquit, Cæſar meus tibi venienti ſuper Moſam. Tu regem Ludouicũ fide tua ſuſceptum prouehe: vt alternis cõſpectibus perfruantur: me verò obſidē quouis in loco teneto. Sic enim imperauit Cæſar, vt ſecurior tibi tuiſq; ac regi Ludouico ſit aditus. Miratur Wilhelmus quid obſide ſit opus: diſſimulat tamen, vt experiatur ſi ex animo ſit locutus. Accingar, inquit, Normannus, itineri: tu verò in Baiocenſi vrbe obſes reſidebis. Tum ille, Quęcunq;, inquit, in locũ ire iubes, fixus hærebo. At Wilhelmus cõperta veri cõſtantia, Nihil, inquit, opus eſt ad Henricum proficiſcenti Wilhelmo, obſidem ſumere. Inter diffidentes ſic agitur. Ego optimi Cæſaris promiſſa pro obſide teneo, tecumq; volens proficiſcar. Non contemnendam manũ contraxit Wilhelmus: rex quoq; cum magnatibus Frãciæ magnas copias duxit. Vbi cõuenere Laudunum, mirati Normannorũ copioſam Franci multitudinem. Quid, inquiunt, fiet, ſi fortè (vt fit) iurgium conſurgat inter militares viros

Wilhelmus fœderis inter Cæſarē & Franciæ regem conciliator.

tos vnà profectos? Nimirũ vt agnos lupi, vorabunt Normanni Francos. Miſſo nuncio orat Wilhelmum vt ſeparatim tendat, diuerſoq; proficiſcatur itinere ad locum deſtinatum. Facilè paret monentibus. Igitur quum propinquarent Moſę, pręmiſſo Conone ad Henricum, præmonet adeſſe regẽ cum Wilhelmo. Tum Hẽricus Cęſar, quem multa ſuper Wilhelmo mirãtem cogitatio fatigabat, ſciſcitatur à Conone, quid de amico ſuo Wilhelmo ſentiat, quid viderit indicet. Tum ille, Pręcipuum domi ſplendorẽ, quem præter te nemo principum ſeruat, miratus ſum. Aurea vndiq; ſupellex, famulorum ordo multiplex ac diſtinctiſſimus, militia inſignis, arma terſiſſima, equi & numero & pretio ſingulari: tum verò prudentia ac mirifica virtus omnia facit cõmendatiora. Propinquabat inde Wilhelmus quingentis ſolis equis comitatus: nam reliquum agmen præceſſerat. Accurrit Conon: & gladio per obſequium diſtricto, perducit ad Cæſarem. Ibi ſe amantiſſimè cõplectuntur: cõſident. Prior Cæſar, Diu te Wilhelme frater, fama cognitum, virtute probatum, amicitia noſtra dignum putaui. Nunc coràm poſitum, lætus accipio, gratulatus tibi mihiq;, quòd alternis nos vultibus agnoſcimus. Age, fœliciter adueneris, quę poſtulaueris, facilè ex ſententia habiturus. Tum Wilhelmus, Miſiſti Cæſar optime, ducẽ præcipuum, quem obſidis loco tenerem. Penè iniurius extitiſti firmatæ inter nos amicitiæ: mihi ad te proficiſcenti nullo opus erat pignore. Tu tamen qualicunq; id egeris cõſilio, quod meũ fuit exhibui: illum itineris ducẽs comitem, quem manere voluiſti oppignoratum. Adeſt rex Ludouicus, tibi (quandocunq; volueris) occurſurus, & quibus velis conditionibus, tibi per me fœderandus. Cæſar ſubinde, Craſtina in vicinam vrbem nos viſuri occurramus. Tuum erit, quas voles fœderũ leges dicere. Hac ſermonum viciſſitudine fruentes, diu familiariter collocuti diſceſſerũt, in craſtinum redituri colloquium. Quum aũt abiret Wilhelmus, erãt inter Saxones qui dicerent Cononi, Ea verò eſt magnificentia, quam in cœlum tuliſti, quingentis accedere militibus? Wilhelmus etſi exaudiret linguam Saxonicã per Danicam, diſſimulanter tamen abibat. Poſtera luce pręmiſit in vrbem militum validam manum, vt loca caperent venturo exercitui. Illi tum ferocius agebant: aſſueti portas cõuellere, muros diruere, & inſolẽtius in captis vrbibus agere. Præuenerat cæteros Henricus Cæſar: & exaudita per clamorem tumultuoſum Normannorum inſolentia, iubet egredi Cononem, & interdicere vim atq; ferociam. Ille profectus ad Wilhelmum, orat iubeat conquieſcere vim militum, ne ad tumultum res perueniat. Vade, inquit Cononi, dic verbis meis, vt modeſtius agant. Ille concitò, Iubet, inquit Wilhelmus, & ego rogo, vt moderatius agatis. At nihil illi auſcultabãt, frangunt, expellunt reſiſtentes, aſſiliunt. Reuerſus ad Wilhelmũ Conon, Per, inquit, Deum, & quicquid ſanctum eſt, oratus adſis: ne cõuentus pacis gratia inſtitutus, in magnum & cruentum bellum exurgat. Tum Wilhelmus, miſſo per manũ Cononis gladio, iubet quieſcant. Illi enſe viſo mox vultus deiiciunt, modeſtius agunt, militaremque diſciplinam impleuere. Voluit dux prudens Wilhelmus Saxonibus oſtẽdere, contemptoribus ſuis, quibus militibus rem ageret. Conueniunt vnà reges: vltro citroq; volant munera alternatim: colloquuntur vbi conſidunt, cõueniunt de fœdere, interpoſitum firmatur de more. Dum reges de fœderum medio colloquũtur, duces circumſtantes & illi inter ſe ſermonem conſeruerunt. Inter Saxones quidam dux Hermannus Danica lingua ſalutat Wilhelmum. Ille ſciſcitatur quonam pacto ſit Saxo compos linguæ peregrinæ. Illam, inquit, inuitus perdidici. Nam graui captus prælio in Daniam pertrahor: ibiq; diu tentus, in ſermonẽ gentis coalui. Noui ergo & vim militum & patriam tui regionem, martiumq; genus, vnde prodiiſti. Interea Conon circumſtantibus, Quid, inquit, vobis viſum eſt ſuper Wilhelmo, quem heſterno veſperi contempſiſſe videbamini? Non, inquiunt, putauimus tantum eſſe ſplendoris in eius militia, quantum conſpeximus: non eas opes quas vidimus.

Wilhelmi apparatus & ſplendor.

Cæſaris & Wilhelmi colloquium.

Normannorũ erga ducem ſuũ obſeruantia.

CAP. 33.

SOLVTO regum cõuentu, rex Ludouicus Lugdunum vſq; perducitur. Ibi occurrens nuncius, affert regem nato filio eſſe auctiorem. Exhilaratus Wilhelmũ interpellat, Multis, inquit, obſequiis hactenus me tibi deuinxiſti, domi tuæ fouiſti: armis tutatus, magno nunc fœdere extuliſti. Vnum oro, vt paruulum, quem mihi dignatus eſt dare Deus, fonte ſacro excipias: pater illi alter futurus. Non abnuit dux.

Profectus in locum paruuli baptizandi, ibi à pontificibus cæteroq; nobiliũ cœtu dignanter excipitur: quod ad religionis officium pertinet, ex more implet. Paruulus præeunte Wilhelmo patrino, Lotharij nomen accepit. Quo ſolenniter atq; legitimè impleto miniſterio, dux ad regẽ reuertitur. Ibi ſuper omnib. rege gratias agente duci, reſpondit, Ego tibi tuiſque rex optime debeo, vt quoniam tua in ditione ſedes accepi, tibi tuiſq; pro viribus inſeruiã: idq; ſedulus implebo. Si quis in regno motus ſurrexerit, primus ego excipiã, nihil recuſans, modò intelligam. Has tibi militũ deuotas manus agnoſce. Oſtendebat inter hæc aſtantiũ ſuorum longè ac propè magnam multitudinẽ. Proceres regni has voces non vno accepere animo: nam fuere, qui non æquè regẽ ferrent dominantem. Sed interim cõtinuere molitiones, Normannorũ arma veriti, quæ ſenſerant. Dux à rege dimiſſus amiciſſimè, redit in ſua: reuerſus, a ſuis alacriter excipitur. Intendit deinde reparandis legibus, quæ per abſentiã eius antiquatæ videbantur: religioni potiſſimùm adiecit animũ. Gemmeticum erat illic quondam monaſteriũ, Danorum vaſtatione ſubuerſum. Cuius loci fortunã duo monachi ingemiſcentes, cœperunt ſuis manibus euellere dumos, nouare agros. Quo in labore fortè tranſiens eos deprehendit dux Wilhelmus: ſciſcitatur quid parent. Audit fortunã loci, ingemiſcit, pollicetur reparationem: nec differt promiſſum. Oratũ mittit ſororium ſuum Pictauiæ comitem, vt monachos de vicino mittat cœnobio. Venerũt duodecim ſub patre Martino. Cui deinde dux crebrius aſſiſtens, homini ſe familiariſſimè inſinuat. Non enim intermiſit animo propoſitũ monachale, quod puer conceperat: ſed ob accepti principatus nouitatẽ, vſq; in virilem diſtulit ætatem. Martinum igitur cœnobij patrẽ ſecretius cõuenit, Quid eſt, inquiens, pater optime, quòd in vnicæ fidei religione, tam varij cultus perſeuerant monachorũ, clericorum, populi? Cur non qui vnum ſperant ac credunt, vno etiam religionis ritu perdurant? Tum ille, Magnus, inquit, paterfamilias, qui nutu ſuo tremefacit orbem, in magna domo eccleſiæ catholicæ multiplex depoſcit miniſterium. Ipſe tibi ſis exemplo. Habes qui tibi ſeruiant in cœnaculo, ſunt qui miniſtrant in diuerſorio, alij etiã in atrio atq; ſtabulo famulantur: ſunt qui te ſequuntur in expeditionem militarem. Quid igitur mirũ, ſi cœleſtis ille princeps varij generis miniſterium depoſcit in eccleſia? Illico dux ſubiicit, Olim quum puerum agerem, hoc mihi votũ erat, relicto ſeculo vitam ingredi monachalẽ. Sed obſtitit deſiderio meo parens proceresq;, meq; nolentem ac repugnantem ſibi conſtituere ducem. Nunc verò iam mihi meæq; redditus poteſtati, filium habens quem ſubſtituã, cur non impleam ætate florenti, quod incipiente cupiebam? Stupebat hæc audiens abbas: & intuitus ducem, Quid, inquit, optime princeps audio? Zelum quidem collaudo: ſed nõ dedigneris interponere conſiliũ ſeniorum. Tecum cogita quis rerum futurus ſit ſtatus, ſi quod concepiſti, impleueris: quę in nouitate & mutatione principatus, rerum omniũ turbatio. Meminiſti quid patereris in primordio ditionis: idipſum proſpicere cõuenit, ne accidat filio. Multos interim monachos ſecurè facies domino famulari. Impar longè meritũ erit apud Deum, paci temporum cõſulere, & multos in religione fouere ac ſeculo, quàm ſi vnus ipſe in angulo degens, perturbata regione, cum cæteris fias inquietus. Confer interim quid ſimile ſit, mille millibus ſine ſuo periculo conſulere, quàm vni ſibi vix quieturo. Mouit ducẽ ſermo ſenioris: ſed non vſqueadeo permouit, vt dimoueret à ſententia. Exeuntis deinde eccleſia, prouoluti pedibus fratres, dignetur rogant diariam prandens ab illis accipere, quod charitas offerat, non quod deliciæ præparent. Ille verò reiectis precib. Rotomagum properabat. Nec longo pòſt tempore ruffa bili tactus, torquetur doloribus: idipſum interpretans ſibi accidere, quòd nuper fratrũ à ſe charitatem repuliſſet, quum illi offerrent monſtrante dilectione, quod poterant. Infirmatus, iuſſit adeſſe cõcilium procerum, puerumq; Richardum, quem ex vxore ſuſtulerat, indole præcipua ac facie liberali. Tum ſic exorſus, Ego, inquit, vt meminiſſe pleriq; poteſtis, ex puero aliud mente cõcipiens, aliud à vobis ſubire coactus ſum. Nũc præſentis ſtimulo ægritudinis ſuauiter admoneor à Deo, vt quod in voto ſemper fuit, aliquando procedat in opus. Igitur ſi mihi miſerante Deo longior via fuerit, relicto ſeculo, & hoc, quem non volens egi, principatu, Deo ſeruire conſtitui in ſanctitate

Gemmeticũ cœnobiũ inſtauratur.

Ducis et abbatis colloquium.

Dux ægrotans monaſticæ vitæ ſtudium ſuis proceribus exponit.

& iu-

& iuſtitia, ſumpto habitu monachali. Vnum oro, ſiue per mortẽ carnis (imperante Deo) nunc finiero, ſiue morte ciuili, relicto ſeculo à vobis abiero: in vtroq; caſu, filium quẽ genui, huius mei principatus fouete ſucceſſorem. Ingemuere qui audierant. Tum vnus, quem præ cæteris maior autoritas fulciebat, Quid eſt, inquit, optime dux, quòd aures noſtras tam triſti ſermone cõcutere potuiſti? Vitam tibi imprecamur omnes, idq; certò ſperamus longiorem. Vix mediã ætatem attigiſti: cõfidimus te breui tuæ reddendũ incolumitati. Cæterùm quod de mutãdo vitæ ſtatu inſeruiſti, pone votum: non ſuſtinemus audire, nec ſinemus impleri. Quid enim erit nobis mutato principatu? Si imperet tibi Deus, ſuſtinendum eſt. Quòd verò tu tibi conſtituis ob tuã quietem, infinitæ multitudinis conſulturus incolumitati (ſi ſapis) poſthabebis. De filio aũt tuo quod volebas, iam impetratum puta. Perennem tibi ac diuturnam vitam ſperamus. At vbi tu nobis ablatus es, alium te iam cernimus ex te natum filiũ. Iam principem habemus, cui quam primùm voles, ſacramenta reddemus. Igitur vt ducem propoſito auerterent, & ab infirmitate quantum poterant releuarent, proceres Normannorum ac Britonum volentes, iuſiurandum Richardo filio præſtiterunt, poſt parentem non aliũ ſe habituros principem. Quibus rebus ex ſententia peractis, in ſua quiſq; diuerterunt. Wilhelmus ad incolumitatem reuerſus, ſuotũ quieti conſulebat: nec ſuorũ modò, verùm etiam perfugium erat vicinis & longinquis calamitoſis. Quæ res exitio eius viam inſtrauit. Nam ſi non illum pietas aliena traxiſſet, talem ac perpetuũ vitæ exitum non inueniſſet. Parum eſt aũt terrenam ditionẽ habere temporalem, properanti ad cœleſtẽ ſine fine mãſionem.

Proceres hominẽ de ſententia deducere conantur.

HERLVIMVS erat quidam ex Frãciæ proceribus, quem Arnulphus Flandriæ comes bello premebat: arcemq; Monſtreoli appellatam, expugnatam abſtulit domino ac poſſeſſori. Ille rebus exutus, proximum ſibi ſuperiorem Hugonẽ magnum ducem adiit, cauſam exponit, queritur iniuriam, implorat opem. Sed ille aures precanti clauſas habuit. Herluimus Normannorum ducem, patrem afflictorum, refugium oppreſſorum adit, auxilium implorans. Quando, inquit ille, principum tuorum obſequio deuinctus es, cur illis præteritis, extraneum & nihil tibi debẽtem inuocaſti? Ego, ait ille, Hugoni duci iam preces cum lachrymis obtuli: ſed reiectus ad te venio. Reuertere, inquit Wilhelmus, ad Hugonem, & iterata prece interpella: & quicquid reſponderit, mihi renuncia. Abiit ille, congeminatis precibus apud ducem, vt paruulorum, vxoris ac ſui miſeratus, innocentem tueatur, & ad ſui iuris receptionẽ opem dignetur impendere. Hugo interpellatus, reſpõdit, Quid eſt quòd me frequentatis precibus impellis in Arnulphum? Poteras iamdudum tacita cogitatione deprehendere quod dicam. Eo mihi fœdere iunctus eſt Arnulphus, vt in eum arma producere, aut contra eum ſtare quouis pacto non liceat. Quid ergo? Herluimus ait, ſi defenſorem inuenero? Num contra te videbitur egiſſe, qui mihi in Arnulphum afferret præſidium? Hugo neminem ſupereſſe arbitratus, qui aut poſſit aut velit Herluimum in Arnulphum ducere, confidenter ait, Quiſquis tibi fuerit auxilio, non mihi erit iniurius. Et quum Wilhelmo renunciarentur, Nõ erit, inquit, indefenſa iuſtitia tua. Illico parari iuſſit ex Britãnis Normanniſq; exercitum, & pro Herluimi cauſa hoſtilia denunciari Flandriæ comiti Arnulpho. Tum expeditione facta duxit in arcẽ Monſtreoli, & circumequitans loci munitionem conſiderabat. Ordinataq; oppugnatione, euocauit agmen expeditiorum, quos ſcandendis vallis, ſuperandis muris, apprehendendis munitionib. nouit induſtrios. Quibus ait, Si bene vos noui, non diu ſtabũt in oculis veſtris munitiones circumpoſitæ. Ite, & palos extractos ante pedes meos producite, captos ſimul propugnatores adducite. Nec ſegnius dicto prouolant milites parere ducis ſui iuſſioni. Scandunt reluctantibus hoſtibus propugnacula, ſcuta obiicientes ictibus. Capiunt ſine dilatione prima munimenta: procurrunt ad penitiora præſidij, captoſq; arcis propugnatores extrahunt, palos conuellunt, & ad pedes ſui ducis proiiciunt. Ille collaudatos iubet opima præda munerari. Tum acceptum per manus Herluimũ reducit in arcem: inſtruitur prandium comeſturis. Inter prandendum rogat Herluimum, ſi quid vltrà ex ſe depoſcat. Ego, inquit, optime dux, quantum tibi debeam, ſatis intelligo. Si quid in me eſt obſequij, tibi per reliquam vitam militabit. Non ignoras mihi inuti-

CAP. 34.

Herluimus aduerſis rebus Wilhelmi opẽ implorat.

Wilhelmus Flandriæ comiti bellum infert, & Monſtreoliũ capit.

lem in reliquum arcē fore, quam etiam integrā ab Arnulpho tueri non poterā. Tui ſit arbitrij tuæq; poteſtatis: tibi illam permitto. Ille refert, Non hac lege veni vt mihi pugnarem: integrū in te meum eſſe conſtitui beneficiū. Infirmatas munitiónes per expugnationem, ipſe meis impenſis reficio. Manum validā, quæ tuo etiam arbitratu ſatis ſit ſeruando, tibi relinquo, comeatus abundè præbeo. Si vaſtauerit fines iterum tuos Arnulphus, cum exercitu reuerſus, efficiā vt illum pœniteat ſuę graſſationis. Si rurſum oppugnauerit, nouū tibi præſidiū ex me non deerit: quòd ſi inducias quæſierit, non negabuntur. Si cauſam patietur iure agere, adero volens placitis tuis. Et ſi quid quęris, ecce promptus præbeo. Stupefactus Herluimus liberali promiſſo, ſeſe cum ſuis proiecit ad pedes ducis, ſummū max. Deū implorans, vt pro ſe reddat quæ meretur duci. Cōſtitutis impenſis reparandæ munitionis, ac deputatis militib. qui maneant in præſidio, comeatuq; plurimo importato, in ſua dux reuertitur.

Ducis beneuolentia & liberalitas.

CAP. 35.

NEC longo pòſt tempore, quia Arnulphus duci viribus par eſſe nō poterat, reſpexit ad inſidias: vt dolo ſubuerteret, quem vincere viribus haud poterat. Nouit aūt in Franciæ proceribus eſſe non paucos, quos obliqua inuidia mordebat Wilhelmi gloria: quibus etiam eo perdito opus eſſet, aut certè non iniucundum. Mittit ergo Wilhelmo legationem, cui adeſſe iuſſus eſt Herluimus. Orator quantum potuit oratione præmiſſa, obſequia præfatus, purgabat Arnulphum, quòd ignorauerit Herluimum (id quod apparuit) illi tam eſſe deuinctum. Proinde remittere culpam Herluimo, vt Wilhelmū promereatur: cui eſſe cupit perquam familiaris, propter vicinam vtriuſq; ditionem: pluribus profuturam terrā vtriuſq; poſſidentium amicitiam. Scire Arnulphum quæ pacis ſunt & iuſtitiæ, nō detrectare ducem Wilhelmum, nec refugere, illum habere cauſæ ſuæ arbitrum. Inducias trium menſium paciſci, & tempore medio locis opportunis poſcit cōuentum. Hæc quàm maximè potuit blāda voce locutus, vultum demittit. Dux primùm ſciſcitatur Herluimum, quid ſentiat. Ille etſi dolos ſubeſſe vereatur, non audet præiudicare duci. Tum conuerſus in ſuos Wilhelmus, Quandoquidem, inquit, vitæ meæ votum pernouiſtis, orare quæ ad pacem ſunt debetis vniuerſi, & ego inter primos pacis autor, cōſtitutos pacis tractatus non recuſare. Itaque inducias permittit, locum conuentioni deſignat. Nuncius reuertitur ad dominum. Vbi dies aduenit, dux copias neceſſarias in armis habuit, illiſq; aſſumptis in pagum proficiſcitur Ambiacēſem: ibi ad Sumæ fluminis ripam caſtra collocat. Ex aduerſo Corbeiæ tetēdit Arnulphus. Erat in Sumæ fluminis medio inſula, quā fluctus exæſtuans ab olim proiecit. Hanc petit Arnulphus, quatuor ſolis comitatus: oratq; ducem, vt duodecim numero ſtipatus, dignetur occurrere. Ille non recuſat, nihil præter pietatem verſans in corde, quum alter dolum machinetur. Sed quis ſubeſſe vereretur, quum numero militū dux præualeret? Venitur in colloquiū. Tum prior Arnulphus, Vides, inquit, optime dux, ætatem meam: vides confectum morbo corpus (podagroſus enim erat) & ideo temporum meorū, etiam (ſi fieri poteſt) ſequentium, pacator eſſe debeo. Ab Herluimo multis affectus iniuriis, ad arma perueni: omnem illi noxam tui cauſa ecce iam remitto, illumq; in te ex hoc die amicū adſcribo. Modò apud te quod poſtulo, fac impetrem. Te patronum inuoco, ad te multorum preſſus iniuriis refugio. Noſſe potes quibus in me animis ſit Hugo dux, atq; ex primoribus cęteri. In te vno requieſcam. Sume clientem: vt poſt me (quem ſine prole non ignoras) diuionē tuæ meam coniungas. Proderit patriæ, talem in hæc tempora ſuſcipere patronū, tunc etiam dominum venerari. Crediderat ex animo locutū pietate plenus dux Wilhelmus: & qui nullo vnquam tempore dolum cogitabat, præſumere non poterat de homine tam blando. Tum refert iſta dux Wilhelmus. Ego vt tibi concilietur Herluimus, ex animo eam ſolā profectionis huius cauſam habui. Hoc aſſecutus, ſatis magnū itineris præmium accepi. Pacem tecū, atq; (ſi fieri poteſt) quod in me eſt, cum omnib. non recuſo: eamq; modò largior & accipio. Si fœdera cupis inter meum ac tuū principatum, non abnuo: at in eam rem opus eſt adhibere conſiliū procerum. Regionem tuam poſt te non requiro: ſit tibi longæua. Pacē ſi ex animo quæris, illico ex me putato conſecutum. His atq; huiuſmodi in aliquot horas producto ſermone, amplexati diſceſſerant. Arnulphum duo ex ſuis in nauiculam inter manus deportabant.

Arnulphus oratore miſſo, cū Wilhelmo inſidioſe de pace agit.

Arnulphi et Wilhelmi colloquium.

Wilhel-

Wilhelmus quoq; duodecim comites ire iuſſit in vnã: ipſe cum ſolo remige conceſſit in alteram ſcapham. Vbi iam medium amnem tenuiſſe videbatur, accurrunt quatuor Arnulphi milites, armati dolo, gladiis ſub veſte cõtectis: acclamant à ripa, Optime dux, quod præcipuum erat inter vos, vnũ omiſſum queritur Arnulphus: digneris adeſſe paululum. Nam ſenior noſter (vt vidiſti) claudus, non veniẽdi ad te veniam deprecatur: noſq; pro ſe miſit, tibi dicturos quod ſupereſt. Credidit vir innocuus, & flexit in inſulam: duodecim milites eius mediũ adhuc amnem, nihil ſuſpicati, tenuere. Vbi propius dux acceſſit, eductis gladiis confodiunt virũ omni virtute incomparabilem, omnium ſeculorum ducem dignum memoria ſempiterna. *Wilhelmus nefaria Arnulphi perfidia occiditur.* Stabant agmina eius in armis ripa ab altera: & ingemuere altius, quòd flumine diſcluſi, adeſſe principi ſuo non poſſent. Serius aduecti de medio amne duodecim ſatellites, palpitantem inueniunt. Perfidi latrones cum domino ſuo ad cohortes ſuas reuertuntur. Ita periit vir incomparabilis, exitu pluſquam miſerabili, dum hoſti fidit: vidente, & nihil potente, forti exercitu ſuo per amnem diuiſo. Exanime corpus reuehunt mœſti ſatellites, rimantur cruore perfuſum: & multis cum lachrymis nudantes, inueniunt in lumborum ſtrophio clauiculam argenteam. Mirantibus quid foret, ſuperuenit camerarius miniſter: qui ciſtellam in penitioribus eſſe affirmabat, quæ veſtem includeret monachalem. Conuenit turba multa procerum, atque ex omni ditione plebs vniuerſa: impoſitumq; feretro corpus, tẽplo Mariæ Rotomagi tumulandum intulerunt. Richardum inde filium (cui iamdudum, viuente adhuc patre, ſe proceres aſtrinxerant) in patris locũ ducem ſibi conſtituerunt. Erat autem poſt natum mundo Chriſtum DCCCCXLIII. annus, Kal. Ian. quum cæderetur. 943.

ALBERTI KRANTZII
NORVAGIÆ LIB. III.

PRÆFATIO.

COLLOCATIS iam Normannis per littora Galliarum, in eam regionẽ quæ prius Neuſtria, de illorũ nomine nunc dicta Normannia: priuſquam cœptæ ditionis ſucceſſionem exequamur, paulò nobis ad ſuperiora redeundũ eſt: vt Noruagiã, quam cœpimus, per antiquitates eius recenſeamus ordine ſuo. Quanquam turbulentiſſima illa tempora fuerant, languente orientali Romanorũ Imperio, & ſub Sarracenis miſerabiliter laborante. *Tragica Chriſtianæ Reipublicæ ſpecies.* Romanum autem occidentale Imperiũ in ſtirpe Carolina poſt Arnulphum ita contabuit, vt in contemptum omnium proueniret. Summi Romæ pontifices ita vertiginoſo implicitt ſunt malo, vt per ſucceſſiones multas, prædeceſſorem ſuum quiſq; in maledictionem & execrationem deuocaret: quum in Italia Berengarij, in Germania Vngari Romanũ fatigarent imperium. Et in Galliis nihili etant res militares, quum primores aduerſus Carolum Simplicẽ & filium eius Ludouicum, de regni ſumma contenderent, Normanni ſuam regionem tutarentur. Per quæ tẽpora, quum rebus externis magis quam domeſticis Danorũ atq; Normannorum reges ſtuderent, tam vacui reperti ſunt annales, vt vix regũ nomina reperiantur. Multæ per ſingulos annos Borealium factæ ſunt excurſiones. Nunquam enim quieuit gens illa, donec Chriſti fide germanitus ſuſcepta manſueſcerent, diſcerentq; ſuis contenti aliena non quærere. Aſpectabat deſuper Deus tantam gentium in Chriſtianas prouincias crudelitatem. Non enim ſatis erat à Danis atq; Normannis vaſtitatem perpeti: Wandali quoq;, gentili adhuc errore ſordentes, immanitatẽ ſuam in vicinos exercuerunt. Super omnes verò Vngari, gens Scythica, illis temporibus incubuit Germaniæ. Quis non putaret tunc miſerabilem Chriſtianiſmi per Saxoniam ſtatum, quum hinc Normanni, inde Vngari premerent, igni ferroq; cuncta peruaſtãtes? Occulta Dei iudicia quis explicabit? Qui Hebræis olim immiſit Chal-

dæos, Græcos, Romanos (quos in diuinis ſcripturis appellat miniſtros ſuos, quum tamen illum ignorarent) ille inexplicabili conſilio, Chriſtianis prouinciis primùm Gothos per Italiam, deinde Wādalos per Aphricam, poſtea Hunnos per Gallias, & nunc Vngaros per Germaniam diffundit. Nec ſatis vaſtitatum terræ immittunt, ſi non etiam à mari veniant, qui ſanguinem hauriant Chriſtianum. Quid inter hæc dicemus, niſi quia electos ſuos Deus, in clibano mundanæ tribulationis excoctos, per ignem & aquam vocat in refrigerium æternæ beatitudinis, præmonitos quia non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur? Quis etiā inter hæc non miretur ſtudia apoſtolicorum interim in Boreali mundo virorum? Nam Dani & Normanni foras prodeuntes, in alienas ſæuiunt prouincias. Interim Anſcharius, Rembertus, Vnni, S. pontifices, ſuæ legationis explentes munera, Danis, Suecis, Normannis regnum prædicarunt immortale. Et quando illi exierunt ad alios euertendos, ſancti pontifices in viſceribus prouinciarū ædificandis, & in Chriſti religione eis imbuendis qui domi remanſerant, inſtiterunt.

Occultū iudiciū Dei.

CAP. I.

Dania libro 4. cap. 18.

CONRADVS ex Carolina ſtirpe nouiſſimus, Romani nominis dignitatem per Germaniam tenuit, quum Berēgarij in Italia tumultuarentur, Daniæq; rex Gormo regnaret, qui filiam regis Angliæ Edelbrādi, Thiram nomine, cōiugem haberet: ex qua filios ſuſtulit Haraldū Kanutumq;. Sed poſterior ante patrem vita functus eſt. Prior aūt quum in armis exercitatiſſimus haberetur, iam tum ſub patre tantū nominis promeruit, vt auus illū maternus Angliæ rex, exhæredato filio Adalſteno, ſcriberet hæredem. Sed quum Haraldus Danicis atq; Borealibus rebus implicaretur, Edelbranduſq; auus decederet: Adalſtenus proiecta membrana paterni teſtamenti, regnū aggreſſus eſt adminiſtrare. Rex aūt Noruagię (cuius nomen ſupprimitur in annalibus) audito quòd rex Angliæ rebus humanis cōceſſiſſet, regē Daniæ (quem ſcriptū hæredem audierat) in remotis agere cerneret, nec ignoraret ignauū hominem Adalſtenum (quem ſuus etiā genitor regno imparem iudicaſſet) quantā potuit, inſtruxit armauitq; claſſem, mouens in Angliā: cuius portus iam noſſet, quippe qui crebris expeditionibus cum Danorum regibus in ea militaſſet. Adalſtenus aūt ignauus rex, quum etiam ſeipſum non ignoraret, non armis ſed pactis agendū cenſuit cum hoſte: futurū ratus, vt mollioribus hunc conditionibus placaret quàm Haraldū Danię regem: qui omne ius ſolus ſibi teſtamento conſtituit vindicare. Itaq; miſſis ad Noruagiæ regem oratoribus, colloquium depoſcit. Conuenitq; poſt multa inter eos, vt Adalſtenus regno per ſua tempora potiretur: ſed ad nutū regis Noruagiæ, quocunque deuocaretur, arma mitteret auxiliaria. Interim certus ſucceſſionis, præſtolaretur eius obitū. Et vt exhibito regē placaret miniſterio, obtulit educationem in Angliæ regno filij eius Aquini. Quem ſuſceptum, regia munificentia, vt proprium, excolebat: re aūt vera obſidem habiturus, ne quid ille foris moliretur: ſimul & præſidium certius demoraturus, ſi quādo rex Danię Haraldus Angliæ incumberet. Cupidus perficiendæ rei rex Noruagius, conditionem accepit, ne Haraldi interuentus cuncta diſiiceret: fretus etiā armis Angliæ, in eum ſi quid nouaret. Vtq; magno ſibi pignore hominem deuinciret, filium proprio ſpiritu chariorem, Anglo tradit educandū, obſidem præbens, qui debuit accipere. Sed effecit rei properantius perficiendæ deſiderium, vt pactis memoratis omnia firmarētur. Haraldus autem Daniæ rex, compoſitis iam rebus in ea prouincia quam tentabat, exercitum reduxit in patriam. Audiens quantum amiſit in ſuis, dum inhiaret alienis, diſſimulato tamen ad tempus negotio, rem tacitus perferebat. Nec diu Noruagiæ rex ſupererat.

Adalſtenus à patre exhæredatus, Angliæ regnum Noruagio offert, ne Danus potiretur.

CAP. 2.

Aquinus Noruagiam ab alio occupatam recipere cogitat.

AQVINVS Noruagiæ regis filius, poſteaquam accepiſſet paternæ necis nuncium, feſtinauit patriam inuiſere, ne quid rerum innouaretur. Itaq; claſſem inſtruxit, Adalſteno Angliæ regi valefaciēs. Ille verò alumnum iam moribus ſuis formatum, inuitus dimiſit. Nauigans autem in Noruagiam, res perturbatas (vt fieri ſolet) cum mutato rege reſpexit. Nam Haraldus alius Gunnildæ filius, comparatis auxiliis ab rege Danorum, mouit in hoſtem. Veritus autem Aquinus nauali pręlio confligere (quòd impar nauibus videretur) terreſtre prælium obtulit. Nec moratus

hoſtis,

hoſtis, acquieuit. Erat inter primores Haraldi, qui Aquinum in medio depugnantem euocaret in primam aciem, experturum ſi quid illi virium eſſet. Nec moratus ille proceſſit: quippe generoſus ſpiritus ſui contemptū non ſuſtinet. Hoſti igitur oppoſitus, pugnam exerit. Ille ſecurim vibrans ab alto, petit Aquinum: ſecuiſſetq́; medium, ſi non interuentu ſuo ſatellitum quiſpiam ictum ſpontaneus excepiſſet. Laudabilem per omnia virum, qui heri vitam ſua duxit chariorem, morte ſua præueniens lethum domino intentatū. Pugnæ aūt hic erat exitus, vt quum Aquini inſidiæ emerſiſſent interceptæ, Dani fugam ineunt. Iam ſola ſtabat in campis Aquini acies, quum hoſtis effugiſſet. Mirumq́; ſpectaculū omnium in ſe oculos conuertit. Nam telū, nullo qui cerneretur arcu miſſum, in aere diu fixū hærebat, nūc huc nūc illuc inclinans. Poſt multa, quum ſibi quiſque formidaret, pronum ferunt in caput Aquini decidiſſe, moxq́; hominē exanimaſſe. Ita Haraldo regnū ceſſit Noruagiæ, hoſte ſublato. Ferunt, maleficiis deditam fœminam, telum hoc procuraſſe: quò victi filij pœnam ſumeret ab hoſte, ac illum vacuato regno faceret ſucceſſorem.

Satelles pro domino ſeſe vulneri obiicit.

Aquini mors prodigioſa.

CAP. 3.

HARALDVS Gunnildæ filius, Noruagiæ regnum aſſecutus, quū audiret Haraldum Daniæ regem, cognominem ſuum (cuius armis erat inuectus, cuiq́; annua perinde tributa deberet) Ottonis Romani Imp. Iulium vaſtantis ad extremū Wandaliæ, bello implicitum: ſperans non facilè illum Saxonicis & Imperatoriis armis expediendum, auſus eſt rebellare, conſtitutaq́; tributa negare. At illum in ea parte ſpes ſua deſtituit. Nam rex Daniæ ſalutari vſus conſilio, pacem ab Imperatore, ſub pacto recipiendi Chriſtianiſmi oblatā amplexus, fœdera iunxit cum Ottone. Retro greſſoq́; cum exercitu Imperatore, audiuit Haraldi Noruagij defectionem. In quam expeditionem miſit claſſem, quam ad Iulinum Wandaliæ oppidum, cum delectis militibus, ob piraticam prohibendam conſtituerat. Cernens autem Noruagienſis Haraldus, præter ſpem ſuam, imparatum ſe adoriri, conſilium ſumpſit ex tempore, maleficiis, quæ plurimum adhuc in ea gente valuerunt, obtēturus, quod armis non poterat. Adoleſcētiores duos filios correptos diis ſuis immolauit, vt ventis & imbribus hoſtilem claſſem vexatam ſibi euerterent. Crudelis pater, qui ſanguine chariſſimorum liberorum regnum mercaturus, hoc impenderat, pro quo ſolent cæteri mortales bella ſuſcipere. Tum verò maleficiis ſuis optatum vidit exitum. Nam turbine magno exorti nymbi, ita claſſem diiecere hoſtilem, vultus & ora militum percuſſere, vt reſpicere non auderent. Ille egreſſus qua poterat manu, nonnullos ex primoribus Danorum captos abduxit: cæteri re infœliciter geſta, in Daniam redierunt. Quumque crudelitatem in proprios affectus inchoatam, in captis declararet, reperit patientiores ad tormenta Danos, quàm ſe atrocem in irrogandis. Miratuſq́; virorum conſtantiam, quum nullis minis terrerentur, nullis ſuppliciis ad quod volebat adigi poſſent: primùm exhibuit dimiſſis, vt ſi vellent, honorato apud ſe loco militarent. Recuſantes autem, quòd ſe dicerent militaribus ſacramentis Danorum regi obnoxios, quum virtutem admiraretur, incolumes dimiſit. Illi ad regem ſuum regreſſi, prioris militiæ ſtipendia egerunt, teſtificati hominis Noruagici crudelitatem.

Haraldus filios duos immolat, vt tempeſtatem in mari excitet.

CAP. 4.

Dania libro 4. cap. 19.

INTER hæc verò, quum Haraldus Daniæ rex, Chriſtiana matre Anglicana natus, maternis victus precibus, non iniquos in Chriſtianum populum animos gereret, ipſe necdum amplecteretur: Ottonis primùm Imperatoris armis coactus, Chriſtianis ſacris cum filio & coniuge initiatus eſt, filiumq́; illi Suenottonem nuncupatum, Imperator ipſe de fonte ſacro leuauit. Diuque fœliciter regnum Haraldus adminiſtrauit, in Chriſti fide multis religioſè proficientibus. Quos verò gentilis error indurauerat, in ſæuitiam verſi, Chriſtianas terras populabantur. In Wandaliam quidem necdum Chriſtianam (antiqua erat Danorum palæſtra) ſed & proximam Saxoniam infeſtauere. Inde per Friſiam, littora quoque Galliarum euagantes, contribules ſuos in Franciæ littoribus Mormannos, nonnunquam Anglos adiere. Sed quum Suenotto Haraldi filius, regnandi auidus eſſet, perpendere̜tque multorum graue murmur ſuper noua & patribus incomperta religione (ad quam rex omnes perpuliſſet) viam ratus, qua ad regnum pulſo patre perueniret, egit cum faſtidientibus Chriſti religionem) vt ſe regem dicerent, pulſo patre:

Filius in patrem propter pietatis profeſſionē conſpirat.

Pollicitus eſt religionem ſolitam reſtituere, procurante generis humani inimico. Conſpirant in regem, filiū efferunt, illius ſacramentā ſuſcipiunt, patre deiecto. Tradunt Gallorū annales, eiectum regno Haraldum, in Normanniam, ad Franciæ littorá, ad ducem Richardum perueniſſe, rogantē auxilia in reductionem. Illum perbenignè ſuſcepiſſe venientem, & comitatū illi permiſiſſe Cōſtantinenſem. Inter littoreas quoq; regiones is eſt. Haraldū ibi arma militeſq; reparantem, in patriam iterum nauigaſſe. Sed tum Haraldus à filio iterū atq; iterum vincitur. Nouiſſimè vulneratus conceſſit in Iulinū Wandaliæ oppidum, ibiq; vitam finiuit in Chriſti confeſſione, reductus iam funere Rōſchildiā in regnum. Interea verò Danorū proceres quietis pertæſi, quum fœlicem multorū nauigationem meminiſſent: ad mores ſuos infinita multitudine perarmata, per Albim aſcenderunt, littora omnia vaſtantes. Apud Stadiū cōglobati Saxones, Sigefridus marchio, Thiadericus comes, cum multis militaris generis fortiſſimis viris, egreſſos nauibus in terras Danos excipiūt, fortiter prēliātur. Sed is tum fuit qui ſolebat exitus, victi Saxones dare terga coguntur. Capti ex nobilibus Sigefridus marchio & Thiadericus comes, multiq; alij inferioris gradus viri militares: captiui in naues pertrahuntur. Dum aūt moram faciunt, in Albi excurſiones latè facientes demorantur, ſi quis in redemptionem captiuorum æra produceret. Quo tempore alter ex memoratis nobilibus, piſcatoria naui per noctē adducta elabitur. Dani excandeſcentes, qui remanſerant malè mulctarunt, alium præciſis naribus, aliū etiam manibus, & item pedibus alium. Qui ex fuga ſalui erant Saxones, cum duce Bennone, Hermanni (quem Otto primus erexerat) filio, inſigne iterum agmen collegerant. Danis ſe iuxta Stadiū opponūt: & alacriter prēliati, multos ex Danis cæciderant, plures ceperant, reliquos in fugam cōpellunt. Captos, in contumeliam gentis, & in vltionem truncatorum, iugulatos appendunt in arbores. Nomen loco diu permanſit ex facto, vt *Worgebur* diceretur Saxonū lingua, hoc eſt Iugula agreſtis. Suenotto verò quum patrem regno expuliſſet, & pro eo Danię imperaſſet, impietatis ſuæ pœnas luebat: donec ad cor reuerſus, Chriſtianiſmum (quem abiecerat) ex animo reciperet. Nam Ericus illum vrgebat à fronte. A latere aūt Wandali illū adorti tercepere prælio, mixtis (vt fieri ſolet) inſidiis. Ter ues ære redemptus, vacuabat regna ſua auro & argento. Demum compertū habens, cœli Dominum, cuius religionem ineptè contempſerat, & ſuā & parentis in ſe iniuriam vindicare: reuerſus ad cor, ſacratiſſimā Chriſti religionem feruentiſſimo cœpit ardore complecti: ex quo de proſperiora omnia expertus eſt. Quum tamen & à Suecis & Wandalis premeretur, ad Olauū Noruagiæ principem cōuolauit, paterna in illū merita commemorans. At ſurdas eius aures vidit: quòd vir fidelis impietatem, quam ille in parētem exercuit, vehementer execratus eſt: ſimul quòd religionem ſanctiſſimam abieciſſet, ſocietatis cum illo vinculum recuſabat.

Saxones à Danis caſi, poſtea victores.

Dania libro 4. cap. 23.

Sueno ad ſanitatem redit.

CAP. 5.

OLAVVS interim rex Noruagiæ, quum audiſſet Ericum Sueciæ regem in fata conceſſiſſe, relictam eius coniugem ſibi poſtulabat. Accepiſſetq;, niſi Suenotto, auerſum ſibi Olaui animum ſciens, nuptiis diſturbandis interueniſſet. Noluit enim tali pacto vires aduerſantis ſibi Olaui creſcere. Duos ex fidiſſimis, transfugarū ſpecie, iuſſit abire ad Olauum in Noruagiam, crimina multa (quò fides illis haberetur) in Suenonem iactare, filiam verò eius Thiram, magnis efferrent laudibus: vt animum eius nuptiis futuris puellæ inclinatum, à Suecia flecterent. Fit ſedulò quod mandabatur. Peruiceruntq; doloſi perfugę, vt Olaui animum à regina tranſlatum, puellaribus nuptiis inclinarent. Quumq; regina iam antè colloquij gratia ab Olauo euocata, nō longè a rege in mari naues fixiſſet per anchoras: rogata, vt regiā nauem adire dignata, regem inuiſeret, matronali grauitate aliquandiu reſtitit: non ex ſui dignitate futurum cauſata, ſi ipſa ſuis nuptiis procurandis intenderet. Demum ceſſit inſtantibus. Penſile lignum erat pontis loco ſubſtratum, vnde in regiam a ſua naui regina tranſiret. Effecerunt perfugæ, qui regem Olauum circumſtetere, vt quum ingreſſa eſſet, ſubligaculo retracto, mari regina mergeretur, inſultationibus cernentium grauius accuſata. Tum illa annitētibus ſuis militibus, ægre periculum euaſit: ſecum vltione meditata, quòd ruborem contemptus cum vitæ periculo rex intuliſſet. Sueno autem iratæ fœminæ animum ſuis votis facilè inclinauit, vt ea accepta

Olauus in reginā quā accerſebat, contumelioſus.

Dania libro 4. cap. 24. Suecia libro 5. cap. 10.

accepta coniuge, vires ſibi Sueciæ iam Olauo infenſas conciliaret. Ita Olauus Noruagius, duorum fraude perfugarum, duplicibus nuptiis fruſtratus eſt, neque reginam quam contempſit, neque puellam quam ambiuit, aſſecutus. Olauus autem, quia Suenonem bellicis rebus infœlicem acceperat, audebat bello impetere. Multum verò milites eius vſu ſagittandi valuere. Quumq; Sueno nihil moratus ad prælium occurreret, fit naualis pugna: in qua quum vehementius Suenoniani Noruagiorum arcubus vrgerentur, iubentur totis viribus ad ſagittariorum vires commoliendas cõcurrere. Nam actis in propinquum nauigiis, facilè arcuum impetus langueſcebat. Quę res Noruagiis abſtulit, Daniſq; victoriam parturiuit. Olauus quum videret ſuorum vires cedere Danis: ne damno dedecus adderet, ſeipſum peſſimo conſilio mari præcipitem dedit, hoſtem videre non ſuſtinens victorem. Qua victoria Suenoni regnum acceſſit Noruagiæ, iam antè duobus regnis imperanti. Nam & Angliam prius adiecit imperio ſuo, cum religione mutata fortunam ſentiens in dexteriora omnia cõuerſam. Nam qui perfidus Chriſto ſua tueri non poterat, iam in Chriſtum verſus, vicina omnia regna premebat imperio.

Olauus ſe in mare dat præcipitem.

CAP. 6.

SVENONIS interea temporibus Noruagia parebat illi. Sed quum iam morte ille ſubduceretur, Angli & Noruagij retraxere obedientiam Danis. Nam Kanutus ex Syritha filius, ægre Daniam adoleſcens tutabatur. Noruagiæ autem rex creatur Olauus, vir optimus & Chriſtianiſſimus, qui ſanctitatis ſuæ merito poſtea relatus eſt in ſanctos. Kanutus ætate prima diſſimulabat iniuriam: donec auctis viribus patriam ditionem recuperaret, vires in Sembis & Wandalis acuens (tanquam promptioribus ad victoriam populis) Olauum Noruagiæ regem fictè ſibi conciliaus: vt iunctis viribus Angliam aggrederetur. Comparatis igitur copiis, duorum viribus Angliam ingreditur, & oppugnat. Stantibuſque ad pugnam aciebus, quum fortiter vtrinque pugnaretur, fortè ſigna Danici exercitus conuulſa perierunt. Non eſt paſſus tantæ rei diſpendium (in quo magnum victoriæ momentum videretur) quidam ex gregariis militibus: qui correpta virenti pertica, eaq; in ſublime erecta, ſocios ad ſigna vocat, reſtituitque penè aciem Danorum reuertentem. Quo facto æternum ſibi nomen peperit vir antè priuatus, & penè ignotus: reſtitutoque ad pugnam agmine, intolerabiles Anglis Dani imminebant. Cernens Angliæ rex ſuorum vires retro cedere, pacto magis quàm armis ratus agendum, ſignum dari iubet reuocandis à pugna militibus. Conuenitque inter reges, vt Eduardus, quoad viueret, dimidia regni parte frueretur: poſt mortem tota, & iam viuenti reliqua dimidia Kanuto regi pareret. Olauus, qui aderat, nullam in fœderibus ſui fieri mentionem, tacitus diſſimulabat. Adiunxit Kanutus aliam priori iniuriam, vt concubinam Olaui ſtupraret. Qua gemina turbatus contumelia Olauus, in iram excandeſcens, abiit cum ſua claſſe in Noruagiam, tempora demoratus iuſtæ vltionis. Kanutus autem Normanniæ ducis Richardi filiam Immam duxit coniugem, eiuſque fratri Richardo Eſtritham ſororem coniugem dedit. Immam autem fuiſſe reiectam conie cto Eduardi Angliæ regis. Quam idcirco duxiſſe creditur Kanutus, quò magis gentem accepta regina ſibi conciliaret. Sed Richardus ſuſpectam ferens Danici regis fidem, dimiſſa regis ſorore, quam ille poſtea Vlfoni Anglorum duci dedit: ex ea natus eſt ei inter alios filius Sueno, Danorum rex poſtea Chriſtianiſſimus: ſua ſponte exulans, in Hieruſalem profectus, ibi mortem obiit. Cuius ſocij quadraginta in Apulia remanſiſſe memorantur, defendentes cum principe, quam repererunt Wilhelmo prouinciam. Sed ad hæc poſtea reuertemur proſequenda. Olauus autem Noruagiæ rex, cum Haraldo fratre, non immemor iniuriæ, Daniam crebris bellis laceſſebat. Kanutus verò totis Daniæ viribus illis occurrens, magno eos prælio vicit: fugatiſque, regnum paternæ ditionis recuperauit. Fugatus Olauus ad Orientem conceſſit: donec Olauo Sueciæ qui frater erat Kanuti) abſumpto, vires etiam ſuas auxit Suecorum acceſſione. Et ita rediit in Noruagiam, vir omni memoria digniſſimus, & vitæ ſanctimonia, & regni gubernatione. Interea Vlfo, quem diximus miſſam à Richardo Kanuti germanam vxorem traduxiſſe, æmulatione virtutis infenſus Kanuto, ſe iunxit Olauo Noruagiæ regi. Sociatiſque agminibus, Noruagij, Sueci & Vlfonis milites, Daniam inua-

Prælium Signum militis ſeruato reſtituitur.

Suecia libro 3. cap. 11.

dunt: Olauus mari, Emundus Sueciæ rex terra incumbebat: Vlfo duorum medius incumbebat locis opportunis. Ibi Olauus celeri, & ad curſum habili inuectus nauigio in Sialandiam, concionem aduocat, populum, ne ſanguis multus effunderetur, ad deditionem hortatus. Dum concionatur, conſpecta vela de mari grandium nauium, regem terruere. Rogatus cuius eſſent qui nauigarent, à ſene, non ignorante regem eſſe Kanutum, audiuit eſſe mercatores. Iterum iterumq; rogat: quum magis ac magis propinquarent, bellicam eſſe claſſem intellexit. Tum conuerſus in ſenem, indignatur ſibi illuſum. Cui ſenex, Mercatores eſſe dixi, ſed à quibus per arma mercandum ſit regnum. Olauus fuga in naues ſibi conſuluit. Rex Kanutus exponens, & inde copias explicans, duxit in Emundum, qui Scaniæ imminebat: retroq; pepulit ſuperatum. Pars agminis mouit in Vlfonem. Ille præſentiens, copias ire iuſſit trans flumen, vt tranſeuntibus immineret. Dani facto ponte, dum auidius quam cautius vrgent hoſtem, fracto ponte multos amiſere. Circumſpiciens tum Vlfo fugam, quum claſſem regiam imminere videret: noctu relictis nauibus maioribus, ſolis ſcaphis traiectum exercitum ſeruauit. Mane vacuis ratibus imminentes Dani, deluſos ſe eſſe conſpexere. Kanutus autem ſubornatis in Noruagia rebus, mortem procurauit optimi regis Olaui. Quam rem in Metropoli explicauimus.

CAP. 7. *Exiliũ voluntarium.*

HARALDVS Olaui frater, Noruagiæ regis, ſimilem veritus exitum, exilium deligit voluntarium. Nam Conſtantinopolim petens, diu militauit Orientis Imperatori, ceſſitque Kanuto. Ita Noruagia, facta inter filios Kanuti diſtributione, Sueno nomi filio prouenit. Haraldum item filium Angliæ, Knutonem Daniæ, Henricum autem Conradi Imperatoris filium (& ipſum Imperatorem poſt patrem) data in vxorem Gunnilda filia, ſibi generum aſciuit: & cum Imperatore Conrado ipſe rex Kanutus regio inſtructu petiuit Italiam. Verùm ne longius digrediamur, tempora diſiungentes, in Normanniam Galliarum prouinciam nobis redeundum, ſucceſſionem illius principatus executuri: vt nos ex commodo, quum hæc tempora attigerimus, in Noruagiam iterum declinemus.

CAP. 8. *Francus Richardum è Normannia in aulã abducit.*

RICHARDVS cæſo patre Wilhelmo, puer paruulus agebat ſub tutoribus. Ludouicus autem Franciæ rex, immemor paterni ab illo beneficij (quòd per Wilhelmum conciliaretur Henrico Romanorũ Cæſari, & perinde ſtabiliretur in regno) crebraq; eiuſdem Wilhelmi in regem obſequia penitus abolẽs, inſidiatus eſt Normanniæ, iam principe carenti. Vrebat illum Normannorum gloria, dolebat amiſſam regni iam bonam partem: cupiebat gentem vel in ſeruitutem redigere, vel ad antiquas ſedes iterũ expellere. Rotomagum cõtendit. Erat autem (vt diximus) poſt
943. DCCCC. Chriſti annũ, XLIII. A proceribus regali excipitur apparatu: hæredem Richardum iubet in conſpectum ſuum peruenire. Vbi venit, laudat indolem, dignum fore qui erudiatur in aula: ſe illi futurum tutorem. Illico in regiam tranſit familiam. Fama volat vrbe tota, Richardum puerum à rege captum & abducẽdum, vt principe vacent. Fit cõcurſus, plebs etiam infima tumultuatur: regi minantur extrema, ni puerum reddat. Ille placando populo verbum demandat, nihil ſe nociturum puero, paternam illi ditionem ſaluam fore. Solenniter illum in conſpectu populi inueſtit de feudo, ſacramenta accipit à tutoribus: & placidũ in morem omnia exhibens, permittitur in aula educandum ſecum puerum abducere. Aliquandiu manſit cum rege puer, educabaturque ſub præceptoribus, vt ritui inſueſceret Gallicano, morem patrium exuens. Rex autem per tempora ſemper tetriore vultu puerum aſpexit, & erupit aliquando motus cordis per verba minantia. Animaduertit rem ex pædagogis quiſpiam, proſpiciens quem eſſet res exitum habitura, miſeratus puerum. Aliquando in ſecretiora ſolum perducens, ſuaſit ſimulare morbum corporis deſperatum: quò abducẽdi illum acciperet occaſionem. Facit puer quod monetur: proiicit ſe in lectum, capitis & totius corporis malam queſtus valetudinem: nullum interdiu cibum accipit, fidem facit cuſtodibus veri morbi. Illi perinde cuſtodiæ diligentiam intermittunt, ſecuri quòd per ægritudinem neque abire neque abduci poſſit. Pædagogus autem tempora obſeruans, paleam ac ſtramenta multa conſpicit in area. Quumque rex cibum caperet, ille congeſtis paleis puerum inuoluit, faſcemque deportat, quaſi equo pabulum deferret. Stratum equum

Richardus ſimulato morbo ex aula ſe ſubducit.

equum inſcendit, paleam ante ſe ferens: nec antè quieuit, donec tutum in locum perueniret. Ibi puerum ſub fida cuſtodia, per noctem Syluanectum contendit: comitem loci, dominum gentis Normannorum fecit certiorem. Ambo ad Hugonem magnum ducem contendunt, rem detegunt, orantq́; vt pueró conſulat. Ille odio in regem concepto copias parat, puerumque ducit Rotomagum.

Cap. 9.

Regis & Flandri aduerſus Richardū Normannorum dolus.

Id quum regi compertum eſſet, euocat ille Arnulphum Flandriæ comitem, quem ſciebat Normannico nomini infeſtiſſimum: quòd Wilhelmum pueri patrem perdidiſſet, multùm ab ea gente formidabat. Qua de re primùm regi ſatiſfacere volens, præuenit querimonia, falsò ſibi necem intentari Wilhelmi, cuius eſſet ipſe innoxius: ſi rex iubeat, exterminaturum ſe occiſores. Tum rex, Ego, inquit, alia tibi venio imponere, tua perinde conſilia requirens. Hugo dux conſpirans (vt apparet) cum Normannis, puerum ædibus meis abductum reuexit in prouinciam. Ea in re quid facio? Comes quum ſibi timeret ab rege, factus fidentior, Hugonem, inquit, iamdudum inſidias regno molientem nemo ignorat. Iam tum fidebat Wilhelmo. Quo nunc (vt cernis) de medio facto, puerum incipit conſectari, vt gentis illius arma tibi obiiciat. Sed occupandus eſt tibi, priuſquam conualeſcat. Cedit opibus, cedit honoribus, vir ambitioſus & auarus. Permitte illi ducatum Normanniæ, tibi ſeruans vrbem Rotomagenſem. Placuit conſilium regi: Hugonem ducem cum cæteris vocat in concilium: venit. Ibi rex de regni inſtitutione exorſus, alium ſe rebus ordinem daturum oſtendit: ſi velit Hugo totius Normanniæ principatum, Rotomago excepto, ſuſcipere. Ille alacris dono, promittit obſequium. Tum de puero ſcrutatus rex, audiuit illum Syluanecti eſſe, ſub tutela comitis eius loci. Placuit, idque conſilio decernitur, vt rex, & Hugo, diuiſis exercitibus, ferro & igni Normanniam inuadant. Id quum fieret, Normanni rerum omnium ignari, quid ageretur mirati, ſubitum accipiunt conſilium. Quando armis erant imparati, dolis occurrere ſtatuunt. Mittunt legationem regi his verbis, Cur, inquiunt, rex potentiſſime, prouinciam tuam vaſtas, quando tui ſunt Normanni, parati in omne obſequium? Veni, ſi videtur, Rotomagum, & ſuſcipe gentem tibi deditiſſimam. Viſi ſunt optata nunciare. Parat ſe rex profectioni, ſtipatus ſatis magna ſuorum manu. Rotomagum ingreditur, regio apparatu excipitur. Ibi Bernardus quidam ex primoribus, Gratulamur, inquit, rex tibi nobiſq́;. Nam hodie cum vtriſque bene actum conſpicitur, quòd tu auctus potentia, nos etiam honore prouecti videamur: qui hactenus duci, nunc regi obſequimur. Malè vtriſque conſuluit, qui gentis interitum armis intentauit. Hugo, nunquam tibi fidus, hoc quærit, vt te paulatim viribus exuat, nudatum inuadat. Rex ſecum cogitans, Hugonis potentiam verebatur. Miſit illico qui Hugoni diceret, quamprimum regione deduceretur, quæ iam regi pareret. Ille vbi audiuit, indignatus, quòd rex neque promiſſa ſeruaret, neque proſperatum illi curſum admitteret: attamen paruit mandato, exercitum deducens.

Prācus Hugonem circumuētum Normanniā eijcit.

Cap. 10.

Normanni conſecuti videbantur quod quæſierunt. Nam neque Hugonem patiebantur infeſtum, neque regem, tempus nacti, quo ſibi rebuſque ſuis conſulerent in futurum. Puer verò, dux iunior, apud Syluanectenſem comitem tutus agebat. Interim rex prouinciæ iam ſuæ præſidem creat Rodulphum quendam, cognomento Tortan, qui nomine regio mādata imponeret, tributa exigeret. Hic accepta poteſtate, ſæuior erat idololatris in eccleſias. Nam dirutis quę Wilhelmus inſtaurauerat monaſteriis, de ſaxis reparauit muros. Bernardus aūt Danus, cernens regis ac procerum arma eſſe maiora conſpirantium, quàm vt ſuis viribus reprimeret, accitis gentis ſuæ primoribus, cōſilium init mittendæ ad Haraldum Daniæ regem legationis, vt cōſcripto exercitu veniret ad prædanda littora Normanniæ ſpecie quidem vindicandæ Wilhelmianæ necis gratia, re autem vera vt pelliceret regem in colloquium, ad conſtituendas pacis leges. Haraldus tum filio conflictauerat: collectis tamen copiis vndecunque venit. Id quod facile illi fuit Danos ad prædam vocare, qui ſua ſponte iam per aliquot ſecula prædis viuebāt & ſanguine. Rex Ludouicus contractis & ipſe viribus Franciæ, occurrit hoſti. Sed priuſquam armis congrediuntur, miſſis inuicem nunciis veniunt in colloquium. Ibi Ludouicus

Danus in Normanniā accerſitur.

ſciſcitatur, quidnam cauſæ ſit Haraldo populari Franciæ littora, iampridem Conſtantinenſem in his ditionem tenẽti. Ille iniquæ necis Wilhelmi vindictam ſe perſequi contendit, ſumpturumq́; , donec ex æquo res cõſtituatur. Viderat quidam ex Danis aſtantem inter Francos Herluimum: cuius gratia tuẽdi Wilhelmus ad mortem peruenit. Incitus animo lanceam miſit, perfoditq́; hominem: quod initium erat prçlij. Nam dum Franci vindictam poſcunt, Daníque factum defendunt, conſeritur prælium: multi vtrinque cadunt, ſed ex Francis longè plures. Inter alios ipſe rex à Danis fugiẽs capitur, quum ſe cuidam magnis promiſſis onerato, abſcondendum permiſiſſet. At re comperta, compellitur miles dare regem in medium. Itaq; captiuus Rotomagum perducitur. Vxorem habuit Gerbergam, Romanorum regis Ottonis, iam tum Imperatoris, germanam. Ea viri ſorte nunciata conſternitur: ad fratrem concitò aduolat, opem eius implorans ad maritum regem liberandum. Otto ſeuerè reſpondit, Poterat modeſtius Ludouicus egiſſe cum puero, cuius illi pater regnum reſtituit: luit ingratitudinis ſuæ damna. Itaque ipſe regni mei implicitus negotiis, tuis germana ſupereſſe non poſſum. Illa fruſtrata triſtis redit in Franciam, Hugonem Magnum interpellat. Ille operas pollicitus, Syluanectenſem comitem, pueri cuſtodem, alloquitur, per eum nactus cœtum procerum Normanniæ cæterorum. Conuenientes igitur in eam conſentiunt formam, Vt reddito in libertatem rege, filium eius accipiant cum aliis obſidem: interim res ad pacem componantur. Ita facta permutatione rex liber dimittitur. Ducem interea ſuũ Richardum Normanni armis inſtruunt, & rebus præficiunt agendis iam maiuſculum. Ex partium placito de pace tractatur. Conſtitit rex cum Hugone ad Eptæ fluminis alteram ripam: Richardus cum ſuis manebat ex alia. Et intercedentibus arbitris res componuntur, vt redditis obſidibus, Richardus ſuæ prouinciæ dux præeſſet. Filius tamen regis apud Rotomagum in fata conceſſit.

Herluimi mors. Frācus bello captus, ijs conditionibus dimittitur, vt Richardus reſtituatur.

CAP. 11. VBI adoleuit Richardus, rebus eius vbiq; creſcentibus, Hugo ille Magnus Emmam filiã dedit vxorem. Quam rem Ludouicus rex ſuſpectam ducens, duorũ potentiſſimorũ per Franciam ducum arma coniuncta ſuſpectans, ad Germanorũ regem Ottonem primũ, legatos mittit, in quibus Arnulphus Flandrię comes Lotharingiam illi pollicetur, ſi arma ſumat in Hugonem atq; Richardũ. Otto præſtitam occaſionem cupidè arripiens, exercitũ conſcribit, ducitq́; in Hugonem, terrã eius peruaſtans. Inde conuerſus in Normanniã, ſimili illi affuit calamitate: præmittens cum copiis quendã ex ſuis ducẽ, qui Rotomagum terreat, ipſe cum mole exercitus ſequitur. Qui præcurrit dux, cernens apud vrbem quieta omnia (Normanni quippe taciti quieſcebant, donec ille factus confidentior propinquaret) occurrente ad pugnam nemine portas oppugnat. Tum facto agmine vrbici procurrunt, & facilè hoſtes primùm fugant, inde conterunt. Secutus Otto cum Ludouico Magno exercitibus, vbi vrbem vidit inexpugnabilem, iratus eſt Arnulpho Flandrenſium comiti, qui illum ad eius expugnationem inuitabat. Ille vbi ſenſit iratum ſibi Romanorum regem Ottonem, noctis conticinio ſe ſubducit, paucis abitum eius perſentientibus. Mane primo, quum de Arnulpho fieret quæſtio, vt primus in hoſtem iret: audiunt effugiſſe. Mox ſoluta obſidione retro cedũt, nullis rebus peractis. Normanni cedentes ſecuti, infeſtant: multos perimunt, quoſdam capiunt. Hic fuit exitus expeditionis Normannicæ: cui non diu ſuperuixit Ludouicus rex Francię. Hugo quoque iam ſenio fractus, eam ſenectæ ſuæ bonam nactus cõſolationem, quòd generum haberet Richardum, omnium rerum abundantem affluentia: filium ſuum ſibi æquiuocum Hugonem, in eius ſocietate pariter & affinitate iubebat acquieſcere: vt pariter adoleſcentes, pari virtute creſcerent, armis & animis conſociatis vnum ſentirent. Qua ſpe recreatus, iam plenus dierum in Domino quieuit, rerum ſuarum relinquens hæredes, ambos penè pari ætate ſuccreſcentes.

Otto à Franco accerſitus, Normāniā fruſtra tentat.

CAP. 12. THEOBALDVS erat Carnotenſis comes: qui (vt nonnulli ſunt autores) perſuaſit Haddingo Dano pecuniam accipere: ſibique comitatum permittere. Hic ergo Normannico nomini infeſtiſſimus, cœpit ferro & igne (incertũ quibus ex cauſis) Normanniam infeſtare. Sed armis repreſſus à Richardo, facilè intellexit imparem ſe futurum tanto, vbi ſe commoueret, duci. Igitur ad dolum conuerſus, Gerbergæ

Carnotenſis calumnia, & aduerſus Richardum inſidiæ.

bergæ (quondam reginæ, Ludouici relictæ) multa ſuggeſſit de Richardo, quòd filio eius Lothario ac regno eius inſidiaretur: operæprecium videri hominē de medio tollere, alioqui Lotharium pacificè nunquam regnaturum. Credidit mulier: & ad fratrem Brunonem archipræſulem Colonienſem, paritérq; Lotharingiæ ducem, (habebat enim fratrem Ottonem Rom. Imp.) multam querimoniam miſſo nuncio perferebat ſuper Richardo, formidata vano rumore pro factis exponens, rogauitq; vt Ambianum ad colloquium aduocatum, ſecum abduceret. Paruit ille precanti ſorori, & Richardum euocauit: nec dubitauit occurrere. Eunti autem obuij fuere duo milites inſidiarum conſcij, quorum alter Richardum interpellans, Quò, inquit, abis dux illuſtriſſime? Ille ſe occurrere Brunoni archiepiſcopo reſpondit. Tum miles, Adhuc, inquit, in manu tua eſt, dux ſis Normanniæ, aut opilio ſub grauibus dominis. Cui dux, Vnde, inquit, eſtis? Referunt illi, Hoc ad te non pertinet: tibi venimus militare. Ille ſuſceptos in ſodalitium remunerauit, conuerſoq; itinere repedauit, illuſo Brunone. Nec tamen quieuere aduerſarij. Nam regem Franciæ Lotharium inſimulant, vt euocatum ducem illis exponat ad prædam. Mittit rex ad ducem, qui diceret, non eſſe regni commodo, diſſenſionem vigere in corpore: operæprecium videri conciliare amicitiam, recognoſci regem à duce dominum, illum etiam ab rege ſuis honoribus munerandum. Ea eſſe quæ foueāt amicitiam, quæ hoſtes terreant, exhilarent amicos. Proinde occurrat loco conſtituto, vt mutuo fruātur ſuper omnibus colloquio. Credidit dux, & expedita ſuorum manu non contemnenda, regi occurrit ad ripam Heluæ fluuij. Tendebat rex in altera ripa, comitatior quàm putabatur. Excogitato negocio, dux præmiſit in caſtra regis, qui ſcrutarentur quid rerum pararetur. Illi hoſtilia omnia comperere, adeſſe Balduinum Flandriæ, Theobaldum Carnoti, & Aufridum Andegauenſem, comites, Richardo infenſiſſimos. Protinus quæ viderant, duci ſuo renunciant. Ille concitus tranſito per vada flumine, parabat abire. Sequuntur inimici: & vbi hoſtilia tentauere, conuerſus in eos, pugna repulit, ſaluuſq; Rotomagum redijt. Iam patuere animi cunctorum in ducem. Rex ergo non dolis, ſed armis agendum ratus, ex omni Francia atque Burgundia validum contrahit exercitum: & imparatam ciuitatem Ebroicam, nihil tale metuentem, obſidet, ac breui capit: regreſſuſq; cum exercitu, Theobaldum vicinæ regioni præficit.

Inſidias Richardus fortunatè deuitat.

Ebroica Richardo adēpta.

CAP. 13.

INTERIM Richardus armata ſuorum quanta potuit fortiſſima manu, Carnotenſem comitatum (vnde omnia illi orta ſunt mala) ferro & igne populatur, vicem reddens Theobaldo. Ille interea maioribus copijs adunatis, caſtra fixit apud villam Hermentrudis. Hoc ſciens Richardus, nocturno itinere pertendit ad hoſtes, imminens imparatis. Multos occidit, reliquos in fugam reijcit: Theobaldus per latibula vix redijt cum paucis Carnotum. Vbi illum ſimilis fortuna excepit. Nam filius exceſſit, & vrbs breui conflagrauit, debito perfidiæ præmio. Quum autem totius ſe Gallicæ gentis odio laborare Richardus comperiſſet, ſecum expēdit quid faceret: arbitratus quòd res ſua non diu conſiſtere poſſet, quem omnes vicini pertinacibus & conſpiratis odijs inſectarentur. Igitur legatione miſſa ad Daniæ regem, (quem tunc arbitror fuiſſe vel Haraldum, vel Suenonem filium) docuit quo in periculo ageret, diuitem Franciam prædis expoſitam oſtendit, vt implicatos externis bellis, à ſe diuerteret conſpirantes. Nec diu opus erat precibus inſiſtere: facilè prouocantur ad prędam rapinis aſſueti. Necdum etiam Dania tota Chriſto crediderat, quamuis ab aliquot ſeculis ſancti prædicatores ibi deſudantes, multos ad Chriſtum conuerterant. Sed in barbara natione maior diu permanſit numerus perfidorum. Aduecti igitur Dani magna claſſe, Sequanam inuehuntur: ad Giluodi foſſam (quæ dicitur) perueniunt. Ibi communita claſſe, deputatiſq; cuſtodibus, reliqua multitudo ad prædandum egreditur. Vaſtatur in primis Carnotenſis comitatus: inde regiæ quoque ditionis prouincia aditur. Mactantur obuij, præda abigitur: & quicquid vel in cibum vel ad augendam ſupellectilem prædatoribus non placebat, leui autoratum precio, Normannis venale exponitur.

Richardus Danorum auxilia accerſit.

CAP. 14.

EA tempeſtate Lauduni pontificum erat conuentus ſynodalis. Inter alia ſermo ſubortus de vaſtitate, quam recens infidelium Danorum turma peregiſſet: res

K

omnis in Richardum refunditur. Mirantur Chriſtianum ducem, patre natum religioſo, tantis feciſſe malis exordium. Deniq; confiſi de viri illuſtris cõſtanti virtute, Carnotẽſem mittunt pontificem, qui cõmoneat ducem malorũ quæ patrata ſunt, doceatq́; periculũ ſuum, quòd Deo, omnium iudici, redditurus ſit rationẽ de malis quæ acciderant: ſimul oret, quoniam infidelem Chriſto populũ ille vocauit, idem ipſe etiam abire præcipiat. Pontifex ſuſceptam prouinciam diligenter executus eſt: auditq́; à duce, inuitũ ſe ad eam rem cõpulſum, quòd ſine cauſa omnium odio premeretur. Ablatam ſibi ciuitatem Ebroicam, vaſtatam prouinciam: omnia ex rege nata, atq; incentore Theobaldo pendere. Se pacis æquis conditionibus facilè pacari. Pontifex audito ducis reſponſo, rem refert in concilium. Viſum eſt regem interpellandum. Ad quem reddita ratione, cõuentus de pace indicitur: ſimul etiam obliquo viſu in Theobaldũ malorum autorem reſpicitur. Id vbi ille cõperit, in ſe rem omnem recidere, prçuenire curauit: nam amicis intermiſſis, ad Richardi colloquium pertingit. Purgat ſuſpicionem, ad pacem offert quam tenebat ciuitatem Ebroicam, deq́; cæteris rebus ad nutum ducis ſatisfacit. Compoſitis ita rebus, ad cõuentum regni decretum, pacandis qui aduenerant Danis, vtriq; feſtinant. Ibi regio apparatu dux regem excipit Lotharium, cõuiuio opiparè præparato. Inde vbi ad cauſam peruenere agendam, quum multa vtrinq; verba effuſa forent, de pacis conditionibus inter regem & ducem conuenit. Dani qui aduenerant, pro magna parte Chriſti fidẽ accipiunt, inter Normannos ſe collocant: reliqui ad prædam in Hiſpanijs faciendam enauigarunt. Qua tempeſtate Emma Richardi vxore defuncta, ſecundam ex nobili Danorũ genere Gunnoram ducit. Ex qua multiplicem prolem accepit, Robertũ & Richardum filios, cũ Malgerio ac duobus alijs. Filias verò Emmam Eldrado Anglorũ regi nuptam, (ex qua ille Eduardũ filium ſuſtulit) ſecundã Hadewigẽ, Britannorum comiti Gotfrido deſpõſauit: vnde Alanus atq; Eudo duces prouenere. Tertia Matildis Odoni comiti denupſit: cuius poſtea erit memoria.

Richardus pacem ſuadentib. pontificibus paret.

Pax conſtituitur.

CAP. 15.

TVM ad religionem verſus dux templa inſtaurauit, monaſteria conſtruxit, Romagi quidem in honorem diui Petri, & in monte ſub patrocinio S. Michaelis archangeli. Quo tẽpore Hugo Rotomagenſis archiepiſcopus defecit, Robertuſq́; Richardi filius ſufficitur. Sed quum Lotharius rex prole deficeret, ſuccedit in regnum Hugo, filius magni Hugonis Pariſiorum comitis, Richardi affinis. Nam ſororem illius Richardus primam (vt diximus) coniugem habebat. Cui regi quum multa hinc atq; inde bella conſurgerent, primùm in Arnulphum Flandriæ comitem rex concitatur, eiq́; auſert Atrebatum. Sed Arnulphus rebus ſuis diffiſus, ad Richardum ducem conuolauit, eiq́; ſe ſubmiſit, vt illo interuentore regi conciliaretur. Nec ſolam inde pacem, verùm etiam ablatarum rerum reſtitutionem illo interueniente promeruit. Richardo longæuam Deus vitam permiſit. Nam eo ſuperſtite moritur rex Hugo, eiq́; Robertus filius in regno ſurrogatur. Richardus autem nihil omiſit eorum quæ ad ſummam pietatem pertinebant. In Deum religioſus, in homines erat pius & iuſtus, æquus in omnes: corpore eleganti, promiſſa barba, capillo criſpo, animo ſereno, cunctis venerabilis. Pauperes patrem, religioſi patronũ, omnes principem in eo venerabantur. Sed omnium mortalium rerum breuis eſt exitus. Quum ad ſenectutem bonã perueniſſet, corpore ſe ſenſit deſtitui: & finem rerum adeſſe exiſtimans, fratrem quem habebat vterinum, illi ſemper vnanimem, his verbis ſolum aggreditur, Vides amãtiſſime frater, rebus peractis veſperum mihi vitæ ingruere: quid tibi videtur? quem rebus præficimus poſt fata? Volebat illius animum pertentare, ſi ad gubernacula ipſe niteretur. Sed vir modeſtiſſimus lacrymas dedit, inde ſubijciens, Longiorem tibi vitam omnes imprecamur, idq́; Deum velle etiam atq; etiam poſcimus. Sed ſi quid tibi acciderit, habent tui filium ex te primogenitum Richardum, cui omnes bene volumus, atq; ſperamus. Iuſſit deinde ad ſe proceres introire, quibus tremula vix voce ait, Cernitis commilitones, qua ætate quóve ſim confectus morbo: ventum eſt ad capulum. Habetis pro me filium æquiuocum Richardum, cui quæſo fidem, quam mihi debetis impleſtiſq́;, poſt me conſtanter impleatis. Si quid vnquã vobis placitũ peregi, id memori mente tenentes, filio perſoluite. Si verò (vt fert multa mortalis infirmitas) perperam in quen-

Richardi virtutes.

Richardus extrema ſenecta filium proceribus cõmendat.

quenquam commiſi, id quæſo per communis conditoris amorem, roganti remittite. Cecidere cunctis qui audiere lacrymæ, nec erat qui facilè verbum roganti reſponderet: ita fletus omnium fauces occupabat. Ille moriens animam Chriſto reddidit, apud Fiſcanum, religioſo patri nihilo minor filius, contumulatus: poſt nongentos XCVI. quum in Rom. Imperio Otto tertius, patri auoq́; conſederet. 996.

RICHARDVS eius nominis ſecundus, patri filius in ducatu ſucceſſit, nulla in re degenerans à bono parente, adoleſcens docilis, iuuenis ſtrenuus, vir acerrimus, pace belloq́; ſpectandus, cui ob ſummam laudem floreſcẽti, nihil quiſquam potuit obijcere, nec erat quod in eo deſideraretur. Ruſticum vulgus per agros pace longæua cœpit (vt ſolet) intumeſcere, ſuoq́; iuri fluminum & nemorum ſaltus arrogare, nihil inde militari generi depẽdere conſtituens. Crebra egere cõciliabula, multos habuere conuentus. Et vbi coniuratio conſtitit è vicino, placuit in mediterraneos & longinquos ſimilis fortunæ homines rem propagare. Senſit dux optimus conſpirationem: & Rodulphum quẽdam ex ſuis comitem, cum expedita ſuorum manu, iuſſit inualeſcentem coniurationem, priuſquam robur acciperet, diſturbare. Ille comprenſos qui excurrebant nuncios, ad cæteros commouendos, manibus pedibuſq́; truncatis ita remiſit ad conſocios, vt eorum exemplo deterriti, ponerent ſuperbientes animos, redirent ad colendos agros, & iuſtos dominos, iuſtis perſolutis penſionibus, agnoſcerent. Vbicunq; cognouerat eſſe conuentus, adfuit: colloquia diſturbauit, & prauam conſpirationem paucorum pœna cohibuit. Erat Richardo frater cõſanguineus Wilhelmus, comes Occetenſis. Hic erectus in ducem, cœpit proteruiente animo rebellionem oſtendere. Monitus à fratre crebris nuncijs, monita contempſit, & in pertinacia permanſit. Mittitur Rodulphus ducalis præfectus, qui collata manu Wilhelmum capit, Rotomagum perducit, detrudit in carcerem, quinquennio toto macerandum. Interea Wilhelmi milites in contumacia perdurauere. Quum autem iam procurrentibus annis ſegnior vincti foret cuſtodia, obſeruauere nonnulli ex capti comitis fidelibus occaſionem gerendę rei: & immiſſo fune, audaciam dedere capto ſeſe ſublimi è feneſtra demittẽdi. Proſperatur cœptum. Demiſſus, vepribus per diem latuit, nam vndiq; canibus venabantur amiſſum. Noctu iter continuauit: nec tamen longius abire potuit, (fratris vbiq; obſeruantiam in populo veritus) quòd nuſquam vlli ſe prodere auderet. Quũ multos dies in hoc errore contereret, vidit fratrem in venatione propinqua diſcurrere: animoq́; motus illum adit, genibus prouoluitur, errati veniam depoſcens, ſatis ſe pœnarum expendiſſe teſtatus: vbi fratri tamen placeat, ad pœnas rediturum, dummodo gratiam & veniam mereatur. Motus Richardus quoque, genibus prouolutum attollit, ſuſcepitq́; in amplexus, omnimodam illi veniam concedens, & exinde morigerum ad omnia fratrem expertus eſt.

Richardus ruſticorum coniurationem breui reprimit.

Richardus fratri Wilhelmo ob rebellionẽ co- proignoſcit.

CAP. 17.

IS Wilhelmus filios reliquit ex nobiliſſima, quam ei frater deſponderat, coniuge, Robertum in comitatu ſucceſſorem, Wilhelmum Sueſſionenſem comitem, & Hugonem epiſcopum Luxouienſem. Inceſſerat tum nonnihil diſſidij inter Richardum ducem, & Etolredum Angliæ regem, ſororium ſuum: quod ad aperta bella mox peruenit. Rex armata claſſe milites impoſuit, quot ſufficere oppugnandæ vaſtandæq́; Normanniæ putaret, mandato illis impoſito ne cui parcerent. Solam S. Michaelis baſilicam in monte excipiens, reliqua omnia permiſit in prędam. Si qua ſors illi ducem in prælio obijceret, ſoli impendiò inſtarent, vt in regis manus perueniat. His mandatis Angli profecti, Normanniæ littora petierunt: exponunt milites, graſſabundi incedunt, omnia peruaſtantes. Comes Conſtantinenſis omnium ſuorum militum manum cum ruſticis perarmabat. Palantes ad prædam exceptos obtruncat, lateq́; cædem in omnes committit, vt pauci ſupereſſent, qui nauium cuſtodibus irent nuncij, quippe vbi non iuſta acie pugnatum eſt: ſed diſperſis ad prædam Anglis, cum armatis vndique comes occurrit, ac vicit. Cohors claſſis cuſtodiæ relicta, vbi audiuit ſtragem ſuorum, armamẽta tribus nauibus importabat, caſq́; communiens, procul littore abſiſtit. Et vbi ventus permiſit, triſtes ex multis pauci redierunt. Rex audita ſorte ſuorum, mœrebat, fortunam accuſans. At in reliquum quietior erat in Richardum: cuius vel vna parte prouincia

Angli Normanniam ingreſsi deleuntur.

regius exercitus contuſus erat, & ad internecionem cæſus.

Cap. 18. *Britannus Richardi ſororem vxorem ducit.*

Gaufridus erat Britanniæ dux, qui Richardi rebus vndiq; ſuccreſcentibus, ad eius ineundam affinitatem miro ferebatur affectu. Quamuis enim Britannia ab initio Normannis (vt diximus) ſubderetur, quum tamen duces bellis implicarentur cum rege, Brirones iuga ſubduxerant, & in libertatem patemq; Normannis gloriam ſe repoſuere. Gaufridus quod valde cupiebat, nō diſſimulanter habuit: nam expedita ſuorū manu, ſplendore præcipuo Richardum adibat. Nec negligentius ab illo excipitur, magno itidem honoratus apparatu. Affinitatem quærit: Hadewigam ducis germanam coniugem expetit. Nec diu cunctatus Richardus, annuit. Nuptias de more principum concelebrant, omnibus ad ſummam gloriam ſplendentibus apparatu exquiſito, muneribus inuicem datis, firmatiſq; in perpetuū fœderibus, Gaufridus in ſuam Britanniam lætus cum coniuge regreditur: ex qua duos ſuſtulit filios, Alanum atq; Eudonem, ditionis ſuæ ſucceſſores. Per quæ tempora Adelredus Angliæ rex in ſæuitiam verſus, magnam Danorum iuuentutem, quæ ductis vxoribus ibi conſederant, cædi iuſſit, quum ibi non parua nobilitas & antiquorū ſtirps regum perduraret, quibus Anglia diu ſeruierat. Sed tum rex odio gentis incitus, omnem ſine diſcrimine ætatem & ſexum iubebat extingui. Cerneres matrum de gremijs rapi paruulos terræ illiſos, matres in luctu gladijs perfoſſas, ſenes, viros, iuuenes, vno pariter exitu trucidatos. Eam rem quum Suenoni Danorum regi qui elabebantur nunciarent, vindicem ille claſſem cōparauit, magno exercitu inſtructus, Angliam petiturus. Panſis velis claſſis mare tranſit, Angliam attigit. Et ad littora tutis ſtationibus claſſe relicta, paucis nauibus acceptis Normanniā adit, Richardum compellat, commonefacit communis ſanguinis ac patriæ. Fœdera cum illo ſancit perpetuò duratura inter Daniæ reges Normāniæq; principes. Quibus peractis, redit ad exercitum. Verùm quòd non ſuppetias ad præſens depoſceret, affinitatis iure, quæ Anglo erat Normannoq;, ſuperſedebat. Daniæ rex copias exponit, inſtructo agmine incedit: cui Angliæ rex aciem opponere non audet. Eboracum obſidet, & capit: Cantuarios in deditionem accipit. Vltrà progrediens, ferro & igne non ad pacem obuios vaſtat. Ad Temeſam fluuium perueniens, Londonijs exercitum applicat. Vrbs egregia, defenſioru facilis, ſi regem amaret. Sed vbi & illa victori cedit, rex Adelredus rebus diffiſus, cum vxore & liberis naues ingreditur, Normanniam petit, à ſororio duce perbenignè exceptus. Apud quem omnem deinceps ætatem Rotomagi peregit. Danis de Angliæ regno pro arbitrio conſtituentibus, intra paucos dies Sueno extremum in Anglia diem obijt. Corpus reuectum in Daniam, patrio ſepulcro tumulatur. Kanutus autem filius patre non indignus, vir impiger, patris locū impleuit in Anglia. Olauum Noruagiæ, & alium Olauum Sueciæ reges in auxilium vocat, Angliam defenſurus. Nam Adelredus rex, quum audiſſet Suenonem faro functū, accepta vxore in Angliam redijt, filios autem apud auunculum reliquit: & amicorum ope, quos illi reliquerat, reponitur in regnum. Kanutus autem Daniæ rex, valida ſuorū manu contracta, auctus copijs duorum (vt diximus) regum, Angliam inuadit, ditionem primam repoſcit: negatam gladio vindicare conatur. Occurrunt Angli, pro rege ſuo certaturi: cruenta pugna conſeritur. Diu ſtabat anceps victoria, Anglis pro ſalute, Danis pro gloria certantibus. Sed cæſa tum Anglorum innumera multitudine, victoria ceſſit Kanuto. Adelredus ſe Londonijs continet: ibiq; paſſus eſt ſe obſideri. Impigre Dani oppugnant, Angli ruentur: inter quę Adelredus ſupremum egit diem. Kanutus autem poſt longam obſidionem vrbe potitus, reginam Emmam, Richardi Normanni ſororem, à ſuis magno auro redemptam, duxit coniugem: ex qua ſuſtulit filium Herdeknutum, in Dania ſucceſſorem, & filiam Gunildam, quæ Henrico nupſit Romanorum Imperatori, eius nominis tertio, Conradi filio. Kanutus autem Angliæ regnum Daniæ coniunxit, duobus perinde regnis imperans. Quam rem etſi ſuprà ex Danorum annalibus attigerimus, libuit tamē repetere ex narratione Gallorum, vt in quo diſcrepant vtriuſq; gentis traditiones, liquidò perſpiciatur. Sed ex digreſſione ad Normannos noſtros reuertamur.

Anglus à Dano Anglia eiectus, in Normanniam ſe recepit.

Kanutus Anglis victis, Anglia potitur.

Daniæ libro 4. cap. 24.

Cap. 19. Odo Carnorenſis comes, alteram Richardi duxit ſororem: & dotis nomine arcem

arcem accepit Dorcaſinam pro dimidia. Ea mulier quũ ſine prole decederet, dux verò dotem repoſceret, & ille negaret, cõflatum inde bellum enaſcitur. Richardus Britonum atq; ſuorum manu Normannorum, alio in loco arcem cõfirmauit Tegalenſem, quæ infructuoſam facere videbatur Dorcaſinam. Eamq; ſatis firmo cõmunitam præſidio dimiſit, remiſſis in ſua quemq; commilitonibus. Odo vocatis aliunde armis, cum Waleranno Meldenſi & Hugone Cœnomanenſi comitibus nouam arcem oppugnare properat. Egreſſi Normanni manus conſerunt obſidentibus: grauiq; cæde in illos peracta reliquos ad fugam compellunt: ſecutiq; fugiẽtes aut capiunt aut perimunt. Hugo ipſe per latebras errauit. Et vbi ſine dumis agri erãt transeundi: detractis armis, & in arenam reconditis, crates ouilium (quæ ſparſæ per agros iacebant) trahens, paſtoris imagine fallebat inſequentes. Ita vix manibus hoſtium euitatis, ad ſua nudus peruenit. Sed quum Odo minus quieſceret, auctis vndecunq; armis, conciliatiſq; vicinis principibus, (quos omnes in Richardum concitauit) ille inuitus cogitur ad externa recurrere auxilia: miſſis nuncijs in Noruagiã ad Olauum, & in Sueciam ad Iacobum, arma petijt auxiliaria. Excepti magnificè nuncij, remittuntur ſpe pleni. Nec enim erat ferox populus, qui necdum omnis Chriſti ſacramenta percepit, ad prædam inuitandus. Protinus magna manu armata, inſtructaq; claſſe, adnauigant duorum regum auxilia. Et Britanniam primùm appulſi, (ſiue id vẽtorum impetus coegit, ſiue cum Odone & illa gens tum ſenſerit) littora conſcendunt, populabundi incedunt. Incolæ aduerſus paganicam manum adunantur, excipere parati prælio venientes. Sed aduenæ dolis inſtitere. Nam per noctem effoſſis ſcrobibus, ſupernè texerunt, vt inuecti caperentur: nec deerat ſucceſſus. Quippe irritati à procurrentibus hoſtibus Britones, agmine facto & ipſi irruerunt in hoſtes: ſed priuſquam peruenirent, decipulas incidunt. Ibi ab imminentibus hoſtibus cædũtur capiunturq;: illi præda onuſti redeunt in naues, Sequanam expetentes: quam ingreſſi, ſurſum ducentes perueniunt Rotomagum. A Richardo hoſpitaliter excepti ac munerati ſunt. Interea rex Franciæ Robertus, audiens Britanniæ ab infidelibus vaſtitatem, nec ignorans quòd vocante Richardo adnauigarint: euocatos diſſidentes Richardum atq; Odonem, æquatis rebus reddidit concordes, veritus ne infideles, dulcedine prædæ illecti, latius in regno graſſarentur. Ita Odoni arx prima remanſit, noua verò Richardo, cum aliquanta parte adauctæ ditionis. Richardus ad ductores auxiliorum reuertitur: lætos cum illis per conuiuia (de more gentis) dies agit. Interim Olauus Chriſti religione delectatus, inſtante Rotomagenſi archiepiſcopo Roberto ſacrum baptiſma expetiuit: & tantum in ea profecit, vt in gente ſua diſſeminari præcipiens, ad extremum Chriſti martyr efficeretur, Trondennis in regno ſuo ſepultus.

Odo in bello contra Richardũ inferior.

Dani hoſtes ſcrobibus ja ſtu fallunt.

Cap. 20.

Diſſidia inter coniunctiſſimos.

Richardvs vxorem habuit Gaufridi ducis Britanniç germanam, quum ille viciſſim Richardi teneret. Qua affinitate non obſtãte interuenit ſimultas, quæ chariſſimos ſæpe fratres diſiungit, præcipuè quum de regno contenditur, vt pateretur Richardus vaſtari ab auxilijs ſuis Britãniam. Sed ex hac ſua cõiuge Richardus filios ſuſtulit, Richardum, Robertũ, Wilhelmum, inter quos Wilhelmus in adoleſcẽtia, monachalem apud Fiſcannum accepit veſtem. Filias quoque tres: quarum prima Raynaldo Britonũ comiti Adelia nupſit, ex qua Wilhelmum atq; Guidonem procreauit. Altera Balduino Flandriæ comiti: tertia iam adulta, in virginitate deceſſit. Porrò Gaufridus Brito, deuotionis gratia Romam petens, filios, Alanũ atq; Eudonẽ, ſub tutela Richardi reliquit: ipſe longa circuitione feſſus, defecit in via. Per quæ tempora Meldunenſis comes, Roberti regis curiam ſecutus, oppidum ſuum cum arce, cuiuſdam proditione amiſit, qui Odoni eam ipſam permiſit. Rex famulantis ſibi comitis iniuriã non diſſimulans, iubebat vt Odo redderet aliena fraude occupata, alieni iuris, arcem cũ oppido. Non paret ille, animatus munimentis loci fortiſſimis, quòd Sequana flumine ambiretur. Rex euocato Richardo rem exponit: iniungit munus, vt contumaciam Odonis armis inflectat. Non impiger ille regijs iuſſionibus obſequitur: exercitum contrahit, obſidet oppidum: oppugnans, capit cum arce. Proditorem captum agit in crucem, & in manus regias accepta conſignat.

Cap. 21.

Interea Henricus Burgundionum dux ſine hærede moritur, ducatuſque

Burgundia ad ſceptrũ Francicum redit.

coronæ conſolidatur. Sed Burgundi Landricum Niuernẽſem comitem euocant, vt occupato ducatu regi ſe opponat. Ille ingreſſus Antiſiodorum, gentem conatur tueri, ducatum prę̨mio ſperans accipere. Rex primam in Richardo ac militum eius robore fiduciam conſtituens, illum euocauit: nec cunctanter venit cum expedito exercitu. Obſidet Antiſiodorum: nec ceſſat oppugnare, donec acceptis obſidibus, Landricum futurũ in regis poteſtate, rem perageret. Cæteram quoq; prouinciam vaſtans, captis arcibus, & exuſtis oppidis, regi parere coegit. Rex ducatum Roberto filio permiſit. Erat gener illius Raynaldus Burgundio, trans Saonam comes, qui orta ſimultate cum Hugone Cabilonenſi comite, prælio concurrit hoſti. Capitur, & in carcerem trahitur Raynaldus. Richardus miſſis oratoribus Hugonem orat, vt æquis conditionibus generũ dimittat. Ille contempta legatione, etiam vincula grauat, vehementius iubet aſſeruari, vt ſe facilè contemptũ ab illo dux intelligeret. Sed ille & generi iniuriam, & ſui contemptũ vindicaturus, Richardum filium, iam ætate adultũ, cum expedita validiſſimaq; manu mittit in hoſtem. Nec degener ille patris imperium peragit. Primam Hugonis arcem cum oppido cingit, & oppugnat: at quia munitiſſima, diu ſe incolæ ſunt tutati. Ad extremũ capitur, & ſolo æquatur. Sic exaſperati Normãni in Cabilonem tranſeunt. Quum autem longè ſe imparem Normannicis cerneret viribus Hugo, interpoſitis amicis pacem poſtulat, Raynaldum liberum facit, & ad placitum ſenioris Richardi ſe Rotomagi ſpondet adfuturum, dictoq; auditurum. Hæc primordia adoleſcentis fuere Richardi. Pater autem quum omtu floreret rerum geſtarum gloria, ingentiq; ſuotum amore teneretur, æquus in omnes: nihil prætermiſit quod ad optimi principis, Chriſtiani ducis curã pertineret, pauperum, religioſorum & omnium eccleſiaſticorũ præcipuam gerens ſollicitudinem. Iam autem illi rerum arbiter Deus, ad meliora tranſitum præparabar. Correptus ægritudine corporis, quum inſtare vicinam mortem perſentiret, euocabat proceres: filio iam aſtanti ducatum permiſit, Richardo primogenito: cunctis approbantibus, & cum lacrymis adſtipulantibus, quæ ille decreuerat. Roberto fratri, Oximenſem comitatum permitti iubet: vnde ille ſeniori (de more) militaret atq; pareret. Quibus rebus ex ſententia compoſitis, in Deum conuerſus, ſpiritum

Richardus bello Hugoni illato Raynaldũ carcere liberat.

Richardus moriturus ditionem filijs diuidit.

1026. reddit apud Fiſcannum, anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo viceſimo ſexto.

CAP. 22. RICHARDVS tertius, patri atq; auo æquiuocus, in ditione Normannię ſucceſſit, iuuenis optimus, vir melior futurus, ſi fatis permitteretur. Nam & armis ſtrenuus, & iuſtitia in omnes erat præcipuus: tum verò Chriſti religione ſeruens, patrias virtutes per omnia repræſentabat. Sed non potuit tanta indole ſuperare inuidiam, quæ magnarum rerum ſemper ſolet eſſe comes indiuidua. Erant qui inter fratres peſſimo more ſeminarent diſcordiam. Robertus ætate minor, cœpit in fratrem erigere ceruicem, mandatis eius reluctans, quòd pari genitus nobilitate, vnis parentibus, æquis per omnia iuribus volebat æquari germano: indignum ratus, eius ſubeſſe imperio, cui ſe rerum arbiter Deus & fortuna coæquaſſet. Igitur contumaci animo reluctatur germano, maioremq; in modum progreſſu dierum excreuit contumacia. Non tulit Richardus fratris ſuperbiam, ſciens ſe ducem fratri iuſtè imperare. Quum non ille fratrem parem ſibi imperio admitteret, nec iſte ferre vellet priorem, ſimultas ad arma plus quàm ciuilia proſilijt. Richardus eductis copijs, fratris arcem cingit, obſidione oppugnans ſeueriſſimè. Primo quidem tempore fretus loci munitione, contempſit obſidionem. At quum Richardus nihil intermitteret, acriuſq; in diem oppugnaret obſeſſum, vltimã neceſſitatem præuenire Robertus contendens, recordatus eſt fratrem eſſe qui obſidet. Miſſis inde nuncijs, impetrata ſe ſpondet facturum. Nec difficilè paſſus placari fratri Richardus, abducto exercitu, reliquum ætatis (quod in ſe fuit) egit pacificè cum germano. Vix tamen peracto biennio incidit Richardus in aduerſam valetudinem, cum nonnullis ſuorum aſtantium. Quæ res ſuſpicionem ſumpti veneni præbuit: nec erat frater immunis ab ea ſuſpicione, quòd nimio plus aſpirare ad ducatum crederetur. Richardus autem rebus ſuis Chriſtiano ritu compoſitis, in fide & religione præcipuus, emigrauit

Frater fratri ſubeſſe indignans, bellum mouet.

1028. in prima iuuenta. Anno Chriſti poſt mille viceſimo octauo.

CAP. 23. ROBERTVS fratri in ducatu Normannię ſuccedit: & quam initio frati germano con-

no contumaciam oſtendit, perſeuerāter in archipræſule Rotomagenſi declarauit, Roberto patruo ſuo. A quo depoſcens nonnihil, quod ille præſtare vel non potuit, vel non debuit, grauiter indignatur. Et quum non aliter putaret quàm vi agēdum, contractis armis obſidionē parauit Ebroicæ vrbis, in qua pontifex manſitabat. Oppugnat vrbem, ciues defendūt. At miſeratus archiepiſcopus labores pro ſe ciuium, ſimul indignum reputans, ſe fundendo ſanguini occaſionem præſtare: intermiſſis ad Robertum ducem nuncijs, abiturum ſe (ſi pateretur) in exilium: tantùm publica interpoſita fide ſineretur. Non cunctanter dux annuit, permiſſa pontifici poteſtate. Longius cum paucis abſcedit, apud regem Franciæ queſtus iniuriam. Verùm Robertus dux temporis intercapedine modeſtior factus, indignationem quam cōceperat, per moram digerens, facti cœpit pœnitere, quòd virum optimum, & patriæ amantiſſimum, nec ſanguine ſibi alienum, & (quod ſuper omnia eſt) Deo deditiſſimum, abegiſſet. Miſſis ergo nuncijs in ſua redire rogitabat, in reliquū ſe æquis cum illo cōditionibus victurum. Redijt: & Robertus quod eſt pollicitus, magnificè impleuit. Nam mutatus in virum alterum, omnem ad omnes prætendit manſuetudinem: pacemq́; temporum nactus, diuinæ cœpit intendere religioni. Quam ducis modeſtiam nonnulli malignè interpretati, putauere ignauiam: verſiq́; in eius contemptū, cœperunt humanitatem eius laceſſere & exaſperare. Inter quos præcipuus erat quidam Wilhelmus, inter proceres non poſtremus. Quem in ducem exacerbandū prouexerat & morum lenitas, quam contempſit, & arcis ſuę munitio, quam inexpugnabilem ducebat. Acceſſerat filiorū ferox adoleſcentia duorum, quos ad arma promptiſſimos habebat. His incitus ſtimulis, duci audet rebellionem oſtēdere: monitus vt ad æqua deſcenderet, non attendit. Dux aūt Robertus ſe contemni non paſſus, expediuit arma, copias contrahit: educit validam manū ad perdomandum contumacem. Ille munitioni fidens, ſe patitur obſideri: nam impar longè fuit ad arma, vt obuiam prodiret miles duci. Oppugnatur arx valida. Sed quum non expugnaretur, facilè firmauit obſidionem, vt fame expugnaret quem armis nō poterat. Vbi audit hoc modo vltum iri cōtumaciam ſuam, occurrit ex placito principi ſuo, nudis pedibus, ſellam equeſtrē humeris baiulans. Nam is erat tum ſatisfactionis ritus ſubditorum. Placatur dux: admittit in gratiam precantem ac pœnitentem, conditionibus pacis reducit exercitū. Sed non diu perſtitit coacta voluntas. Quum primùm potuit Wilhelmus, arma in ducem reparauit: & contractis vndiq; auxilijs, filios, Fulconem atq; Robertum, prædatum mittit in Normanniam. Obuiam illis ducales Normanni prodeunt: conſeruntur manus, cadunt multi, inter quos Fulco maior Wilhelmi filius, Robertus vix fuga elabitur: magna pars militum cum Fulcone perimitur. Quibus rebus auditis Wilhelmus (vt erat aduerſa valetudine) mœrore confectus, breui fecit viuendi finem. Idem exitus Hugonem Rodulphi comitis filium, Baiocæ arcis dominum, habuit. Nam dum abiret milites è Francia contrahere, præueniens eum dux (quòd iam conſilia eius comperta haberet) in deditionem accepit arcem. Hugo autem intelligens clauſum ſibi reditū, poſtulauit per ſubmiſſos, vt ſuis ſe libertas ſequendi permitteretur. Facilè impetrauit. Et abiens in exilium, ſolo conatu perdidit rerum ſuarum ditionem.

Robertus patruū bello illato expellit, poſtea vt redeat petit.

Wilhelmus in ducē repetita rebellione perfidus.

Conatus infelix.

CAP. 24.

BALDVINVS Flandrenſium comes, affinitate regia domum ſuam illuſtrauit. Nam filio æquiuoco Balduino, Roberti regis Franciæ filiam accepit coniugem. Adoleſcens regalibus nuptijs intumeſcens, erexit cornua in patrē, eumq́; procerum auxilio & conſilio eiecit dominatione. Pater eiectus, confugit ad Robertum Normanniæ ducem, eius opem implorās in ſuperbientem filium: nam malignis ſuorū cōſilijs parentem inſequeretur. Robertus impietatem deteſtatus, perornat exercitum: ducit in Flandriā, obuia quæq; deijcit: nec erat qui ei opponere auderet aciem ad pugnam. Itaq; victorem exercitum circumducens, facilè coegit Balduinum filium patris iniuriam diluere. Ille miſſis ad Robertum nuncijs, orabat vt ſe pacis ſequeſtrū faceret, habiturus in manu ſua omnem controuerſiam. Anniſus ergo Robertus, patri filium æquis conditionibus conciliauit, peregitq́; vt in reliquum tempus pacificè agerent: quo ex ſentētia patrato, reduxit exercitum. Per quæ tempora mortuo Roberto Franciæ rege, Henricus illi filius ſuccedit. Hic nouercā paſſus eſt

Filius patrē eijcit comitatu.

Francus nouerca odio pulſus, à Roberto duce reſtituitur.

Conſtantiam: cuius(vt fit) nouercali odio penè regno pulſus erat, ſi non illum dux Normanniæ Robertus tueretur. Nam mulier cum regni proceribus cõſpirans, regnum trãsferre voluit in Robertũ Burgundiæ ducem, æquè regis filium: omnelq; nobiles Conſtantia lateri regis curauit detrahere. Rex perſentiens quid ageretur, primũ ac maximum refugium conſtituit in Roberto Normanniæ duce. Solis duodecim ſuorum comitatus, illum in Fiſcanno cõuenit, per quicquid ſanctum eſt rogitans, vt ab iniurijs & fœmineo furore illum tueretur. Robertus rem intelligens, ſimul cernens quam debeat coronæ fidem, cõſolatur regem, facturum ſe ſpondens, quicquid viribus ſuis eniti poterit. Regem deinde armis, equis, militibus perornãs, ſolenni ac valido apparatu remittit comiti Corbulenſi Malgerio, mandans vt cum rege procedat quantis poſſit armis, ab illa parte perurgens rebelles, ſe quoq; de ſua futurum, vt ſentiat contumax nobilitas, quid poſſit fidelis Normannus. Fecit quod monuit, armis vndiq; tonans. Atq; modico tempore redegit in obedientiam regis, quotquot ante ſe in illum erexerant, nullo in reliquũ muſſitante. Britonum autem comes Alanus, etſi proximo ſanguine Robertũ contingeret, audet tamen retrahere quam duci debuit obedientiam. Et quum monitus ad ſana conſilia non rediret, dux ad limitẽ Britannicæ ditionis ſuper fluuium arcem cõſtruxit inexpugnabilem, vt inde fræna inijceret contumacibus. Ingreſſusq; prouinciam, ferro & igni cuncta peruaſtat. Quumq; reduxiſſet exercitum Robertus, iam Alanus Brito, qui præſenti non audebat ſe opponere exercitui, ſequitur abeuntem, vicinam depopulatus regionem. Sed diligentia militum, quos limitum cuſtodes Robertus conſtituerat, facilè peractum eſt vt Alanum pœniteret vaſtationis. Nam obuiam progreſſi vaſtantibus Britannis, alios cæciderunt, alios turpi fuga vitam redimere compulerunt.

CAP. 25.

IAMDVDVM in Normannia apud Richardum ſecundum exulabant nepotes eius, Angliæ regis filij, honorificè apud auunculum habiti. Quorum maior natu Eduardus, cõſobrinum Robertum aſſiduis precibus fatigabat, vt ſe & Aluredum fratrem regno reſtitueret. Dux opportuna tempora obſeruans, miſit oratores ad Kanutum Angliæ & Daniæ regem, vt ſatiatus aliquãdo vindicta quam exercuerit in Anglos, ſineret legitimos hæredes in regnũ redire. Ille ſurda tranſiuit aure legationem: quippe regno decedere, non leuis apud reges cauſa cenſetur. Vbi non profuit legatio, intẽtat arma: extruit claſſem validam, inſtruit armis & militem & claſſem. Omnibus iam paratis mare ingreditur. At ventus nullo vnquam tẽpore tam diu contrarius, vt omnem penè mora expectantes, in portu conſumerent.

Alanũ dux ad obſequiũ cogit.

Ne tamen omnem perderet operam, parte claſſis immiſſa in vicinam ex latere Britanniam, ipſe alia ex parte equitum magno numero inuadit regionem. Alanus videns vaſtitatem terra mariq; imminere, amborũ conſanguineum Rotomagenſem archiepiſcopum medium interponit, vt pacis ſit ſequeſter. Ille non detrectans operam, Alanum perduxit in conſpectum ducis ſub monte Sancti Michaelis, quo rex claſſem in anchoris cõtinebat. Ibi rebus ex ſententia compoſitis, Alanum in fidem ſuſcipit iam humiliatum, ſacramenta renouantem. Reuocatur exercitus ex Britannia, & fidelis deinde duci ſuo Alanus inclinabat. Accepit per ea tẽpora legationem Robertus, ex Kanuto Angliæ & Daniæ rege, quòd iam male fiſus diuturnæ vitæ, exhibebat Adelredi filijs dimidiam paterni regni partem reſtituere. Sed non placuit præſtita conditio. Quumq; audirent Kanutum valetudinarium, expectandum rati ſunt, ſi fortè abſumeretur: nam ſubinde melius agẽdum ſibi reputabãt. Interea Robertus dux, quod diu animo cõceperat, implendum putauit (præſertim pacatis per circuitum rebus, quũ omnia illi conſtarent ex ſententia) Hieroſolymam (quod diu cupierat) viſurus, Chriſti ſepulchrum petere conſtituit. Diu ſuorum fletibus auerti tentatus, vbi perſtitit: paratis omnibus ad iter neceſſarijs, in ſuorum medio procerum, filium illis Wilhelmum cõmendabat. Et multis in ſocietatem ſacræ peregrinationis abeuntibus, ſuis valedicto iter inibat. Peruenitq; magno labore ad ſancta loca, quibus perambulauerunt ſacratiſſimi pedes Domini, cuncta lacrymis intimæ deuotionis veſtigia Chriſti ſignabat. Et voto ex ſententia perſoluto, iam repudiauit: reditq; in Nicæam Græciæ vrbem, magno ſuo periculo: quòd loca omnia tum (vt etiam nunc) perfidorum Mahumetis cultorum dominio tenerentur. Ibi creſcente

per

per ſingulos dies morbo, ſuorum in manibus comitum, Deo ſpiritum reddidit: Chriſto certa fide iam conregnans, quòd labor iſte deuotiſſimæ peregrinationis, cum anteacta vita ſuadet fideliter ſperare. Erat tum annus Chriſti M X L I I I I.

Dux Hieroſolymitana peregrinatione redux moritur.

CAP. 26.

Sub principe puero parum firmum rerũ ſtatum

WILHELMVS patri filius ſuccedit admodum puer, & ideo tutoribus indigens, qui illi ex gente ſua prouenerant, viri quidem fortes & boni: ſed quibus non ea fuit, quæ ſolet eſſe legitimo principi autoritas. Proceres autem ſub principe puero, inexpugnabiles ſibi parauere munitiones, memores quòd ſub Roberto patre nonnulli ceſſerint irato principi, cum magno rerum ſuarum detrimento. Sed perfectis munitionibus, prima in ſe inuicem arma verterunt, mutuis odijs cõfligentes in proprium exterminium. Sępe congreſſi, mutuis cecidere vulneribus: aliquando victi, ceſſere victoribus. Terra deinde repleta eſt latrocinijs, impunè graſſantibus improbis, quando non erat qui audaciæ ſe opponeret princeps. Nec deerant qui eam rem ad regni commoda pertraherẽt, arbitrantes tempus eſſe, Normanniam, quæ olim armis extorta fuit regibus, nunc armis repetere, quòd dux imbellis puer eſſet, & proceres ipſi diſſiderent, quòd etiam pueri tutores paulatim ſublati viderẽtur: nam & procurator, & pædagogus, & poſtremò defenſor pueri interierant. Igitur Henricus Franciæ rex, non antè quieſcendũ ſibi indixit, quàm Tegulenſis Normannorum arx deijceretur. Innotuit res Gilibertο nobili viro, quem fidum adhuc puer habebat. Is quum cõmendatam ab Roberto arcem aſſeruaret, accerſitis commilitonibus, armis & comeatibus impleuit, certus in exitum ſui ſeruare, quod in fide commẽdatum accepiſſet. Obſidet rex magna ſuorum ac Normannorum regi blandientium manu. Ille impigrè defendit: tenuiſſetq́; diutius, niſi mandatũ à pueri tutoribus acciperet, vt cederet regi. Ceſſit inuitus, & arx mox deijcitur, terræque proõnus coæquatur. Inde Oximenſem ingreſſus rex ditionem, Argentonium ducis vicum incendit. Et quamuis iam inter regem ducarioſq́; conueniſſet, nullo unquam tempore confractam arcem renouari, idq́; ſacramẽto vallatum eſſet, rex tamen breui rediens, arcem pro ſe ſuſcitat, munimẽtis roborat, commeatibus implet, & recedit, quaſi omnia quæ placeant regibus, liceant. Quum videret aũt quidam ex Normanniæ primoribus Curſtenus Oximienſis præſes cuncta regis arbitrio geri, accitis regijs ſatellitibus, arcem quoq; ſuam, cui præfuit, ſtatuit communire. Sed ducarij collecta militũ manu, præueniendum rati hominem, arcem obſidẽt, compelluntur q́; dedere, pacti quod incolumis cum rebus & affectibus proficiſceretur. Ille exulatum emigrans, duci reliquit omnem diuionẽ ſuam. Erat Wilhelmus quidam pueri conſobrinus, quem pater eius Robertuſq́; (quòd de ſecundo natus eſſet Richardo, ex ſecundo matrimonio) donarit comitatu Tolagenſi. Is quoq; abuſus pueri ætate, arcem in ſummo monte firmauit, duci rebellionem intentans. Sed ducales contracto exercitu, montem ad opportuna deſcenſus loca præoccupant, fortalicium erigunt, vt commeatum excluderent in ſummo vertice demoranti. Rex Henricus occaſionem datam cenſet non contemnendam. Arcem vſibus ſuis proſpiciens profuturam, ab expugnatione voluit obſidentes prohibere, ad S. Albinum caſtra metatus. Exierant ex ducalibus nonnulli, qui regios prouocarẽt ad pugnam: illi exciti, ſequuntur fugientes. Dum ad collocatas inſidias perueniunt, vertuntur fugientes, vt in frontem depugnent. Ibi regij cæduntur, capiuntur, fugantur. Engelramus Abbatiſvillæ comes cadit. Hugo cognomento Bardulphus, capitur. Rex immiſſo comeatu in caſtellum pro quo venerat, mœſtus de amiſſione militum, repedabat. Wilhelmus tamen breui coactus pacto Normannis dimittere caſtellum, abijt in exilium. Ita militibus Normannorum ſeruiens, conuulſum deperijt.

Arx Tegulenſis euertitur.

Succũbunt Franci.

CAP. 27.

Lib. 4. c. 29.

PER quos dies Kanutus Daniæ atq; Angliæ rex, quum rebus exceſſiſſet humanis, ſepultus (quod in Dania diximus) Rotomagi, quam vrbem moriens oppugnabat. Haralduſq́; filius eius nothus, Angliã occuparet, Eduardus Adeltedi filius, hactenus in Normannia deliteſcens, armauit naues X L. & in Angliã nauigans, Hauitonam applicuit: expoſitis copijs aſcendit in mediterranea. Angli collecti, quod iam pro Danis, Haraldo præſente concurrunt: fit acer congreſſus, cadunt multi. Eduardus tamẽ victor cum præda cõceſſit in naues, maiori manu, quod res ipſa poſcebat, inde rediturus. Frater eius Aluerędus diuiſo agmine, portũ tenuit Wilanti, eo fortè

conſilio,vt in diuerſa diſtracti Angli,minus occurrerēt inuectis hinc atq; inde. Sed Doroberniæ comes Alueredum perbenignè excepit,patrium ditionis regnum illi breui reddendū ſpondet. Credidit Alueredus perfido. Qui dum in manib. regnum haberet,iuuenem cum copijs ſuis: milites quidē alios diſtraxit vendens,alios peremit: ipſum cum nobilibus miſit Londonias in manus Haraldi. Quò quū perueniſſet, Aluéredū iuſſit emaſculari,cæteros autem necari: qui & ipſe breui moritur. Sed neq; Haraldus diu ſuperfuit. Succedens autem fratri Hardekanutus, eadem cum Eduardo Emma matre natus,euocatum à Normānia vterinū fratrem Eduardum, parte illum regni donauit. Poſt biennium autem Hardekanuto quoq; moriente, Eduardus toti cœpit regno dominari. Quæ idcirco hoc loco replicauimus,vt quoniam iſte Wilhelmus(quem deſcribimus)ad Angliæ coronā contendit,nō ignoremus regū hac parte in Anglia ſucceſſiones,& de iure ſimul Wilhelmi innoteſcat.

Alueredo aſtutum regnū ſperanti virilitas adimitur.

CAP.28. WILHELMUS autem Normanniæ dux, iam rerū adminiſtrationem aggreſſus,prudentum conſilio cuncta gerebat. Quam rem pertæſi ſunt,quibus per ducis pueritiam multa licuerunt, quòd cernerent iam ſibi fræna ſubſtringi. Coniurationem ineunt,autore Guidone,filio Raynaldi comitis Burgundiæ,quem Richardus tertius carcere extraxit. Hic Guido donatus à duce arce Baioci, quoſcunq; potuit lateri ducis abſtraxit: & iam coniuratione fretus,viſus eſt robuſtior. Nam maiores quoq; cernētes,quibus antè aſſueuerant,Guidoni acceſſere. Quid faceret Wilhelmus tanto conſtrictus neceſſitatis articulo? Regem adit Henricum,docet ſuorum in ſe cōſpirationem: commonefacit paternorum(cum modeſtia) beneficiorum in regem,opem implorat. Nec cunctáter rex annuit. Comitatum Oximenſem ingreditur, Valeſdunas vſq; perueniens,vbi conſertum obuium habuit hoſtium exercitum. Congrediuntur: & graui diu pugna conflictantes,demum cedunt regi Normanni proceres,mactantur,proteruntur,fugiunt: multi Oliuæ fluminis vado pereunt. Guido vix elapſus Baiocum ingreditur: quod oppidum firmauit obſidioni (ſi opus fuerit)ferendę. Sed rex rebus fœliciter pro duce geſtis,cingulum ſoluit,reuerſus in Franciam. Dux obſidendo ſe parat oppido: oppugnat,& multo deinde tempore fame expugnat. Guido nuſquam euadere valens, per amicos exorato duce, vitæ datur, redditoq; Baioco ſuis in ædibus manere præcipitur. Territi eius exemplo cæteri, gratiam ducis ſui,quibus poterant impendijs,mercati ſunt. Wilhelmus magnus deinde apud exteros & ſuos habitus.

Wilhelmus coniuratos regis Franciæ ope, delet.

CAP.29. ANDEGAVORUM comes Godefridus,ortis vndecunq; ſimultatibus,bello inſecutus eſt Wilhelmum ducem, multis & magnis ſpolijs per Normanniam abactis: arcem Danfrontis præcipuū habens violentiæ præſidium. Dux contractis copijs in hoſtes prodijt, & vſq; ad arcis memoratæ confinia peruenit. Ibi conſiderata facie munitionis, vidit altiſſimis & præruptis rupibus vallari. Tamen artem arte colludere tentauit. Erigit in circuitu fortalicia,quibus inſideret, donec fame expugnaret. Dum ita ſederet, venere exploratores,qui nunciarent arcem Alentij captu facilem,ſi dux anniteretur. Ille diſpoſitis ad obſidionem cuſtodijs,noctu proficiſcitur ad Alentium: conſiderat locum,& vera nunciaſſe ſuos gaudet. Sed qui intus erant,conuitijs ducem exagitabant. Ille oppugnationem adorſus,vno loco detinuit incluſos attonitos,interim ſubmiſſis, qui à tergo ingreſſi præſidium caperent. Quibus ex ſententia peractis,cōuitiatores cæſis manibus ac pedibus abiecit: arcem ſuo muniuit præſidio,reuerſus ad primam obſidionem. Illi iam ſociorum fortunā audierunt: calamitatem commiſerati,quum exemplum pertimeſcerent,ſe duci ſubmittunt, pacti abire incolumes cum armis. Perſecutuſq; Godefridum Ambroias venit: ibiq; erecto caſtello ac permunito, Rotomagum redit.

Wilhelmus Andegauēſi aliquot arces adimit.

CAP.30. IAM domi foriſq; clarus Wilhelmus,coniugio ineundo tempus eſſe putauit,vt poſteritati inſeruiret. Habebat autem Balduinus Flandriæ comes,ex coniuge,regis filia,filiam nomine Matildim. Eam ſuaſu procerū acciuit vxorem: nec diu recuſabat Balduinus eam tradere. Mittitur puella principali apparatu,ducitur Rotomagū inſigni pompa:eamq; Chriſtiano ritu ſibi conſociat Wilhelmus. Ex qua multiplici prole beatur: inter alios ſuſtollens Robertū,paterna ſucceſſione inſignem. At non quieuit Godefridus Andegauorū comes,regi Henrico inſtillans odium Normannorum,

Francus Andegauenſis ſuaſu, Wilhelmo bellū ſuo magno malo infert.

norum, gentem eſſe exteram, quæ alienis agris inſiſtens, in leges & mores Francorum nõ poſſit peruenire, ſemper inquietam, ſemper infidam, omni odio inſectandam, vt regi reuertatur ſua prouincia Neuſtriæ, olim detracta Francis per improbam vim Normãnorum. Facile fuit vetus hoc vlcus ad cruditatem reducere. Itaq; rex concitus, duobus exercitibus inuadit Normanniam, alteri fratrem præficiens Odonem, alteri ipſe imperans. Dux talibus preſſus angoribus, vndecunq; poterat auxilia conquirit. Intrepidus occurrit, & regio quidem agmini ipſum ſe oppoſuit, alijs alios ſubmittens exercitus. Sed qui Odoni occurrerãt, priores ad pugnam perueniunt, hoſtibus deprenſis ad eum locum qui Mare mortuum nuncupatur. Imparatos inſiliunt, magnam partem opprimunt, multis ex nobilibus cæſis, alijs per mancipia in vincula coniectis: Odo ipſe vix fuga elabitur. Peruenit aduerſa ſuorum fortuna ad regem, priuſquam dux ipſe prodiret. Territus rex caſu ſuorum, exercitum retro traxit, ac in Franciam redijt. Godefridum autem malorum incentorem vlciſci percupiens dux, in Cœnomannos ducit, agros vaſtat, munitiones deijcit: vrbem obſidet, oppugnat, & tandem multo ſanguine expugnat: arces deinde reliquas expugnatas, incendio conſumit. Opportunis iterum locis reædificat, & firmo ſuorum impoſito præſidio redit. Rex deinde ſumpto Godefrido Andegauorum comite, maiore apparatu, ſed vno iam agmine magno, Normanniam ingreditur per comitatum Oximenſem, perq; Baiocenſes, maximis editis vbiq; vaſtationibus. Et reflexo deinde itinere, per vadum Vlmæ fluminis reducere tentauit exercitum. Media ferè pars iam amnem tranſierat: & intumuit à mari fluuius, vt reliqua pars vado tranſire non poſſet. Hanc aggreſſus Wilhelmus, (quòd toti videretur agmini nimis impar) pugnam acrem conſerit. Cadunt ſine diſcrimine Franci, fortius ſub oculos ſui regis, in aduerſa ripa conſpicientis, præliantes: reliqui in captiuitatem trahuntur. Rex tantis amiſſis copijs abire feſtinans, amplius Normanniam non infeſtauit. Nec diu ſuperfuit: quoniam in fata concedens, Philippum filium regni habuit ſucceſſorem.

Francorum exercitus caſus.

CAP. 31.

EDVARDVS tertius interea rex Angliæ, quum prolem cerneret ſe non relicturum, viuens adhuc, & corpore præualens, medio in ſuorum procerum cõſilio, Wilhelmum Normannum ibi deſignat ſucceſſorem: mittens Robertum Cantuariorum archiepiſcopum, qui fidem duci faceret. Deinde etiam Haraldum ſubmiſit ex comitibus ſuis honore, opibus, prudentia præſtantem. Qui dum nauigat, vi freti deiectus in Pontinam, incidit in manus Guidonis: quem comitem tunc habuit Abbatiſvilla, vrbs Picardiæ, etiam hodie florens. Sed Wilhelmus dux precibus primùm, deinde minis illum de manibus eius extraxit. Hic ſacramentum Wilhelmo præſtitit aſſeruandi regni in manu eius. Quumq; ille in Angliam reuerteretur, rex Eduardus non diu ſuperfuit, ſed anno Chriſti MLXV. fata compleuit. Haraldus autem immemor ſacramẽti, quod nuper Wilhelmo pertulerat, regnum inuaſit. Monitus ab Wilhelmo, vt fidem impleret: In omnibus, inquit, poſſum, præterquam in regno. Wilhelmus quoq; non leuem ducens regni iacturam, quicquid potuit vndiq; militum contraxit. Armauit validiſſimam claſſem, equis, armis militibuſq; impoſitis. Tria feruntur nauium millia ad S. Walaricum, & vicinis locis ſtetiſſe in ancoris. Aſpirante vento nauigauit: & peninſulam apprehendens, ibi ad claſſis cuſtodiam erexit præſidium: & in ordinem rebus digeſtis, quadrato agmine Angliam inuadit. Audit ab exploratoribus, magna manu Haraldum obuiam venire per noctem. Suos ergo iubet in armis quieſcere, vt cum feſſis ab itinere hoſtibus promptius agerent. Mane primo venere ſub aſpectum mutuum. Ibi aliquot horis ad ordinationem acierum deſumptis, ad tertiam diei horam prœliari cœptum. Pertinax vtrinq; pugna: ſed maior fortuna ducis, quòd iuſtior cauſa videretur: vindicante Deo iuriſiurandi religionem fruſtratam in Haraldo. Nam ille in primis fortiſſimè pugnans, adueſperante iam die cadit. Cæduntur Angli, cæduntq;: ſed maior clades Anglorum: vix nox ipſa quietem inducit. Angli comperto regem ſuum cecidiſſe, diffugiunt ſine diſcrimine. Dux victor iubet receptui canere, reſocillatos milites permittit quieti. Poſtera luce legunt ſpolia, ſuos ſepulturæ mandant, hoſtes inſequuntur. Peruẽtum eſt Londonias, regiam ciuitatem. Ibi quum ſe aliquandiu

Wilhelmo Angliæ regnum defertur.

1065.

Wilhelmus in Angliam aduerſus Haraldum nauigat.

Wilhelmus Haraldo deleto, Angliæ regnum poſſidet.

continerent perduelliones, ceſſere tandem Wilhelmo: ac deinde regni totius dominatione potitur. Genuit autem hic Wilhelmus ex filia Balduini Flandriæ comitis, tres filios, Wilhelmum, in Angliæ regno patri ſuccedētem, Robertum, in Normannia ſucceſſorem, Henricum, qui Wilhelmo fratri ſucceſſit in regno. Sed hic ſit narrationis huius limes.

ALBERTI KRANTZII
NORVAGIÆ LIB. IIII.

CAP. I.

Angli Frācia regnum ſibi vendicant.

PROSECVTI ſumus narratione noſtra Normannos in Gallias, deduximus ſeriem ſucceſſionis vſq; ad Angliæ regnū. Quo accepto, iam ſubinde viluit Normanniæ poſſeſſio, iam ex ducibus comites conſtituti. Subinde verò Franciæ regibus permiſſa eſt iterum maior pars Neuſtrię, vt redirent in antiquam poſſeſſionem. Sed tamen magnum etiam exinde bellum exarſit, aliquot ſeculis continuatum, inter Anglorum & Francorum reges: accedente etiam legitima totius regni Franciæ Anglis ſucceſſione, in Magno Eduardo. Igitur quia neq; Angliæ neq; Franciæ res perſcribere ſuſcepimus, hîc ſtylum ſiſtemus. Quod verò ad gloriā pertinet Normannicæ gentis, ſat erit, regum ex hac ſtirpe ſucceſſiones attingere paucis. Is ergo Wilhelmus ex duce Normanniæ, rex Angliæ (quòd materno genere Eduardus, cui ſucceſſit, natus eſſet ex filia Richardi tertij) reliquit in regno ſucceſſorē Wilhelmum ſibi æquiuocū, cognomento Rufum. Quò ſine prole decedente, ſucceſſit illi frater Henricus primus, qui filiam dedit Gaufrido Andegauenſi comiti, ex qua ſuſtulit filium Henricū ſecundum, qui auxilio regis Franciæ Ludouici, peruenit ad Angliæ coronam. Nam redeūti a Hieroſolymis Ludouico Francorū regi, queſti ſunt Gaufridus pater, & Henricus filius, de Stephano Anglicæ coronę detentore, qui & ipſe ſanguinem trahebat Normannorum, & ideo Normanniā quoq; occupauit. Sed Francorū rex Ludouicus armis contractis, primùm Normannia, deinde Angliæ regno Stephanū expulit, & Henricum ſecūdum inuexit. Tum Henricus, ne ingratus reſtitutori ſuo videretur, magnam Normanniæ partem coronæ reſtituit, deq; reliquo regem dominum ſuum agnouit, feudi iure. Ita paulatim in Normannia redeūte regis poteſtate, minoratur & euaneſcit Normannorū ditio. Henricus Angliæ rex ſecundus, reliquit in Anglia ſucceſſorem filium Henricū tertium. Cui ſucceſſit frater Richardus: & illi Ioannes æquè germanus germano, qui peruenit ad annum Chriſti poſt mille ducentos decimū quartum. Hic eſt ille, qui regi Franciæ ad pōtem Bouinum obiecit Ottonem IIII. Romanorum Imperatorem, tunc terga dātem Francis. Ioanni ſucceſſit filius Henricus eius nominis quartus, qui annis LIII. regnauit. Eduardus illi filius ſurrogatur ſecundus: Ioannes illi filius ſuccedit: cui Eduardus tertius. Hic eſt ille qui cognominatus eſt Magnus, genitus ex Iſabele filia Philippi Pulchri Francorum regis. Defunctis ergo fratribus Iſabelis ſine prole, ſe regem Anglorum & Francorum gerebat, talemq; ſe primus inſcripſit. Cui poſt longæuū regnum (quod illi ſupra quinquaginta durauit annos) ſucceſſit nepos primogeniti ſui filius, nomine Richardus ſecundus. Quo poſt XXII. annos interfecto in carcere, (iuſſu nepotis ſui Henrici de Lancaſter, anno MCCCCII.) ipſe Henricus quintus, filius ducis Lancaſtriæ pro eo regnauit. Quo in Francia extincto anno XXIII. poſt MCCCC. ſucceſſit Henricus VI. puer ex filia regis Franciæ Catharina. Hunc regno deiecit Eduardus quartus, Eboracēſis ducis filius: cuius frater Henricum ſextum captum extinxit in carcere, anno Chriſti ſeptuageſimo poſt mille quadringentos. Eduardus autem ad annum peruenit LXXXIII. poſt mille quadringentos. Quo extincto per morbū, Richardus frater eius, occiſis Eduardi filijs, regnauit annis vix tribus. Succeſſit Henricus ſeptimus, dictus comes de Richmont, qui perductis in campum aciebus conflixit, & vicit Richardū. Natus eſt iſte Henricus ex vterino fratre Henrici ſexti. Nam Ca-

Angliæ regum à Normanno Wilhelmo ſeries.

Normannia ducatus ſceptrum Frācicū agnoſcit.

tharina.

tharina Henrici ſexti mater, poſt Henrici quinti mortẽ, quum eſſet filia regis Franciæ, nupſit tamen infimæ nobilitatis viro: ex qua tres filios ſuſcepit, quos Henricus ſextus frater, comitatibus donauit. Ex quorũ altero prodiit iſte ſeptimus, qui nunc regnat, princeps (vt aiunt) omniũ prudẽtiſſimus: qui aliquot motus in Anglia compeſcuit, quum antiquæ nobilitatis viri ad coronam aſpirarent. Et primùm Thomæ ducis Clarentiæ (qui frater erat regum Eduardi & Richardi proximorum) extincti, merſo capite in vinum, ex ſententia parliamenti, filius, auxilio ſuorum in regno ſe erigens, ab eodem Henrico ſeptimo capitur: milites eius ad vnum cæduntur. Inter quos Martinus niger, ex ſutore in militarem prouectus dignitatem. Deinde proximis annis, qui ſe Eduardi filium teſtaretur, quòd ſuppoſito pro ſe altero ſeruatus ſit, cum auxilio Scotorum, & fauore (vt ferunt) regis Normannorum coronam quæreret, captus, & ad regem protractus, diu ſeruabatur in carcere: & nũc (vt referunt) ambo cæſi gladio. Hic eſt rerum ſtatus anno Chriſti quingenteſimo poſt mille. Vnius autem regis prudentia multorum tumultus & præcauentur, & exorti minimo ſuorum ſanguine ſedantur. Ita cõtinuata regum Angliæ ſerie adúſque noſtra tempora, ſtirps regum de ſanguine Normãnorum tantis ſeculis regnum tenuit, & poſſidet in hodiernum diem. Hæc eſt illa Danicæ atque Normannicæ gentis gloria, quam indagamus, quòd in longinqua regione ditionem quæſierit, principatus fundauerit, regna conſtituerit atque reliquerit. Quod iam ſecundò monſtraſſe recolimus: primùm in Longobardia, per annos ſupra ducentos. Deinde in hac Normannia: vbi ducatus honore non contenta, non quieuit, donec Angliam ſibi adiiceret. Quamuis antè ſæpe Dani regnum hoc ditionis ſuæ fecerint: quod illorum loquuntur annales, Anglici tamen non æqua aure accipiunt. Crediderim proximam mari regionem crebrius ceſſiſſe Danis: ſed mediterranea tum ad illos non perueniſſe, niſi ſub Wilhelmo, quem diximus: quum iam totius inſulæ ditio ad vnam ſit redacta coronam. Tertium autem eſt regnum vtriuſque Siciliæ: quod ea gens per Normannos conſtituit in Italiam, etiam vſque ad imperiale culmen prouectum in Friderico ſecundo. Quod ſubinde monſtrabimus. 1500.

Ex hac Normannorũ gente extitiſſe & illos, qui in Italia primùm Apuliam, deinde Siciliam & Calabriam apprehenderunt: & primùm quidem comitatus, deinde prouectioris dignitatis ducatus, nouiſſimè etiam regna cõſtituerunt vtriuſq; Siciliæ, citra & vltra Pharum, nemo ambigit. Sed quo tempore in Italiam tranſierint, qua vi prouinciam apprehenderint, ambigũt multi, ſecum requirentes. Nimirum illa occaſione & cauſa tranſierũt, qua ante ſe aliarum nationum homines militiam ſecuti, illic ſe collocauerunt per arma, quò illos clementia cœli & agrorum vbertas inuitauit. Cur quæſo primùm Galli Senones, inde Cimbri, poſt illos Gothi, deinde Longobardi Italiã petiuerunt, niſi vt ſedes antiquas melioribus cõmutarent? Commemorant Tancredum quendam Normannum, duodecim filiis procreatis, in Etruria conſediſſe: cuius filij alter poſt alterũ tenuiſſe Apuliam, & ad poſteros traduxiſſe narrantur. Sed quo tempore Italiam intrauerint, Blondus, ſe reperire negat potuiſſe. Nam Wilhelmũ cognomento Ferrabach Normannum, in Etruriæ parte quæ Romandiola dicitur, ditionem tenuiſſe fatetur: ſed quando in eam prouinciam venerit, aut quibus viribus fretus apprẽderit, ſcripſiſſe neminem. An tu Blonde ignoras (quod ipſe fatebare) Normannos ſuperiori ætate per Ligerim & Sequanam ſubuectos, Pariſios, Turones, Lemouicos, Aurelianos, & reliquas Galliarum vrbes vaſtaſſe? regibuſq; Franciæ, & aliquando Romanis Imperatoribus cõflixiſſe? in Galliarum littoribus ſedes fixiſſe? Inde quum Burgundiæ rex Ludouicus, deinde Rodulphus, Gallicis viribus Italiam intraſſent, quis putat abfuiſſe Normãnos, vbiq; ſtipendia facientes: quòd inquietum genus hominum conſiſtere non poſſet in loco ſemel permiſſo? Inde verò quum Sarraceni de mari, Vngari à terra inuaſiſſent Italiam, lacerareturq; inter hoſtium manus domina quõdam, quum vires aleret, prouinciarũ: qui rebus ſuis diffidebant, Hugonem Arelatenſem ex eadem Gallia cum exercitu venientẽ accerſebant in Italiam. Quis non videt proceres tum militaſſe Normannos, iam inuicta fortitudinis opinione apud omnes clareſcẽtes? Otto deinde Imperator, eius nominis ſecundus, quum Lotharij regis Franciæ repuliſ-

CAP. 2.

Profectionis Normannorum in Italiam cauſa.

ſet inſolentiam, magno agmine ex Galliis mouit in Italiam, Græcis Imperatoribus obuiaturus. Cur non & tunc potuere Normanni in Italiam tranſire, vt magnam apud reges ſuos (quibus militabant) operā nauantes, agros & oppida meruerint: ſicut poſtea ex Alemannis vocati ſunt capitanei, quorū poſteritas nunc ſedet cum principibus? His igitur temporibus & occaſionibus, veniſſe in Italiam Normannos licet coniectari: quorum præclara fuere in ea prouincia diu facinora: vt primùm Apuliam, inde Calabriam tenuerint, ex comitibus duces, ex ducibus reges facti vtriuſq; Siciliæ. Teſtem tenemus Blondum cum autoribus ſuis, quos ille ſequitur, quo ordine in eam venerint prouinciam. At de temporibus quæſtio manet. Nam circa milleſimum Chriſti annum fuiſſe in Italia cōmemorat Wilhelmum, cognomento Ferrabach Normannum. Et quidem Saxo noſter Richardum quendam ex ducibus Normanniæ, quum vxorē ſuam, regis Danorum Kanuti germanā non amaret, ſuſpectaſq; duceret nuptias, tradit, cum aliquot ſodalibus in Italiam cōmigraſſe, ſeq; iunxiſſe congentilibus Normannis, quos ante ſe reperit in Italia. Et hoc circa annum Chriſti triceſimum poſt mille contigiſſe exiſtimo. Sigibertus quoq; poſteriori tempore, quum Henricus Imperium Romanū teneret, narrat Robertum & Richardum, minuendę domo multitudinis cauſa, à Normannia Francorum digreſſos, Apuliam expetiuiſſe: & Italis inter ſe diſſidentibus, alteri in alterū auxilium præſtitiſſe. Qua opportunitate Italos callidè & fortiter debellaſſe: & ſucceſſus vrgendo ſuos, nomen ſuum dilataſſe, & futuræ proſperitatis ſibi viam inſtituiſſe. Quę illuc vergunt autorū teſtimonia, vt agnoſcamus multis quidem vicibus in Italiam tranſiſſe Normannos: ſed qui primi fuerint, necdum compertum habemus. Blondus exploratum ſe dicit habere, originem illorum in Etruria eſſe ex Lōbardiæ comitibus. Vnde autem hoc illi cōpertum ſit, non exponit. Ego teſtem facio Sigibertum memoratum, Normannos ex Galliis ſæpe in Italiam nauigio traieciſſe. Vnde veriſimile videri debet, aliquot locis ſedes tenuiſſe in Italia, ſicut acceperūt in Galliarum littoribus. Ait enim, anno LVII. poſt octingentos, Normanni inter Hiſpaniam & Aphricam nauigantes, ingrediuntur Rhodanum: depopulatiſq; ciuitatib. ac monaſteriis, in inſulam quæ Camarias dicitur, venerunt. Quum igitur in mediterraneum excurrerint, inde in mare Tyrrhenū rediiſſe intelligimus, vnde in Rhodanū tranſirent. Nam in hoc mare fluuius ille ſe exonerat. Facile tum fuit vicinum Italiæ latus tetigiſſe: & (quod ſuprà de Luna ciuitate memorauimus) poterāt & tunc prouinciæ partem delegiſſe ad ſedes: quamuis id autor nullus commemoret. Fuiſſe tamen in Italia Normānos teſtantur omnes. Idem verò Sigibertus, Anno, inquit, LX. Normāni Italiam petunt, & Piſas ciuitatem aliaſq; capiunt, ac deuaſtāt. Et rurſus, Anno LXXIX. quum Imperium Carolus Caluus teneret, rex Frāciæ, Normanni mare intrant: & pars quædam ex ipſis in Italiam redit. Quid quærimus expreſſius? Pars quædam rediit in Italiam. Ergo ſi redit, prius ibi fuit: & fortè ad ſedes prius capras tum eſt reuerſa. Ipſum Blondum teſtem vocamus. Per ea, inquit, tempora, quibus Carolum Caluum diximus Romanum Imperium aſſumpſiſſe, Normanni præda in Aquitania & cæteris Galliarum regionibus facta ſatiati: claſſe trecētarum ſexaginta nauium Conſtantinopolim duxere: ſuburbaniſq; illius ſpoliatis atq; incenſis, in Britannicum mare ſunt reuerſi. Hoc igitur tempore, vel non ab eo longè, Italiam Normāni intrantes, paulatim inualuere. Nam (vt idem Blondus tradit) initium claritatis eorum in Italia, ad augendam ditionem, tale fuit vt ſequitur.

Quo tempore Normanni in Italiā venerint.

Sigiberti teſtimonium.

Lib. 2. c. 2.

CAP. 3.

WILHELMVS etiam gente Normannus, cognomento Ferrabach, ceſſantibus in Italia motibus à Berengariis & Sarracenis atq; Vngaris (quorū viribus diu labefactata erat prouincia) pręclarū aggreſſus eſt facinus. Capuano namq; & Salernitano principib. per fœdera ſociatus, ad Malochū Græcū, Apuliam Calabriamq; pro Imperatore Græco adminiſtrantē (eo tempore quo victus Otto Imperator ſecundus, leuiris ſuis ea in ditione cōceſſit) mittens, eundē fœderibus adiūgit. Cōueniitq; inter quatuor, vt æquis viribus & fortunis enauigantes in Siciliam, eam Sarracenis eiectis occupent. Collatis viribus enauigatū eſt: & inſulam ingreſſi, Sarracenos obuiā euntes fundunt: ac reſiduis fugatis, præda ingenti locupletantur, per ęquum inter eos diuiſa. Malochus autem inſulæ dominationem ſuo ſeruauit Imperatori. Indignatus

Wilhelmus Normannus Apuliā cur occuparit.

dignatus Wilhelmus, quòd ſibi cæteriſq; inſulæ partem non daret, expedito agmine, cæteris quieſcentibus, longum iter ingreſſus, duxit in Apuliam: circumſeditq; Melphim vrbem, & ad extremū expugnauit. Audiens Malochus, & ipſe expedito milite feſtinus occurrit vrbē recuperare, quam Wilhelmus occupauit. Ibi aūt Normannus Græcos ab itinere feſſos, needum caſtris cōmunitos aggreſſus, facilè fudit fugauitq; : & perinde magnam illius prouinciæ partē pulſis Græcis occupauit. Sed quum iam Bubaganus Malocho ſucceſſiſſet, opportuno Apuliæ loco coloniā extruere conatus, Troiam vocat: vt Græcis habitatorib. impleat, eſſetq; præſidio regioni. Non tulit Henricus Imperator eius nominis ſecundus: qui iam erat cū exercitu in Italia. Nam admotis copiis ſuis, vrbem couā quatuor mēſibus oppugnatam expugnauit: & acceptis obſidibus Romam reuertitur. Quum verò Cōradus Henrici ſucceſſor imperaret, Græci Normannis in Apulia graui bello oppoſiti, pellere illos annifi ſunt: ſed fruſtra. Nam collatis ſignis, victores Normanni, Græcos expulerunt. Ad Conradi interim Imperatoris tēpora, Normanni Apuliam tenentes, & Græci prælio inter Aufidū amnem & Oluentē oppidum acerrimè cōcurrunt: Normanni victoria potiūtur. Wilhelmo deinde fato functo, frater Drogo ſubſtituitur.

Troia à Græcis condita.

Normanni Græcos trib. prælijs vincunt.

CAP. 4.

DROGO poſt Wilhelmū fratrem obtinuit Apuliam. Quem miſſus à Conſtantinopoli Melus, alter catapanus (magiſtratus id nomen fuit) primo ſtatim impetu omni penè Apulia Normannos expulit. At impiger Drogo, exercitu reparato, Græcorum ſuperatis copiis, perdita de Apulia protinus recepit. Hoc eſt illud tēpus, quo Richardus Normannus, ducali genere editus, contempta vxore, Danici regis Kanuti germana, in Italiā venit. Inde tranſiēs Hieroſolymam, ſodales ſuos in Italia reliquit bello gentilium ſuorum ſocios. Per quæ etiam tempora Bubaganus, alter à Cōſtantinopoli miſſus catapanus, in Apuliæ finibus Troiam vrbē inchoauit. Hannibalis ibi pridem caſtra fuiſſe compertum eſt. Sed hoc Græcorum præſidium non paſſi Itali conualeſcere, Henricum Imperatorem impulerunt vt obſideret. Benedictum pōtificem aiunt in caſtris fuiſſe. Adeò res cordi fuit vniuerſis. At tum editum eſt præſidium Imperatori poſt aliquot menſes: ille verò obſidibus acceptis Romam redit. Drogone aūt poſt non multum temporis mortuo, alius ex fratribus ſuccedit.

Dania libro 4. cap. 27.

Papam in caſtris eſſe nō dedecet.

CAP. 5.

HVNFREDVS frater, in Normannorum Apuliæ comitatu ſucceſſor, annis ſeptem præfuiſſe narratur. Quid autem rerum geſſerit, omnino nihil commemoratur: niſi quòd coniectura poteſt quiſque aſſequi, non quieuiſſe Græcos, recuperare amiſſam Apuliæ ditionem: Normannos autem ſemel acceptam prouinciam defendiſſe. Auditis tamen rebus in Italia proſperis, crediderim multos ex Francia veniſſe eius gentis proceres & milites: qui auxilia tulerint contribulibus, ad propagandam quam ſemel acceperunt etiam in Italia prouinciam.

CAP. 6.

GODEFREDVS fratrum vnus, Hunfredo decedenti ſuccedit. Per quod tempus Guariuaro Salernitano principe, ex eadem Normannorum gente oriundo, à ſuis interfecto, Giſulphus factus eſt princeps. Interim Normanni dirionem ampliantes, & Beneuentum vrbem Romanæ eccleſiæ ex Longobardis ſubiectam conſpexere. Ea quum intellexiſſet Henricus tertius, pontifici ſuaſit, vt Alemannos à ſe apud Vercellas præſidio Italiæ relictos acciperet, Normannoſq; Italia deturbaret. Leo nonus tum pontificatum gerebat. Adiunxit is auxiliares Italiæ copias Alemannis: & in Beneuentanos duxit. Normanni intellecta pontificis molitione, præuenire illum curarunt. Nam Beneuento capta, illum firmatis præſidiis & caſtris expectauere. Commiſſo prælio capitur pontifex. Quem tamen Normanni, maximo cleri Beneuentani honore, Romam reducendum curauerunt. Moriens aūt Godfredus breui pòſt, non fratrem aliquem, ſed filium Bagelardum inſtituit ſucceſſorem: quum tamen ipſe a fratribus accepiſſet ditionem.

Papa à Normannis ſuperatus & captus.

CAP. 7.

ROBERTVS cognomine Guiſcardus, Godefredi fratrum vnus, iuuenis impiger, ægro (vt debuit) animo tulit ſe præteriri: Bagelardoque nepote per arma pulſo, prædictum Apuliæ & iam Calabriæ comitatum accepit: addiditq; illis Troiam vrbem, Romanis pontificibus parere ſolitam. Et quum vxorem Aberadam eo tēpore amiſiſſet (ex qua filium ſuſceperat Boemundum) tunc alteram accepit, Giſulphi Tarentini principis ex Guaimaro fratre neptem. Tantis rebus proſpere confectis,

Robertus Apuliæ dux cum papa fœdus init.

Robertus robur (qua erat prudentia) ſolidiſſimum rebus ſuis adiicere conſtituit. Etenim oratoribus ad pontificē Nicolaum miſſis, illum, vt ad res Apuliæ & Calabriæ cōponendas, paterno ductus amore accederet, hortatus eſt. Pontifexq́; (quem capitaneorū Romanam terrā tenentiū ſuperbia atq; perfidia dies noctesq́; trepidum atq; anxiū teneret) cum illis oratoribus ſe in Apuliam contulit. Facile aūt fuit, pontificē Robertumq́; cupientiſſimos, ad fœdera pacemq́; perducere. Pontifex ergo Nicolaus Robertū Guiſcardum, ab excōmunicatione abſolutum, ducē Calabriæ & Apuliæ declarans, illū per conſcripta fœdera iureiurando confirmata, quicquid de terra eccleſiæ teneret (& in primis Beneuentum) reddere voluit. Et Guiſcardus ſeſe cōſtituens eccleſiæ Romanæ vaſallū, vel (quod eius regionis verbū eſt) ligium, Romano pontifici, quæcunq; peterentur præſidia mittere, ac quando opus videretur, cum omnibus copiis afferre ſpopondit præſidiū. Tumultuabantur Romæ capitanei, & in primis Cincius Romani præfecti filius. Imperator Henricus III. eccleſiam fatigabat. Robertus Guiſcardus, iam dux Apuliæ, qui bene de ſe ſperanti pontifici opem tuliſſet, pellendis Italia Græcis implicitus erat.

Robertus multa Italiæ oppida capit.

Nam & Conſtantinopolitani Imp. per ea tēpora ſatis erant domi inquieti. Sciens aūt Robertus, Kirachum imperialem capitaneū, qui ſummæ rerum eius in Italia præerat, apud Veſtā Apuliæ immunitam ciuitatem degere, eò ex improuiſo ducens, vrbe capta illum quoq; intercepit. Pari deinde ducendi exercitus rapiditate vſus, Montempiloſum vrbē obſedit. Quumq́; diutius ad eam ſedendū ſibi intelligeret, Godfredū fratrem illis præfecit caſtris: maiores copias in Barulium ducens, capiendo oppido fecit neceſſarios apparatus. Inerāt verò ſelectæ ex vrbibus oppidiſq́; Græcorum copiæ: vt natura loci tantiſq́; defenſoribus munitū oppidū, nulla vis expugnatura videretur: commeatus quoq; qui deerant, vt in tutiſſimū arcis beneficio portum, vndiq; importabantur. Quod quum cerneret Robertus, magnum, vt oppidanos intercluderet commeatu, aggreſſus eſt opus.

Roberti in obſidione opus.

Etenim multis nauibus in portum cōtractis, eas ſibi inuicem contiguas ea ratione colligauit concatenauitq́;, vt ab extremo, in quo arx erat, promontorio in continentem ad hemicycli formam ductæ, portum clauderent: per eamq́; tanquam pontem, oppugnandi in circuitu oppidi accepit facultatē. Nec potuit pertinax præſtantis ducis virtus euincere, quin ea obſidio vi continuata, cum à gerēdis maioribus diſtinuerit. Tertiis tamen caſtris obtinuit. Interea Rogerius fratrū Roberti vnus, Brunduſiū terra mariq́; premebat. Cui Godfredus frater, Mōtepiloſo potitus, ſe addiderat, claſſi quam Brunduſino in portu Rogerius tenuerat, Godfredum præficiens, vt eam circumageret, & Rhegium duceret, imperauit.

CAP. 8.

Normanni in Siciliam.

IN eodem tempore, terreſtribus cum copiis Robertus & Godfredus cum claſſe ſunt Rhegium delati. Inde conſcenſis nauibus in Siciliam traiicientes, Panormum primum de Siculis vrbibus, terra mariq́; obſederunt. Interea Richardus Normannus, Roberti frater, vt putat Blondus, iam oblitus quòd illū nō inter duodecim numerauit. Ego arbitror illum fuiſſe Richardū, quem per hæc tēpora minuendæ multitudinis cauſa, domo egreſſum, in Italiam contendiſſe, Sigibertus teſtatur.

Sup. cap. 2.

Is igitur Richardus & Wilhelmus filius, Capua ſibi ſubiecta, Beneuentoq́; inuaſa, Ceparanum obſidebāt. Nec ſatis ſciri poteſt, eáne Roberti ducis cōſenſu fuerint intentata: quem dignior atq; ardentior ſuſcepta, & ſe totum poſtulās expeditio, apud multos ea ſuſpicione liberat. Nam per id tēporis Rogerius (qui à fratribus Roberto & Godfredo in Siciliam traiecturis, ad Brunduſij obſidionem relictus eſt) magnū accepit incommodū, quòd introducti nocte de quarta vigilia, ad ſimulatam proditionem Normanni proceres ad quadraginta, & totidē gregarij milites, à Brunduſiis ſuffoſſi: quorum capita ad Imperatorem Conſtantinopolitanū ſunt delata. Robertus aūt Panormi obſidionem diu duraturā intelligens, Godfredo caſtris præfecto, per Kal. Aprilis in Apuliā ſe contulit, Tranamq́; obſedit. Et Ianuario menſe, qui ſecutus eſt

1070. annū (vt ſuprà) LXX. & milleſimū, Godfredus Panormo, Robertus Trana vrbibus ſunt potiti: nec Richardo atq; Wilhelmo quicquā præſidij attulerunt. Hildebrandus enim archidiaconus, de Normānorum perfidia apud Mantuam certior factus, Godfredum & Matildim vxorem, aduerſus illos poſtulauerat ſuppetias. Ad quorum viri & vxoris, cum archidiacono copioſiſſimoq́; exercitu, in Campaniæ partes aduen-

aduentum, territi Richardus & Wilhelmus, capta de terra & iuriſdictione eccleſiæ reliquerũt. Pauloq; pòſt quàm archidiaconus cum copiis illis Romam cum gloria reuerteretur, Alexander pontifex, precibus Imperatricis Agnetis, Guilbertum pridem antipapam, fecit archiepiſcopum Rauennatem. Idem pontifex Normannos, iam (vt putabat) intolerabiles, ſtatuit coercere. Cuius ad vota conficiendi gratia, Godfredum cum Matilde coniuge ſibi iunctiſſimos habuit. Iamq; præmiſſas à viro adducendas è Lombardia copias, Matildis iter inire iuſſerat, quum nondum in ſummum pontificem, epiſcoporum Italiæ coniuratio emicuit. Robertus autem Guiſcardus rem ſuam diuerſis in locis auxerat. Nam S. Seuerini loca natura munitiſſima, & Conſentia vrbibus, de Apulia, potitus erat. *Roberti opes creſcunt.* Intuleratq; bellum Siſulpho principi Salernitano, cuius ſororem habuit coniugem: & eo in bello tam ardẽs Robertus fuerat, vt inde in ſeptimum menſem Siſulphus deditione facta, Salernum cum arce prodiderit. Exinde Robertus copiis in Beneuentum raptim & nullo id præſentiente ductis, eam vrbem terq; quaterq; ad primos inuaſionis dies breui cepiſſet, niſi Gregorio pontifici, vt deſiſteret hortanti, parere voluiſſet. Et tamen Robertus, ne ab ea expeditione domum vacuus rediret, Vicum inuadens oppidum, recepit. Eodemq; anno, qui octuageſimus ſupra milleſimũ fuit, 1080. Michael Conſtantini filius, cum filiis tribus, Michaele, Andronico & Conſtantino, à Nicephoro cognomento Binamet, per vim & arma Cõſtantinopolis imperio ſunt deiecti. Et Robertus Guiſcardus, Imperij ipſius debilitati (quam hæ rerum nouitates facerent) innixus, Spinacrobo, Hydrunto & Tarento Græcos expulit.

CAP. 9.

DVMQVE Tarentum obſidet, Michael Diocliſi Conſtantinopoli pulſus, ea in caſtra venit incognitus: & Robertum allocutus, eo hortante, Romam ſe cõtulit ad pontificem. Per cuius ſubleuandi occaſionem ſumptã, factum eſt, quòd Gregorius pontifex, ſe ad conciliandum eccleſiæ Robertum inſinuauerit. Compertumq; eſt poſtea, Robertum, eadem ratione pulſo patria Imperatori Henrico quarto, vt pontificis opẽ peteret, ſuaſiſſe. Primus tamen pontifex Gregorius Roberti colloquium expetiuit ad Ceparanũ, qui locus conuentui conſtitutus eſt. Quo in conuentu Robertus ligium ſe (quod eius regionis verbum, totalem ſignat ſubiectionem) pontifici & eccleſiæ iterũ fecit, & B. Petri vexillo à pontifice donatus eſt. *Robertus ſe eccleſiæ Romanæ beneficiarium agnoſcit.* Quinetiam pontifex, vt Robertus in reſtituendo Michaele maiorem haberet autoritatem, inuaſorem Imperij Nicephorum excommunicauit. Nec mora, his apud pontificem confectis, Robertus Hydruntum petens, iuſſis eò copiis cõuenire, Rogerio exinde natu minori res Italiæ commendans, alteri filio maiori Boemundo, præfecturam naualis militiæ commendauit. Ipſe cum Michaele Diocliſi nauim prætoriam cõſcendens, primus omnium tradidit vela ventis. Impoſituſq; nauigio copioſus æquè ac paratus fortiũ virorum exercitus, proſpera vſus nauigatione, ad Auelonem eſt perductus. Prima autem ad Dyrrhachium caſtra à ducibus firmata ſunt. Quamobrem terra mariq; obſeſſum, breui capere ſperabant. Nicephorus verò Imperator (quòd ea Imperij nouitate aliter non poterat) Venetos, vt preſſæ vrbi opem afferrent, orabat. Qui Dominico Syluio duci ſuo, vt triremiũ onerariarumq; nauium claſſe educta Imperatori ſatisfaceret, publico conſilio permiſerunt. Duxitq; in Normannos duces Syluius claſſem: quam finis oſtendit ingentem paratiſſimamq; fuiſſe. Namque Normannorum congreſſa claſſi, victoriam (ſed cruentam maximè) obtinuit: & mare Dyrrhachinis redditum eſt apertum. *Nicephoro, quẽ Robertus oppugnabat, Veneti ferunt auxilium.* Continuauit tamen terreſtrem oppugnationem Boemundus. Nam paulò poſt eum conflictũ, Robertus Michaelem Diocliſi ſecum ducens, ad reparandam claſſem ſe cõtulit in Italiam. Interea Nicephorus Imperator, iis quæ apud Dyrrhachium facta erant, indieſq; fiebant, auditis, exercitum in Dalmatiam ducendum parare conſtituit. Et quum ſuas, Græcorum Thracumq; copias, minores quàm belli neceſſitas poſceret, fore iudicaret, Alexiũ Mega, magiſtrum militum (cui multùm fideret) miſit Andrinopolim, magna attributa pecunia, vt Turcas, Sarracenos, & ex omni gente conduceret milites. Ille nouorum militũ in ſe vertit ſacramenta: & veteranorum fauorem emercatus, ſtipendia Imperatoris nomine negabat: quærentes autem & penè tumultuantes, de ſuo donauit. Quibus rebus & Imperatori odiũ, & ſibi gratiam conciuit: adegitq; his ar-

Nicephorus imperiũ, eadẽ arte qua occuparat amittit.

ribus, vt ſe Imperatorem conſalutarent, poſcerentq́; duci Conſtantinopolim. Quo audito, vrbem triduo diripiendam ſe permiſſurum pollicetur. Qui portis præerant, corrupti pecunia, aditum permiſere. In Cœna Domini ingreſſi, eam vrbem tanta calamitate, ſtupris, incendiis, rapinis, latrociniis oppreſſere, vt nihil vnquam ſimile vlla haberet memoria: profanata templa. Nicephorus eam inuenit gratiam, vt tonſoratus in monachum, vitam retineret. Alexius per ſacrum Dominicæ reſurrectionis diem coronatus Imperator, exercitũ à præda & iniuriis iuſſit reuocari. Omnem nouatarum rerum culpam in Nicephorum traiiciens, Michaelem Michaelis Dioclisi filium, cõſortem Imperij declarauit: cumq́; præpoſitum nouis exercitibus miſit in Dalmatiam. Boemundus interea terreſtrem, Robertus (dimiſſo in Italia Michaele) reuerſus cum claſſe, à mari obſidionem firmauerunt. In quos quum Græci Imperatores terra mariq́; impetum viderentur facturi, Italici duces copiis in aciem eductis, pugnandi copiam fecerant. Commiſſoq́; prælio (quod durum & vtrinque cruentum fuit) Michael Imperatorum alter cecidit: Alexius in fugam cõuerſus, lacerum diſſipatumq́; reduxit exercitum. Fuiſſe aũt in exercitu Alexij LXX. millia ferunt: Normanni longè minores habuere copias. Secundum eam victoriam Dyrrhachini, Imperatoris ſui præſidio deſperantes, vrbem Roberto dederũt: pariterq́; multa Dalmatiæ oppida, prius etiam quàm eſſent adita, fecerunt deditionem.

Robertus victis Græcis, Dyrrhachio aliiſq́; oppidis potitur.

CAP. 10.

Robertus à pontifice aduerſus Henricum imperatorem acerſitur.

INTEREA Henricus eius nominis quartus, quum aduerſus Romanum pontificem vſque ad vrbem Romam peruenisſet, & illum in mole Adriani concluſiſſet: vnum illi præſidium erat in Roberto Normanno, duce Apuliæ & Calabriæ. Ea fuit potentiſſimi ducis autoritas, vt & Imperatoribus & ſummis pontificibus tutandis aduocaretur. Nam quum intellexiſſet Robertus quo in ſtatu Roma eſſet, põtifexq́;, quum premeretur ab Henrico Imp. IIII. qui Romam cepiſſet: præfecit rebus Dalmatiæ Boemundum filium, & ſe contulit in Italiam, expeditiſq́; copiis duxit in vrbem Romam. Quum autem eſſet apud Ceparanum Robertus, ad Henricum IIII. miſit Imperatorem: qui bellum illi & capitis periculum, niſi vrbe & eius agro excederet, denunciaret. Henricus vrbe Roma ciuibus cõmendata, ad B. Petri baſilicam ſe contulit. Inde militibus capitolio euocatis (quod illi incenſum reliquerant) magnis itineribus Senas contendit. Contigitq́; vt eodem die ac hora ille vrbem Senarum, Robertus Romam attigerint. Ciues Robertum vrbe diſcludere promiſſis bonis moliuntur, at ille inuicem ſimilibus redditis, ſe ludificabat. Ipſe tamen per amicos Flaminia Petri introducitur. Irruerunt armati ciues, viq́; illum vt expellerẽt intentarunt. Qua cauſa factum eſt, vt proxima in campi Martij regione, Guiſcardi copiæ ſubiecto igni, eam quæ nunc quoque cernitur, fecerunt vaſtitatem. Nam quicquid ex porta Flumentana (nunc populi dicta) hinc ad S. Syluestri, & S. Laurentij in Lucina, inde in ſanctorum Tryphonis & Auguſtini ædes pertinet, id abſumpſit incendium. Quia verò apud capitolium rebelles & aduerſantes pontifici ciues coactos eſſe audiret Robertus à campo Martio per Exquilias vadẽs, petit Lateranum. Vbi aliquot deſedit dies, expectans ſi fortè (quod à ſequæri omnes nouerant) pontificis liberandi ciues facerent mentionem. Sed præliis potius apud amphitheatrum (nunc coloſſeum) commiſſis cogebantur per ſingulos dies milites ſui decertare. Quod quum diutius ferre Guiſcardus non poſſet, ædes ciuium domoſq́; tunc frequentes (quotquot hinc à coloſſeo per Lauianam viam, ad martyrium Petri & Marcellini, inde ad Sanctorum Ioannis & Pauli per Cœlium montem, ad Lateranum pertinent) incẽſas diruit: quam pulcherrimæ regionis vaſtitatem ad tempora noſtra continuaſſe videmus. Peruicit tamen robuſtiſſimi ducis fortitudo & præſtantia, vt Capitolinũ caperet collem: vnde facta velut deditione, ciues ad eum concurrerunt. Qui rectà ad caſtrum Creſcentij, cum armato exercitu incedens, diſiectis murorũ repagulis, pontificem eductum in ſuam Laterani deduxit ſedem. Et tamen quia abalienatos animis ab eo ciues, extrema in eum intentaturos formidarat, illum perduxit Salernum: vbi etiam pontifex vitam finiuit.

Roma à Roberto incenſa vaſtatur.

CAP. 11.

Robert⁹ imperiũ occupare cogitat.

ROBERTVS autem dux maiora animo agitãs, inchoatam in Dalmaria victoriam proſequi, & Conſtantinopolitanum (quod affectabat) imperiũ inuadere perrexit. Quia verò terreſtri exercitu Boemundum filium non ſatis valere conſideret, claſſem

claſſem ipſe parauit ingentem. Ad cuius inchoatæ initium territus Imperator Alexius, orauit Venetos vt claſſem pro viribus ingentem pararent, ſuæ, quam breui educere parabat, coniungendam. Veneti, Roberti potentiam (ſi augeretur) ſuę libertati aliquando ſuſpicantes obfuturam, claſſem pararunt ſpe Alexij grandiorem: quam Dominicus Sylvius, Venetorum dux, Corcyram vſque perductam, Græcorū & venientis Alexij nauigio coniunxit. Vixq; claſſes coniunctæ erant, quum alto iam mari nauigantem Robertū traiicere in Dalmatiam, Venetorum ſpeculatores nunciauerunt. Velis itaq; ſublatis, Alexius Dyrrhachium, vt hoſtē portu prohiberet, properans delatus eſt. Nec tamen ea longè viſa numeroſi nauigij claſſe, aut in alto conſtitit, aut obliquo flexit Guiſcardus: ſed prioris hoſtium proras petēs armis, viam aperire perrexit. Pugnatum eſt vtrinq; ſumma virium & audaciæ paritate: quo factum eſt, vt pari quoq; euentu prælium dirimi nequiuerit. Guiſcardus tamē, ſiue pro ſolita fortitudine & fortuna, ſiue quia Dyrrhachini portus propinquitas, & ſtans in littore armatus Boemundi exercitus, aliquod ſuorum animis robur addiderat, ſenſim ſuperior euadere cœpit. Et vbi vnā ſuarum nauiū Alexiani mergerent, binas ille Græcorum Venetorumq; mergebat. Fractis itaq; & fugatis hoſtibus, male integram claſſem Guiſcardus Dyrrhachium perduxit. Alexius verò ad ſiniſtram, ad dextram Sylvius fugientes, hic Venetias, ille Peloponneſum nauigarunt: & malè tractatum, ob amiſſæ claſſis inuidiam, Dominicum Sylvium Veneti ducatu deiecerunt. Suffectuſque dux Vitalis Faledro, Croaciæ & Protoſeuaſtos titulis ab Alexio Imperatore ornatus, claſſem & ipſe Venetiis armatam, ad illum auxilio duxit. Poſtquam autem Guiſcardus & Boemundus filius, de ſumma belli in Conſtantinopolim inferendi aliquot conſultauerant menſes, attulerunt ad eos Dalmatæ ſpeculatores, auctum Veneta claſſe Alexium (vt in Dalmatiam duceret) claſſem prima maiorem paratioremq; Peloponnoſo ſoluiſſe. Quamobrem & ipſe Dyrrhachio ſoluens, in altum ſe contulit, obuiæque ſibi caſu claſſes apud Saſinum conflixere. Maiori autem quàm anteà damno, Imperator Alexius & Venetus dux ſuperati fugatique fuere. Robertus autem Guiſcardus ad Caſſiopam inſulam delatus, eo qui tunc erat Iulio menſe, ibi vita functus eſt.

Robertus naualı prælio aduerſus Græcos victor.

Robertus ſecundo moritur.

CAP. 12.

ROGERIVS filius patri in ditione Italica ſucceſſit. Nam ei illico omnes de Italia populi (præterquam Siciliæ ciuitatū) ſicut & genitori, paruerunt. Et quum Boemundus nullam ſibi in Italia ciuitatum partem dari propriam indignè ferens claſſem terreſtreſq; copias Hydruntum adduxiſſet, quæcunque genitori & ſibi in Dalmatis paruerūt, ad Alexium defecere. Interea Rogerius dux Capuam vrbem cum exercitu potentiſſimo inuaſam, ceperat: cui etiam omnes quicunque hinc à Tibure, inde à Velitris ad Campanum pertinent agrum (Romani pontificis Romanique populi eneruatis tunc viribus diffiſi) ſeſe permiſerant Rogerio gubernandos. Boemundus interea quàm primùm quaſſatos de nauigatione equos ſatis quieuiſſe, & milites omnia bello neceſſaria comparaſſe vidit, Hydruntum profectus, in Rogerium fratrem duxit. Cum quo apud Fornetum Beneuenti, aciebus vtrinque ordine ſtructis, conflixit. Decertatum eſt prælio haudquaquam cruento: quòd comites paterni, in vtroque exercitu ducentes, à Rogerio impetrauerunt, vt permiſſa Boemundo Apuliæ parte, ducatus ipſe titulum & cætera retineret, quæ genitor de Italia poſſediſſet. Secundum quam pacem Rogerius Melphim ad Vrbanum pontificem ſe cōtulit: & ligium ac vaſallum Romanæ eccleſiæ obligans, ducatus & paternæ ſucceſſionis confirmationem ab illo obtinuit. Exinde traiiciens in Siciliam, cepit Syracuſas. Quo tempore Adeliſam, Roberti Friſonis Flandrenſium comitis filiam, Kanuti potentiſſimi Angliæ & Daniæ regis relictam, matrem Caroli Flandrenſium comitis, quem Brugenſes interfecere, duxit coniugem: ex qua genitus eſt illi filius Wilhelmus. Per id tempus Boemundus, conceſſis à Rogerio fratri ciuitatibus parum contentus, Melphim quoq; furto ſurripuit. Quod Rogerius vt tolleraret, quum nullis paternorum comitum ſuaſionibus adduci poſſet, bellū vtrinq; paarri cœptum. Primuſque Rogerius, quod à Sarracenis magnam Siciliæ partem tenentibus, & reliquis ſuæ ditionis de Sicilia (quum inde mouiſſet) ſibi deuinxiſſet, viginti illorum millia ſtipendio conducta, in Italia ſecum traxit. Illico adiunctis co-

Roberti filij inter ſe diſſident.

Rogerius Syracuſas capit.

Fratrū gratia male ſibi cohærens diſſoluit.

pĳs quas ex Calabris, Salentinis, Lucanis & parte Apuliæ ſibi ſubiecta contraxerat, in Melphim ductus eſt. Boemundus verò ad decem millia habens milites veteranos ſub ſe nutritos, & diſciplinam edoctos militarem: in propinquo Melphi natura munito ſe continens loco, vrbem ſua præſentia ſtatuit conſeruare. Quod vt melius facere poſſit, fœdera iniit cum Richardo Beneuentano & Capuano principe, paterno hoſte: qui ea fratrum diſcordia fretus, in patriam reuerſus eſt.

CAP. 13. INTEREA parabatur magna illa in terram ſanctam expeditio, duce Godfredo cum fratribus comitibus Boloniæ Galliarum. Erat verò tum magnus Chriſtianorum exercitus, tam pacatus inceſſus, vt nihil, qua ireut, hoſtile, nihil incommodi timeretur. Vnde factum eſt vt Rogerius & Boemundus fratres, de Melphi ciuitate acerrimè contendentes, quia nihil ſuis vrbibus & oppidis timuerunt, loco non mouerint. Generoſior tamen animo Boemundus, tot principes fama clariſſimos ad bellum, gloriæ plurimum & meriti habiturum ire intelligens, laudabili exarſit æmulatione: & ab ipſis principibus viris, quos illico allocutus perſuaſus eſt, liberum Rogerio fratri fecit, Melphimne, an cætera quæ ſibi eſſent de Apulia, occupare vellet. Signatum ex more ferunt, eductis ex veſtiario purpureis chlamydibus binis, multas exſcindiſſe rotulas: quibus tum Italicæ gentis ad XII. millia viri cruce fuerunt ſignati. Mouit autem Rogerium fratrem Boemundi generoſus animus: iſque liberum faciens commilitonibus ſuis, vt qui vellent illum in Græciam ſequerêtur, Melphis obſidionem ſoluit. Tunc Tancredus nepos Boemundo adhærens, illum in expeditione eſt ſecutus. Tranſierunt omnes ea ſpe atque animo, vt aut terrã ſanctam perfidis adimerent, ſibi in reliquum habitandam, aut vitam Chriſto Domino impenderent: certi aut vincere aut mori. Quare nihil ſibi reliqui in ſua quiſque patria reliquit. Quos verò & quàm magnas res in ea expeditione Boemundus geſſerit, quoniam multorum literis (& nouiſſimè Sebaſtiani Brand, in opere ad illuſtriſſimum dominum Romanorum regem Maximilianum, inclaruit) prætereundum hoc loco putaui: ne in infinitum decurreret ſolis Normannis in commemoratione vocandis, hac parte ſuſcepta narratio. Nam & Blondus eam rem eleganter explicuit, nos in hac parte releuans. Neque enim Boemundi res præclaræ ſine totius belli commemoratione poſſunt explicari. Vno commemorato, quod paucis viri gloriam commẽdat, ad reliqua tranſibimus. Primus ille Antiochiæ promeruit dominationem: ſine illo nihil præclarè geſtum, per illum verò ſolum plurima. Rediit in Italiam, ſuorum ſimultates eradicaturus, vt res componeret. Regis Franciæ filiam Conſtantiam accepit vxorem. Imperatorem Conſtantinop. bello tenuit, & quas voluit conditiones extorſit, præcipuè vt expeditum faceret tranſitum venturis Europa militibus in terram ſanctam. In quam & ipſe poſt triennium rediit, in pace ſanctâ finiens, cum filio Antiochiæ ſepultus.

Sacra militia fratres ſtatim recõciliauit.

Boemundi laudes.

CAP. 14. WILHELMVS Rogerij ducis filius, Roberti nepos, mortuo patre, ſuccedit in ducatu Calabriæ, apud Gelaſium pontif. legitimam promeritus de ducatu inueſtituram: quum & ab eodem pontifice Robertus quoque Capuam, & Richardus de Aquila, principes feudum ſuum accepiſſent. Nam nouo ſe illi fidelitatis ſacramento obligauerunt. Qui etiam aduerſus Henricum V. Imperatorem, qui patre depulſo ſucceſſit in Imperio, pro eccleſia duxerunt exercitum: & illum redire in Germaniam perpulerunt. Interim Rogerius ex Normanna gente vir primarius, quum Siciliæ comitatum adminiſtraret, mouit in Italiã: & capto Camiſio pòſt breui diſceſſit, filium ſui nominis Rogerium relinquens ſucceſſorem. Non ſatis explicãt autores, filius ánne aliquis ille fuerit magna de ſtirpe Roberti Guiſcardi, an Wilhelmi, qui primus Siciliam cum conſortibus tulit de manu Sarracenorũ: Normannorum tamen ſtirpis fuiſſe, cõpertum habemus. Iam enim rebus de Italia proſperis in Normaniam Galliarum nunciatis, multi acceſſere. Quod & Saxo noſter de Richardo, & Sigibertus de Roberto Wilhelmoq; commemorat. Nec diſſentit Blondus: qui tantam in ea gente cõiunctionem fatetur, vt nuptias ſibi conciliarent in Italia morantes Normanni, áb ea gente quę Gallias incolit. Quod in Adeliſa claruit, Kanuti Daniæ regis relicta, Roberti Flandrenſis filia: ex qua Rogerius hûc ſuſtulit filium, Apuliæ ducem, quem deſcribimus. Nam & Normãni nobiles in vrbe Roma fuere

Petrus apoſtolus principes clientes habet.

Normanni in Italia, ex patria quæ in Gallia e[illegible] uxores accipiebãt.

ciues,

ciues, præcipuè ſemper eccleſiæ ſtudentes: quos etiam vexilliferos habuere in ſeditioſos Imperatori ſtudentes. Qui tamen Euſebij Cæſarienſis calculum de temporibus cōtinuauit, tradit eum Rogerium fuiſſe Roberti Guiſcardi fratrem, vnde comites Italiæ deſcenderunt: nam Guiſcardus quæ de Sicilia ceperat, fratri Rogerio traditur permiſiſſe. Cui & Blondus adſtipulatur. Quum autem Calixtus iam eccleſiæ Romanæ præſideret, Wilhelmus dux inter alios ſacramento renouato, pontificis defenſionem accepere, confirmati ab illo in ſua quiſque ditione. Inde auctus animis, oblatā aliquando Alexij Imperatoris Conſtantinopolitani (pridem vita functi) filiam in matrimonium accipere conſtituit: malo id quidem cōſilio, peiori exitu Alexium omnibus Chriſtianis hoſtem, maximis cum Roberto auo ſuo & Boemundo patruo odijs cōſtitit declaraſſe. Quum tamen Rogerij Siciliæ comitis, conſobrini ſui ambitionem duceret ſuſpectiſſimam, non prius Italia eſt profectus ad vxorem (ſicut petebatur) Conſtantinopoli deſponſandam, quàm Calixtus pontifex Apuliæ ducatum, & cæteram de Sicilia terram, vſque ad fretum Siculum (tunc ducatu comprehenſam) in ſuam & Romanæ eccleſiæ tutelam protectionemq́; ſuſcepit. Vix dum verò medium iter ſuum enauigauit Wilhelmus, quum Rogerius Siciliæ comes, ſuſceptam à pontifice tutelam ſibi notam parui faciens, Calabriam inuaſit: & prius dimidiā cepit, quàm pontifex de afferenda ope poterat cogitare. Qui Hugonem cardinalem à Beneuento præmittens Roma, & ipſe cum cardinalium collegio & Romanorum copiis tumultuariè eſt profectus. Inuentum ad arcis Nicephoræ Hugo Rogerium obſidionem mouentem, nec precibus inde nec cōminationibus potuit deterrere. Pontifex interea Beneuentum delatus, infauſta in expeditione multos ſibi chariſſimos febribus correptos amiſit: & ipſe mala pariter vſus valetudine, lectica in vrbem æger mœſtusq́; relatus eſt. Qua fretus bene gerendæ rei occaſione Rogerius, Calabriā omnem Apuliamq́; ſubegit. Wilhelmus verò vxoris ſpe fruſtratus, quum ad affinem Salernitanū principem in Italiam reuerſus cōfugiſſet, diem ibi nullis relictis filiis obiit. Ex eo tempore Rogerius tantarum rerum ſucceſſu elatus, non ſe vltrà Apuliæ & Calabriæ ducē atq; Siciliæ comitem, ſed Italiæ regem cœpit appellare: quod magnis auctus viribus, omnem teneret ditionem quæ nunc in duo regna manet diuiſa, vtriuſque Siciliæ, intra & vltra Pharum. Ergo ambitio Siculi principis regium ſibi nomen deſumpſit.

Rogerius Siciliæ comes papam bello laceſſit.

Rogerius regium nomē ſibi ſumit.

CAP. 15.

REGIVM ſibi nomen Rogerius, Rogerij filius, Siciliæ comitis, ex gente Normānica, primus deſumpſit. Sed multa interuenere, priuſquam fundatum bene regnum tranſmitteret ad poſteros. Temeritas dedit initium, ſchiſma eccleſiæ cōtulit prouectionem: ſed demum legitima ſucceſſio confirmauit. Ad quam quum narrationem protulerimus, in noſtram Noruagiā paulò pòſt reuertemur. Calixtus pontifex multa in Rogerium Siciliæ comitem, ſe regem Italiæ appellātem, animo non minus celſo quàm irato dum molitur, diem ſuum obiit. Succeſſor eius in pontificatu Honorius, in vrbe ſe continuit. Viſus eſt enim timere, ne duo factioſi geniti Romana gente, in quorum controuerſia papatum acceperat, per abſentiæ ſuæ occaſionem motus aliquos intentarent. Interim Innocentius II. anno poſt natum Chriſtum MCXXX. Honorio ſucceſſit. Qui ſuperbiam tyrannidemq́; Rogerij Siciliæ comitis, ſeſe Italiæ regem appellantis, ægerrimè tulit: adeò vt iracundia magis tractus, quàm viribus neceſſariis ad tantam rem agēdam fretus, tumultuario contractum impetu exercitum in illum duxit. Tantaq́; profectus eſt celeritate, vt Rogerius (qui nullos reſciſſet à pōtifice factos eſſe apparatus) apud S. Germani oppidum improuiſo impetu ſit repulſus. Eoq́; oppido vi capto, tyrannum in caſtro Gallinio, in quod ſe de fuga receperat, pōtifex obſedit. Filius aūt Wilhelmus, Calabriæ dux, cum exercitu veniens, ſoluit obſidionem, pontificemq́ue cum cardinalibus capit. Vſus tamen modeſtia Rogerius, pontificem cum cardinalibus ſuis liberat: & quicquid voluit, ab eo, præterquam regni titulum, impetrauit. Reuerſus Romam Innocentius adulterinū in pontificatu nouum ſibi affectum reperit Petrum, Petri Leonis filium, qui ſe Anacletū pontificem appellaret. Fretus erat Petrus non magis nouo Innocentij pontificis caſu, quàm electione (licet diſpari) vtriuſq́; ipſorum facta: in qua Anacletus longè fuerat ſuperatus. Spoliauerat Petrus, abſente Innocentio,

1130.

Papa armis clientem ad obſequium reducere aggreſſus, capitur.

primarias vrbis eccleſias (principis apoſtolorũ, virginisq́; matris maiorem, & Lateranenſem) aureis argenteiſq́; ornamentis: & cõflata inde ingenti pecunia multos in vrbe corruperat, adeò vt ea multitudine ſuis addita cognatis, põtificis potentiam in vrbe obrueret. Quamobrem ſibi ac ſuis timens Innocentius, Conrado Sabinenſi epiſcopo cardinali, vicario ſuo, in vrbe relicto, Roma migrans, cum cardinalibus & curia, per Piſas & Genuam, ad Philippum regem in Franciam delatus eſt.

CAP. 16. *Papa adulterinus regẽ adulterinũ conſtituit.* INTEREA Petrus in Anacletum profanatus, pertẽtatum ſeduxit, vt rex appellatus ſe Romanum pontificẽ adoraret, idolũ videlicet veneraretur ſimulachrum. Sicq́; factum eſt, vt omniũ Normannorũ primus abſurdo vtriuſq́; Siciliæ titulo regni ſit abuſus: qui omnem terram de Italia complecterentur, quam nunc quoque regnum Siciliæ appellamus. Innocentius autem in Francia celebrato concilio, Lotharium, tum aſſumptum regem Romanorum, ſecum ducit in Italiam, inq́ue vrbem Romam cum exercitu perduxit. Erant in vrbe ciues non pauci, qui fauerent Innocentio: qui quum exercitum ſecum haberet Alemannorum, non ſe auſus eſt Petrus Anacletus commouere, ſed paternis in ædibus delituit. Imperatore autem, propter intemperiem æſtus, rurſus in Germaniam contendente, pontifex Piſis celebrauit concilium, in quo aduerſus Petrum multa conſtituit: ſed in vrbe & Rogerij ditione, multa per abſentiam Innocentij ſunt innouata. Quare iterum acceerſitus à pontifice Imperator, aderat cum exercitu, Piſaniq́; illum claſſe promptiſſima auxerunt. Priores Piſani Amalpham Riuellumq́; ducentes, vtranque vrbem & agri earum oppida vi capta diripuerunt. Pontifex aũt & Imperator terra profecti, prius Barulum vſque duxerunt, quàm populum offenderent contraria ſentientem. Itaque Barulo obſidione circundato, Rogerius ſibi timens, dum in Siciliam confugiſſet, omnia amiſit quæ in terra Itala occupauerat. Cui cuſtodiendæ terræ, pontifex Rainonem, Lotharij Imperatoris comitem (attributo titulo ducatus Apuliæ) cum aliquot Germanorum cohortibus præfecit. Tantiſque rebus non magis fœliciter quam faciliter cõfectis, redierunt in vrbem principes, & Lotharius in Germaniam reduxit exercitum. Moritur deinde Petrus Antipapa, & Innocentius ad quietẽ peruenit. Interea Rogerius Normannus, per Celeſtini primùm, pòſt Lucij põtificum (rem eccleſiaſticam frigidè adminiſtrantium) tempora, omnem terram de Italia, quam Innocentius Lothariuſq́; abſtulerant, receperat: & modeſtiore quàm prius titulo vſus, ſeſe regem Siciliæ appellabat. Rogerius autem per dictorum põtificum tempora, claſſem in Aphricam duxit ingentem: ac tantis Sarracenos incommodis cladibuſque afflixit, vt rex Tunetis, tributo quotannis promiſſo (quod annis poſtea pluſquam triginta perſoluit) pacem ſit impetrare à Rogerio coactus. Per quæ tempora, Romanorum Imperator Conradus & rex Franciæ Ludouicus, quum ſanctiſſimam peregrinationem in terram ſanctam ſuſcepiſſent, Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator (qui exoſam, ſicut patres ſui, haberet expeditionem illam) fraudes multas, quando aperta vi repugnare non poterat, ſtruxit. Farinã calce miſcuit, & plures ille penè quàm Sarraceni gladio perdidit. Rogerius ergo Siciliæ rex, ſecundo Emanueli tunc Imperatori, cuius dolos fraudeſq́; & inimicum in noſtros omnes animum, melius quàm Gallicus Germanicuſq́; reges nouerant, infenſus, eum bello agitare ac domare conſtituit. Cum claſſe igitur de Aphrica tunc reducta Corcyram, & eius vrbem Corſumum aliquando oppugnatam, Corinthũ quoque & Thebas, ac Eubœam (quæ & Nigropontus) de imperio Conſtantinopolitano cepit, ſpoliauitq́;. In Conſtantinopolim quoque ducturus erat, niſi reſciſſet, Imperatori Venetos bello ſocios, ſexaginta triremium claſſem Petro Bolano duce, ſinu Adriatico eduxiſſe. Flexit itaque dextrorſum Rogerius in Aſiana littora, intentaturus Chriſtianis opem, aut ſi barbaris infidelibus incommodum adferre poſſet: idq́ue Chriſtiano nomini feliciter ceſſit. His itaque aliiſq́ue operibus pietatis inſiſtens Rogerius, poſt omnia morbo conſumitur, optimi & fortiſſimi ducis, & magnifici regis nomen, poſteris ſuis cum laude relinquens.

Rogerius à papa Imperatoru Ger[illegible]bus Italia expulſus, paulò poſt redit.

Rogerius potentiam ſuã in Aphrica & Græcia profert.

CAP. 17. WILHELMVS eius filius regno ſuccedit. Is quamprimum inito regno, arma in Romanæ eccleſiæ terram hoſtilia cepit: & hinc Beneuenti ſuburbana, inde Ceparanum Babacumq́; oppida occupauit. Commouit ea res Adrianum põtificem: cui

cui quum alia in pontificatus ſui nouitate deeſſent arma, exercuit eccleſiaſtica: & Wilhelmo fidelium communione regniq́; titulis priuato, populos, proceresq́; regni eatenus iuramento ſibi præſtito abſoluit, vt nulli facta rebellio fraudi foret. Et quum iam Fridericus eius nominis I. in Imperio eſſet, venerunt Romam nonnulli Apulorum & principis Capuani oratores, pontifici Adriano ſuaſuri, vt ad ſuā de Italia terram, Wilhelmi Normanni tyrannide oppreſſam, per ipſius terræ principum virorum populorumq́; cupientiſſimorum manus recipiendam ſe conferret. Pontifex ſecundo menſe vix apud Lateranum finito, cum exercitu ea tẽporis breuitate contracto, ad Caſſinenſem ſaltum S. Germani oppidum acceſſit. Vbi multos earum regionũ proceres repetit cum copiis expectantes: quos fidelitatis ſacramẽto ſibi & Romanæ eccleſiæ obſtrinxit. Et Roberto principe Capuano Andreaque comite præmiſſis, Capuam ipſe, & inde Beneuentum ſe contulit: vbi cæteros de Apulis Calabrisq́;, & Salernis, qui Caſſini non interfuerant, iureiurando adegit. Dum aũt pontifex Adrianus exercitum tot recipiendis regionibus idoneũ, & Wilhelmo, qui ſecum copiis Salerni continebat, Italia pellendo præparat, Imperator Orientis, miſſo ad populum nuncio, hoc agit, quia iam illi bellum cum Venetis eſſet, Anconitanosq́; in ſpem magnam erexit: ſi tres aut quatuor de Apulia ciuitates ſibi permiſerit, ad Wilhelmum Apulia & omni Italia expellendum operam ſuam pollicetur. Id quum reſciſſet Wilhelmus (iam enim Græci ignaro põtifice, aliquot vrbes ceperant) ad pontificem confugit, eum ſibi conciliare ſtudens. Miſſis Catanenſi epiſcopo, & de nobilitate ſua primoribus, paucis verbis poſtulata in hanc maximè formam proponerent: Vt communioni eccleſiæ reſtitutus rex à pontifice, in vtroque Siciliæ regno confirmaretur. Viceuerſa pollicebatur omnia iuris eccleſiaſtici, quæ occupauerat reddere: & inſuper Paduam, Montem Fuſcũ & Morionem oppida Beneuentanis cõfinia, eccleſiæ & pontifici permittere poſſidenda: Romanis deinde pontifici rebellibus, propria ſubigendis impenſa, operam ſuam exhibere. Auri verò ſummam pollicitationibus parem, quum ſibi tunc paratam non eſſe diceret, dato temporis ſpacio, nihilominus ſoluturum ſe ſpondebat. His conditionibus põtifex, vel ea maximè ratione quòd Græco Imperatori (aliàs ſemper Chriſtianorum hoſti apertiſſimo) parum crederet, pro ſua prudentia aſſentiebatur. Sed quum res in cardinalium collegio eſſet diſcuſſa, tenuit nonnullorum non minus auaritia quàm imprudentia, Wilhelmum Imperatoris Græci fauoribus & pecunia deturbandum. Vixq́; ſatis ſciebant oratores ad Wilhelmum eſſe reuerſos, quando illum paratiſſimo exercitu in Apuliam ducto, omnia euertere auditum eſt: copias namq́; Græcorum & Apulorum apud Brunduſium ſuperauerat. Ad cuius prælij famam, omnes qui de Apulis Salentiniſq́; apud Caſſinum & Beneuentum ſacramento ſe pontifici & Romanæ eccleſiæ obſtrinxerant, ſubitam Wilhelmi fecerũt deditionem. Mouit itaque Adrianum pontificem non magis Wilhelmi audacia, quàm illorum quibus crediderat, Apulorum principum, perfidia, cardinaliumque (qui oblatam occaſionem ſpreuerãt) imprudentia. Et vno eodemq́; tempore hinc Wilhelmo pacis & reintegrandæ beneuolentiæ ſpem fecit, inde cardinales mali conſilij autores, ſe (qui Romam redire ſimularet) in Marſos vſque præcedere iuſſit. Quumque Wilhelmus ad S. Martini baſilicam Beneuentani agri ſe contuliſſet, ad expectantis ibi pontificis Adriani pedes prouolutus eſt. Cui nouo fidelitatis fœdere & ſacramenti religione obligato, Adrianus pontifex ſolita vtriuſque regni iura infeudationemque conceſſit. Hic eſt limes rerum quem nobis præfiximus. Iam ſunt Normanni legitimi reges, iam in Italia & Sicilia fundauere (quod ſuſcepimus oſtendere) regna: hoc eſt illud Danicæ atque Normannicæ gentis decus, quod inueſtigamus. Iamdudum in Longobardia, & tota Italia, Dani Scania egreſſi, regnum firmarunt. Inde in Galliarum littoribus, ſplendidum titulum, cum regione latiſſima ducatum meruerunt. Et inde in Angliam tranſmiſſi, illud quoq; regnum ſibi vendicarunt. Inter quæ tempora in his Apuliæ Calabriæque & Siciliæ prouinciis, duo ſplendida regna conſtituerunt.

Papa in regib. ac principibus deronc pellendo poteſtas.

Wilhelmus papæ ſe clientem profiteri aſſentiẽs, cardinalib. reclamãtibus repudiatur.

Papa inuitis cardinalibus Wilhelmum in clientelarem fidẽ recipit.

CAP. I.

Supra lib. 3. cap. 6. & 7.

DEDVCTA Normannorū gente ad regnū vſq; vtriuſq; Siciliæ, in Noruagiam proſequendā reuertamur: ad ſuperiora tempora recurrentes, vbi narrationē intermiſimus. Nam quum Kanutus cognomento Magnus, Angliam Daniamq; regno coniunxiſſet, effeciſſetq; vt Olauus optimus Noruagiæ rex, ciuili & pluſquam ciuili bello obtereretur, martyr (vt aiunt) Domino cōſecratus, Haralduſq; germanus eius, ſimiles exitus veritus, in exiliū abiiſſet Cōſtantinopolitano Imperatori militare: Kanutus Noruagiæ regnū prioribus cōiunxit: & inter filios partitus ditionē, Suenoni Noruagiā, Haraldo permiſit Angliam: Durum Knutonē Daniæ deſignabat ſucceſſorem. Ipſe nauigans filiorū regna circumibat, omnibus ſuperimperitans. Inter alia verò fortia facta eius, angebat illū ab Richardo Normanniæ Galliarū duce, repudiatę ſororis iniuria. Itaque vlturus (vt ipſe dicebat) ſuperbiā, quòd coniugalia ſacra Richardus temeraſſet, exercitum cōparat in Normanniā Galliarum. Quam in prouinciā quum rex Kanutus expeditionē comparaſſet, iamq; gerendis rebus intenderet: triſtē nuncium de ſublato Haraldo filio, Anglorum rege accepit. Sed ille propior publicæ vtilitatis negocio quàm priuato affectui, neglectis penetraliū ſuorū caſibus, bello inſtitit administrando. Sed iam (vt ſuo loco inter res Normānorum diximus) Richardus iſta proſpiciens, abiit Hieroſolymā. Kanutus aūt iam grandæuus, & qui multū laboris exantlaſſet (nam & Romā cum Imperatore Cōrado, cuius filio Henrico filiam deſponderat, cum non cōtemnendo comitatu petierat) militia grauis, cōtinuos ſudores non ſuſtinens, ex labore morbū contraxit. Sentienſq; propinquare vitæ finē, vocatis proceribus, nequaquā docuit bello abſtinendū, etiamſi ille iam mortē obiret: nam vita functū ſe, velut viuū circumferentes, victoriam iuſſit expectare. Auſpiciis enim ſuis etiam mortui, docuit voto potiundū: nec fefellit morientis vaticinium. Diuturnitate tamen temporum, Dani faſtidia non ferentes, Rotomagenſibus (ad quorū mœnia ſederāt) pacē dederunt, ſi regis ſui mortui funus regaliter exceptum exequerentur. Rapuere cōditionem ciues Normanni, ſolenni regis funere pacem mercati. Hic fuit exitus regis in ea gente omnium victorioſiſſimi & clariſſimi: qui Franciæ terram corpore premit vita functus, & Normanniam, gentis ſuæ prouinciam, reliquiis ſuis honeſtauit. Vt autem Noruagienſibus mortis Kanuti nuncius venit, Danicum detrectantes imperium, Magno Olaui filio regnum detulere.

Dania libro 4. cap. 29.

Kanutum etiam mortuum victoriā ſuis comparat.

CAP. 2.

MAGNVS Olaui martyris filius, procerum regni voluntate, contempto Danico imperio, patri ſucceſſit in regno. Knuto aūt Daniæ rex, cognomento Durus, quum à conſobrino Suenone vocaretur in Angliam, audiretq; vnà defeciſſe Noruagiam: ſtatuit minoris iactura maius conſeruare. Igitur euocato Magno, fœdus cum illo percuſſit, iureiurando confirmatum, vt qui alteri ſuperſtes viueret, vtriuſque regni, Danici atque Noruagici, ſceptra teneret. Tanti arbitrati ſunt proceres eſſe ſub vno rege vtrumq; regnum. In eas conditiones Kanutus Magnum dimiſit, ipſeq; Angliam cunctis Daniæ ſuæ viribus adnauigans petiuit. Magnus paternum regnum quietus tenuit: Kanutus autem poſt biennium emoritur. Cœpitque diſſidium inter Magnum Noruagiæ regem, pactis fœderibus imminentem, & Suenonem, Magni Kanuti ex germana ſorore nepotem: Daniæ proceribus iuſiurandum fœderi inditum, omni iure ſanguinis cenſentibus præferēdum. Erant è diuerſo qui pactionem improbarēt, quæ tamen iuſto ſanguini præiudicium afferret: perquam ſtultum & verecundum reputantes, eorum quibus antea Dani imperitaſſent, conditionibus petere. Sed præualuit iuriſiurandi religio, fruſtratuſque eſt Sueno illa ſanguinis ſpreta ſucceſſione. Magnus exinde vtriuſque regni tenens gubernacula, non tam longam quam deſideratam egit gubernationem: non enim diu ſuperfuit: quamuis & pro patris ſanctitate, & ſuapte nihilominus virtute, ab omnibus plurimùm amaretur. Venationi inſtitit (vt ſolent apricandi gratia principes atque nobiles) &

Dania & Noruagia in vnū regnū coniunctio.

Magnus venationis cauſa moritur.

les) & dum incautus, admiſſo adactoq; equo leporem aut feram aliam ſectaretur, prolapſo per præcipitium equo deturbatur: & baculo, qui frigore duratus extabat, terræq; prominebat, incuſſus, effracta pectoris crate, vitam non longè pòſt finiuit, Suenonemq; in regno Daniæ ſucceſſurem permiſit.

Cap. 3.

Haraldus interea, diui Olaui frater, quum apud Conſtantinopolim ageret, veritus Kanutū, qui fratrem eius perdidit, miram expertus eſt fortunam. Nam homicidij factus reus, cum vnico famulo, qui eum non deſerēdum putauit, vterq; (vt ferunt) draconi obijcitur deuorandus. Carcer hanc fertur habuiſſe formam, vt draconi, ex proxima palude, ad vorandos reos aditus foret. Sed à cuſtode carceris (miſerationis gratia) donatus armilla, beſtiam cunctis mirātibus vicit & occidit. Inde pro virtute vita donatus, etiā liber abire permittitur, vir generoſi (vt cūctis exiſtimatio fuit) ſanguinis. Nemo autem miretur, ſi tam longinquam egerit militiam vir extorris: quum etiam ſuperiori ætate (quod ſuo in loco diximus) teſtantibus Italicis ſcriptoribus, Normanni per tempora Caroli Calui Imperatoris, vaſtatis Galliæ littoribus, atq; Aquitania peruagata, trecentis ſexaginta nauibus ex mari Britannico duxere Conſtantinopolim: ſuburbaniſq; vaſtatis atq; incenſis, in mare Britannicū ſunt reuerſi, & (quod in Dania diximus) Ericus rex, terram ſanctā petiturus, quum in eadem Imperiali vrbe ab itinere feſſus conquieſceret, repererit ſuæ gentis plurimos Imperatori militantes. Et miramur, ſi quando ex Saxone Sialandico legimus, Helleſpontiacos, aut alios Orientis populos, à Danis impugnatos: quibus idem nauigandi fuit vſus qui Noruagijs Normanniſq;: imò (vt præfati ſumus) indiuiſa ſemper maris, præſertim longinqua, fuit Danis Noruagijſq; expeditio. Reuerſus ergo in patriam Noruagiam Haraldus, occupat prouinciam: eaq; ex voto potitus, arma transfert in Daniam, quòd à Magni voce deberi ſibi reputaret. Concurrunt hoſtiliter vtriuſq; regni vires, & arma ad Iutiam perueniūt. Dumq; dubia volitat victoria, Iutij victi multitudine ceſſerunt: ſpontaneumq; exitū eligentes, ſeſe in mare præcipitabant, lethum à ſequām ab hoſte ſibi inferri præponentes. Sueno aūt Daniæ rex, reparatis viribus iterū ducebat in hoſtem. Sed quum adhuc nequaquā numero aut viribus pares hoſti viderentur Dani, ab audacia robur mutuantes, concurrunt animis impigri. Ibi paucorum ſpectata virtus effecit, vt numero impares Dani, viribus pares hoſti viderentur: extractaq; in noctem pugna, incertū victoriæ reliquerunt exitum. Sed Noruagiorū vires noua claſſe aducta augebantur: Dani autem circūſpicientes, quum nihil opis expectarent, deſperatam parti ſuæ victoriam habuere. Quæ res effecit, vt noctu Scanieſēs ſua parte ſubducta, clàm enauigarent. Reddita luce, rex Sueno ſuorum paucitate conſpecta, vbi abijſſe quoſdam ſuorum audiuit, ſpem in relictis viriliter conſtituit: acriterq; confligens effecit ne vinceretur. Tertio autem prælio renouato, (tanta fuit Danorū ad certamen acrimonia) quia numero facilè ſuperati, viribus tamen vinci non poſſent: & proinde incerti qua ſtaret victoria, inuicem diſceſſere. Per quæ tempora, Haraldi Anglorum regis inſolentiam iuniores natu fratres non ferentes, ſpontaneo exilio ad Noruagiæ regem Haraldum profugerunt, opem implorantes aduerſus fratris ſuperbiam. Ille verò (vt erat regni propagandi cupidiſſimus) claſſem expediuit, moturus in Angliam: & peruenit nauigans in mare Britannicum, ad littora regni. Quū ex aduerſo littore Franciæ (quæ Normannia eſt) videt non minorem ſuam claſſem adnauigare, incertum hoſtis an auxilia ſuæ partis demoretur: vbi intellexit in Anglorū regem & illos ducere, partitis copijs diuerſo littore rem ſunt aggreſſi. Haraldus autem rex Angliæ, incertus cui ſe primùm hoſti obijceret, expectat Noruagiorū excurſionem. Vbi vaſtabundi terram Angliæ peruadunt, ab Anglis occupantur: à quibus victi, turpiter naues repetunt. Inde verſi in Normannos, vincuntur. Haraldus Angliæ victus, in obſcuro loco deliteſcens extrahitur, extinguiturq;. Filij eius duo cum ſorore in Daniam migrauere: puella Ruſſorum regi deſponſatur, iuuenes ibi exulantes cōſenuere. Nam Normanniæ dux Wilhelmus (vt diximus) regno potitus eſt.

Haraldus draconem in carcere conficit.

Reuerſus, patria regnum bello vtriſque tuetur.

Haraldus in Angliam nauigat.

Cap. 4.

Olavus atq; Magnus, Haraldi filij, in expeditione Anglicana deficientes, paternum regnum tenuere. Sed Sueno interea rerum Danicarum potitus, tam Anglis quàm Noruagijs hoſtilia denunciabat. Nam de Anglia cum Wilhelmo Nor-

mannorum duce, qui coronam apprehendit, quandiu ſuperſtites ambo fuere, luctabantur. Tentata eſt aliquando principum reconciliatio, ſed fruſtra: magna res, quæ petebatur, erat in medio. Suenoni autem quum filij eius ſuccederent, primùm Haraldus ſolo biennio, inde Kanutus rex Chriſtianiſſimus, pro Chriſti religione martyr cōſecratus: quem deinde Olauus frater, hunc autem Ericus excepit, (is qui Conſtantinopoli egreſſus, in peregrinatione terræ ſanctæ perijt) Erico Nicolaus itidem frater ſubſtituitur: omnes filij Suenonis, fratres inuicem conſanguinei, diuerſis editi matribus. Sed quod ad noſtram pertinet Noruagiam, Magnus Haraldi filius, quum rebus ſuis proſpiceret, Sueonum regem Ingonem ad tradendū nuptui filiam Margaretam penè inuitum coegit. Nam ſedulò Sueones adortus, Hallandienſes etiam de Dania fertur inuaſiſſe: ſed ab illis in naues repulſus eſt. Ingo autem Sueciæ rex, pertinaciter ſibi imminentem Magnum ferre non ſuſtinens, filiæ coniugio eum primùm generum, deinde in ſocietatem fœderis accepit. Sed ex eo matrimonio Magnus nullos ſuſtulit liberos. Vnde prouenit, vt Magno iam mortuo, eadem mulier Nicolao Danorū regi in ſacra coniugalia concideret, mulier ſingularis religionis, & fidei nō vulgaris. At quū interea Magnus Nicolai filius, moriente Sueonum rege, à Gothis in regnū vocaretur: illis quidem regnauit, ſed Suecis contemptui eſt habitus. Auxit tamen animos eius ea res in tantū, vt Kanuto adoleſcenti optimo, Erici peregrinantis regis filio, pro ſua virtute ab vniuerſis honorato amatoq́; ſe opponeret, & apud patrem de regni ſuſpicione illum accuſaret: ad extremū, etiam poſitis inſidijs opprimeret. Qua indignitate cōmoti Dani, Nicolaum regem perpulerunt, vt atrociſſimi ſceleris reum filium, Magnum item populus proſcriberet, & iuramento firmaret nūquam ſe decretum hoc relaxaturos. Sed tempus iram populi mitigauit. Quippe perſuaſus rex pater ab amicis, filium contra iuſiurandum de exilio reuocauit. Quam rem indigniſſimè Kanuti fratres, Ericus & Haraldus tulere, aperta ſe iam rebellione opponentes regi Nicolao.

Magnus Ingonis penè inuito gener efficitur.

CAP. 5.

MAGNVS interea, proximi Magni filius, Haraldi nepos, (cuius pater ſine prole reliquit Margaretam, à Danorum rege Nicolao ductam) quum iſte vel ex priore matrimonio, vel ex concubina (res enim incerta eſt) natus, regnum tueretur paternum. Nihil enim diſcriminis etiam tum habuere reges regumq́; filij. Nam omnes Suenonis proximi filij, quos diximus inuicem ſibi ſucceſſiſſe, concubinis progeniti memorantur. Is igitur Magnus Noruagiæ rex, miſſis in Daniam oratoribus, Kanuti ducis occiſi filiam depoſcebat coniugem. Ericus Kanuti frater, rem non inuitus amplectitur, vt in Nicolaum & Magnum, filium eius, bella geſturo, vires accederent Noruagiæ per puellam, cuius patris vindictam Ericus moliebatur. Ipſe viciſſim Ericus, annitente eodem rege Magno, germanam eius coniugem accepit. Ita geminata vtrinq; affinitate, conſociatis Magnus Noruagiæ, & Ericus Iutiæ viribus, in Nicolaum & Magnum filium eius, Daniæ reges, arma comparabant. Conſerto deinde prælio vincitur Ericus: quippe quem frater Haraldus deſtituit, maiori odio inſequens fratrem fraterni ſanguinis vindicem, (quòd ante ſe regnum quærere videretur) quàm fratris occiſorem. Victus Ericus, cum coniuge fugit in Noruagiam ad Magnum, vtriuſque nuptijs fretus, nihil dubitans amiciſſimum ſibi regem reperire. Nec illum feſellit opinio ingredientem, nam perbenignè exceptus eſt. Nicolaus autem Daniæ rex, memor, quòd Magnus olim Kanutus, in Olauum diuum Noruagiæ regem, non tam viribus quàm inſidijs ſuperior euaſit: Magnum quoq; Noruagiæ regem, miſſo quàm occultiſſimè nuncio pertentauit, vt accepta grandi, quam polliceretur, pecunia, Ericum tolleret de medio. Ille auaritiæ quàm fidei propior, quodq́; vereretur maiori per illum bello regum vicinorum implicari, accepta pollicitatione pecuniæ promiſit operam. Itaque credulum Ericum illis ſepſit ſatellitibus, quibus erat in tempore ad nutum vſurus. Sed innotuit Erico res per reginam neptem ſuam: miſſoq́; ad Hallandienſes ſibi fidiſſimos, curauit adeſſe nauim paratam. Nec ſegnes amici nauem Erico expediunt, ſeq́; adeſſe clandeſtino inſinuant nuncio. Ericus cuſtodes ſuos ebrietate pelliciens, iactu etiam aleæ ad hilaritatem prouocauit. Et iam conſopitis illis, quaſi requiem petiturus, cum coniuge nauim petit, repertaſque in portu cæteras naues parauit. Inter hæc recordatur

Magnus accito Erico cum Dano malè pugnat.

Ericus è Magni perfidis manibus prudenter aufugit.

paruuli

paruuli filij, quem trepidatione magna abire feſtinãtes, in diuerſorio penè oblitum neglexere. Sed non erat tum magnum Erico periculum, quò ſanguinis ſui paruulum in periculo relinqueret. Miſſis qui afferrent, moratus eſt in portu: & quum excepiſſet, enauigauit. Cuſtodes poſtera luce conſcij veſpertinæ ebrietatis, clauſtra Erici pulſant, ſciturі ſi adeſſet. Vbi nihil abintus reſponſum eſt, effregere: vacuamq́; domum cernẽtes, non diſſimulanter nunciant regi. Ille quamprimum nauibus celerrimis ſequi iubet fugientem, tanta fuit dulcedo promiſſæ pecuniæ. Sed iamdudum ante illos ſoluens Ericus, Lalandiam peruenit: redituſq́; ſui facit indicium, occiſo gentis præfecto, quem rex Nicolaus immiſerat regioni. Et quum Ericus Magnũ Nicolai filium bello oppreſſiſſet, Nicolaus etiam pater à Sleſwicenſibus (quod in Dania ſumus executi) eſſet occiſus, regnũ Daniæ inuaſit. Frater autem eius Haraldus, quòd ſibi à fratre timuiſſet, Noruagiam illi infeſtam petit exilio. *Lib. 5. c. 16.*

Cap. 6.

Haraldi cuiuſdã ementita confidẽtia in mentiendo.

Haraldvs Hybernicarum partium quidam, nobilium ordine habitus, ferebat ſe per ea tempora Magno rege Noruagiæ, qui Hyberniam vaſtabat, natum. Et, vt miraculo quodam rem aſtrueret, (id enim ab eo fuit exactum) ſuper ardentes prunas nudis pedibus ingreditur: & nihil moleſtiæ paſſus, multos traxit in credulitatem. Quibus autoribus Magnus rex poſcitur, Haraldo æquè ad regnũ nato, partem regni cedere. Illoq́; recuſante ignoto homini ditionem ſuam permittere, nequaquam potuit flecti. Peruentum eſt vtrinq; ad arma: & ingenti confecto prælio inter aſſertores Haraldi & Magnum regem, fugatus eſt Haraldus. Is in Daniam ad Ericum (quem ſciebat Noruagiorum regi iuſtis de cauſis inimiciſſimum) contendit: à quo promptè exceptus eſt, vt ſpecioſum ille belli titulum haberet in Magnum Noruagiæ: qui etiam (vt cumularet in caput ſuum inuidiam) optimi viri Kanuti filiam repudiauit vxorem. In Haraldo autem Hybernico (quem diximus) monſtroſum ferunt agilitatis genus deprenſum: nam pignore depoſito curſu audebat contendere cum citatiſſimis equis. Vtriq; enim brachio bacillum ſubijciens, tanta celeritate ſe promouit, vt equinus illum curſus æquare non poſſet. Idem inter nauigandum prora exiliens, per remorum capita in puppim reuerſus, in aliud latus, eorundem remorũ partibus innixus, in proram redibat: athletica magis quam regia flexuoſitas. Sed amant etiam reges in minoribus eminere. Nero enim Imperator Romanus & cithara & voce & carmine certabat cum doctiſſimis. Hunc Haraldũ Ericus Daniæ rex viribus auxit, vt in Noruagia bello premeret Magnum. Et primò quidem incerta ſtabat victoria. Inde tota Daniæ claſſe roboratus, tam magno Magnum adortus eſt prælio, vt eum opprimeret: captumq́; oculis ac genitalibus priuauit, ne aut videns regnum reſumere conaretur, aut gignens vltorem procrearet. Interrogatuſq́; à ſuis, ſi quem infœlicitatis ſuæ cuperet habere conſortem, paucos ea re delectari reſpondit. Inuentus eſt tamen inter armigeros, qui facie & omnis corporis habitu ſimillimus eſſet Magno, qui regis ſui charitate ſimilem orbitatem depoſceret, præfatus vt cui videnti ſimilis fuiſſet, cæco quoq; non diſſimilis haberetur. Ita Magnus ex ſceptrato cucullatus euaſit, agente perfidia qu am Erico oſtendit. Haraldus autem Erici frater, quum Noruagiam petijſſet exilio, nihil inde grande pro regno recuperãdo geſſit, ſed filium reliquit Olauum, qui in Daniam reuerſus ad Ericum, ſolam patris priuatam quondam hęreditatem, ſucceſſione legitima repetebat. Rex illum omni ſucceſſiotis iure carere reſpõdit, quòd iam parens eius in legem commiſiſſet, externo milite patriam pulſans: qua ex re, veteri lege, omni commodo patriæ boniſq́; excidiſſet vniuerſis. Olauus non lege ſed armis repetendum patrimonium exiſtimans, omni quo poterat conatu regem impugnat: & vbi inſidiæ non procederent, ad aperta arma decurrit. Quæ quum imparia regijs contraxiſſet viribus, facilè à potentiori ſuperatus vita caruit.

Eiuſdem agilitas & in rebus gerẽdis induſtria.

Dania libro 5. cap. 19.

Dania libro 5. cap. 22.

Cap. 7.

Noruagia metropoliticã cathedram accepit.

Norvagia quum ab initio ſuſcepti Chriſtianiſmi pontifices ſuos ab Hamburgenſibus epiſcopis (legatione perpetua in Aquilonis regna fungentibus) ſemper accepiſſet: hoc tempore (hoc eſt ad annum Chriſti poſt mille quinquageſimum quartum) Nicolaus, qui poſtea in apoſtolatu factus eſt Adrianus quartus, tunc Romanæ eccleſiæ cardinalis, Britannicum mare permenſus, Noruagiam in eccleſiaſticis rebus tum Lundenſi archiepiſcopo parentem, immunitate conceſſa, 1054

magni pontificatus, hoc eſt archipræſulatus, titulis inſigniuit, Trondennis conſtituens totius regni metropolitanum, qui nunc mutuato vrbis nomine, Nidroſienſis appellatur. Idem quoque legationis (qua fungebatur) poteſtate in Suecia peragere cupiens, non præualuit, Suecis atque Gothis de primatu inter ſe contendentibus, quum neq; de loco neq; de perſona eō ueniret inter eos. Certamini ergo decus negauit, rudemq; adhuc religionis barbariem archipontificatus honore non dignatur. Verùm perpenſo temporis habitu, quum per Oceanum redire hybernæ nauigationis metu duceretin periculis: Daniam reditui ſuo percommodam arbitratus, offenſam eius ex Noruagiæ promotione cōtractam, beneficij delinimento ſedare conſtituit. Eſchyllum ergo, Lundenſem archiepiſcopū, mandatis aggreſſum, plus nouæ dignitatis, quàm veteris amiſerit, recepturum promittit, definiens ſe ereptæ Noruagię damna, Suetici primatus munere penſaturū. Rapuit promiſſum Eſchyllus, cupideq; legati copiam efflagitat. Qui vbi venit, futurum Suetici ſacerdotij inſigne apud illum depoſuit, dandū ei in quem concors Sueonum Gothorumq; ſuffragiū conueniſſet. Statuitq;, vt quicunq; Sueonū creandi eſſent magni pontifices, pallio à curia dato, per Lundenſem inſigniretur antiſtitem, eamq; ſedem perpetuo veneraretur obſequio. In hoc priuilegio dato cōfirmationem à curia proficiſcendā promittit, quod effectu facile fuit. Siquidem Romam reuerſus, decedēte Eugenio, maximus pontifex ſubrogatus eſt Nicolaus, tunc dictus Adrianus quartus. Peregitq; publicæ religionis præſul, quod præfatæ religionis miniſter annuerat. Sed regnum diu ciuilibus bellis laceratum, ad eum diem concertantes de corona habuit.

Gradus in eccleſia ex legati arbitrio attolluntur aut deprimuntur.

CAP. 8.

Haraldus commento ſupplicium, ad quod ducebatur, ſic euaſerit.

SIWARDVS erat è proceribus Noruagiæ, qui Haraldo Hybernienſi ſemper obluctatur: hunc viſum obſeruari per ſuos, ſi quando manus eius incideret. Poſt multa, inſidijs interceptum ad ſe iuſſit perduci: dataque in eum mortis ſententia, longius in mare proiectum mergi iuſſit. Ille viribus iam locum non eſſe videns, ad ingenium recurrit. Nam qui illum prouehendum in nauim ſuſceperant, eotuiter allocutus, largiſſimo curauit potu impleri: iamque exhilaratos interpellat, Quando, inquit, moriūdum mihi, vnum hoc ſupremi beneficij loco depoſco, vt clauum mihi gubernādum breuiſſimo permittatis momento. Viſum eſt nihil mandatis acceptis obfuturum. Ea re impetrata, nautas impenſius edere remigium hortatus, quum vehementiſſimum nauigij curſum animaduerteret: proiecto gubernaculo præceps vndas inſilijt, priuſque ſe littori, quam concitata ratis impetum correxiſſet, reſtituit. Ita & ſuo acumine & hoſtium ſocordia ſeruatus, periculoque (cui deſtinabatur) ereptus, Haraldum, amoris gratia (quod reſciuerat) noctu caſtris egreſſum, in amplexu pellicis per inſidias interfecit, dantem pœnam & ſibi, quem morte captum damnauerat: & Magno, quem regno (vt diximus) luminibuſque priuauit. Igitur vt belli titulum apprenderet, Magnum protinus monachalibus ſeptis erutum, tametſi virilibus careret, virum induere perpulit, deiectamque regis fortunam ad priſtinum regni faſtigium conſtituit erigere, ne deeſſet cuius autoritate & titulo bellum aduerſus Haraldi ſobolem ſuſciperetur. Peruenit autem hoc tempore legatio ad regem Daniæ Waldemarū eius nominis primum, obſecrans, vt Noruagiæ regnum, tot ciuilibus bellis correptum, ac teterrima tyrannorum dominatione laceratum, iam exangue & ruinæ propinquum, eius occupatores inceſſendo tentaret. At ille proprij regni negocijs implicitus, poſthabuit alienum. Interea Hugo, Siwardus & Eſtenus Haraldi filij, paternum regnum vendicare conati, nauale prælium conſeruerunt aduerſus Magni defenſores. In quo partim cæſis, partim fugientibus ſocijs, incredibili & humanæ fortitudinis præſtantiori fortitudine Siwardus (quem diximus) ſolus aliquandiu nauigium ſuum ab hoſtibus vendicauit. Ad ſummum, pluribus eorum proſtratis, omnique ſuperſtitum multitudine ad ſe vnum opprimendum concurrente, ſingulari nandi peritia fretus, (quanquam hybernum tempus inſtabat) armis militaribus tectus, profundo ſe credidit: atque ſub vndis (quas hoſtium cruore reſperſerat) enatans, dubium effecit, maioris audaciæ ſpecimen in naui pugnans præbuerat, an inter vndas agilitatis edidit. Siquidem loricam, qua corpus munierat, quò liberius enaret, cum reliqua corporis armatura, ſub vndis ſibi detraxit: ac demum quum capeſſendi ſpiraculi gratia fluctibus emer-

Magnus è monachatu extrahitur.

Incredibilis in Siwardo natandi peritia.

emerſiſſet, à quodam familiari ſuo hoſtibus per habitum indicatus, tunicam (qua ſe prodi putabat) rurſus corpus aquis occultando depoſuit. Sed quũ ne ſic quidẽ proditoris agnitionẽ falleret, ad extremum ſuprema ſe veſte nudauit. Nec adhuc indice (qui illũ ſemper oculis obſeruabat) ludificato, quũ penè ſolus ex ſocijs ſupereſſet, ſeq; hæc omnia & callidè & animoſè fruſtra expertũ animaduerteret, tandem fati ſimulatione profundo diutius immorato, inſidiatoribus an viueret dubiũ reliquit. Ad vltimũ, quũ humanæ reſpirationis neceſſitate ſupernè aerẽ capeſceret, cuiuſdã fortè nauigij gubernacula pertinaciſſimis brachiorum amplexibus apprendit, eiq; aliquãdiu tacitus inhæſit. Plura tamen elapſionis genera, animi firmitate tentaſſet, ſi non illũ hyberni frigoris ſæuitia ob ſtupefactũ corporis robur deſeruiſſet. Tãdem cuiuſdã altũ curioſius contẽplantis indicio deprehẽſus intercipitur, & in concionẽ, hoſtili ſentẽtia damnandus, pertrahitur. Ad mortẽ raptus, oratione in Deũ nunquã abſtinuit, etiam quũ acerrimis ſupplicijs torqueretur. Nam Pſalterium & quicquid ex ſacris precibus meminiſſet, ſecũ repetens, ita ſe egit in tormẽtis, ac ſi vacaſſet delitijs. Artuatim enim diſtenſus in tabulã, (quò acrius per ſingula mẽbra cruciaretur) malleis carnẽ & oſſa contuderunt, virũ vita digniſſimum, ſi robur animi corporiſq; perpenſeas. Magnus quoq;, quem ille belli autorem prætenderat, antè luminibus, nunc vita priuatus, conceſſit ad manes, & regni res ad liberos Haraldi redijt.

Siwardi mors atrociſſima.

CAP. 9.

INGO inter Haraldi filios, ſolus legitimo procreatus matrimonio, regnum promeruit, gibbo deformis, per incuriam nutricis ſinu puer delapſus. Siwardus autem frater ab eius militibus trucidatur, dum occiſi ſocij necem proſequuntur ac vindicant, re autem vera iniuriam ſuam perſequentes, quòd multorũ legitimos fœdaſſet toros. Eſtenum quoq; de medio tulerunt, vnius regis, quàm multorũ dominio ſecuriores (vt putabant) futuri. Cæterùm non deerant filij paternæ necis vltores, indignati hominem corporis gibbo deformem, fratribus ſtatura proceris regnare. Itaq; Aquinum quendam, paternæ quoq; necis iniuriam ab rege repetentem, regem ſibi cõſtituentes, bellũ Ingoni qualicunq; cœptum imagine intulerunt. Verum plurimis prælijs incaſſum tẽtatis, fugati, & ad extremũ victi, Sueciam cum adoleſcente petunt. Continuò ſecutus Ingo cum claſſe, cõprehendit fugientes iuxta Hallandiã. Illi littora petẽtes, vicinæ ſyluæ beneficio tuti, manus victoris effugiunt. In Sueciam autem recepti, proxima æſtate delituerunt. Sub brumã autem regreſſi, leuibus ſæpe prælijs hoſtem laceſſunt, prouocantes in glaciem pugnaturos. Erat apud Ingonem vir primarius, cuius conſilijs totũ regni pondus incubuerat, & in quem rex magnã ſalutis ſuæ ſpem contuliſſet. Is quum profugos bello premeret, illi paulatim cedentes in glaciem, quam proxima nocte inciſionibus debilitauerant, prouocant inſequentes. Regij autem, quum iam hoſtes vrgerent, in locũ conſtitutę fraudis perueniunt: ibiq; pugnantes, armis & iumentis graues ſubſidunt, pereuntq;. Rex hoc amiſſo principe viro, magnã incolumis regni ſpem abiecerat. Perſecuturus tamen hoſtes, magno exercitu intercludendos putauit: & adhuc durante facie gelati maris, auſus eſt credere glaciei. Procedit in pugnam. Ibi hoſtes fraude fiſi, etſi militum numero longè ſuperarentur, tamen fidenter ibant in prælium. Quò autem rex maiore agmine premebat hoſtes, eò maiori verſatus eſt in periculo, quia liquentis naturà elementi, durata iam glacie, magni armati agminis pondere grauata, ſubſedit. Ibiq; rex perijt, & omnis flos Noruagię cum illo: ad eamq; tenuitatem regij ſanguinis proceres redacti ſunt, vt antiquæ nobilitatis vix vlla veſtigia remanerent.

Ingo gibboſus eos qui ſui faſtidio alterum delegerãt, profligat.

Ingo tãdem hoſtium dolo glacie ſubſidẽte perit.

CAP. 10.

ERLINGVS cum filio Magno, ei cladi ſuperſtes, ad Waldemarum Daniæ regem, arctam materni generis propinquitatem præferentem, in Iutiam appulit. Ibi in ſumma regis veneratione habitus, vberes exilij ſui conſolationes accepit à rege. In Noruagia verò Aquinus (quem diximus) Ingoni æmulum cõſtitutum, partium ſuarum ducem creat Siwardum quẽdam manu promptum, at ſocijs non peræquè gratum. Res verò ad domeſticum ſpectabat tumultum, ſi non ſuperueniens Erlingus cum filio, diſſidentes timore aduerſarũ partium cõciliaſſet. Fit enim, vt inteſtino diſſidio laborantes, in vnũ coeant, dum foris imminet, qui alterutris aut vtriſq; minetur exitium. Siwardus autem dux Aquini, dũ impenſas belli largius expoſceit, nec impetrat, à rege ſuo: indignatus, ab illo auertitur, Magno Erlingi filio adhæret,

Aquinus potiſsimo ex ſuis duce à ſe alienato, in pugna cadit.

vt nõ Aquino deſit æmulus, nec Ingoni vindex. Magnis inde viribus Aquinus atq; Magnus prælio concurrunt: ibi Aquinus cæditur. Et tamen is erat prælij exitus, vt Siwardus etſi victrice in parte cõſtitiſſet, fugam tamen inijt, Sueciam petens, quòd ſecurus in Noruagia nõ videretur. Aquinus regium nomen in Noruagia ſuſtinens, quum in prælio, quod ei cum Erlingi filio Magno eſſet, cadens: reliquit partiũ ſuarum aſſertores, qui partim nouarum rerum cupiditate, partim fortunę inuidia ſuccenſi, Marci cuiuſdam alumnum, optimę ſpei puerum, in regem aſciſcunt: nec fœliciorem proximis experti ſunt fortunam. Siquidẽ prælio ab Erlingo obtriti, victoriaq; pariter ac rege priuati, ad Carolũ Sueciæ regem profugiunt, ipſumq; belli ducem expoſcunt: cui cum nobilitate Noruagiæ etiam aliquanta neceſſitudinis cauſa inceſſit. A quo diu bene ſperare iuſſi dilatiq;, poſtquã tam de proprio regno ſeruando, quàm alieno obtinendo pollicitum compererunt: legatos ad Waldemarũ Daniæ regem, auxilia rogantes miſere. Ibi benignioribus placidioribuſq; reſponſis excepti ſunt: audit quo ordine ſint rem geſturi, qua ſpe teneantur. Cæterùm totius regni negocium paucis cum viris agere nõ tutum ratus, mittit ſuos in Noruagiam, qui populi voluntatem explorent. Vbi conſentaneam populi legatorumq; mẽtem reperit, (quòd Erlingus cum filio omnium odio laboraret, eiuſq; detrectarent imperium) expedita claſſe Waldemarus Noruagiam petit. Sed Erlingus diffiſus partibus ſuis, quàm longiſſimè in ſolitudines Noruagię receſſit, futurum ſperans, vt nullo reperto aduerſante, populi vana promiſſione contentus rex Daniæ, ſpe plenus abiret. Sed apud illum in concilio fuit agitatum, quid rebus ſuis conducibilius videretur, hoſtem ſequi fugientem, vt opprimatur, an populum conciliare relictum. Vicit ſententia, quæ minus laboris, & plus habitura momenti videretur. Igitur intermiſſa hoſtis inſectatione, cum populo Waldemarus agebat, vt regni ſui vires haberet adiunctas. Res in vrbe Sarpe agebatur. Inde Tuitsbergum enauigans, eo in loco audiuit Erlingi ſtudioſos conſiſtere. Oppidum facilè cepit: hoſtes in montana dilapſi, manus eius vitauere. Oppidum autem incendio parcebat conſumere, ne profana ſacris immixta, vna ignis vorax flamma conſumeret. Nemo tamen pontificum (quorũ erat in ea prouincia vel maxima autoritas) regem adibat, præter vnũ Ormonẽ, quem (ſalua fide, quam Magno Erlingi filio præſtitiſſet) obſequia ferunt ſpopondiſſe. Sed ea res infirmam regni deditionem teſtabatur. Coegit verò Daniæ regem commeatuum defectio remeare, quia non erat promptũ in ea prouincia conſequi ſine magno diſcrimine, quòd Erlingus vias concluſiſſet. Itaque iter remenſus Waldemarus magnam procerum ac populi multitudinem ſociam habuit nauigationis, qui exilium præponeret formidatis à Magno Erlingi filio pœnis. Diuq; regijs ea multitudo, deinde principum impenſis alita, apud regem permanſit.

Danus Noruagiam occupaturus nauigat, ſed re infecta redit.

CAP. II.

MAGNVS Erlingi filius, diſcedente Waldemaro, vacuatoq; regno proceribus malè illi ſubditis, iam libera poteſtate regnabat Noruagiæ, viuente adhuc patre eius Erlingo, apud quem conſilium regni & autoritas, apud Magnum verò labor & inane regis nomen. Qua tempeſtate Buriſius quidam, vir regij ſanguinis in Dania, Waldemaro malè ſubditus, inſidiari regno eius videbatur: futurum ſperans, vt ſublato Waldemaro, neminem ſe ſceptris propiorem Dania haberet. Sciens quoq; Erlingi in Waldemarum non benignos animos, cum illo cõmunicaſſe fertur conſilium ſubuertendi Waldemari. Admonitum fecere nonnulli Danorum regem, quibus res innotuit, proſpiceret in regno domeſtica bella, quæ facilè cum forenſibus iungerentur, ac perinde maiorem (ni caueretur) perniciem importatura. Signũ euidens regi fecere coniurationis, quòd regredienti regi ab expeditione Wandalica, Noruagiorum claſſis vel maxima fieret obuia. Comperta ſunt eius coniurationis etiam argumenta maiora, quòd Buriſius milites ſuos nouo adegiſſet ſacramento, facturos quod iuberentur. Rex paucis accitis arbitris, ſuppreſſis indicatam nominibus rem aperit. Buriſium euocatũ in partem ſciſcitatur, quid in ſe peccauerit, vt tantum perditionis regiæ conſilium caperet. Ille pernegat ſe quicquam talium cogitaſſe. Rex illum apud ſe manere præcepit, interea circumſpiciens, vt maior fiat compertæ coniurationis euidentia. Indignatur Buriſius, iniquũ eſſe teſtatus, capitis ſui periculum incertis rebus permittere. Qua voce proditũ habuere proceres, qui hacte-

Buriſius aduerſus Danum conſilia cum Erlingo communicat.

hactenus dubitauere. Igitur ne remiges ſuos reuiſere admiſſus, etiam inuitus apud regē detinetur, donec fideli mādetur cuſtodię. Aderat interea Erlingus claſſe Noruagica, rem quæ cum Buriſio cōuenerat executurus. Vbi nihil votis ſuis viderat ex aduerſo reſpondere, vacuam claſſem, quæ ſtabat in ancoris, facilè expugnauit. Vicinas quoq; Buriſij naues ſecum extraxit in opportuniora loca, necdum quicquam intelligens de vinculis Buriſij, & coniuratione patefacta. Igitur Noruagij vt ad interiora regni pertingant, Sialādiam petunt, in portum euecti qui dicitur Mercatorum, apud quem noſtra memoria regia eſt, ſed tunc locus necdum habitatoribus frequens erat. Aduolarunt ex proceribus Danorū nonnulli, rem ſpeculaturi, quid ſtruerent Noruagij, nulla belli denunciatione peracta: contemptimq; in littore deambulabant. Noruagij arcubus fiſi, quum ſcaphis littora premerent, in Danos tela iecerunt: ſed fluctus non ſinebat dirigere. Ad colloquium euocati à Danis Noruagij, pari numero deſcendunt in terram. Quid veniant rogati, illi cauſas nectunt ex cauſis, multa pręferentes præter id quod res erat: nam conſilia Buriſij præſtolabantur. Poſtulant fide publica haurire aquas de puteis paludibuſq;, quòd potu carētes, ſiti angerentur. Permiſſum eſt. Igitur poſtero etiam die adeſſe iuſſi, non facilè parent, quòd ſe interim inſidijs circumueniri formidarent. Sed interpoſita fide publica, nihil illos mali paſſuros, iterum in terram deſcendunt: venitq; vno comitatior Erlingus. Cui ex primoribus Danię quidam ait, Miror te Erlinge, non pro ætate tua ſapere, quòd nos equites facilè potes proſpicere, pedites verò pro arbitrio profligare, præſertim quòd conuentis minimè pareas, vno veniens quàm ſit conſtitutum, comitatior. Circumſpiciebat ille numerum ſuorum: & ita comperiens, vnū illum coargutū remiſit. Colloquioq; inuicem protracto de induſtria, quum intelligerent Noruagij Buriſium non reſpondere promiſſis: fortè etiam vinctum intelligentes, abiere, nulla te inſigni peracta. Laceſſiti tamen ſunt in reliquum ab equitibus, vbi terram ingreſſi tetigere, ſacra Miſſarū audituri. Nec in Hallandia immunes tranſiere: quippe incurſionibus vexati, multas naues amiſere cum vectoribus. *Dano propè conuiuium aſſeruatur.* *Erlingus cō iuratione non progrediēte redit.*

WALDEMARVS autem Wandalico bello implicitus, Noruagijs interim occurrere non potuit. Sed illo bello interim quibuſcunq; modis quieſcente, mouet in Noruagios, magnis vndecunq; viribus coactis. Exceptus Wixenſium gratulatione, diutius apud eos commoratur, mirātes ac collaudantes regium apparatum. Enauigantem deinde effuſi, cum gaudio magnū ac pulcherrimum agmen demirati ſpectauere. Tuitsbergenſes & epiſcopi Daniæ regem magnificè excepere. Iam enim Erlingi milites pridē firmata præſidia deſerentes, regem cum expedito agmine venientem expectare non audebāt. Egreſſus rex cum militibus ſpeculandi gratia loci, vidit arte & natura munitū. Qua cunctatione comeatus abſumpſit, & hoſti ſpacium parandi apparatus dedit. Enauigans deinde vbi propinquauit anguſtioribus faucibus, quas iam Erlingus tormentis & validis præſidijs occupauerat, vocat in concilium rex proceres. Ibi multæ dictæ ſunt in rem ſententiæ, accuſata in primis diuturna in itinere cunctatio: deinde properandum, & ferro iter aperiendum. Alijs verò nō eſſe tutum viſum eſt, ſe regemq; cum exercitu mittere in aperta pericula. Suadent autem, vt circuita nauigatione, vitari fauces inſeſſas ab hoſte. Erant quibus propius accedendū videbatur, vt oculis re comperta & ſubiecta conſilium caperetur. Nonnulli exponendos in terram equites ſuaſere, vt abactis tormentorum magiſtris, incolumis nauigatio permaneret. Inter hæc vir natu nobilior quàm animo ferocior, cunctis trepidantibus, Quid hac, inquit, molitione proficimus, regnum quærentes vaſtum & inutile, & quod maiori regem labore implicet, quàm aut illum voluptate, aut nos vtilitate? Cur non potius euitatis periculis, patriam amœnitate pulcherrimam, & fructibus vberrimam, rebuſq; opulētiſſimam repetimus? Ea vox ſtuporem iniecit plurimis. Erant tamen, quibus ſummopere diſpliceret, quòd ignauam cohortationem rex ſilentio donaſſet, non vel vultu coarguiſſet: futurum rati, vt alij inde regreſſionis veniam auſpicentur. Nec falſi ſunt opinione. Quippe murmur omnem plebem perculerat, reditū & miſſionem, quòd comeatus deficere inciperent, petentem. Comprenſi ſeditionis autores, flagris cæduntur: nihil tamen minus à cæteris tumultuatur, pceres poſtremò vulgi voces adiuuabāt. *CAP. 12.* *Danus iterum in Noruagiam nauigationem ſuſcipit.* *Militū & vulgi reditum à rege extorquēt.*

Primi Iutij regẽ adoriuntur, longa & inutili nauigatione omnẽ abſumptum commeatum querentes: poſtea ſi libeat, breuiori compendio ex Wendila illis petẽdam Noruagiam, quum non illis circuitionibus opus erit. Quid multa? Peruicit omnium clamor, vt rex miſſionem decerneret, permittens vnicuiq; reditum in ſua. Sic Noruagia hac expeditione permanſit intacta. Erlingus cum filio Magno rebus regni præerat. Obſeruabat autem tempus, quo rex Waldemarus Kanutum filium corona ſecum donauit, eodemq; die patrem Kanutum ſanctorum collegio adſcriptum vidit à pontificibus, quibus à ſummo pontifice eſſet demandatum ſublimari. Itaq; ſolenni totius terrę feſtoq; conuentu, aderant duo ab Erlingo miſſi pontifices, Aſloenſis & Vpſalenſis, pacem Noruagiæ ab rege deprecati Danorum, eo potiſſimùm die, quo tanta illi gaudia de parẽte, deque filio ſublimiter prouectis fuere. Rex animum adijciẽs legationi, obſides manere iubet apud ſe binos ex Noruagijs. Mittitq; è ſuis ad Erlingum qui euocet illum cõſtituto die in colloquium, pacis firmandæ gratia. Nauigat ille ad Erlingum, mandataq; profert. Nec difficulter ille annuit: ſolùm, vt legatus obſidis loco in regno permaneat, poſcit. Venit ergo Erlingus ad Waldemarum in Sialandiam, vbi rex cõcilium indixit regni proceribus. Dura primùm iactata vtrinque verba. Vbi de pace non conuenerant, vnum ex primoribus Danorum Erlingus rogat, tutóne ſibi liceat abſcedere. Ille formidare prohibitum, tanta iubet eſſe ſecuritate, quanta non in ſua domo videretur. Iterato in poſterum diem colloquio, in has pacis conditiones conſentiunt, vt regis Waldemari filium, item Waldemarum ducem rex faciat Noruagiæ: ibiq; Erlingus educet regio more. Quòd ſi filius eius Magnus ſine prole virili diſcedat, regnũ proueniat Waldemaro. Interim verò Noruagia Danorum regi obſtricta ſit, ad bellum claſſem LX. nauium expedire. Hanc formam pactionis, tunc in conſilio procerum laudatam, Erlingus poſtmodum in regno ſuo publicauit.

Pacis inter Danum & Erlingum cõditiones.

CAP. 13. IN Noruagia dein poſt aliquantum temporis interuallum, noui motus conſurgunt. Nam Succus quidam, fabro patre genitus, ſacerdotij (quod in Pherogia aliquandiu geſſerat) partibus abductis, Noruagiam petens, religionis munus militia temerauit, Oſteni cuiuſdam ab Erlingo proſtrati occaſione adductus. Cuius agmini per deſerta fugienti fortuitò obuius, ducem ſe præbuit, reſq; aduerſum victores nouare cœpit. Et ne generis titulo carere videretur, originem mentitus, Haraldum Hybernienſem auum ſibi vendicando, Siwardo ſe procreatum confingit: cuius etiam nomen filio (quem antea patris vocabulo vnà appellauerat) aptauit. Et vt omnia prioris fortunę momenta ſubrueret, proauiq; vocabulum in eo repręſentari videretur, ſimulatè proſapiæ decus noui nominis ornamẽtis vſurpare ſuſtinuit, Magnumq; ſe in argumentum generis vocitari conſtituit. Quod tam impudens mendacium, turbulẽto militum errore, credulaq; vulgi ſuffragatione protectum, ad totius Noruagiæ cruentiſſimam ſtragem, extremamq; perniciem penetrauit. Idem quum adhuc priuatus Sueciæ ducem Birgerium petiſſet, ſacerdoti (cuius fortè hoſpitio vſus erat) ſtolam, præcipuũ diaconi inſigne, cum libro ſacerdotalia ſacra continente, dono dediſſe fertur. Hæc ad verbum libuit ex Saxone noſtro transferre & inſerere, vt per interualla, autoris, quem in his antiquitatibus ſequuti ſumus, vocem intermiſceamus: vt videant poſteri, quæ cura ſcribendi fuerit iam tum ea tempeſtate Danici generis hominibus. Non videbatur tanta literarum inſtructio, neq; ſeculo congruere, neq; regioni: quando in vltima (vt vocant Itali) barbarie, illis temporibus, quando illuſtrium literarum memoria videbatur etiam in Italia (bonarũ artium matre) iamdudum intermiſſa. Saxo tamen Danus in patria ſua tum ea ſcripſit, quæ admiramur. Et niſi manifeſtis atteſtationibus rem in propatulo cerneremus, non facilè perſuaſum haberemus, illis temporib. in eis regionibus tale aliquid compertum iri. Iudicet quiſq; vt volet. Ego temporum & locorum facta collatione, hominem demiror, & laude ſua non fraudo.

Sacrificuli cuiuſdam audax ſimulatio.

CAP. 14. AQVINVS Noruagię regno rex præerat, ea tempeſtate qua in Suecia Birgerius regnabat. Daniæ autem tum præerat Waldemarus II. filius primi: qui crebris victorijs illuſtrabat regnum, verſus in Auſtrum Germaniæ. Nam Saxonibus tum primùm littora Germaniæ occupãtibus (quum ãtea Wandali tenuiſſent) ille collu-

ctabatur.

ſtabatur. Illa enim ſunt tempora, per quæ cœpit efflorescere inſignis nunc ciuitas Lubeca. Nec longè ab his fundata eſt Sundenſis vrbs in finibus Circipanorũ: deinde Roſtock, pridẽ arx ad Wernouiam, à Godeſcalco firmata principe: inde in oppidi formam cõmunitur locus, ab Pribiſlao eius pronepote. Nec multò pòſt Wiſmaria à Guncelino fundatur. Omnes nunc vrbes claræ tum initia habuere, in quibus Saxones ſumpſere ſedes, pulſis ad mediterranea Wandalis: vbi nunc exiles ſeruantur magnæ quondam nationis reliquiæ. Et quoniã Waldemaro II. creber erat labor cũ Holſatis & conterminis Saxonibus, pacem perinde habuere regna Aquilonis. Nam Birgerius in Suecia vit manſueti animi, quò ſe magis popularem faceret, poſthabito regis vocabulo, ducem ſe appellari contentus fuit. Interim in Noruagia Aquinus quum diu tranquillitate fruitus eſſet, in eam incidit fortunam, vt in chariſſimum omni generi animantium, proprij corporis pignus deſæuiret. Siue capitis mania, quæ regibus nonnunquam incidit, ſiue culpa adoleſcentis (res enim in obſcuro eſt, malè à maioribus tradita) vnicum filium interemit. Nec contentus ſæuitia, quendam etiam ex ducibus regni ſui promptioribus, filio coniunxit pereunti. Erat autem tum annus Chriſti quadrageſimus, & circiter, poſt mille ducentos.

Vrbes aliquot Wandalicæ conduntur.

Aquinus filiu & quẽdam è proceribus necat.

1240.

ALBERTI KRANTZII
NORVAGIÆ LIB. VI.

PRIUSQUAM ad nouiſſima tempora perueniamus, ipſa nobis ſuprema Normannorũ fortuna exponenda eſt. Nam quomodo ex comitibus excreuere duces, ex ducibus in ea prouincia reges: ita ſummum quod habuit fortuna decus, huic generi non negauit, vt in perſona Friderici II. ſanguis Normannicus pertingeret ad faſtigium Rom. imperij. Hoc autem quo ſit ordine factũ, paulò ſuperius repetamus. Quũ Fridericus primus eſſet in imperio, & Wilhelmus rex vtriuſq; Siciliæ (quod ſupra diximus) ſine prole deſeciſſet, germana ſorore eius Cõſtantia erat ſanctimonialis, iam ætate prouecta. Ne autem ſanguis regius interiſſet, & nouos motus noui principatus occaſio cõciret: inito conſilio, eam, de pontificis ſummi permiſſione, eductã monaſterio, coniugem dedere Henrico Friderici Imperatoris filio, adoleſcenti nim egregio, qui etiam patri ſucceſſit in Romano imperio. Is ex ea coniuge excitauit prolem maſculam, cui mater de nomine ſuo indidit vocabulum Conſtantini. Sed quoniam hoc nomen Imperatores Græci ſordidis rebus cõtaminauere, viſum eſt proceribus, aul paterni illi nomen capiendum: appellatuſq; eſt puer Fridericus. Qui poſt patrem & auum ſucceſſit imperio, quum Otto IIII. Henrici Leonis filius, inſurgeret eccleſię Romanæ. Et quoniam prægnata Conſtantia regina multæ erant fabulæ, reginam non verè concepiſſe, (quòd anus prætergreſſa eſſet fertiles annos) verùm puluinaribus impoſitis vterum viſum intumuiſſe: ad extinguendum eiuſmodi fabulas, iuſſit Henricus rex partus tempore, in Panormo vrbe Siciliæ, ſub diuo locum in propatulo exornari, in quo teſte ſole Conſtantia pareret, & obſtruerentur ora fabulantium. Ita natus Fridericus, poſtea Imperator, ortu nouo & incõperto fuſus in propatulo, mirabiliori vita: multis erat exitio, & præcipuè eccleſiæ Romanæ oneroſus: quod in Saxonia diximus. Cæterùm pater eius Henricus rex, initio regni ſui in Sicilia, magno labore compeſcuit enatos ex proceribus motus, quòd ad regnum niterentur ſublato Henrico nonnulli, quodq; diceretur clàm egiſſe cum regina, vt Henrico ſubuerſo, illi iungerentur coniugio, quando dos erat regnum vtriuſq; Siciliæ. Hoc eſt ergo quod quærebamus, gentis huius ad ſumma prouectionẽ. Quod vbi oſtendimus in Friderico II. perueniſſe ſanguinem Normannicum ad imperium: valere ſinemus Siciliæ principatum ſiue regnum, quòd eius commentationem non ſuſcepimus: reuertentes in Noruagiam noſtram, cuius reliquos reges ex ordine explicabimus.

Cap. I.

Lib. 2. c. 14.

Conſtantia Imperatrix ſub dio parit.

Lib. 7. c. 38.

CAP. 2. OLAVVS in regno ſurrogatur Aquino: ex hoc ſolo nomen relinquens in annalibus, quòd controuerſia illi maxima fuit cum mercatoribus, hoc regnũ piſcium auehendorum gratia frequẽtantibus. Omnis enim Noruagiæ opulentia eſt in pecoribus atq; piſcationibus. Nam frugum terra nõ adeò eſt ferax, vt cibis & potibus ſufficiant, bladáq; gignat terra. Sed aut toſtas fruges inuehunt mercatores, potibus miſcendis, aut mixtum iam potum atq; excoctum permutant piſcibus aridis, quos magna nimis copia emittit Noruagia. Incidit autem huic regi cõtrouerſia cum iiſdem (vt diximus) mercatoribus, quæ in apertum bellum coaluit. Mercatores enim quum rebus & veteribus in terra conſuetudinibus, quibus erant inuitati, vti non ſinerẽtur, nauibus ſuis portus Noruagiæ occupabant, ne quicquam regno importaretur. Et iam terræ populus vehemẽter aſſuetus alijs frugibus, quæ a meridie importarentur, famem diu tolerare non poterat: & iam in eam frequentiam auctus erat, vt ſuis in terra natis frugibus teneri nullo modo poterat. Quocirca populus regem circumſiſtit, pacem implorans, eamq; pertinaciter cum mercatoribus Germanis efflagitarunt. Rex miſſo ad hoc regi Sueciæ Erico ſpeciali nũcio, orat vt ſe paci præbeat ſequeſtrum. Nec diu moratus Ericus, effecit vt rebus in bonum modum compoſitis, portus aperirentur: ipſi qui obſederunt, fruges importarent. Mercatores ſuis rebus, & antiquis conſuetudinibus reſtituuntur, data ipſis ab rege ingenti ære, quo damna repenſarentur. Ita veterem res nacta eſt inſtitutionem. Erat autem annus circiter octuageſimus, paulò plus aut minus, poſt mille ducentos.

Noruagiæ præcipuus prouentus.

Noruagia à mercatoribus pacem petere cogitur.

1280.

CAP. 3. ERICVS illi ſurrogatus legitur in regno: ſed præter nomen eius annales nihil omnino commemorant de rebus per eum geſtis. Facit tamen ratio temporum, vt agnoſcamus illum diutiſſe in regno fuiſſe: peruenit enim ad annum Chriſti MCCC. Illa enim tẽpeſtate Daniæ reges cum Holſatis conflixere crebrius: & ideo iſtis tantùm rebus in annales relatis, mirum ſilentium eſt de ijs quæ ad Aquilonem gererẽtur. Quum interim Sueciæ quoq; reges, frater in fratrem armarentur. Nec fidelius iſtam adminiſtrauere prouinciam, quàm olim Græci fratres Thebanum regnum, de quo multæ extant veterum tragœdiæ. In hoc tamen Ericus Noruagiæ cæteris fortunatior exiſtimatur, quòd nulla clade eius tempora inſigniuntur. Inde creditũ, quietè regnantem tempora ſua in extremam ſenectutem perduxiſſe. Poteſt fidelius aliquid & expreſſius apud Noruagios ſeruari, quàm quòd nihil ediderunt? Diuinare de illorum rebus magis quam alijs nemo poteſt.

1300.

CAP. 4. AQVINVS Erici nouiſſimi regis frater, quòd ille prolem maſculam non reliquit, ſucceſſit in ſceptra. Filiam, quã ſolam Ericus reliquit, Aquinus honeſtis nuptijs collocauit: ipſe ducens coniugem filiam comitis de Rupin, cui erat mater filia domini Ruginorum. Lõginquis ille in Germaniam nuptijs ius ſibi affinitatis quæſiuit, ſibi regnoq; proſpiciens, vt ſi quod a Germanis mercatoribus (vt auorum memoria) nouaretur, promptum ex iiſdem littoribus haberet auxilium. Senſerat enim (quod res erat) Noruagiam, iam pro magno piſcationis quæſtu habitatoribus plenam, non niſi aliunde inuectis frugibus, & auectis inde piſcibus aridis, poſſe conſiſtere. Inciderat autem huic regi bellum vndecunq; ſubortum, cum Magno Sueciæ rege, qui ductis in Noruagiam copijs Aquinum oppreſſit, & regnũ Noruagiæ ſuo Suetico regno conſociauit.

Noruagiæ regnum Aquino oppreſſo, in Sueci manus venit.

CAP. 5. MAGNVS pridem Sueciæ, nunc quoq; victor Noruagiæ etiam dominatur. Vxorẽ habuit Ingelburgem, quæ illi peperit Aquinũ Magnumq;, reges Suconum atq; Noruagiorum. Quum autem Magnus necdiu pòſt cõceſſiſſet in fata (circa annum Chriſti XXVI. poſt mille trecẽtos) regina relicta nupſit Kanuto duci Hallandiæ, viro militaris tantùm generis. Quem pro virtute ſua Chriſtophorus Danorum rex in tantum euexit, vt eſſet ex milite dux, & poſtea reginæ cõiunx. Multùm auerſos habuere animos vtriuſq; regni proceres, quòd vir æqualis genere vni eorũ, quaſi duorum regnorum (pro paruulis, quorum tutelam gerere videbatur) legitimam haberet adminiſtrationem. Sed omnia ex conſilio fuere Chriſtophori Danorũ regis, qui Kanutum ad eum gradum prouexerat, vt ex milite dux foret. Ioannes Holſatiæ comes, vterinus regis Chriſtophori Danorum frater, has nuptias honeſtare volens, cõtendit in Daniam. Sed quum in ipſa profectione, ex rixa domeſticorum ſuorum

1326.

Miles virtutis ergo ad ſummũ honoris gradum prouectus.

ſuorum quędam ſibi fidiſſimum amiſiſſet, oppreſſum à ſocijs, magno amici tactus amore retro curſum vertit, vt intenderet vindictam in occiſores.

CAP. 6.

Infœlix Magni coniugium.

MAGNVS, Magni & Ingelburgis filius, quum frater eius Aquinus (cui pater Noruagiam regno deputauit) non diu ſupereſſet, Noruagiam, vt pater eius, Sueciæ conſociauit. Satis autem diu regnis præfuit ambobus, donec filium ex ſe natum Aquinum, ad regendam Noruagiam deputaret. Cui infœlicibus auſpicijs Eliſabet de Holſatia, Gerhardi Magni filiam, Henrici Ferrei ſororem, iungere deſtinauit. Quæ res illi perditionis fuit cauſa, quod in Suecia diligenter executi ſumus. Fœlicem illum dixerim, ſi primam fidem non irritam feciſſet. Sed quia complacuit illi in rege Daniæ Waldemaro, vt eius filiam filio iungeret, ſibi magnum laborem, & regnis mirabilem peperit perplexitatem. Ad hoc enim res deuenit, vt regno quoq; Sueciæ priuaretur, excluſus ab Alberto Alberti Magnopolenſis ducis filio. Sed hæc de noſtra Suecia petantur, ſi quis noſſe velit. *Lib. 5. c. 18.*

CAP. 7.

AQVINVS Magni filius, patre volente, Noruagiæ regnum accepit gubernandum. Duxit autem coniugem Margaretam illam inſignem prudentia fœminam, quæ poſt longam memoriam tria in ſe regna coniunxit. Quæ res etſi aliquando labefactari tentata eſt, permanſit tamen in hodiernũ vſq;. Sed de his poſtea. Aquinus autem poſteaquam cõiugem accepiſſet Margaretam, patri propter ſe laboráti magno bello, quod illi Albertus Magnopolenſis intulerat, ſuppetias diu tulit, ſed minimè profuturas. Quippe in angulum cõcedere coactus Magnus, penè priuatus conſenuit. Aquinus autem filium ex Margareta ſuſcepit vnicũ Olauum, magnã ſpem futuræ potentiæ. Nam quum pater eius Aquinus in fata conceſſiſſet, maternusq; auus Waldemarus non tam diu ſuperfuiſſet, duo illi regna (quòd mater ad ſecunda vota non feſtinaret) hæreditaria fuere. Cui poſtea per victoriam, quam iure de Alberto rege Sueciæ reportauit, ipſa quoq; acceſſit Suecia, vt triplex trium regnorũ funiculus inuictus videretur. At hanc tantam de Olauo ſpem mors immatura præcidit. Et quum iam tot regnis nullus hæres maſculus ſupereſſet, omnia in perſonam reginæ Margaretæ concedunt, Daniæ quidem ex patre, Noruagiæ ex filio.

Trium regnorum in vnã coronã adunatio fœmina auſpicijs.

CAP. 8.

Margareta reginæ laudes.

MARGARETA, Waldemari tertij Danorum regis filia, Aquini Noruagiæ regis coniunx, Alberti Sueciæ regis victrix, poſt patrem poſtq; filium Olauum, quem ex Aquino ſuſcepit, marito & filio ſuperſtes, trium regnorũ ſola tenebat gubernacula. Mira fœminæ induſtria! vt circumiens, prouincias & regna omnia luſtrauerit, circũſpexerit, prouiderit, pacem vbiq; fouerit. Scaniam pater eius pignori dedit, pro irrogatis damnis Wandalicis vrbibus. Eam vbi recepit expleto tempore pręſtituto, ſenſit non peioratam. Per ſingulas arces, veteribus miſſis, nouos præfecit rerũ ſuarum curatores. Timebant eius induſtriam mali, reuerebantur omnes boni. Ita factum eſt, vt longæua pace ſub fœmina florerẽt regna. Mirum dictu! quòd viri reges non poterant, fœminã potuiſſe. Inuentus eſt audax iuuenis, filio eius Olauo nõ abſimilis, & qui multa noſſet percenſere pueritiæ ſuæ acta, matris quoq; reginæ ſecreta, ita vt multis fidem faceret, ſe eſſe illum quem mẽtiebatur Olauum. Sed prudentem fœminam fallere non potuit. Deprẽſum eſt, eſſe perdoctũ de occultis per nutricem quõdam Olaui, quæ fallaciam vnà inſtruebat. Regina illũ de falſa oſtentatione conuictũ, iubebat cõcremari. Noruagia interim ſub imperio fœminę quieta fuit, donec Albertus rex iam ſeptem annis Margaretæ reginæ carcere tẽtus, foret relaxandus. Quod quum intelligeretur gregarij Roſtokcẽſium & Wiſmarienſium milites (quos Vitalianos dixere) qui dum rex captus teneretur, iure memoratarum vrbium, quæ pro domino ſuo rege (erat enim princeps Magnopolẽſis origine) bellum ſuſceperunt & ſuſtinuerũt omni tempore captiuitatis: euocatis dictis ſatellitibus, vt propria ſorte (iure tamen vrbium) nauigarẽt in tria regna, & quantã poſſent prædã agerent. Hi ergo gregarij quum intelligerent finem propinquare ſuæ graſſationis, enauigarunt in Noruagiam, oppidũ Bergenſe petẽtes, emporium omnium mercatorũ Germaniæ, qui piſcib. auectis, omnium generũ merces inuehunt, præcipuè tamen toſtas fruges: quarũ diximus inopia (niſi inueherentur) regnum laborare. Egreſſi de nauibus in terrã, oppugnauere oppidum: & ferro igniq; facilè egerunt vt cederẽt habitatores, ligneis domibus mãſitantes. Vitaliani oppidũ ingreſſi,

Daniæ libro 7. cap. 41.

Sueciæ libro 5. c. 32. 33.

Bergam Vitaliani prædantur.

quantam voluere prædam conferunt in naues:ſtipatiſq; nauigijs,onuſta præda,redeũt in portus ſuarum ciuitatum. Merces auectas ſiue Normannorũ ſiue Germanorum, ſitie diſcrimine diſtraxerunt: ipſi (de more) omnia ligurientes, nihilo facti ſunt ditiores. Neq; enim cõſuetudo eorum eſt,vt quicquam colligant aut ſeruent. Ciues videbantur primùm locupletari: atinde nemine ſentiente, iniquè parta peius perierunt. Rege ergo laxato, quum ſuis nauibus minorati milites vterentur, peregrina littora ſcrutari voluere. Nauigarunt in Orientẽ rurſum,per flumina quæ de terris influunt mare: ingreſſiq; terram congrediuntur. Inde quoq; facta præda, inſtituunt (vt illi retulerunt qui audaci huic nauigationi ſuperfuere) ſcrutari aliqua littora quæ noſtri haberent incõperta. Ad Phinnos & Wermulanos arbitror perueniſſe. Nam hirtum genus hominum deprendiſſe memorabant (quod frigus regionis depoſcit) alioqui nudos, pilis innaſcentibus conueſtiri. Tradunt qui audiſſe ferunt redeuntes, perueniſſe in Caſpium mare. Sed hoc ego ab inſcitia & narrantiũ & referentium, defendo fieri nõ potuiſſe. Nam poſt Gronlandiã ſi non eſt aſſiduè congelatum mare, poſt Riphęos tamen montes (qui longè procurrunt in Boream) cõgelatum ſit neceſſe eſt: & illi relinquendi eſſent, priuſquã ad mare Caſpium perueniretur. Latera igitur Sueciæ vlterioris & Noruagiæ tetigiſſe nauigãtes crediderim. Sed iam ignotis regionibus nauigantes, nullam in reliquum habuiſſe maris aut plagarum cœli notitiam ferũt. Quod ipſum quoq; non probo. Nuſquam enim tam rudis eſt nauita, qui non norit cœleſtem diſcernere regionem, præſertim quum viderit Orientem & Occidentem ſolem. Et quũ ille tenetur in nubilo, aut noctibus fuerit nauigãdum, magnes tamen (quem omnes circumferunt nauigantes) declarat Aquilonem: vnde facilè de cæteris fiat diſtinctio. Sed quod ſequitur, fidem meretur. Vix mediam rediſſe tradunt partem eorum qui enauigauerũt, partim fame, partim aëris iniquitate, partim etiam bello abſumptis ſocijs. Nam ad prædã egreſſi de nauibus, nonnunquam manus contulerunt ignotis terrarum habitatoribus. Ex ijſdem Vitalianis alij Friſiæ littora apprenderunt, mare occiduum infeſtantes, cum quibus ingens & diuturna fuit lucta ciuitatibus Wandalicis: quod in Wandalia locis ſuis cõmemorabimus. Per eadem tempora Beruham dux Wolgaſtenſis, quum cerneret magnam eſſe nauigantium in mari licentiam, (nam Vitaliani infeſtauere omnia) magnis nauibus expeditis, cũ multis copijs ingreſſus eſt mare, exterminandis (vt aiebat) de mari piratis. At eius generis hominibus congredi difficile reputabat: mercatorum onerarias interpellat, eaſumq; non paucas capit in faucibus quæ vocantur *Nordſund*. Vix prædam partitus eſt: ſuperuenere de Lubeca mercatores, Noruagiam petituri. Qui ſuapte viribus quum plurimũ poſſent, conduxere tamen ex gregarijs, qui vnà nauigantes, ſecuritatem euntibus pręberent ab incurſione Vitalianorum. Quum cernerent expoliatos à duce mercatores, hoſtiliter inuecti ducalibus, claſſem illam diſſipauerunt: & (quod poterant) captis laxamenta præbuerunt, rebus & nauibus, quæ erant in conſpectu, reſtitutis. Diſſipata claſſis ducalium partim in Friſiam deuehitur: minor pars recto curſu natiuam petit regionem. Vna de grãdioribus nauibus, quæ LXXX. vexit armatos, in Daniam coacta, ab regina capi iubetur: quos reperit de receũ præda reſperſos, omnes iuſſit feriri gladio. Noruagia deinde diu manſit intentata per omnes dies Margaretæ reginæ.

Vitaliani nauigando ad ignotas regiones venerunt.

Magnetis in nauigando vſus.

Piratarum boſtis, ipſe pirata.

CAP. 9.

ERICVS dux de Pomerania, ab Margareta iam ſenio delabente adoptatus, trium regnorũ rex, & perinde Noruagiæ, deputatur. Hic quum diuturnum bellum haberet cũ ducibus Sleſwici, filijs Gerhardi cæſi in Thietmarſia, (cui ſe Wandalicę vrbes poſt aliquanta tempora implicuiſſent) multum diuq; laboratum eſt, plurima vtrinq; irrogata damna. Henrico ſeniore cadẽte apud Flensburgũ, Adolphus proximus belli curam ſuſcepit. Sed quod ad Noruagiã pertinet, illud erat: Quum varia vtrinq; fortuna diu præliatum eſſet, erat magna de ciuitatibus claſſis, ducentarum ſexaginta nauium expedita. De ſua quiſq; ciuitate præfectos nauium impoſuere: omnium tamen ductor erat Gerhardus, vnus ex fratribus ducis, omniũ natu minor. Ferunt duodecim millia pugnatorũ extitiſſe ſub ſignis Gerhardi. Super has erant copias, Vitalianorum militum gregatia: manus ad octingẽtorum numerum. Præterea extra cæterorum ſortem, Roſtokcenſes ac Wiſmarienſes Vitalianorum manum,

Ericus triũ regnorum rex, cum Sleſwicenſibus bellũ diu gerit.

num,ad numerum ſexcentorum habuere. Horum erat primipilarius,cuius hodie nomen celebre permanſit, Bartholomæus Voet. Is quum videret, grandem illam manum diu ſediſſe ad portum mercatorum in Dania,ibiq́; ſine fructu multum eſſe deſitũ, (quod in Dania diximus) ducem interpellans, veniam poſcit abeundi, & in reliquis Daniæ partibus prædam agendi. Dux non cunctanter annuit. Ille Daniam prætemauigans,curſu contendit in Noruegiam,emporium Bergenſe petens. Iam enim Anglici portum occupauere, piſces aridos auecturi per abſentiam mercatorum Germaniæ: qui regnum vitauere ob bellum. Anglici vbi viderunt adnauigare manum illam,arbitrati totum ſequi agmen Hollatorum & vrbium maritimarum, rebus ad naues importatis fugam intentarunt. Idem quoq; Bergenſis (qui tum aderat) epiſcopus factitauit: nam inſiliens vnam Anglicanarum, conceſſit in mare. Gregarij portum apprehendere:&oppidum ingreſſi,ſine diſcrimine cuncta vaſtabãt. Epiſcopi immunis non erat curia,ſacra & profana omnia inuoluta, nullum rerum diſcrimen: vt ſolet apud id generis homines:franguntur ſacra quæque,nihil in peruium rapientibus. Aderant Norici cum piſcibus & pellibus:mercatum venientes: ſed omnia ſine commutatione & pretio celeriter diſtrahuntur. Expleta præda, in naues onuſtas redeunt. Wiſmariam repetunt. Inerant multorũ merces de Germania mercatorum. Sed quid vis inter gregarios? Prędam partiũtur, nihilo tamen (vt fieri ſolet) ditiores inde facti.

Bergæ à Vitalianis diripitur.

CAP. 10.

ASPIRANTE vere ad nouam ſe accinxere expeditionem, in idem ductum emporium. Quadringentis circiter ſeptem nauibus ingrediuntur mare. Parua manus quæ regnis minaretur, & pręſertim quę emporium ibat ſpoliare. Eius rei euentum de priori metientes Noruagij,ſe iam inſtructiores fecere,ſi ad prædã redirent. Emporium Bergenſe recto curſu inuadunt. Qui inerant Norici,iam munitionibus firmabant regis atq; pontificis curias,inde oppidum oppugnaturi. Sed gregarij fortiter aggrediuntur munitiones eorum cõuellere:alij impigrè defendunt. Inter hæc adoleſcens quidam Germanici generis (quales ſolẽt ad rerum cuſtodiam ſub brumam mercatores relinquere in terra) Bartholomęum ſecretius adoritur,rem ſe afferre cognitu dignam. Vbi venit in propinquum , rogat maiórne ſit à tergo manus auxiliorum,iis qui ſub aſpectu ſint. Ille ſe auxilia alia neque ſcire, neque deſiderare reſpondet. Tum iuuenis, Vide quid aggrediaris: tota Noruagia in armis eſt. Ante quatriduum aduẽtus veſter innotuit: dicto citius videbis à mari & terra te circumuallari. Proinde tu rebus tuis conſule. Ille non contemnẽs vocem monitoris,receptui canit: iubet in naues regredi. Vix ſe in naues contulere: & ecce magna vndiq; velorum frequentia propinquat. Erant Noruagij, qui prædatoribus occurrerent. Nec mora, pugnam ineunt: ſeptem naues cum plurbus quàm centum inicre pugnam. Primo certamine minor de ſeptem capta eſt:inerant armati circiter viginti. Nihilo ſecius pugnauere ſex reliquæ. Maioribus Noruagiorum contulere manus: ex quibus ſtatim duas cepere, cæſis & proiectis in mare qui inerant: ſuis armauere captas. Interq́; duas captas,ſimili ſuorum manu communierunt. Creuere nauigia gregariorum, & Noruagiæ cuncta minorantur:quũ paruæ plurimæ mergerentur. Quumq́; pugna crudeſceret,cæſis plurimis qui ſupererant, Noruagij fugã ineunt: victores mare tenuere Vitaliani. Quum autem ſe inuadendo emporio rurſum pararent,vident alibi de latere Germanię decẽ vela. Statim agnouere nauigia : facile enim eſt deprehẽdere in mari, mercatórne ſit an pirata, qui nauigat. Socij erãt gregariorum:qui de portu Wiſmarienſi ſecuti,eandem negociationem cum Bartholomæo inire venerant: ſed aliquantò ad laborem ſerius. Vnà tamen aggrediuntur oppidum expugnare:ſed nullus ibi labor. Nam habitatores Noruagij, vbi ſuorum in mari fugam videre, victoriam Germanorum,fuga ſibi quiſque conſuluit. Ita vacuum habitatoribus emporium inuadunt, deſpoliant, præda explentur. Bartholomæus cum ſuis,potiores rerum partes detrahens enauigat, Albim fluuium petens: cæteri,qui pòſt venere, in vberiorem prædam vlterius ſibi nauigandum deſinunt. Erat autem tum poſt natum Chriſtum annus milleſimus quadringenteſimus & triceſimus nonus. 1439.

Vitaliani nauali prælio aduerſus Noruagios, victores, Bergam diripiunt.

CAP. 11.

CHRISTOPHORVS Bauarus inde tenuit trium regnorum gubernacula per

N

annos ferè nouem. Sub quo penitus quieta erat Noruagia: nimirum populus qui in rupibus ſuis induruit, non facilè mobilis ab eo quod ſemel apprehenderat. Ante Chriſtum agnitum nulla gens pertinacior errorum: poſt ſuſceptam Chriſti fidem, nulla immobilior. Ferunt aliquãdo terra ſua qualibet ex cauſa peregrinatos, quum primùm redierint, terramq́; tetigerint, pronos cadere in terram: & facto ſigno crucis, eam in terris oſculari. O, inquiunt, terra Chriſtiana ante omnes! Adeò generis ſui cultum attollunt, cæterorum contemnunt.

Noruagi pietate cæteris ſe præſtare putant.

Cap. 12. Christiernus inde rex rerum potitus, natus de Oldeburg & Delmenhorſt comes, relictam Chriſtophori ducens coniugem, trium regnorum gubernacula dotem accepit. Noruagia quoque tum pacem habuit. Inuentus eſt tamen ex militibus quidam Olauus Nicolai, quem ferunt rebus nouis clàm ſtuduiſſe. Conſpecta eſt vxor eius nauigare velo purpureo, cui inerant arma Noruagiæ. Mercatoribus Germanis, emporio Bergenſi negociantibus, ille grauis incubuit. Aliquot naues eorum diripi vel iuſſit, vel permiſit diſſimulans: queſti mercatores irridentur. Ad regem Chriſtiernum retulere querelam. Ille literis redditis, oſtendit ſibi non placere inſolentiam militis memorari. Eam de literis interpretati ſunt regiam voluntatem, ſi quid ille ob inſolentiam pateretur incommodi, non multùm regi diſplicere. Quum ea eſſent opinione mercatores, non ſe regem offenſuros, ſi militis frænarent audaciam, & ille modum non poneret cœptis in mercatores grauaminibus: in eodem tunc Bergenſi oppido commorantem circumſiſtunt tumultuantes. Poſtulant ablata reſtitui, iuſtitiã de nonnullis exhiberi. Durius ille initiò reſpondit. Vbi vidit creſcere audaciam cum numero tumultuantium de Germania mercatorum, nec ea tum eſſet præditus militãri manu qua obſiſteret, declinauit in cœnobium Brigittanorum: ibique turrim apprendens delituit. Aderat illi Bergenſis epiſcopus: qui ſeditionem placare vel vultu, vel autoritate, vel miteſcentibus verbis diu ſperabat. Vbi nihil profecit, rogatur vt abeat, linquatq́ue militem. Ille miſeratione amici abſcedere non potuit, ſperans parſurum propter ſe militi populum. Sed igneſcunt iræ, ſæuiunt vno impetu in epiſcopum & militem. Ambo cæſi, ambo oppreſſi, incendium excitarunt, dum ſummũ ſolum quærunt. At omnia poſtea damna monaſterio compenſant. Apoſtolica deinde imploratione, occiſi epiſcopi pœnas ſoluunt: militem filij queruntur occiſum.

Miles inſolentior à mercatoribus cum epiſcopo caditur.

Cap. 13.
1500. Ioannes Chriſtierni filius, deinde regnis præerat, & præſidet in hodiernum milleſimum quingenteſimum: apud quem filius occiſi militis cauſam reſuſcitat. Nam apud Chriſtiernum (vbi minus audiebatur) imploratus rex, iuſtitiam negare nec debuit nec voluit. Literis egit apud mercatores, vt querelæ ſopirentur: tentata eſt cauſa ſedari. Et videbatur mercatorum primoribus iam omnino conſopita, quum adhibiti non ſemel tractatus eſſent. Quum ille permiſſu regio, naues duas mercibus de Lubeca onuſtas capit, & in manus regias perducit. Hodie queruntur mercatores de tum ademptis rebus: vbi cauſæ prioris finem habuiſſe, & omnem querelam conſopiſſe prius ſe contendunt.

Alberti Krantzii Norvagiæ historiæ finis.

BELLI

BELLI DITHMARSICI

AB INCLYTO DANIÆ REGE FRIDERICO II. ET ILLVSTRISSIMIS HOLſatiæ ducibus, Ioanne & Adolpho fratrib. geſti, Anno poſt Chriſtum natum M. D. L I X. vera deſcriptio, duobus libris comprehenſa.

STRENVO ET NOBILI VIRO, D. HENRICO RANZOVIO, INCLYTI REGIS DANIÆ IN DVCAtibus Holſat. Sleſvvic. & Dithmarſiæ vicario prudentiſs. Conſiliario & præfecto arcis Segebergæ, domino ac patrono ſuo plurima fide obſeruando.

QVi olim veterum, Henrice Ranzoui, vir ampliſsime, hiſtorias ſiue res geſtas temporũ ſuorum ad vtilitatem poſterorum literis prodiderunt, eorum plerique aut ea quæ ſcripta ſunt ab illis, geſſerunt ipſi, aut ab aliis geri coràm inſpexerunt, ex quo & Hiſtoriæ appellatio nomẽ accepit. Aut enim adminiſtrabant inferebántque ipſi bella, aut ab Imperatoribus & ducibus in expeditiones quaſi comites inſpectoresq́; factorum & conſiliorum omnium, vnà ducebantur: vt eò certiùs ſanctiusq́; in exequenda rerum geſtarum ſerie, procul affectibus omnibus, veritatem proderent. Ita Xenophon, ita Thucydides (vt de cæteris taceam) bella literis mandabant, quæ vt eſſent geſta confectaq́; ipſi ignorare haud poterant. Ita C. Iulius Cæſar rerum ſuarum commentarios pura veráque ſimul oratione, vt Marti Apollinem Muſáſque ſociaret, militans in caſtris conſcribebat. Etenim quum hiſtoria quaſi quædã vitæ magiſtra & ſpeculũ eſſe debeat, in quod intueatur poſteritas, vt præclara inde ſectandæ virtutis vitiorúmq́; fugiendorum exempla capiat, diſcátque diuerſos bonorũ malorumq́; eſſe exitus, & præterea rerum notitia certiſsimiſq́; & maximè neceſſariis documentis, ad ſimilia belli paciſq́; opera obeunda, affatim inſtruatur, in primis vtile & neceſſarium eſt, vt ex fide res geſtæ commemorentur. Adferunt quidem delectationem nonnullam voluptatemq́; ſpecioſæ & ſubtiliter excogitatæ fabulæ, ſed magis iuuat, mouet, perſuadet, incitat, ſtimuloſq́; acres in animis figens relinquit vera narratio. Neque tamen inficias eo, quædam à magnis celebratiſsimiſq́; viris

ingenioſè & prudenter conſcripta eſſe, quæ tametſi geſta nunquam fuerint, magnam tamē & vtilitatem & voluptatē habeāt. Sed hæc ipſi, qui cōminiſcendo ea ad poſteros tranſmiſerūt, neq; haberi vndiquaq; vt veras rerum geſtarū commemorationes voluerunt, dum omne ſcriptionis ſuæ telum ad vnicum eum ſcopum intendunt & dirigunt, vt perfectā abſolutaq; numeris omnib. virtutis vitiorumque ſimulachra ob oculos ponant, & vera plurima falſis admiſcuerunt. Qui tamen itſi, ſi eum in modum vſumq; veræ hiſtoriæ argumentū præbitum fuiſſet, id ſcribēdo pertexere multò maluiſſent, vt nunc Hiſtorici potius quam Philoſophi viderētur, & fructus quoq; inde maior ad poſteros redundaſſet. Nam quæ vtiliter ad virtutem, conficta conſcriptaq; ſiunt, quum delectent afficiantq; nonnihil animos, ipſæ veræ rerum geſtarum narrationes altè penetrant, inflammant animantq; ad virtutem legentes, à vitiis abſterrent abſtrahuntq;, & quemlibet mentib. affectum induunt. Hæ vero nomine hiſtoriæ nuncupātur: qualis illa quoq; eſt quā ad te vir nobiliſſime, nūc mitto, de bello Dithmarſico, quod Sereniſſimus Daniæ rex illuſtriſſimiq; Holſatiæ principes, anno ab hinc nono, feliciter admodum geſſerunt. Quum enim haudquaquam ſim neſcius, quāto cum omnium cæterarū artium & literarum optimarum, tum vel in primis temporum gentiumq; quarumlibet hiſtoriæ cognoſcendæ, deſiderio & amore deflagres, exiſtimaui hanc quoq; inclyti regis tui principumq; illuſtris victoriæ qualemcunq; deſcriptionem te non improbaturum. Neq; arbitror, propterea eius lectionem minus gratam tibi fore, quòd ſerius, extincta penè apud mortales recenti eius belli memoria, in lucem pdeat, cum à nullo quod ſciā, tanta rei geſtæ fide tamq; prolixè edita ſit. Qui enim in literas id bellum primus ita cōtulit, ipſe conſiliis ſecretioribus rebusq; omnibus ferè interfuit: quod te minimè omnium ignorare iudico, qui multò maximam quoque partē tuam attuliſti. Proinde te ampliſſime honoratiſſimeq; vir, etiam atq; etiam rogatum volo, vt hanc qualemcunque lucubratiunculam, quo ab inuidorū iniuria & calumniis tutior ſit, ſub nominis tui auſpicio & patrocinio in lucem exire patiaris, meaq; ſtudia tibi commēdata habeas. Vale. Datum Itzohoæ, Kal. Aug. Anno 1569.

Chriſtianus Cilicius Cimber.

DESCRI-

DESCRIPTIONIS BELLI DITHMARSICI, LIBER PRIMVS.

BREVITER commemoraturus bellum, quo Dithmarſi, gens Cimbrica, adempta libertate, à rege Daniæ ac ducibus Holſariæ ſub iugum redacti ſunt, operęprecium me facturum, & rem non iniucundam Lectori, exiſtimaui, ſi primùm pauca de eius temporis in Europa ſtatu perſtringerem: altius deinde ab antiquiſſimis temporibus repetitam gentis originem, eum incolentis tractum, mores & inſtituta, ac deniq; quantam olim Dithmarſi crudelitatē & ferociam in Danos Holſatosq; finitimos & populares, exercuerint, explicarem. Quo ordine ſeruato, cùm ipſum tēpus belli apparebit clarius (in quod & alia quædam haud indigna memoratu inciderunt) tum odiorū initia & incrementa eas inter gentes aperientur: ac poſtrema hęc expeditio quanto periculo, labore & difficultate ſuſcepta ſit, quantumq; emolumenti, iis ſubactis hoſtibus, acceſſerit victoribus, planius cognoſcetur. Itaq; eam partem ſcorſum tractans, ne confunderem, liberumq; lectori foret, vtram malit legendo expeditè cognoſcere, peculiari libro complexus ſum: altero hiſtoriam ipſius belli ex inſtituto pertexens.

Duorum librorum argumentum.

ERAT igitur poſt partam humano generi ſalutē, annus vndeſexageſimus ſupra milleſimum quingenteſimū, quo hoc in Dithmarſos bellum motum geſtumq; eſt. Quo ineunte anno, calēdis Ianuarij inclytus & laudatiſſimus heros Chriſtianus eius nominis tertius, Daniæ & Noruagię rex, annū ætatis ſextum & quinquageſimū ingreſſurus, quū plures dies longo & inueterato morbo grauiter decubuiſſet, ex calamitoſæ vitæ huius ærumnis ad cœleſtem conſuetudinem & beatam immortalitatem euocatus, placido piiſſimoq; obitu naturæ conceſſit. Nam quum per annos pluſculos tabida lentaq; ęgritudine paulatim cōfectum, vires corporis propè omnes deſtituiſſent, ea demū magis magiſq; ingraueſcente, dormiens per inſomnium monitus eſt, ſi quæ mandare ſuis, & poſt obitum efficiēda in regno conſtituere vellet, maturè vt id faceret: ipſi enim poſt octiduum vitæ finem imminere. Id ſomnium ſuum experrectus reginæ vxori & familiaribus narrauit, quæq; à morte ſua fieri voluit, ſacris factis, iuſſit, prædictoq; tempore moriēs ſomnij fidem impleuit. Qui ſanè princeps, vt rebus maximis bello ac pace præclarè fœliciterq; geſtis clariſſimus ſemper habitus eſt: ita inſigni pietatis, iuſtitiæ, prudentiæ, clementiæ & æquitatis gloria, quæ ſingulæ virtutes mirificè & certatim in eo excelluerunt, cunctis ætatis ſuæ regibus facilè queat comparari. Per annos enim circiter viginti & alterum, Danici atq; Noruagici regni ſceptrum, relictum quidem ipſi voluntate ac morte parentis Friderici, ſed continuo eoque grauiſſimo quatuor ferme annorum bello occupatum defenſumq;, in ſumma gubernationis tranquillitate, maximoq; cum regni incremento ac commodo emolumentoq; populi, obtinuit rexitque.

Somnio mors regi prænūciata.

IPSO verò ingenti omnium luctu ac deſiderio rebus humanis exempto, filius auitum referens nomen (qui paucis antè annis, viuēte patre, vnanimi omnium regni procerum atq; ordinum conſenſu rex deſignatus ſalutatuſq; fuerat, ac iampridem in ſummam ſingularis & præſtātis indolis, pręclariſſimæq; virtutis ſpem, cunctorum animos erexerat) in regiæ dignitatis culmen ac titulos opeſq; paternas ſucceſſit. Erat tunc quidem Dania pacata vndiq;: tranquillam enim ac florētiſſimam ipſi pater moriens (vt qui in omni vita pacis ſtudioſiſſimus fuerit) reliquerat, atque Chriſtiernus ille ſecundus, rex olim Sueciæ, Daniæ ac Noruagiæ (qui quum propter interfectos tyrānicè antiſtites, & Suecorum Danorumq; nobiliſſimos quoſq; ſublatos, eiectus regnis tribus ſeptentrionalibus detineretur captiuus, ad nouum aliquem belli motum cauſam præbere poſſe viſus fuerat) tertio & vigeſimo die poſt obitum regis, quū octogenarius eſſet, vita exceſſerat, quòd audita morte Chriſtierni tertij ſibi metuiſſe crederetur. In vicinis quoq; ducatibus hoſtile nihil mouebatur, timebatúrve: aliæ verò pleræque in Europa regiones bellis ac tumultibus, cùm

Filius patri, ante cēſors, ſuccedit.

Chriſtiernus II. regno eiectus.

Laurentianum prælium, Gallis aduerſum.

Carolus V. imperio depoſito, in cœnobio reliquum vitæ tempus tranſegit.

Liuoniæ aduerſus Moſcum auxilium nihil datur.

ciuilibus tum externis, deflagrabant. Gerebatur bellum atrox in Philippum Hiſpaniarum & Henricum Galliæ reges, commiſſoque cruento vtriſque prælio ad ſancti Quintini oppidum, in Remenſi prouincia (quod oppidum docti putant Samarobrinam veteribus fuiſſe, C. Cæſaris hybernis & conuentu Gallorum olim ibi indicto celebrem) magna ſtrages edita eſt. Etſi verò complures vtrinq; & cæſi & capti ſunt, Gallus tamen maiorem ea in pugna cladem accepit, amiſſo in primis inſigni nobilitatis flore, ac præcipuis belli ducibus regnique proceribus captis. Quam ob cauſam & iniquioribus paulò conditionibus pacem cum hoſte fecit, perq; connubium demum (vt ferè inter pacificantes principes fit) controuerſia ea omnis ſublata eſt.

INCIDIT illa inter duos potentiſſimos Europæ reges pacificatio in menſem Martium eiuſdē anni, quo optimus princeps Chriſtianus vitam cum morte commutauerat. Tenebat tunc imperij Romani ſceptrum Ferdinandus Auſtriacus, ſuperiore anno in Caroli Quinti fratris locum Septemuirorum Germaniæ ſuffragio ſuffectus. Is enim clariſſimus potentiſſimusq; Imperator, quum ingraueſcentis ætatis valetudinisq; vitio imbecillus tantam rerum molem ſuſtinere diutius nec vellet, nec poſſet, & reſtitutis per Guilielmum Auranium Septemuiris imperij inſignibus, dignitate imperatoria & muneribus ſponte ſeſe abdicaſſet, inq; cœnobium ſancti Iuſti in Hiſpania abdidiſſet, in monaſtica ac ſolitaria ea vita diem extremum obierat, eodem anno, quo & duæ eius ſorores Maria & Eleonora Vngariæ & Galliæ reginæ, filiiq; Philippi coniunx Maria Angliæ regina, vita exceſſerunt. Ferdinandus igitur ſub idem tempus, coacto vniuerſo imperij ſenatu & ordinibus, in vrbe Vindelicorum Auguſta conuentum agebat. His in comitiis, quæ ad tuendam & conſeruandam imperij dignitatem, arcendumq; Pannoniæ ons Turcam crudeliſſimum & hæreditarium Chriſtiani nominis hoſtem, ac muniendam ſtabiliendamq; per Germaniam pacem & tranquillitatem publicam, ſpectare videbantur, menſibus ferè decem acta & conſtituta ſunt.

FREQVENTIBVS quoq; ſuffragijs decretum factum, vt Liuoniæ miſerè querenti de atrociſſimi hoſtis Moſcorum ſiue Rutenorū principis, ceruicibus ſuis aſſiduè imminentis extrema ſæuitia atque iniuriis (quas inferente illo grauiſſimas eſſet perpeſſa) centenis aureorum millibus ad exercitum conſcribendum ſuppetiæ ferrentur. Quod imperij beneficium pleriſque eorum qui tunc Liuoniam adminiſtrabant, adeò tenue & exile viſum eſt, vt negligere omnino maluerint, quàm rebus in extremum adductis diſcrimen, præter cætera mala, quibus affligerentur, concitata inſuper inanis auxilij inuidia ſeſe onerare. Multò enim honeſtius præclariusq; ad omnem poſteritatem fore ſibi iudicabant, ſi non adiuti ab imperio & viribus longè inferiores, vel hoſtis potentiæ cederent, vel rebus omnibus fortuniſq; exuti viriliter occumberent, quàm ſi aut in tam exigua æris ſumma, ſpem aliquam & fiduciam poſuiſſe temerè, aut immemores officij, pro patria animis parum maſculis & generoſis præliati perhiberentur. Ita Liuoniam nequicquam implorantem auxilium, & tam potenti diroque hoſti imparem, propter ignauiam eorum per quos tunc regebatur, quum Rutenus hæreditarij cuiuſdam iuris & denegati ſibi tributi prætextu, numeroſo cum exercitu inuaſiſſet, non modò crudeliter igni ferroque euaſtauit, ſed & expugnatis pleriſque occupatiſque caſtellis ac munitionibus, & ingenti hominum multitudine trucidata, multa præterea mulierum puerorumque imbellium millia, ſedibus paternis materniſque auulſa vberibus, in Moſcouiam ſecum abduxit. Lugubre ſanè ſpectaculum & deplorandum nobiliſſimæ fertiliſſimæque olim regionis fatum, quæ tam longo æui tempore aduerſus barbarorum finitimorum incurſiones, firmiſſimum Germaniæ munimentum & propugnaculum fuit. Magnum verò imperio Romano dedecus, quum maiorum noſtrorum olim virtute & conſtantia diu fortiter egregieq; defenſa ſit, quorum ora & aſpectum (nedum arma) vix ferre Romani poterant: quòd nunc oſcitantibus ijs quibus finium defendendorum cura credita erat, in triſtiſſimam miſerrimamque redacta ſeruitutem, Moſcorum ſæuitiæ & tyrannidi ceſſerit.

HIC tunc ijs in Europa locis rerum ſtatus erat, de quo nos breuiter dicturos recepimus.

ſepimus. Nunc conſequens eſt, vt antiquiſſimę gentis originem & mores altius nonnihil inueſtigemus: quod pro rei ipſius conditione fortaſſe longius erit. Antequam verò eò veniamus, paucis obiter lectorē admonitum volumus, ne quid nos hoc loco de Dithmarſis ſigillatim dicturos exiſtimet. Eorū enim regio quam ſeptem in longitudinē miliaribus porrectam, pauloq; anguſtius in latitudinem ſeſe extendentē incolunt, quum Holſatiæ cohæreat, cōtinensq; cum illa intra Britannicum Germanicumq; mare (quæ vetuſtiſſima Cimbrorū ſedes eſt) ſita ſit, ipſiq; incolæ, vt eadē origine deſcendentes, ii ſdemq; viuentes moribus & inſtitutis, vni eidemq; cum Holſatis imperio Saxonum olim ſubiecti fuerint, neque nos illos ſeparamus, vnoq; ſub Cimbrorum nomine vtroſq, complexi deſcribimus. At ſi obiiciat quis, diuerſam à Cimbris gentem Dithmarſos videri, quia illi à Gomero nepote Nohæ, hi à Marſo orti credantur, is haud difficulter reſponderi ſibi poſſe intelligat. Nam id ita eſſe, tametſi largiar, tamen negari non poteſt, Marſum Gomeri nepotem ex Thuiſcone filio perhiberi: vnde de cognatione gentis, vnum inſidentis tractum, ſi id verum ſit, facile eſt colligere. Verùm Marſos aliis locis conſediſſe, victoſque olim & fuſos à Germanico, Tacitus, accuratus Germaniæ deſcriptor, locuples teſtis eſt. Mihi profectò magis conſentaneum vero videtur, Dithmarſos ab inhabitata loci ora nomen ſortitos eſſe.

Dithmarſia Holſatia accenſetur, eādem habet originem.

Etenim vniuerſa ea regio, quæ intra Cimbricā Cherſonneſum eſt, bifariā diſtinguitur, in paluſtrē & campeſtrem, ſiue nemoroſam. Qui depreſſa ideoq; paluſtria & vliginoſa tenēt loca, hi ab incolis Marſi vocātur, quaſi inter paludes limoſaſq; voragines habitantes. Inde Stormarſi, Crēpermarſi, Vilſtermarſi, Haſeldorpermarſi & Dithmarſi dicti, qui vna omnes quaſi ſerie Albi flumini adiacēt: quūq; terrā aquis humiliorē depreſſioremq; incolāt, haud tenui ſumptu, denſis obiectis aggeribus valliſq; prealtis, præterlabentis fluminis vim atq; æſtum ſuſtinere atq; cōpeſcere coguntur, ſaltē aggeribus, foſſis aut profluentibus ſeparati. In quas oras, vt à ipſa natura ſituq; munitiores, ſe ſuaq; receperunt incolæ, vbi grauius alicunde ab hoſtibus periculū aut terror imminuit, vt poſtea memorabitur. Rurſus diuerſo appellantur vernaculo nomine, qui altiora atq; aridiora terrę occupāt, vnde Holſati, quaſi inter ſyluas ſaltuſq; habitātes, nominari: quam veriorem de nominis etymo ſententiam iudico. Nunc ad Cimbros in genere ſeſe conuertet oratio. Holſatia itaq; omnis (vti nunc vocatur) Sleſwicenſem ducatū, Vagriam, Stormariam, Dithmarſiam & Iutiam, minoreſq; aliquot regiones ac inſulas (vt Angliam, Suuantiam) cōplectens, veteribus Cimbrica Cherſonneſus dicta fuit. Et ab Albi flumine, prope ciuitatem Hamburgū, ad extrema Iutiæ in longitudinem itinere duodecim dierū extenditur: in latitudinē verò ab inſula Fimbria, ſiue parua Cimbrica ad Bueſen inſulam Dithmarſiæ, dictū ſex itinere expedito patēs, porrigitur: ita, vt ab vna parte ferè tota Oceano orientali alluatur, ab altera occidentali, ac propterea peninſulæ nomē meritò ſortiatur. A meridie enim ſaltē inferiori Saxonicorū ducum regioni cōtigua eſt. A reliquis eius loci finitimis ducatibus, vt Megalopolitano & Luneburgenſi, diuiditur per Trauenā, Bilenam & Albim fluuios.

Cimbrica Cherſonneſi diuiſio.

Cæterum quū in genere totā Cimbriam depinxerim, non inutile fore exiſtimaui, ſi Holſatiā quoq; ſpecialiter deſcriberem. Ea quatuor fluminib. circūdata eſt: Bilena ad orientē, ad occaſum Stora, ad meridiē Albi, ad ſeptentrionē Eidora: qui fluuius vetus Daniæ limes à quibuſdā eſſe exiſtimatur. Sed Annonius monachus Benedictinus diuerſum ab hoc limite cōſtituit, nēpe vallū illud adhuc noſtro tēpore muris & aggeſta terra inſigne, quod à noſtris *Denawerck*, hoc eſt Danorū opus appellatur, & propter Caroli Magni exercitū aduentantē, à Godefrido Daniæ rege ſtructū perductūq; eſt, à ſinu Oceani Britānici, Slue dicto, (haud procul Sleſwico & Gothorpa) vſq; ad Hollingſtadiū, quod Eidora amnis in Germanicū mare ſe exoneraturus alluit. Incoluerunt olim Holſatiā ab antiquiſſima memoria priſci illi & pugnaces Cimbri, bello eū Rom. geſto celebres, vnde & nomen vniuerſa ea regio accepit, vt ex Ptolemęo, Strabone, Plinio & Tacito, maximis certè autoribus cōſtat, qui oēs vno quaſi ore Cimbros inter duo maria, Britānicū nēpe & Germanicū, nūc vulgò occidētale & orietāle dicta, Aquilonē verſus à Saxonib.

Holſatiæ deſcriptio & limites.

Fimbria veteris Cimbrorum nominis argumentum.

conſediſſe diſertè teſtantur. Et ſeruat etiamnum hoc tempore nominis veſtigium inſula parua, contra Lubecam ciuitatem ſita, quæ Fimbria hodie, vna duntaxat litera innouata, appellatur. Cimbros verò à Gomero, nepote Nohæ, ex maximo natu filio Iapheto, ortos eſſe. nomenque ab eo per tot ſæcula paululum immutatū trahere conſentiens omnium opinio eſt. Poſteritas igitur Iapheti quum maiorem orbis terrarum partem, in Europa Aſiaque minore occupauerit (quod ipſi cùm etymon nominis, dilatationē ſignificantis, tum fauſta Nohę parentis imprecatio portendebant) poſteri à Gomero orti ad Boſphorum Mæotidi paludi proximum, qui de illis Cimmerius eſt appellatus, vltra Thraciam, vbi Tanais oritur, ſedes habuerunt, ipſi Cimmerij dicti. Cuius rei etiam propheta Ezechiel certiſſimus eſt teſtis, qui Gomer & Thogorma latera Aquilonis expreſſè vocat: quòd de Palæſtina, vbi vir diuinus ſacri numinis inſtinctu ſcripſit, accipiendum eſt. Quo ſanè in loco floruiſſe olim Cimbros potentia & nominis celebritate, præter Boſphorum & mons & oppidum eiuſdem loci, ab ipſis Cimmerium nominatum, documento ſunt.

Cimbrorum nomen ex Cimmeriis factum.

H I N C poſtea ſuccedente tempore (quod haud difficile illis fuit) per regiones propinquas, Ruſſiam, Lituaniam, Liuoniam & Boruſſiam, in Cimbricā Cherſoneſum progreſſi, totoq; eo littore ſe paſſim diffundentes, latè dominati ſunt, & caſtrato paululum nomine, litteraq; interiecta, Cimbri nuncupati. Quando verò & qua occaſione hæc migratio contigerit, quoniam nulla gentis ab eo tēpore monumenta extant, ex quibus id cōſtare poſſit, ignotum eſt. Herodotus meminit, Cimbros, quum irruptione facta Lydiam inuaſiſſent, ab eius populi rege repulſos eſſe. Sabellicus præterea Alyattem, qui Lydorū rex fuit, eos Aſia eieciſſe ſcribit. An igitur eo ſtatim tempore, eaq; occaſione in hęc loca conceſſerint, certò affirmari non poteſt. Nam hac de re quæ veteres Saxonicarum rerum ſcriptores literis prodiderunt, ijs, quæ ſcilicet ab hominibus imperitis rudibuſque paſſim congeſta ſunt, fides habenda non eſt: eoſque Albertus Kranzius, diligens & curioſus hiſtoriæ ſcriptor, vbique ferè vt futiles & friuolos refellit. Quòd ſi literarum cultura, æquè ac res militaris, apud Cimbros floruiſſet, certiora de ſuo in hæc loca aduentu, aliiſque rebus præclarè fœliciterq; abs ſe geſtis, monumenta nobis reliquiſſent. Sed ipſi (vt & aliæ pleræque gentes) animoſè viriliterque agere, & bella gerere, quàm eleganter & ornatè ſcribere maluerunt. Illud tamen ego haud nulla ductus coniectura crediderim, non vniuerſam ſimul gentem omnino illuc ſeſe effudiſſe, ſed remanſiſſe nonnullos, qui relicta ab aliis loca colerent, quòd homines iſtius oræ veterib. Cimbris non diſſimiles ſint moribus & inſtitutis, vt hiſtoriæ produnt. Neque enim ſingulari cuiuſquā imperio parent, ſed complures inter eos ſunt nobiles viri, ij, ex prædatione & venatu victum & opes quærunt: quas duas omnino res quum plurimi ſemper faciant, propter eas ſæpe ingentes inter ipſos diſcordiæ & contentiones oriuntur. Opinantur nonnulli, eos vel inuſitata Oceani inundatione coactos, vel vi à Gothis expulſos, ſedibus ſuis emigraſſe. Quod mihi veriſimile non videtur, ſed potius ſuapte ſponte ac voluntate, ſiue fato quodam impulſos, ſiue opum alienarum cupiditate accenſos, cultiora loca appetiiſſe exiſtimauerim, præſertim quibus (vt nulla terreſtrium itinerum difficultate præpeditis) magnam facultatem ad inuadendas occupandaſque alienas prouincias claſſis præbuerit.

Nobilium ſtudium.

Multarum aliarum gentium migrationes.

N E Q V E verò ſoli Cimmerij, ſed & aliæ quædā ipſis conterminæ gentes, ſedibus priſtinis relictis, in alias terras migrantes tranſierunt. In his Getæ, Daci, Sueui, Teutones ſiue Thuiſcones (ab Aſcane filio Gomer, qui & Thuiſcon) & Sacæ fuerunt: qui omnes mutatis appellationibus, nunc Gothi, Dani, Suedi, Germani & Saxones nominantur, etiā hodie Cimbris finitimi. Cæterùm fuerunt ſemper Cimbri gens impigra, ſtrenua, manu prompta & bellicoſa: quod cùm origo nominis, pugnacem ſignificantis, tum res ab ipſis audaciſſimè fortiſſimeque geſtæ, abundę teſtātur. Ab ijſdem Sicambri & ortum & nomen ducunt, quos nunc Geldrenſes eſſe viri docti arbitrantur. Poſt aliquot enim numero reges, qui inter priſcos Cimbros ſiue Cimmerios dominatum tenuiſſe feruntur, quum ad Antenorem ſecundū (qui Marcomiri filius fuit) rerum ſumma perueniſſet, is, fixis per maiores ſuos & prolatis iam ſedibus ad Rhenum vſq; & Germanicum mare, Britonum regis finitimi

filiam,

Sicambrorũ appellatio vnde.

filiam, Cambram nomine, in matrimonium ſibi copulauit. Quæ mulier quum in magno apud regem precio & honore eſſet, ob eximias pudici venuſtiq́ue ingenij dotes, in eius fauorem & gratiam nouum genti nomẽ indidit, vt pro Cimbris poſtea Sicambri appellarentur: idq́ue à conditu mundi exordio anno poſt quingentos & ter mille quinquageſimo, quũ Artaxerxes Longimanus Perſis imperaret. Succedente poſtea Antenori filio Priamo, recens Sicambrorum nomen non modò non depoſuerunt, ſed peregrinam quoq; & ignotam prius Saxonum linguam addiſcentes in ſuam cooptarunt, quòd duces eorum, creſcente indies magis magiſq́ue potentia, ad Rheni ripam dexteram vſque dominatum protuliſſent.

Cimbrorum migrationes

LONGO deinde intercedente temporis interuallo, circiter annum conditi orbis terrarum à ter milleſimo octingenteſimo quadrageſimum, regnante Meradoco primo, quum Rhenum relinquere, ob inſolitas frequentesq́ue cùm oſtiorum eius, tum maris inundationes, cogerentur, Harciniæ tractum occuparunt. Inde verò non multò pòſt à Boijs pulſi, traiecto Danubio Noricum inſederunt, (quo loco etiamnum hoc ſeculo comitatus extat, ex nomine eius rei argumentũ habens) donec Meradoco ſecundo duce, contractis vndecunque omnibus gentis ſuæ viribus, adiunctiſq́ue ſibi in ſocietatem Teutonum & Ambronum auxiliis, Galliam & Italiam inuadere cœperunt: vnde in Germaniam à Caſſandro primo reducti ſunt. Ex Norico enim per Heluetiam Galliamq́ue penetrantes (quorum multitudo trecenta milliatum exceſſiſſe memoratur) in Hiſpaniam populabundi tranſierunt: qua maximis affecta detrimentis, à Celtiberis inde pòſt armis reiecti atque depulſi ſunt. Igitur in Galliam reuertentes, quum omnem eam prouinciam, quacunque iter fecerant, crudeliter euaſtaſſent, inita cum Teutonibus & Ambronibus belli ſocietate in Italiam armis irruere decreuerũt, annum circiter decimum ante natum Chriſtum ſupra centum. Primus Romanorum Papyrius Carbo conſul in Illyrico cum vniuerſo exercitu ab ipſis conciditur. Poſt eum M. Iunius Syluanus, & ipſe conſul, contracta infœliciter pugna ſuperatur, à qua victoria quum miſſis legatis ſedem & agros à ſenatu Romano poſtularent, is hoc ipſis negauit. Nec longè pòſt altero commiſſo prælio, Aurelius Scaurus legatus conſulis, deletis copiis in manus eorum viuus peruenit. Qui in conſilium à victoribus adhibitus, quum eos deterrere conaretur, ne ſuperatis Alpiũ iugis in Italiam ſeſe demitterent (quòd vinci non poſſe Romanos diceret) Bolus rex, ferociſq; ingenij iuuenis, confeſtim manu ſua eum interemit. Prælium illud Tacitus factum ſcribit, anno ſexcenteſimo quadrageſimo poſt Vrbem conditam, à quo alij diſſentiunt.

Romanorũ clades à Cimbris accepta.

AD eam aduenientis tanta multitudine gentis famam, tribuſq́ue iam prẹlijs victricis perterriti Romani, nec ſibi, donec Italiam hoſtes ingrederentur, expectandum rati, in aditu Alpium denuo exercitũ validum opponunt. Igitur inita ad Rhodanum fluuium pugna, anno ab Vrbe cõdita nono & quadrageſimo poſt ſexcentos (quemadmodum annos ſupputant, qui Tacitum non ſequuntur) iterũ Cimbri memorabilem & funeſtam de Romanis victoriam conſequũtur, octoginta millibus militũ trucidatis, calonum lixarumq; quadraginta millibus, caſtriſq; binis cõſularibus potiuntur, vix denis (vt aiunt quidam) è tanto exercitu elabentibus. Alter proconſulum qui duces fuerant, C. Manlius in pugna interfectus occubuit. Alter Q. Seruilius Cepio, cum ex fuga Romã certiſſimus cladis nũcius perueniſſet, abrogato imperio boniſq́ue publicatis (cùm quòd eius temeritate tanta clades accepta crederetur, tum ob ſpoliatum auro Delphico templum Toloſanum) in carcerem ductus eſt, necatiq́ue pòſt cadauer ad ſcalas Gemonias abiectum. Feruntur vno in prælio Romani maiore clade & detrimento nunquã affecti. Quamobrem ſuſpenſis metu animis, de exitu belli magnopere ſolliciti, præſentiq; rerum ſuarũ periculo vehemẽter perturbati, quum hoſtes exitium vrbi minitãtes propediem aduentare nunciarentur, miſſis celeriter trans mare nuncijs, bellicoſum iuxtà & fortunatum ducem C. Mariũ ex Lybia, vbi Iugurthã deuicerat, in vrbem reuocant, eumq́ue, continuato per annos plures magiſtratu, eius belli imperatorẽ creant. Hic anno improſperam eam pugnam inſequenti, ſecundùm conſul factus, & ad bellum Cimbricum à ſenatu mandatum profectus, fatidicæ mulieris ſuaſu, cui Marthæ

Ingens Romanorum numerus à Cimbris cæſus.

Marius in Cimbros dux exercitus miſſus, eos delet.

nomen fuit per biennium conflictu abſtinuit. Interea temporis caſtra ab hoſtibus ſumma vi oppugnata, nec minore conſtãtia à Mario defenſa ſunt. Poſt elapſos verò annos duos, cum Teutonibus & Ambronibus, qui diuiſis copiis diuerſa via ex Gallia in Italiam fuerant tranſgreſſi, ad Aquas Sextias manus feliciter cõſeruit. Eo valde acri cruentoque prælio victor ducenta millia hoſtium fudit, cepit nonaginta millia: tantaq; fertur cæſorum fuiſſe multitudo, vt Maſſilienſes poſtea congeſtis defunctorum oſſibus vineas obſepſerint, agriq; eius loci, madefacta ſanguine humano gleba, & carniũ putredine, ſuperfuſo pręſertim rore copioſo & imbre, quaſi ſtercore multo pingueſcentes, vberrimi feraciſſimiq; redditi ſint. Lucius tamen Florus non vno, ſed duobus ſecundis præliis, eodem loco Teutones & Ambrones à Mario profligatos refert.

Cimbrorũ cadauera pro agrorũ laetamine.

TAM inſperato & infelici ſociorum caſu Cimbri, qui per Noricum in Italiam deſcenderant, quanquam attenuati numero & viribus, animo tamen minimè fracti, ſedem à Romanis collocãdo rerum ſuarum domicilio petebant. Quo non impetrato Q. Catuli proconſulis exercitum in fugam verſum ab Alpium faucibus, quas obſederat, ſummouent, Italiamque ingreſſi ad Atheſin flumen caſtrametantur. Nec defuit fortunæ impotenter ſibi blãdienti Marius, ſummaque celeritate eò aduolans, copias ſuas cum Catuli milite coniungit, initoq; prę lio die vigeſimo nono Iulij, cẽtum quadraginta millia hoſtium occidit, ſupra ſexaginta millia capta in poteſtatem redigit. Durauit igitur hoc bellum Cimbricum duodecim continuos amplius annos, ſumpto initio à Cn. Papyrio Carbone Cos. à Cimbris interfecto, vſq; ad quintum Caij Marij conſulatum, quum ad Atheſin illos penitus debellauit. Nec ſanè modicas Cimbri intra id tempus Romanis clades intulerunt, quũ aut cęſis aut captis fugatiſve eorum ducibus, quinq; Conſulares exercitus proſternerent. Equidem niſi fuiſſet ita diuinitus conſtitutum prædictumque, vt Roma, pleriſque omnibus ſubactis prouinciis, orbis terrarum caput efficeretur, ſummumq; in eo imperium & poteſtatem gereret, & niſi ea tempeſtate tam excellẽtis virtutis & felicitatis incredibilis extitiſſet imperator, potuiſſet forſitan tunc imperium Romanum penitus euerti atque deleri. Proinde haud immeritò Marius tertius vrbis Romæ conditor & aſſertor à Plutarcho appellatur, primoreſque ciuitatis, qui antea ipſi, vt nouo homini, tanta honorum faſtigia inuiderant, tunc Rempublicam ab eo conſeruatam faſſi ſunt.

Marius tertius Romæ conditor.

CERTATUM verò eo bello cunctis imperij Romani viribus, totoque adeò regni corpore: quum, exhauſto ad milites conſcribendos ærario, Marius omnes populi Romani ſocios & amicos in auxilium exciuerit, exuleſque vndique & ob maleficia iudiciis damnatos, permiſſa impunitate, contra leges reuocauerit: quò maiore armorũ mole tantis hoſtium conatibus obuiam iret. Atqui, vt Tacitus refert eo loco vbi hanc Cimbrorum in Italiam expeditionem perquam magnificis effert verbis, conſtitit ea victoria Romanis decem & ducentorum ferme annorum continuis grauiſſimis difficillimiſque bellis, ſi temporis ſeries, à Cæcilio Metello & Papyrio Carbone Coſs. ad alterum vſq; Traiani Imp. conſulatum, ſubducatur.

CÆTERUM quod ſcriptores nõnulli aſſerunt, poſtremo hoc prælio Cimbros ad internecionem vſque gentis cæſos deletoſque fuiſſe, id à vero eſſe alienum, non vno argumẽto liquet. Etſi enim vires eorum, tanta in ipſos ſtrage edita, adeò fractę attritæque ſunt, vt robur vetus & potẽtiam priſtinam recuperare poſtea nunquam potuerint: reliquię tamen fuſi ad Atheſin exercitus ita fuga diſperſæ ſunt, vt partim ad Mæotidem paludem regreſſæ, partim in Gręciam & Pãnoniam nouis quęrendis ſedibus dilapſæ ſint, nonnulli quoq; in Germaniam & natalem peninſulã ſuam effugerint. Enimuero poſt id tempus, quòd nulla in hiſtoriis Cimbrorũ extat mentio, nemini mirum videri debet. Nam ſumptis ſemel & intentatis improſperè contra Romanos armis, poſtea quieti ſeſe tradiderunt, nec inter ipſos inuentus eſt, qui temporum rerumque geſtarum vices literis mandando, poſterorum memoriæ factorumq; æternitati conſuleret. Imperante Auguſto Cęſare, retinuiſſe Cimbros etiam tum aliquam imperij vmbram, inde conſtat, quòd ei (vt cõmemorat Strabo) æreum lebetem, peculiari quadam religione abs ſe conſecratũ, dono miſerint

Cimbrorũ reliquiæ in varias terras ſparguntur.

Cimbrorũ cum Auguſto fœdus lebete ſacro ictum.

vt eo facto diſſidij veteris & iniuriarum memoriam quaſi abolerent, amicitiæque fœdus cum eo pangerent. Sub idem quoque tempus victos à Danis, Iutia (parte Cherſonneſi propinquiore Danis, quam tunc obtinebant) expulſos eſſe, annales meminerunt. Quæ igitur inde ſuperfuit multitudo, Danorum metu Saxoniæ ducibus ſeſe ſubdidit, nec ſine multa & varia rebellione paruit.

NEQVE omittendum mihi hoc loco videtur, quod in cõmentariis belli Gallici Cæſar recenſet, Cimbros Teutoneſque, quum in Galliam Italiamq; iter facerent, impedimentis ijs quæ ſecum agere aut portare non poterant, citra Rhenum depoſitis, cuſtodiæ ex ſuis ac præſidio ſex millia hominum reliquiſſe. Hos profligatis in Italia ſocijs & popularibus, multos annos à finitimis exagitatos, quũ aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent, conſenſu eorum omnium pace facta, inibi locum domicilio ſibi delegiſſe. Inde Aduaticos prognatos, qui obſidenti Cæſari dedito oppido (in quod egregiè à natura munitum omnia ſua contulerant, deſertis metu reliquis oppidis caſtelliſque vniuerſis) quum inſequenti nocte munitiones Romanas, compoſitis inſidiis fideq; rupta inuaderẽt, ad millia quatuor eorum occidit: ac poſtridie vniuerſam oppidi ſectionem vendidit, numeruſque capitum ab emptoribus millia quinquaginta trium ad eum relatus eſt. Hos alij Neruijs & Eburonibus (qui nobis Tornacẽſes & Leodienſes ſunt) finitimos fuiſſe arbitrantur: alij in Heluetia prope Tauriſcos, qui quibuſdam Vranienſes, collocanr. Hine eorum orta eſt opinio, qui partem Cimbrorum, ab ea clade ſupeſtitem, in Heluetia ſedem nactos conſediſſe, ſcribunt. Equidem ex omnibus his omnino haud incertum eſt, ex eadem gente, tametſi per omnes diſperſa terras, plurimos tamen cladi in Italia acceptæ ſuperfuiſſe.

Aduatici Cimbrorum ſunt poſteri.

PORRO quæ de antiquiſſimis eius gentis moribus & inſtitutis referri poſſint, hæc ferè ſunt. Vtebantur primis temporibus vetuſtiſſimi illi Cimbri, & qui in Holſatia poſtea ſedem habuerunt eorum poſteri, priſca illa Germanica lingua, quæ Saxonum genuina eſt. Regem aut principem agnoſcebãt neminem, ſed exortis ſubinde bellis, ex ſuis fortiſſimum quemque, & factis illuſtribus ſpectatum, ducem ſibi deligebãt. Si fortè qui, explorata virtute & factis præclaris editis pares, electionem dubiam facerent, ſorte per ipſoſmet iacta iudicabãtur. Nec diuturnius cuiuſquam erat imperium, quàm bellum ipſum, cuius gerendi dux eſſet declaratus. Preter nobiles colonoſque, & quoſdam conditione ſeruos, (quos Chriſtiana nunc pietas ſuſtulit) nullos inter ſe vitæ ſtatus aut diſcrimina alia habebant. Comitum verò & Baronum titulos ac nomina planè ignorabant, quemadmodum nec nunc quidem apud finitimos Danos Suecoſq; in vſu ſunt: niſi quòd ante paucos annos quidã nouo exẽplo & ambitione inuſitata, fortaſſe cum aliqua etiam priſtini iuris ſui iactura, eos incognitos hactenus honoris titulos graduſq; in Suecia adepti ſunt. Summa apud eos dignitas, ſummuſq; honos & ſtatus poſt electos belli duces, equitũ erat, quos ab ornamentis, quæ illis conferũtur, auratos vocamus. Ad quem maximi honoris gradum nulli patebat aditus, niſi qui virtute bellica, factiſque in hoſtem egregijs patratis, cuiuſcunque vel claſſis vel fortunæ eſſet, ad id dignitatis culmen meritò aſcendere putaretur. Iis enim ſolis, vt præclarum & ingens compertæ ſpectatæq; virtutis præmium, in conſpectu exercitus patentibuſque campis, ab ipſis ducibus, quorum ductu & auſpicijs ſtrenuam & memorabilem in bello operã præſtitiſſent, ſolenni ritu & cæremonia conferebatur. Quod ipſum & apud alias pleraſque gentes in more fuit: & recenti maiorum memoria Franciſcus Galliæ rex, laudatiſſimo ſanè exemplo, in conſuetudinem quodammodo reuocauit. Is enim quum duplici periculoſoque admodum prælio Heluetios, pugnaciſſimam gentem, non procul Inſubria fudiſſet, quoniã ipſemet præ cæteris in prima acie audaciſſimè dimicans, & optimi ducis & ſtrenui bellatoris munia impleuerat, conſenſu gratulãrium principum exercituſque vniuerſi, eo honore digniſſimus habitus, de manu Baiardi impigri ducis (quem ante alios fortiſſimè in hoſtes pugnãtem conſpexerat) equeſtris dignitatis ornamenta, adhibitis de more ceremoniis, accepit. Noſtro verò ſeculo equeſtris ordo a fortibus viris & militari laude præſtantibus, rarius propterea appetitur, quòd in eum non ſemper (vt olim) teſtatæ virtutis merito elari,

Cimbrorum mores & vita inſtituta.

Seruitus Chriſtianiſmo ſublata.

Equites aurati.

Equitum ordo in Gallia

ſed qualeſcunq; paſſim fauore principũ ſubleuati cooptantur. Qui enim vel principum gratia florentes, cum dignitatis gradum affectant, vel opibus affluentes emptiuo honore cæteros antecedere cupiunt, licet nulla probatæ virtutis teſtimonia præceſſerint, verbis ex ſolenni ceremonia conceptis, diſtricto Imperatoris duciſve gladio in ſiniſtro humero leniter percutiuntur, eoque ritu & ipſe honos & eius inſignia ornamentaque, quibuslibet promiſcuè communicantur.

Cimbri ad Chriſtianã fidẽ adducti.

CIMBRI porrò in Chriſtianæ fidei ſocietatem, repudiatis idololatricis ſuperſtitionibus, eodem tẽpore vnà cum Saxonibus ſeſe contulerunt. Ante id verò tempus Solem & Lunã, alioſq; vanæ religionis deos adorabant, eoſq; diuerſis & certis in locis colere, & ſacra ipſis facere ſolebãt. Neq; enim cœleſte & immortale numẽ, vllis aut ædibus, aut aliis operibus manibus mortalium fabricatis, includi & contineri poſſe credebant. De animarum tamen immortalitate rectè ſtatuebãt, doctrina ea, quaſi per manus, à Gomer vſq; primo gentis autore, poſteris tradita. Honeſta item inter ipſos connubia maris vnius fœminæque erant copulatio, quorum alterutro fatis functo, ſecundas nuptias non celebrabant. Verùm vt pares eſſent coniuges, eiuſdemq; ſtatus & conditionis, magnopere obſeruabant: qui aliter contraxiſſent, eorum vterq; publicam & ignominiæ & ſuſpicionis notã ſubire videbatur. Reos adulterij & cõuictos capitali ſupplicio afficiebãt, vt certior maiorum ſanguis propagaretur. Iuris dicũdi iudiciiq; exercendi hunc habebãt morem. Erat vniuerſa ditio in certas parœcias ſiue curias diuiſa. Hæ ſtatis temporibus lociſque, pro ſe queq; ſeorſum, ſuis cum armis patentẽ ſub dio in campis conueniebãt, aderantq; eiuſdem loci viri nobiles, qui velut teſtes iudicio aſſiderent. Ibi in medium prodibãt qui contra alios litem habere ſe exiſtimarent, auditiſque & cognitis partis vtriuſq; actionibus defenſionibuſq;, cõuentus vniuerſus in conſiliũ ibat: idq; temporis ſpacium, quod interim deliberãdo terebatur, curam vocabant. Expenſis diligenter & velitatis in partẽ vtramq; cõtrouerſijs, in conſeſſum redibant, vocatiſq; litigatorib. de iure pronunciabãt. Si quis ſtare iudicio non vellet, ad duodecim conſtitutos ſiue iudices ſiue arbitros, & ab his ad vniuerſæ ditionis conuentũ prouocare ei licebat. Hæc minuẽdarum litium iudiciiq; conſuetudo ſemel quotannis obſeruabatur. Et eſt in hunc vſq; diem locus non procul Rendesburgo, qui annuæ trabis nomen ab eo iudicij more etiamnum retinet: ſolentq; illic nunc quoque terminandis controuerſiis nonnunquam conuentus haberi: ac fuerunt præterea in aliis Cherſonneſi partibus ſimilia loca, quorum memoria longinquitate temporum intercidit.

Iudicia exercendi mos apud Cimbros.

Homicidiũ non capitale.

HOMICIDII crimen vltimo ſupplicio non proſequẽtes, mulcta pecuniaria plectebãt, ne vno infelici caſu duo de medio tollerentur: idq; ita Chriſtianum vſq;, eius nominis tertium Daniæ regem, obſeruatum eſt. Is enim, vt erat princeps prudentia mira, & æqui boniq; ſeruantiſſimus, quoniam ea conſuetudo a diuino ſimul humanoq; iure diſcrepare videbatur, inolitam vſu & temporis diuturnitate legem, ante annos non adeò multos, conſenſu procerum ita conſtrinxit atque mitigauit, vt qui inopinantẽ quempiam, armiſve ad corporis ſui defenſionẽ non inſtructum interfecerit, capite pœnam luat, in reliquis priſcę conſuetudinis vigor obtineat, vt à ſanguinis profuſione temperetur. Si acriores fortè cõtentiones de iure aut honoribus inciderẽt, inter nobiles pręſertim, antiquo Romanorũ more initis duellis, Marte iudice lites dirimebant. Erant ſepulturæ eorum in ſyluis & agris, tumuloſque aggeſtis lapidibus veſtientes muniebant: quod genus complures paſſim adhuc viſuntur, qui Gigantũ ſtrata vocãtur. Nõnulli quoq; (ſed pauci) extructis rogis, more Romano cremari, cinereſq; collectos in vrnas cuſtodiri volebant: cuius rei veſtigia aliquot noſtro ſeculo reperta ſunt. In dictis, pactis factiſq;, fides ſumma & mira animorum conſtantia erat, quam non pręſtare, vel leuiuſculis etiam in rebus, omnino ignominioſũm & inhoneſtũ ducebant. Neq; opinio ea exiſtimatioq; penitus apud poſteros euanuit: ſed, vt ab optimis accepta maiorib. ſtudio magno, nec minore cũ laude etiãnum retinetur: vt nobili in primis homini nihil æquè turpe putent, quàm datã fidem fallere: idq; qui facilè reueritus non fuerit, is haud obſcura infamiæ macula aſpergatur. Ad bella ſinguli viritim proficiſcebantur, ductis ſecum vxoribus, quæ incantationũ magicarumq; artium gnaræ, auguriis & vaticiniis operã dabant,

Singulare certamen.

Auguria ad pugnam ineundam.

deq;

deque præliorum euentibus ſcienter præſagiebant: quemadmodũ hoc bello, quod ſcribere aggreſſi ſumus, Dithmarſorum mulieres feciſſe compertum eſt. Quam cõſuetudinem Germanis quoque vſitatam fuiſſe, Iulius Cæſar autor eſt, vt eorum matresfamilias ſortibus & vaticinationibus declararent, vtrum committi prælium ex vſu eſſet nec ne, dicerentq́; non eſſe fas Germanos ſuperare, ſi ante nouam Lunam prælio contendiſſent. Fugere in bello res inſolens ipſis erat: quiq́ue id feciſſet, ei nullus ad ſuos reditus patebat, omniumq́ue commercio erat interdictum, neq; grauiorem vllam turpitudinem aut ignominiam nouerant. Victui & opibus quærendis ex re pecuaria, magis quàm agricultura, ſtudebant.

Bonorũ poſſeſſio.

Erat regio omnis, vt ſuprà quoque demonſtratum eſt, in campeſtrem & paluſtrem diſcreta. Bonis & poſſeſſionibus ſuis, quæ paſcuis potiſſimùm, fundis, ſtagnis & nemoribus conſtabant, pro arbitrio vtebantur fruebanturq́;, neque ea colonario beneficiarióve, ſed proprio atq; hæreditario omnes iure tenebant. Nec operis quidem & ſeruitiis nobilitati præſtandis coloni (ita vt nunc pleriſque in locis) olim grauabantur: quæ poſtea ab iis qui veris expulſis incolis has oras occuparunt, paulatim introducta ſubditiſque impoſita ſunt. Id vel inde coniiecere licet, quòd agreſtes Holſatiam Dithmarſiamq́ue incolentes, ſua ſibi habent dominia & prędia, quæ hæreditate veniunt, tranſeuntq́;, & rariora leuioraque eorum ſunt onera, nec iiſdem locis (vt in aliis) tot nobiles ſua habent domicilia. At mutatis ſubinde dominis, quum quiſque, vt erat victor, abrogatis veteribus nouas præſcriberet diceretq́; leges, ex bonis hæreditariis paſſim precaria atque conductitia effecta ſunt. Nobilium autem poſſeſſiones & dominia (vt nunc quoq; magna ex parte exiſtunt) proprij iuris liberæq́ue poteſtatis eorum, nec feuda, ſed allodialia erant bona: extinctáque omni familiæ cuiuſpiam prole maſcula, ea non ad principes, ſed ad agnatione proximas ſexus muliebris recidebãt: cuius rei exempla & noſtro tempore vidimus. Hæc omnimoda cum iuriſdictione, meriq́ue & mixti imperij poteſtate, ac cunctis pleni iuris commodis poſſidebant: idq́ue ſiue ius, ſiuę conſuetudinem à maioribus ad poſteros tranſmiſſam, etiamnum hæc ætas retinet. Familiarum tamen inter ſe diſſidentium controuerſiis litibuſq; effectum, vt nonnulla ex his, priſtino iure obſcurato & abolito, pro feudis habeantur.

Feuda apud Cimbros veteres nulla.

Hæc planè ſunt quæ de antiquiſſimis eius gentis inſtitutis & moribus extant: quorum potiſſima pars eadem in regione in hunc vſque diem apud poſteros viget. Etenim quanquam poſt eam cladem, quam in Italia, duobus funeſtis ſuperati præliis, grauiſſimam perpeſſi ſunt, vires eorum & potentia (vti ſupra copioſè memorauimus) ita conuulſa proſtrataque eſt, vt ad priſtinum poſtea decus & robur haudquaquam aſpirare potuerint: reliquię tamen, & eorum qui cæteris domo profectis remanſere, & qui ex fuga ad lares antiquos reuerſi ſunt, genitalem oram obtinuerunt: hi poſtea ob virium imbecillitatem paucitatemq́ue contemptui haberi, & finitimorum expoſiti iniuriis plurimis, damnis & incommodis affici. Dani nimirum (quod ſuprà attigimus) circiter id ferè tempus, quo diuina poteſtas, humana in ſpecie ad ſalutem noſtram cœlo ſeſe demiſit, Iutiam illis ademerũt, haud exiguam regni portionem. Quorum adacti metu incolę, vt certam ſibi alicunde defenſionem pararent, Saxonibus ſe ſubmittentes dediderunt. Wandalorum prætetea (qui Vilſi & Vagri nuncupantur) aſſiduis vexati irruptionibus, ea ditionis parte, quæ inde ab occupatoribus Vagria appellatur, exuti ſunt. Sed eam deinceps, vt in poteſtatem redactam, Adolphus eius nominis alter, Holſatiæ comes, ab hoſtibus recepit. Carolus poſtremò Magnus, primus Germaniæ Imperator, poſt debellatos annis triginta Saxones, quò celerius ſanctiuſque fidem Chriſtianam (cui obſtinatè reluctabantur) amplecterentur, ad decem millia hominum in Belgicum hinc tranſtulit, vbi nunc Flandria & Brabantia regiones ſunt, agroſque eorum & ſedes, quas abitu ſuo vacuas fecerant, Obotritis Wandalis aſſignauit tradiditque.

Cimbrorum variæ vexationes.

Ab omni itaque memoria, primi exterorum Saxones Cimbris imperabant: ex quibus Imperatores quoque orti ſunt. Otho deinde primus, cognomento Magnus, Henrici I. Aucupis filius, Hermanno Billingio, nobili viro, quem ob egregiam ſingularis induſtriæ & virtutis eximiæ laudem, probatamq́ue in bello & pace

operam fidelem, ex præfecto primùm ducem fecerat: terram eam omnem, adiitis Brunſwicenſi Lunenburgenſiq́; ducatibus, in ditionem permiſit & dedit. Sub cuius poſterorum dominatu ad centeſimum quinquageſimum vſque annum quum fuiſſent, ad comites inde Scowenburgios ſumma rerum deuoluta eſt, circa annum
1131. ſalutiferi virginis partus ſupra centum & mille trigeſimum primum. Anno denique trecenteſimo vigeſimo nono pòſt, in poteſtatem Chriſtiani primi Daniæ regis (is ex illuſtri & vetuſta Oldenburgicorum comitum ſtirpe, & ſorore Adolphi vltimi Holſatiæ ducis prognatus, opes & titulum ſororij ſibi vendicabat) conceſſerunt, numeratoq́; obiter aliquo auri pondere, ij ad quos ex cognatione Scowenburgiorum ius deueniſſe videbatur, pacati ſunt. Eius poſteritas nūc Daniam, Noruegiam, ducatum Sleſwicenſem, & Holſatiam Dithmarſiamque tenet: nec ſtemmatis lineam pro iis, quibus illa ignota eſt, ſubiicere piget.

CHRISTIANVS I. COGNOMINATVS DIVES, EX COMITE OLDENB. ET DELMENH. TRIVM REGNOrum Borealium, Dan. Suec. & Norueg. primus ex illa ſtirpe rex factus, & dux Holſatiæ & Sleſw. Moritur Anno MCCCCLXXXI. Hafniæ.

Ioannes Daniæ, Norueg. & Suec. II. ex illa proſapia rex. Moritur Anno 1513. Alburgi in Iutia.	*Fridericus primùm dux Holſat. & SleſWic. deinde & IIII. rex Daniæ & Noruegiæ. Moritur Gotorpe, Anno 1533.*	*Margareta nupta regi Scotiæ, cui peperit Iacobum Stuardum regem, cuius filia noſtro tempore regnat.*

Franciſcus, hic in teneris annis diem obiit.	*Chriſtianus II. eius nominis Daniæ, Sue. & Noruegiæ ex illa progenie III. rex quibus omnibus expulſus & captiuus factus eſt. Moritur Anno 1561. 23. Ian. Kallinburgij.*	*Eliſabetha, ex qua natus eſt Elector Brãdeb. Ioachimus, & March. Ioan.*	*Eliſabetha, nupta Vdalrico duci Obotritorum.*	*Sophia, nupta duci Pruſſiæ.*	*Chriſtianus III. eius nominis, Daniæ & Norueg. ex illa familia rex. Moritur Anno 1561. 1. Ian. Koldingæ.*	*Ioannes, dux Holſ. & Sleſ.*	*Adolphus, dux Holſ. & Sleſ.*
							Fridericus, Epiſcopus Bremenſis, Hildeſemẽſis & Sleſwicenſis. Moritur Chilonij An. 1556. 27. Octob.

Ioannes. Is impubes in aula Caroli V. auunculi defunctus eſt.	*Dorothea, vxor Friderici Electoris Palatini.*	*Chriſtiana, nupta primùm principi Mediolanenſi, deinde duci Lotharingiæ.*	*Fridericus II. Daniæ & Noruegiæ rex VI. ex illa gente.*	*Magnus, in Liuonia epiſcopus Torpatenſis, in Oeſel, Churlandt & Wick.*	*Ioannes. dux Holſatiæ iunior.*	*Anna, nupta Auguſto Electori Saxoniæ.*	*Dorothea, nupta duci Luneburgenſi.*

CÆTERVM quantæ & quàm crebræ rerum mutationes & viciſſitudines, propter frequentes ac multiplices finitimarum gentium incurſiones, his in locis factæ ſint, vtque regio omnis, in plures diuerſaſq́; diſtracta partes, varios acceperit dominos, quibus id temporibus, quibúſve incrementis & occaſionibus contigerit, neq; ſuſcepti operis breuitas patitur, neque inſtituti noſtri eſt recenſere. Primos enim duntaxat ſoli incolas & habitatores ab antiquiſſima memoria repetere, eorumque facta illuſtriora, mores & conſuetudines, quantum ex non incertis omnino teſtimoniis compertum eſſet, perſtringere voluimus, eaque in re nos Lectori minime moroſo aliqua ex parte ſatisfeciſſe confidimus. Proinde iis qui ea plenius certiuſq́; cogno-

cognoſcere deſiderauerint, ex integris hiſtoriarum ſcriptis, & annalibus petenda colligendaq́ue erunt.

Vt igitur tandem ad Dithmarſiam ipſam ſpeciatim aliquãdo veniamus, nunc ea, quæ initiò polliciti ſumus, exequemur. Patet (vt ſuprà dictum eſt) ſeptem in longitudinẽ milliaribus Dithmarſia, pauloq́; minus in latitudinem, ſitu naturaq́; loci peregregiè munita. Ab Oriente tuetur latus flumen Eidora, ab Occaſu mare Britannicum, ad Meridiem claudit Albis fluuius, ad Aquilonem cingunt foſſę perductæ & munitiones. Varios hæc ora temporum ſucceſſione dominos habuit, quorum alios interfecerunt incolæ, alios eiecerunt, nonnullos quoque vi ſubegerunt.

Dithmarſia ſitus deſcriptio.

Poſt Saxones (quibus omnium primis vnà cum aliis accolis finitimiſque paruit) ex annalibus conſtat, fuiſſe aliquod tempus, quo eam comites ditione tenuerint. Ex horum numero primus Dedo à colonis interemptus eſt: cuius poſt cædem quum vxor eius Ida, genere Sueua (cui Henricus III. Imperator patruus, & Leo VIII. pontifex erat auunculus) Etelero comiti, cognomento Albo, nupſiſſet, is eundem vitæ ſuæ exitum nactus eſt. Tertius ab eo Rodolphus marchio (is tunc eam ſucceſſione acceptam tenebat) trucidatus, cui non multò pòſt filius eiuſdem nominis additus eſt: maiore quidem cum contumelia atque iniuria, quòd caſtello eius Bocelenburgo, in quo cædes fuit perpetrata, euerſo & diruto, coniugem Valpurgam, amputatis naribus atque auribus mutilatam, in proximum profluentem abiecerunt, qui etiamnum hodie ab illa demerſa nomen retinet.

Crebra comitũ & dominorum neces.

Hvic Rodolpho erat frater Hartuicus. Is ius ſuum vniuerſum in ea ditione (quod morte fraterna ad ipſum redierat) permutatione facta, & recepto in eius locum Stadenſi comitatu, antiſtiti Bremenſiũ tradidit. Subegit poſtea Dithmarſiam armis Henricus Leo, & pagos aliquot abbati Stadenſi dono dedit: quorũ nomine vt tributum acciperet, quum eò veniſſet abbas, vita ſpoliatus eſt, atq; obiter alia pagis nomina indita, quò memoria debitæ annuę penſionis extingueretur. Adolphus
quoq;, iſthoc nomine tertius, Holſatiæ comes, anno Chriſti poſt milleſimũ cente- 1186.
ſimum octuageſimo ſexto, armis in poteſtatẽ redactam aliquandiu tenuit: ſed non multò pòſt recedẽtes à fide Dithmarſi, omnem nobilitatẽ (quæ multa eo loco erat) ditione expulerũt. Aſſentiente deinde & permittente Adolpho, Hartuicus antiſtes Bremenſis, qui de comitũ Holſatię ſtirpe fuiſſe traditur, eam ſui iuris fecit. Adolphi enim & Oldenburgici Schowenburgijq́; comitũ copiis adiutus, vaſtatis agris, magniſq́; illatis vndiq; detrimentis, ad deditionem cõpulit, grandemq́; æris ſummam ſe daturos vt pollicerentur, adegit. Verùm reducto dimiſſoq́; exercitu, nihil ex pacto præſtantes Dithmarſi, neq; pecuniam promiſſam expẽdere, & abrupta fide ad Daniæ regem deſciſcere, in eius quoq; poteſtate non diu permanſuri. Etenim vice-
ſimo ſeptimo poſt mille ducentos anno à nato Chriſto, quum inter Adolphũ prio- 1227.
ris filium ac Lubecenſes, & regem Daniæ Waldemarũ, iuxta prædium Bornhouedeacre fieret prælium, eſſentq́; in copiis regiis Dithmarſi, nefario perfidiæ crimine regem hoſtibus prodiderunt. Pepigerant occultè cum Holſatis ante conflictum, ſe deſerto rege ad ipſos tranſituros: eiuſq́; rei indiciũ fore, ſi imas clypeorum oras conuertiſſent. Itaq; vt ad manus ventum eſt, ipſi in extremis collocati, vbi iam pugna ferueret, ſcutis inuerſis à tergo Danos adoriuntur. Quo inſperato caſu perculſus regius exercitus, prementibus vndiquaq; hoſtibus ſuperatus, & Otho dux Brunſwigenſis, nepos regis ex ſorore, captus eſt, ipſo rege regiſq́; filio vix ab hoſte fugæ præſidio ſeruatis. Ita cum infami ſingularis perfidiæ nota libertatem ſeſe vindicarunt.

Dithmarſi transfugæ ac proditores.

Anno autem ſexageſimo ſecundo pòſt, Henricus Holſatię ac Stormariæ, & Iohan- 1289.
nes Vagriæ comites, ius ſuum armis repetituri, in Dithmarſiam exercitum duxerunt, prælioq́; inito ſuperati, multis ſuorum profligatis, reliquis fuga cruentis ex hoſtium manibus ſeſe eripientibus, ipſi quoque fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt.

Poſt quam pugnam quum vnus & triginta effluxiſſent anni, orta inter comi- 1320.
tes Holſatiæ diſſenſione (quæ ad arma vſque proceſſit) Dithmarſi arrepta ea occaſione, vt alteri parti quaſi ſuppetias ferrent, agmine facto in Holſatiam irrumpunt, & obuia quæque, cùm vicos tum agros & prædia populando inflammandoq́;, ad Chilonium vſq; oppidum progrediuntur. Vnde cùm diuerſa via onuſti præda do-

Dithmarſiâ Gerhardo comite caſi.

mum regrederentur, Gerhardus Holſatię comes celeriter conſectatus eos, nõ pro-
cul Bornhouede, vbi pernoctauerant, ſub lucem improuiſus ſuperuenit, & quin-
gentos ex illis trucidat, præter eos qui aut in ſtagnum propinquum impulſi, aut ſe-
1322. metipſos præcipitantes, vndis perierunt. Qua inflati victoria Gerhardus eiuſq; fra-
ter Iohannes, ſecundo pòſt anno, quantas poſſunt maximas copias cogunt, euoca-
tiſq; in auxiliũ extraneis ducibus numero quatuordecim, & vniuerſis ditionis ſuæ
viribus in vna caſtra contractis, die natali virginis Marię, inito autumno, Dithmar-
ſiam intrant: & pacato itinere, reſiſtente nemine, toto cum exercitu ad locum vſq;,
quem *Norderſtrant* vocant indigenæ, in meditullium Dithmarſiæ perueniunt. Ibi
ingruentibus hoſtibus aciem obuertere auſi Dithmarſi, reſtaurato prælio bis in fu-
gam coniecti ſunt, ad mille & ſeptingentos eorum occiſis, reliqui in proximam æ-
dem ſacram fuga delati, eaque ſubitariis pro tempore operibus munita, contra ho-
ſtium vim ſeſe defendere conati ſunt. At vbi ducum iuſſu milites ligna comporta-
re eaq; appoſita templo ſuccendere vident, tetriri periculo agreſtes, ſi veniam im-
petrent, modò ſe deditionem, & in poſterum comitum Holſatiæ imperata factu-
ros, pollicentur. Illi autem dictis eorum fidem nullam habentes, ignem propius ad-
Deſperatione vires aucta.
moueri iubent. Quo animaduerſo obſeſſi, quum iam laminæ, quibus ex plumbo
templum erat contectum, liquefactæ ab igne ſtillare cœpiſſent, nihilque aliud niſi
præſens ante oculos exitium & miſerabile mortis genus conſpicerent, in deſpera-
tionem adacti, facto impetu in hoſtes, qui minus ac decuit profuitq;, in rem ſuam
intenti vigilabãt, ex tẽplo confertim ſeſe eiciunt, illiſq; opportunè ſubuenientibus,
qui hinc illinc in foſſis nonſq; latibulis metu hoſtium ſeſe occultauerãt, ex ducibus
duodecim, reliquæ verò multitudinis duo millia interficiunt. Soli Gerhardus Hol-
ſatiæ comes & Henricus Megalopenſis cum paucis incolumes elapſi.

INTERCEDENTIBVS deinde annis aliquot, Nicolaus Holſatiæ comes leui-
bus multis & tumultuariis pugnis (quum, vel iniuriæ vel damni illati vindictã cau-
ſati, ſubinde in Holſatiam incurſiones facerent) cum Dithmarſis conflixit: quarum
Inducia & pacta Holſatorũ & Dithmarſorum.
in primis ea quæ in loco Tirperſlo inita eſt, memorabilis fuit. Ex qua cũ æquo penè
marte vtriq; diſceſſiſſent, tandẽ res ad inducias & pactiones literis ſigilliſq; firmatas
deducta eſt. In his inter cætera cautũ fuit, vt neutri alterius partis hoſtes domiciliis
ſuis receptarent, fouerent aut defenderent. Hanc conuentionis particulã, quia hæ-
1404. redes quoq; obligabantur, quum Ericus Saxonię dux, ſocer Alberti comitis Holſa-
tiæ, anno exortæ ſalutis quarto poſt milleſimũ quadringẽteſimum, ductis in Dith-
marſiam copiis, inde prædã abegiſſet, perq; Holſatiam domũ eſſet reuerſus: Dith-
marſi violatã contendere, quòd permiſſu comitũ eam expeditionem per fines eo-
rum ſuſceptam crederẽt. Publicatis igitur ad principes finitimos & vrbes literis, de
Gerhardo Sleſwici duce & Alberto comite grauiter cõqueruntur, eoſq; accuſant,
quòd contra pacta conuenta, & literis ſigilliſq; munita, egerint, ſeq; more militari
non præmonitos per ditionẽ ſuam inuadi diſpoliariq; à ſocero permiſerint: quam-
obrem iniuriæ damniq; accepti compenſationem ab ipſis reflagitant, atq; adeò vi
harum literarum extorquere conãtur. Quo comperto, Gerhardus fratrem Alber-
tum ad ſe accerſitum duriter increpat, quòd tantum ſocero indulſiſſet, cum eo ex-
poſtulans. Sed is iureiurando rite concepto, coram fratre & ſuis vtriuſque conſilia-
riis, ſanctè affirmat, ſe eius rei planè inſcium & omnis culpæ expertem eſſe.

GERHARDVS ergo vbi fratrem extra noxam eſſe intellexit, ambo primùm li-
teris cùm ad Dithmarſos, tum ad principes ciuitateſq; perſcriptis, agunt: his ſe pur-
gantes, culpamq; eius facti, & ſuſpicionem omnem a ſe amouentes: illos verò gra-
uiter acerbeq; inſectantes, quòd honoris ſui & nominis rationem nullam habuiſ-
ſent, tantamq; dedecoris & ignominiæ notam immerentibus aſpergere & inurere
Bellum in Dithmarſos paratur.
molirentur: deinde animũ ad iniuriam bello vindicandam conuertunt. Dithmarſi
poſteaquam in ſe bellum ſeriò parari animaduertunt, intercedentibus ciuitatibus,
pro facta ipſis iniuria quolibetcunq; modo ſatisfacere ſe paratos aiunt, modò bellũ
intermittant. Verùm principes molliri, & ab inſtituto belli gerendi dimoueri non
poſſunt. Proferebant enim contra ipſos tabellas ſiue literas publicas, quæ omnium
vniuerſæ ditionis incolarum nomine, anno partæ ſalutis ſupra milleſimum ducen-

teſimum

teſimum tertio, datæ confectæq; erant: quibus ſpondebant Dithmarſi, ſe in perpetuum Gerhardo comiti, eiuſq; iuſtis & legitimis hæredibus, obnoxios & deuinctos fore, Holſatiſq; in cunctis eorum periculis auxilium laturos. In cuius belli exordio tametſi fortuna Holſatis vehementer arridere viſa eſt, ad extremum tamen ſingulari inconſtantia atque perfidia ſefellit & deſeruit. Quippe contractis vndecunque copiis in Dithmarſiam irruentes, opimas hinc inde prædas agunt, & in loco Delffbrugga validum propugnaculum excitant. Id erat turricula (vt paſſim eæ munitiones fieri ſolent) forma inferius quadrangulari, vaſtis grandibuſq; inuicem connexis lignis coagmentata, vt pilis incidentibus tranſitum negarent: relictaq; circumquaque in lateribus foramina eo ſpacio patebant, vt maiora minoraque tormenta exeri poſſent, vnde pilæ in hoſtes vndiquaq; adigerentur. Ad quod oppugnandum quum ſæpius venirent Dithmarſi, magno eorum incommodo & iactura ipſos repellere, oppidum Meldorpam facto in id impetu capere, locum Hannerou in confinio Dithmarſiæ munire, ex caſtellis Tileburgo & Suaueſtadio magna plurimaq; hoſtibus damna quouis momento inferre.

Holſatorum res inclinare incipiunt.

POST ea verò proſperè adminiſtrata, mutata fide fortuna Holſatos dereliquit. Nam Albertus comes quum per eum loci tractum, quem *Northamme* incolæ dicunt, in Dithmarſiam irrupiſſet, iamq; ingentem & copioſam trahens prædam ad ſuos recipere ſeſe properaret, ex itinere equo lapſus eſt: qui caſus paulò pòſt ipſi fatalis fuit. Quum deinceps vicinæ ciuitates maritimæ per legatos de pace inter ipſos concilianda agerent, nec abnuentibus quidem Dithmarſis eam precio redimere: æquo duriorem ſe præbuit Gerhardus, plenuſque fiducià potiundæ regionis, quæ præſertim fraterno iam funere ſatis carè empta poterat videri, vniuerſa copiarum mole in hoſtes inuadere conſtituit. Nec longa interceſſit mora, quum toto exercitus corpore, ea via quæ *Suderhamme* vocatur, à cœli plaga auſtrali, in Dithmarſiam itur: dux ipſe cum delecta cohorte ad fauces aditus, eas cuſtoditurus, conſiſtit, milites agros vicoſq; percurrendo populandoq; ; magnam vndiq; vim prædæ cogunt. At hi palantes diſperſiq;, dum prædæ cupiditate latius euagantur, tardiuſq; ſeſe recipiunt, incolæ conglobati, latera anguſtiarum, per quas tranſitus erat, arbuſculis occultati occupant: iamq; reuertentes (vt erant onuſti pręda) improuiſi aggrediuntur, cædemque faciunt. Antecedebant agmen pueri armigeri. Ab iis, quum primus in ipſos impetus fieret, lachrymabilis clamor & eiulatus tollebatur. Quò ad aureis ducis perlato, tumultum inter ſuos & rixam de præda ortam ratus, eam ſe daturus nudato galea detracta capite properè aduolat. In eum Dithmarſi ex tranſuerſo ſeſe inferunt, ſauciatumque grauiter caput equo deturbant. Inde cunctis à lateribus in hoſtes concitati proruunt, & aliis atque aliis ſubinde ſeſe aggregantibus ex latebris (quibus ſe abſcondiderant) copias eas omnes quaſi indagine claudunt, & totas occidione ferè trucidant delentque, paucis fuga euadentibus. Nullius enim vitæ, vſitatà (ſed immani) feritate, ne ſpirantium quidem inter cadauera cæſorum parcunt. Præter ducem occubuerunt bis ſeni equeſtri honore inſignes, & ex nobilitate trecenti, inter quos nonnulli egregij & magnæ virtutis fuerunt viri, quorum nomina in annalibus adhuc extant. Atque adeò, vt compēdio dicam, quicquid lectiſſimorum hominum militumque in ducatu Sleſwicenſi Holſatiæque vniuerſa fuit, & flos omnis robuſtæ viuidæque iuuentutis, hoc bello interiit.

Holſatorum è præda redeuntium clades.

POSTRIDIE tamen eius diei nobiles duo Holſati, Volffgangus Poggeuiſcius, & alter Ranzouius, inter cadauerum aceruos viuētes reperti & capti ſunt. Hi vt dimitterentur prius impetrare nequibāt, quàm perfeciſſent, vt propugnaculū Delffbruggæ (quod Holſati adhuc tenebant) deſtrueretur. Neq; eo contenti Dithmarſi; quòd in pugnātes cadenteſq; immanem crudelitatē & ſæuitiam (pro more) intemperanter exercuiſſent, in ipſa quoque cæſorum cadauera miſerè paſſim agros fœdantia (dum ſepulturam honeſtam ipſis negāt) ſæuiunt, & dirum immoderatumq; animorum furorem ſatiant. Nam ipſius vix ducis, & paucorum præterea equeſtris dignitatis cadauera, ad ſepulturam impetrari potuerunt, quantūuis magno argenti pondere oblato. Reliqua multitudo (contra omnium penè gentium conſuetudinem & mores) feris alitibuſq; in prædam, inſepulta ſub dio per agros & in foſſis ia-

Dithmarſorum feritas inexorabilis.

cuit. Tandem verò poſt multas etiam preces, nobilium fœminis permiſſum, vt virorum oſſa vndique collecta, ſacratarum virginum ſiue monialium (vt vocant) habitu, ad ſepulturam efferrent: neque id quidem, niſi tali ſub conditione, fuerant conceſſuri. Ita gens omnium immaniſſima (ne quid atrocius dicam) viuẽtium corpora fodiendo cędendoque, crudeles animos iramque implacabilem explere non potuit, niſi in ipſos quoque cineres & vmbras, omni procul pietatis humanitatiſq; cultu, extremam odij & furoris ſui vim effudiſſet. Poſt eam cladem funeſtam & grauiſſimam Holſatis, induciæ inter ipſos, renouatis antiquis fœderibus, initæ ſunt: quas decimo tamen anno pòſt Dithmarſi violare non reformidarunt. Cuius rei
1414. geſtæ occaſio & ſeries hæc fuit.

AFFECERANT vltimo ſupplicio Phriſij homines facinoroſos quatuor, patria Dithmarſos, ob maleficia deſignata mortis reos. Id ægrè ferentes Dithmarſi, qui eo facto ſe omnes contumelia affectos putabant, vt eam vindicarent, Phriſios traiecto Eidora amne armis laceſſunt: qui obuiam euntes eorum complures occidunt, cæteris aut in fluuium vicinum demerſis, aut fuga inita inſequentium manibus ereptis. Qua ſuorum cæde in Dithmarſia euulgata, per omnes pagos ad arma conclamatur, & mox viribus inſtructiores, magnoque coacto agmine, reuertuntur, & facta in agrum Eiderſtadenſem irruptione, obuia omnia vndiquaque igne ferroq; crudeliter vaſtant, diripiunt: ſua redimere volentibus pecuniam imperant: magnaque abacta præda domum redeunt. At pecunia imperata quum ipſis pro libitu non ſolueretur, magna è ſuis manu comparata denuo Phriſios inuadunt, & omnem eorum agrum deprædantur, ſupraque capta ab ipſis ſpolia & rapinas, multò maiorem quàm antè argẽti vim mulctæ nomine exigunt, & iniquiſſimas atque adeò intolerabiles præſcribũt pacis conditiones. Inter quas & hęc erat, vt orta inter ſuos Phriſioſque controuerſia, delecti ex Dithmarſis viri viceni, & Phriſiorum vnus, de ea cognoſcerent atque iudicarent. Hanc atrocem ſimul & iniuſtam vim, ditioni ſuę illatam, grauiſſimè ferebat Adolphus Holſatus: monitoſque Dithmarſos, vt ex fœdere agerent, & ab iniuriis ſuorum temperarent, vbi nihil cœpto deſiſtere comperit, graues contra ipſos ſimultates animo concepit. Sed quia ipſi cum Danorum rege de ducatu Sleſwicenſi contentio erat, nihil hoſtile tentare, vindictamve de iis ſumere auſus eſt. Æſtimatum tunc fuit damnum ea incurſione Phriſiis illatum, ducentis millibus marcarum. Progreſſi exinde ſunt eò arrogantiæ Dithmarſi, vt inter Danię regem ducemque, de Sleſwicenſi (vti dictum eſt) ducatu diſſidentes, ſe arbitros & ſequeſtros interponere cogitauerint. At intelligentes parum quid in iure feudali controuerteretur, exiſtimabant perinde eſſe iumentum commodato an ducatus in feudum detur, eaq; barbara & agreſti ſua inſcitia principum ius penè interuertere conati ſunt.

Dithmarſorum in Phriſios expeditio.

Dithmarſi verũ imperiti, in aliorum controuerſiis arbitri eſſe volunt.

ELAPSO nonnullo tempore quum Chriſtiernus, primus eius nominis, rex Danicus, Adolphi è ſorore nepos, propinquitatis iure ditiones eius omnes ad ſe tranſtuliſſet: is in Germaniam ad Fridericum III. Imp. profectus eſt, & ſuo maiorumque ſuorum in Dithmarſiam iure demonſtrato, obtinuit, vt communi ſtatuum ordinumque Imperij conſenſu, abolito oblitetatoque comitatus titulo, dux Holſatiæ crearetur. Cui ducatui, vt legitimis metis ambituque iuſto deſcriberetur, Cæſarea poteſtate Stormaria & Dithmarſia regiones incluſæ atque copulatæ ſunt: idq; diplomate Imperatorio & ſigillo confirmatum, anno poſt natum Chri-
1474. ſtum ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimum quadringenteſimum. Quòd Imperatoris diploma, anno quinto pòſt, quum rex Dithmarſis Rendesburgum ad ſe euocatis exhiberet, vtque de more in fidem ſuam ſibi iurarent (quod iuramentum fidelitatis ſiue homagium vocant) poſtularet, Bremenſium antiſtitis magiſtratum cauſati, id facere recuſabant. Itaque vim & arma rex comminatus, interuentu procerum annuas inducias dedit, vt in eo temporis ſpacio, quid ſibi facto opus eſſet, deliberarent.

Dithmarſi Dano nolũt ſubeſſe.

EIVS Chriſtierni filius Iohannes in regnis Aquilonaribus ſucceſſor, quum Sueciam rebellantem biennio antè armis ſubegiſſet, ratus Dithmarſiam, cùm hæreditario iure tum beneficio Imperatorio, ſibi obnoxiam eſſe, aduerſus illam quoque vi-

que vi-

que vires ſuas periclitari ſtatuit. Antequam autem ad arma perueniretur, literis primùm nunciiſque Dithmarſos monet terretq́ꝫ, vt iudicio Imperatoris obſequantur, volenteſque & bona cum gratia id ſubeant, ad quod inuiti & reluctantes cogi poſſint. Quibus vbi nihil ſe proficere rex videt, bellum indicit, mittitque nihilo minus, qui tentatis agreſtium animis operam dent, vt deditione quàm bello in poteſtatem eius venire malint. Verùm id quoque apud obſtinatam & præferocem nimis gentem fruſtra fuit. Itaq; rex magnis comparatis vndecunq; copiis, anno à natali Chriſti milleſimo quingenteſimo, menſe Februario, in Dithmarſiam exercitum ducit. 1500. Habebat in agmine præter milites equiteſq́ꝫ omnis generis (quos magno numero ex ditionibus ſuis euocauerat, & in finitimis circùm vrbibus & oris conſcripſerat) ſex millia pedirum ſtipendiariorum, quorum forti & efficaci opera in Suecia domanda vſus fuerat: eratq; nomen eorum, ſiue ob virtutem, ſiue crudelitatem & graſſandi conſuetudinem, gentibus terribile. Ex nobilitate præterea circiter duo millia ipſi militabant. Conſtiuit exercitus per dies aliquot in cõſpectu hoſtium, dum reliquæ, quæ expectabantur, copiæ conuenirent, vtq́ꝫ experirentur, ſi fortè agreſtes intrepidi ante periculum, tantis conſpectis viribus expugnati, ad deditionem animos inclinarent. Quæ poſtquã opinio fefellit, Meldorpam oppidum impetu facto aggrediuntur & capiunt. Ibi quoque nonnulla tracta eſt mora, vt ſpacium ineundi conſilium de deditione hoſtibus darent.

Dithmarſi ſe aduerſus regium exercitũ comparant.

AT Dithmarſi campeſtribus aridiſq́ꝫ excedere locis, & in interiorem paluſtrem oram cum omnibus ſuis ſeſe recipere, illic de vita & libertate fortuniſque ſuis cum hoſte dimicaturi. Mittit eò rex peritos loci ſpeculatores, vt explorent, quæ nam agreſtes conſilia capiant. Eos omnes intercipiunt illi, cæteriſq́ꝫ interfectis, vnum natione Phriſium minis tormentiſq́ꝫ adigunt, vt enarret detegatq́ꝫ ipſis, qua via rex irrumpere decreuerit. Eo comperto, per lutulentam valde & impeditam foſſis viam, qua ingreſſuros acceperant, per omnem inſequentem noctem continuato pertinaciter labore, vallum ducunt, & iuxtà in excubias præſidiumq́ꝫ aliquot millia ſuorum collocant, reliquis ad alia munia obeũda diſtributis. Rex ignarus horum, nullaſq́ꝫ inſidias veritus, quamuis reclamarent Holſaui proceres nonnulli, quibus anguſtiæ loci ſuſpectæ erant, quo conſtituerat itinere, cum omni copiarum mole in hoſtes tendit. Anteibat agmen pedeſtre, id turmę equitum conſequebantur, extrema claudebant vehicula, quę in ſpem prædæ vnà trahebantur. Vbi propius vallum ſubictum tormentorum acceſſerunt cohortes, colotũ poſt aggerem excubantes, eoq́ꝫ quaſi obice & tegumento tuti, diſploſis repentè tormentis mediocrem militum ſtragem faciunt. Subiere tamen, qui in prima fronte erant pedites, pluteis tecti, foſſiſque ſaltu ſuperatis platitiem occupant: ſed ſtabant adeò anguſtè, vt ad pugnam capeſſendam expedire ſeſe minimè poſſent. Accedebat ad id difficultatis dies ventis graſſantibus perquam turbidus, multo imbre & grandine vbertim cœlo delapſa, viri ſimul equiq́ꝫ perfundi, foſſæ ad imas vſque oras completæ excreſcere, via aliàs profundo impedita cœno multò effici impeditior, tanta incidente vi pluuiæ, eam immiſſis per catarrhactas vndis augere incolæ, & omne agri foſſarúmque diſcrimen eripere. Direxerant in hoſtes tormenta regij, ſed exunctis imbre funiculis, corruptoq́ꝫ apparatu omni, nulli vſui eſſe poterant.

Regij exercitus clades.

Ex aduerſo Dithmarſi, obiectu valli defenſi, ingentem pilarum glandiumq́ꝫ imbrem in hoſtes effundere nunquam ceſſabãt. Quos vbi tanta loci iniquitate aliiſq́ꝫ difficultatibus circumuentos, & iam quaſi captos cernunt, tranſilientes foſſas vno omnes impetu eos aggrediũtur: & bis repulſi, redintegrato prælio, cohortes quantumuis fortiter reſiſtentes, ſed abſorbẽte plantas luto præpeditas, imbre multo madentes, & frigore rigentibus membris penè emortuas, in fugam vertunt: fugientes inſequũtur, cædunt, proculcant, in foſſas præcipitant. His propè ad internecionem trucidatis, ad equitatũ veniunt: qui loci anguſtia preſſus, luto equos ad genua vſq; deuorante, mouere vix ſeſe poterat. Poſt tergũ plauſtra fugam impediebant: ſi progrederentur, cæſorum aceruí hoſteſq́ꝫ obiiciebantur: à latere vtroq; intercludebant foſſæ. Ita coarctatos equites circũfuſi vndiq; hoſtes circumſiſtunt: & oppugnantes hinc illinc latera, vulneratis equis deiiciunt, pilis ſternunt, lanceis induunt, obtrun-

Equitatus vndique interclusus

cant, profligāt. Ipſe princeps cum paucis(inter quos & illuſtriſſimus Holſatiæ tunc temporis Fridericus, regis frater, fuit) per denſos cadauerum iacentium cumulos via inuenta vix elabitur. Edita itaq; trium horarum momento incredibilis eſt ſtrages, adeò vt ipſis poſtea victoribus mirum fuerit viſum, quòd tantulo tempore tantam hoſtium turbam proſtrauerint. Sed inuenti ſunt pleriq; ſine vulnere: quæ res argumento eſt, plures vndis ſuffocatos, quàm gladio cæſos eſſe. Locus, quo pugnatum eſt, Meldorpam & Hemmingſtadiū oppida interiacet: vocaturq; etiamnum ominoſo & infami à regeſta nomine, Cacodæmonis opus ſiue iactus. Periere aūt ea clade Adolphus & Otho comites Oldenburgici, necnon præter viros equeſtris ordinis, nobileſq; Danos & aliarum regionum: ex vna Holſatia ad ſexaginta nobilium, quorum nomina in annales relata, paſſim adhuc leguntur. Occubuit quoq; Breda Ranzouius, frater ſtrenui clariſſimiq; equitis Ioannis Ranzouij: quo ſummo eius expeditionis duce Dithmarſi non adeò multis pòſt annis planè ſubacti, & imperio legitimo ſubiecti ſunt. Reliquæ multitudinis alij quatuor millia fuiſſe cæſa, alij paulò plures narrant, ſed Dithmarſi in immenſum adaugent numerum.

Dithmarſorum mora crudelitas.

NEQVE hac quidem victoria elata gens effera, ab vſitata crudelitate ſibi temperauit: vt explendæ iracundiæ & odio ſatis fuerit, nemini cedendo laniandoq; in pugna pepercisse, victoſq; iam & interemptos exutis etiam interulis lineis diſpoliaſſe: ſed & in ipſa omnis ſenſus expertia cadauera extremæ crudelitatis & truculentiæ virus effudit. Aliquot namq; peditum millia raptim terra effoſſa obruit: reliquis omnibus(præſertim verò equitibus)is vltimus ſepulchri honos negatus eſt: totque viri præſtantes, & nobili orti ſanguine, & virtute rara factiſq; egregiis clari, in lacunis, in foſſis & campis cœno integente ſqualidis, aperto ſub cœlo fœdè computreſcere, ferāſq; animantes, canes volucreſq; voraces, corporibus ſuis paſſim paſcere ſunt viſi. Sed Deus optimus maximus, impiæ crudelitatis ſceleratæq; in magiſtratum perfidiæ iuſtiſſimus ſemper vltor, tot fortiſſimorum virorum miſeram & indignam calamitatem ac necem, quinquageſimo nono pòſt anno, per poſteros eorum egregiè vindicauit. Tunc enim bello illato ſuperati Dithmarſi, multiſque eorum non procul eodem hoc loco, quo tantam cladem maioribus intulerāt, vel trucidatis vel captis, & amiſſa libertate (qua tot annos pertinaciſſimis animis fœliciter defenſa inſoleſcentes, iuſtam Dei hominumq; in ſe iram & indignationem concitauerant) legitimæ, ſed moderatæ dominationis iugum acceperunt. Quod bellum quemadmodum geſtum ſit, priuſquā ex inſtituto ſcribere aggrederer, neq; ineptè neq; inutiliter omnino facturū me putaui, ſi vniuerſę gentis mores ab antiquiſſimo ſeculo repetitos, quæq; olim eandem ob cauſam bella ſuſcepta fuiſſent, & quo exitu confecta, ſingulari libello complexus præmiſiſſem. Ita ſiquidem ratus ſui omnibus liqueſcere poſſe, quàm implacabile & immane eius gentis odiū ſit, & quæ belli huius nouiſſimi cauſę vel in primis extiterint. Quare veniam dabit mihi ęquus & candidus Lector, ſi hac in parte illi, quàm decuiſſet, verboſior videbor.

1559.

BELLI DITHMARSICI
LIBER SECVNDVS.

Adolphus Holſat. Dithmarſos aggredi cogitat.

ADOLPHVS Holſatiæ dux, ab eo ſtatim tēpore, quo adulta primùm ætate ad arma gerēda exercendaq; aptus factus eſt, ex innata cùm animi generoſi magnitudine tum iuſta vindictæ cupiditate, indignatus tantā cladem & ignominiam temeritate maiorū acceptam: in eam curā omnes ingenij neruos cogitādo intendit, vt quo pacto id dedecus & detrimentū aliquādo abolere, & nouo belli ſucceſſu nouoq; auſu ſarcire, eoq; facto, præclarā nominis ſui famā proferre latius, ac ditionem annuoſq; reditus augere & amplificare poſſet. Pudendam namq; illuſtriſſimæ familiæ ſuæ, totiq; adeò Cimbricæ genti, dedecoris notā inuri arbitrabatur, ſi tam indignū inſolentis & præfracti populi

puli facinus, qui veteres præſertim iniurias nouis indies accumularet, inultum abire permitteretur. Nihil verò in caduca hac & fragili vita, quam natura incertis breuis æui anguſtiis circumſcripſit, beatius & viro principe dignius ſtatuebat, quàm, prouiſa in primis animæ ſalute, illuſtrem de ſe inclytæ virtutis famam & gloriam; generoſis & decoris inuicti animi factis laboribuſq; ſuſceptis, vbique terrarum accendere, eamque immortalem extendere ad poſteros. Duplicem ſiquidem eum fugacis vitæ fructum longè honeſtiſſimum iucundiſſimumque iudicabat, ſi præclara veræ virtutis ingreſſus via, & certa grataque ſempiternæ laudis ſpe frueretur, & ditionis ſuæ fines propagaret.

Qva opinione, vt princeps egregiis animi & corporis dotibus ſpectatiſſimus, ab ineunte ætate imbutus, & militiæ ſtudia amplexus, ea ardenti animo excolenda ſuſcepit, ex quibus gloriam perennem & nominis famam nunquam intermorituram ſibi deſpondebat: vtq; viã teſtandæ eximiæ virtuti latiorẽ aperiret, in potentiſſimi ducis Caroli Quinti Imperatoris aulã (vbi quaſi clariſſima in luce & theatro totius orbis terrarum verſaretur) ſeſe contulit. Eius tunc quidem caſtra, ſumma cum laude fortitudinis bellicæ & ſplendoris eximij, omnium prædicatione ſecutus, nullam militis ſibi conciliandi occaſionem prætermiſit: eoſq; in primis præfectos, qui non in turpi & ſordido lucro, interuerſis militum gregariorum ſtipendiis, ſed in vera laude & gloria ſolidum militiæ fructum reponerent, collatis munificè beneficiis ſibi obſtrinxit, vt prompta & expedita eorum opera, vbi vellet & opus foret, vteretur. Etenim omnis iampridem longioris moræ impatiens, vindicãdæ in Dithmarſos iniuriæ animum ſerium ſumpſerat, eiuſq; rei cõſilia aſſiduè coquebat, & (quod fortè vnum deeſſe poterat) opportunam ſaltem rei bene gerendæ occaſionẽ intentis oculis animoque vigilanti circumſpiciebat. Quæ quidem primùm tunc offerre ſeſe apprehendiq; ab ipſo viſa eſt, & quum in obſidione Metẽſi Carolo Cæſari militaret, ab eoq; poſt copiæ dimitterentur, & quum Georgius ab Holle & Hildemarus Monninchauſen, nobiles militum præfecti, in Bremenſium finibus, non contemnenda adducta manu, caſtra poſuiſſent, cum quibus ipſi conſtitutum erat.

Quem virorum delectũ Adolphus faciebat.

Cæterv m his Adolphi fratris ſui conatibus vnus ſemper Chriſtianus Daniæ rex, piiſſimus & pacis in primis ſtudioſus princeps, dum viueret, vehemẽtiſſimè obſtitit. Nam is ætate nonnihil iam prouectior, quum diuturno & inueterato conflictaretur morbo, conſcientiæ tenerioris ſuaſu à bello abhorrebat, totumq; ſeſe ad ea quæ ad animæ ſalutem videbantur conducere, poſthabitis profanis & ciuilibus negotiis conuerterat: nec vt tanta cædes ſanguiniſque profuſio ſe viuente & permittente ederetur, vlla ratione poterat perſuaderi. Itaque Adolpho, ſæpius eam expeditionem molienti, nunquam aſſentiri voluit, & quocunque potuit modo, inceptum eius interturbauit & impediuit. Non minus verò quàm ipſe frater Dithmarſis iraſcebatur, eorumq; agreſtem inſolentiam ac peruicaciam inſaniæ ſimilem, impenſè oderat, omniq; vitæ ſuæ tempore apud familiares ſuos crebrò deteſtari cõſueuerat. Sed hortantibus eum proceribus, vt ad imperata facienda eos vi adigeret, illos quidem graui pœna digniſſimos aiebat: verùm ſe decurſo iam propè ſpacio ſenem, qui non de regni finibus latius extendendis, ſed de beata ex huius vitę miſeriis emigratione, bellum cogitaret in quo plurimum ſemper mali eſſe ſoleret, nullum gerere velle, eumq; laborem ſuſcipiẽdum poſteris relicturum. Comptobauerat ex augusta Imperij poteſtate Carolus Cæſar, in gratiam Adolphi enixè id rogantis, beneficium Imperatoris Friderici proaui, cuius ſuperiore libro mentionem fecimus, in ducatum Holſatienſem collatum, idq; omni ex parte, nouo dato diplomate, fratribus tribus, Chriſtiano regi, Ioanni & Adolpho ducibus, cõfirmauerat, anno partæ per Chriſtum ſalutis quadrageſimo octauo ſupra mille & quingentos. 1548.

Danus belli conſilia auertit.

Bellũ ab homine demorte cogitãte, vix bene ſuſcipitur.

At Dithmarſi, pro obſtinata ferocia & arrogãtia ſolita, nihil ſani ad animos admittentes, nulliuſque Imperatoris præiudicio ad parendum vlli magiſtratui ſe cogi poſſe prædicantes, dictis principum audientes eſſe non modò recuſare, ſed crebris etiam iniuriis ditionem eorum ſibi propinquiorem afficere, plurimaq; habitatoribus & incolis damna dare. Auſi præterea, ſcelere nefario & malitioſa improbitate, illuſtre ducis Adolphi nomen & famam lędere, contumeliis onerare, & maledictis

Dithmarſi nemini volunt ſubeſſe.

Diſſeminatus enim tunc temporis per Germaniam erat rumor, quòd natu minimam filiam ſuam (quæ tamen poſtea Philippo Grubenhagio nupſit) Adolpho eſſet connubio iuncturus. An verò eius rei fundamenta eo in colloquio iacta ſint, nec ne, vtut hoc ſeſe habeat, in medio relinquimus. Brunſuigum certè, quid ab Adolpho caperetur conſilij, non latuiſſe, probabili ratione, vt credamus, adducimur. Sanè paulò pòſt quàm is inde in Holſatiam rediit, conuentum (vt vocant) circularem principum eius loci indixit, quæ penes eum poteſtas eſt: vt eo ſub prætextu maior colligendis copiis facultas foret, & inceptum ſuum tegeret occultius. Per Danielem quoque Ranzouium Holſatum, virum impigrum, qui in Italia Carolo v. militauerat, ordineſque duxerat, præfectum tunc ſuum in arce Peinenſi (quòd is locus remotior eſſet) Wolffgangum Schonueſium veterem militum præfectum, inq; re militari perquam exercitatum, & ambitione apud milites incorruptum, cum legione vna, & Ioachimum Blanchenburgium cum equitum item turma, addictis ſtipendiis conduxit. Quæ omnia adeò tectè & callidè adminiſtrauit, vt ne ſecretioribus quidem conſiliariis detegeret, ſoliq; (vt fertur) Mauricius Ranzouius & Adamus Trazigerus Iuriſconſultus eius conſilij conſcij & participes eſſent. Cuius rei cauſæ hæ in primis fuiſſe inueniuntur.

ETENIM ſperabat, ſi Dithmarſos imparatos & ſecuros, nihilque tale opinantes, ipſe paratus repentina armorum vi & impetu aggrederetur, celeritate ipſa facilius eos opprimi poſſe. Præterea conſcriptis coactiſque iam copiis, nihil amplius ſibi impedimento fore, ſed alterutrum fieri oportere ſuſpicabatur, vt Daniæ rex deſignatus (eius conſanguineus) fraterque Ioannes Holſatiæ dux, aut vt ſolus pro ſe belli aleam experiretur permitterent, aut incepto ſuo ſocij & ipſi accederent, atque in expeditionem vnà proficiſcerentur. Sed equidem maluiſſet omnem laboris & periculi molem ſibi vni relictam: idque futurum ita ſpe animo præceperat, quòd rex nondum regno inauguratus eſſet. Nam erat omnino alacri ad id bellum gerendum animo, & mirifico cùm ſingularis comparandæ gloriæ amore & ſtudio deflagrabat, tum ſumma prolatandæ ditionis, vindictæque de inuiſa vehementer gente ſumendæ, cupiditate tenebatur. Denique & illud mouebat, quòd minimè ignoraret, niſi expeditam equitum peditumq; manum quaſi in procinctu haberet, oſtenderetq; ipſis, Holſatos conſiliarios non futuros eius belli ſuaſores, multò verò minus Danicos: qui recens & acerbiſſimum quidem regni vulnus, optimi regis ſui obitum, lugerent, filio præſertim paterni ſceptri hærede diademate regio nondum inſignito. Cæterùm de multò maxima Holſatiæ nobilium parte id quaſi pro comperto & explorato habebat, quocunque tempore, & quacunque in re operam eorum deſideraret, eos nullo in periculo ſibi defuturos, animiſque libentiſſimis caſtra ſua & militiam ſecuturos. Vt enim illi viri ſunt maximè pugnaces, & rei militaris vſu ſcientiaque præſtantes, ita principes ſuos amore ſummo & fide penè incredibili proſequuntur: ortumque ſuum nulla re magis comprobari ac illuſtrari, perſuaſum ſibi habent, quàm ſi per egregia in bellis perpetrata facinora, ad præclaram de ſe nominis famam & prædicationem excitandam, ſtudio pertinaci contendant, eaſque honeſtiſſimas opes ducunt, quæ bellicis exhauſtis laboribus comparantur. Vitam enim ipſam profundere malunt, quàm audire quòd in bello minus fortes & ſtrenuos ſeſe geſſerint: eaque militaris conſtantiæ & fortitudinis laus apud eos maxima præclariſſimaque habetur. Nec immeritò ſanè: ſiquidem conſilio & ratione rectà gubernetur, ac pro patriæ & principum incolumitate ac ſalute piè iuſteque impendatur.

Adolphus in celeritate et taciturnitate ſpẽ rei gerendæ poſuit.

Holſatorum mores & ingenium.

AT verò conſilia Adolphi vſque adeo tegi & occultari non potuerunt, quin ad vigilantiſſimum per Holſatiam regium vicarium, præfectumque arcis Segebergæ, Henricum Ranzouium emanarent. Is omni re cognita certoque explorata, vt eſt vir perſpicaciſſimi ingenij & prudentiæ raræ, ne qua inteſtina tempeſtas prorumperet, maturè prouidendum iudicabat. Itaque celeriter (vt decuit) quæ Adolphum conſilia agitare reſciuiſſet, per literas regi deſignato ſignificauit. Parenti quoque ſuo Iohanni Ranzouio, equeſtri dignitate apprimè nobili viro, & vi ſummæ confirmatæque apud principes autoritatis & gratiæ, ita exactæ & abſolutæ

Adolphi cõſilia deprehenduntur.

prudentiæ ſeni, eadem aperuit, & quantum ea ex re, ſi in actũ conferatur, oriturum incendium, quantaſq; inter cognatos diſcordias pertimeſcere oporteret, oſtendit: rogans & admonens, vt pro ſenili ſua validaq; ſapiẽtia & autoritate (qua plurimùm ſemper pollens, quiduis apud principes effeciſſet) ſaluti & tranquillitati patriæ proſpicere, & enaſcẽti primùm malo tempeſtiuè occurrere vellet. Hic autem, perſcriptis continuò ad Adolphum literis, quàm diligentiſſimè eum hortatur, vt depoſita paulisper feruida cæcaq; incitatæ ad bellum mentis cupiditate, ſecum ipſe cogitet, & ſedulò ad animum reuocet, ſi ſolus bellum ſuſceperit, in quantas vltro ſe præcipitaturus ſit difficultates & moleſtias, vnde explicare ſeſe poſtea ſine ingẽti damno haud procliue ibi fuerit. Etenim habiturum primò hoſtes ipſos Dithmarſos, per ſe ſatis graues & validos, regem deinde conſanguineum fratremq;: necnon vicinas maritimas ciuitates, Lubecam & Hamburgũ, ſi non apertè, certè occultè in ſe concitaturum: poſtremò tametſi in ſtipendia & ſumptus pecunia ipſi non defecerit, commeatus tamen inopia inſigniter laboraturum, quem rex offenſus ea iniuria & ciuitates itterclusuræ ſint. Quapropter rogat & obteſtatur, è ſuis aliquẽ ad ſe vt mittat, quocum latius hæc agere, & colloquio mutuo diſcutere poſſit.

Adolpho bellum diſſuadetur.

QVIBVS acceptis literis, dux Bertramum Seſtedium ſibi à conſiliis affinemq; Ioannis, virum ſanè tam prudentem & grauem, quàm amantem patriç, Nouomonaſterium ad eum mittit. Is paucis refellere conatus, quæ in literis exaggeratione periculi & difficultatũ obiecta fuerant, circa ea potiſſimùm ſermonis veſtigia conſiſtebat, quibus peteret, vti olim ipſi Adolpho fidem dediſſet ſe facturum, id nũc vt præſtaret, & in expeditionem eam vnà iret. Id verò ille recuſare, & ita ferè reſpondere: quia ad prima ſuſceptæ rei cõſilia adhibitus non eſſet, & diuerſiſſima eo ab inſtituto de Dithmarſis, princeps in prædio ſuo Bothcampiano (quum ab ipſo infans, nepos ex filio ſuo Paulo, luſtrico baptiſterij fonte ibi ſuſciperetur) in colloquio mutuo ſimulans præ ſe tuliſſet, & nihilominus hęc animo agitarit: reliquis quoq; ſe miſcere ſeſe, & manus admoliri nolle. Sine regis præterea deſignati fratriſq; voluntate & conſenſu hæc moueri, ſi eos in eandem cum ipſo ire ſententiam, ſociatiſq; viribus aggregare ſe illi, aut ſaltem de iure ſuo patienter cedere perſpexerit, mox ſeſe, quam olim dederit, fidem ſuam liberare, & expeditionis comitem eſſe, paratiſſimum fore. Quamdiu autem id non fiat, nec ſibi quidem ſalua fide ſua & exiſtimatione licere, in eo adiutorem vti ſe præbeat: vt quod communi ſimul & æquali iure ſibi vendicant, id excluſis cæteris vnus ſibi armis arroget atque aſſerat. Quandoquidem enim ipſos ternos pariter vt principes ſuos agnoſcat, & eos quidẽ rege Friderico omnes prognatos, cui ob plurima eius & ingentia in ſe beneficia nunquam ſatis obligatũ ſe fateri queat, ſingulis quoq; ex æquo omnem cultum, fidem & obſeruantiam, à ſe præſtari debere. Quibus & illud iterans denuo adiecit, ſi conſenſu vnanimi bellum ſuſciperetur, quantum conſilio, fide, induſtria, ſcientia, vſuq; militari, & vniuerſis deniq; viribus animi & corporis iuuare & efficere poſſet, nequaquam ſe defuturum. Id reſponſum ſuum, quod inopinatum legato erat, quum flagitaret, calamo exceptum deſcriptumq; ipſi tradidit.

Ranzouius opem Adolpho ad hoc bellum denegat.

DVM hæc inter illos gererentur, filius Ioannis Henricus Auguſtum Saxoniæ principem ſeptemuirum & ſororium regis deſignati, de omni negotio certiorẽ fecerat, vtq; & ipſe his rebus conſuletudo, & idonea opportunaq; remedia comminiſcendo, interpoſuere ſeſe vellet, rogauerat. Cui dux Elector reſcripſit, ſe de eius parentiſq; ipſius ſtudio, vigilantia & fide non ambigere, & exiſtimare quòd id acturi, eaq; capturi conſilia eſſent, quę ex re patrię quàm maximè forent, eiuſq; ſtatũ tranquillum & incolumem conſeruarent. Is ergo, tanquam regius iis in locis vicarius, cum antiſtite Lubecenſiũ, eodemq; cancellario regis, Andrea Barbey, ſagacis peracutiq; ingenij viro & iudicij elegantis, conſilia communicans, quum iterum atq; iterum in colloquium veniſſent clanculum, ſæpius eandem rem tractando retractandoq; inſcio rege ad id conſilij deſcenderunt, vt regis ſui (quanquam ignari) nomine militũ manum cõſcriberent: iiſq; in præſidia diſtributis arces regias per Holſatiam munirent. His ſe tertium Ioannes Rantzouius adiunxit, diuerſiſque locis ſemel atq; iterum cum ipſis congreſſus, conſiliaq; conferens, vehementer laborauit,

Conſilij de bello cum Adolpho participes.

vti

vti res eum in modum cõponeretur, vt ſalua inter regem conſanguineum fratresq́; conſtaret amicitia, nec inteſtinũ aliquod malum & certamen cõtraheretur. Paulò ante id tẽpus rex deſignatus, vt certius exploraret quo animo eſſet, quemq́; in vſum copias colligeret, & an bellum in Dithmarſos aliquod moliretur, per literas Adolphum familiariter & amanter tentauerat. Ad ea igitur reſpondens, multis & varijs, inquit, iniurijs ad iuſtam iracundiam & indignationem à Dithmarſis ſe prouocari, eoſq́; ſuis hominibus & incolis multum quotidie inferre detrimenti, vſqueadeò vt aliquando ipſe coràm declarauerit, ſibi contrà de faciendo remedio cogitandum eſſe. Id ſe quidẽ non diffiteri, verumtamen & illud adiungere, poſſe forſitan Dithmarſos vanum ſibimetipſis terrorem & periculum fingere, quum per præfectos quoſdam ære ſuo conductos milites conſcribat, idq́; nomine cõuentus circularis.

Adolphus conſilium ſuum diſſimulat.

ITA enixè vbiq; operam dedit, vt omnem eius belli ſuſpicionem auerteret, hominesq́; aliud quiduis potius crederẽt, quàm id quod reuera meditabatur, & in primis vt celando inceptum ſuum ciuitates finitimas eluderet. Illę autem, & in primis Lubecenſes atq; Hamburgẽſes, qui ſe eius belli incendio, ſi quod moueretur, vicinos fore prouidebant, miſſis ad Andream Barbey præſulem legatis, ex eo ſciſcitati ſunt, an cõſenſu & voluntate regis deſignati is belli apparatus fieret. Idem & Luneburgenſium ciuitas fecit. Quibus vnũ idemq́; ſingulis ab antiſtite reſpõſum datum eſt, regem omnis eius bellici apparatus exortẽ eſſe, & qua gratia copiæ cõtraherentur, planè ignorare. Debere ipſos de rege hoc ſibi polliceri, quòd clementem & beneuolũ erga finitimos animũ gereret, probaturuſq́; ipſis eſſet. Et quidem animaduerſum tunc eſt, eaſdem vrbes omnino haud ęquis animis eiuſmodi motũ accepiſſe, multoq́; maluiſſe vt Dithmarſi nullis oppugnari armis pacẽ & quietem obtinuiſſent. Quinetiam tuliſſent fortaſſe illis ſuppetias quantas potuiſſent maximas, niſi poſtea in ſocietatẽ eius belli & rex fuiſſet pertractus. Cæterùm in ea legatione, quũ ſenatus ciuitatũ, metu ſuſpenſus & dubius, quorſum is belli rumor euaderet, inquirendũ de eo omnino decerneret: adeundum ſibi potius antiſtitẽ, quàm Henricum Ranzouium regium vicarium, propterea ſtatuit, quòd is ſuſpectus illis eſſet, quaſi ob cædem maiorum olim factam animo in Dithmarſos iniquiore & infenſiore foret: captiſq́; cum Adolpho conſilijs cõgruens, eius conatum fouere ſuſcepiſſet, cuius familiari aliquando conſuetudine & conuictu in aula Caroli Imp. vſus eſſet.

Ciuitates de belli apparatu ſolicitæ.

HIS geſtis, tandem Bertramus Seſtedius, cuius paulò antè mentionẽ fecimus, Bordesholmium (id eius loci monaſterium eſt) ad Ioannem Ranzouium equitem, quem antea, vt ibi conſtituto tempore ſibi adeſſe vellet, ducis nomine rogauerat, venit. Ibi cõmemorat ei, principem ſuum Adolphum, probè & accuratè expenſis ijs quæ ipſe in ſcripturã coniecta per ſe illum monuiſſet, conſilium eius amplexum, literaſq́; ad regem deſignatum, & Ioannem fratrem dediſſe, quibus certiores fecerit, ſi ſumptu communi conſociatiſq́; viribus ſecum Dithmarſis bellum facere velint, paratum ſe eſſe binas Dithmarſiæ partes ipſis cedere: ea tamen ſub pactione & lege, vt impenſas eas quas in belli eius apparatum mediocres iam erogaſſet, pro ſua quiſque portione ſibi rependant, alijſq́; nonnullis adiectis conditionibus. Eadem porrò ipſe præſuli Lubecenſium filioque Henrico, (quos accitos non procul inde in vico quodam propterea ſubſiſtere iuſſerat) retulit: hortabaturq́; vtrunque, darent ſtudioſè operam, vt rex deſignatus ea quæ offerret Adolphus, acciperet, initaq́; belli ſocietate vires ſuas cum patruis eam in expeditionem conferret, ne domeſticum aliquod malum & incẽdium (quod facilè conflatu, difficile pòſt reſtinctu eſſet) excitaretur. Illi autem, habita mox inter ſeſe de iſthac re deliberatione, decreuerunt, vt datis ad regem literis Henricus quàm accuratiſſimè omnia perſcriberet, antiſtes verò è veſtigio in Daniam iter ſuſciperet, eademq́; coràm regi prolixius explicaret. Quamobrem de earũ rerum, quæ agitari iam cœperant, ſtudio & cura nonnihil remiſſum eſt. Hẽricus tamen Ranzouius nihilominus, vt per Antonium comitem Oldenburgicum milites conſcriberentur, procurauit. Ioanni quoque Barnero præfecto Pinnenbergenſi, ab vſu & experientia militari claro, & ætate cana venerando, in quingentos equites pecuniam, (qua datis apud pręfectos nominibus, priuſquã ſacramenta dicant, & ſtipendia faciant, equites de more militiæ

Cõſilium de Danorum belli ſocietatẽ trahendo.

Res pecuniaria expeditur.

conduci ſolent, & ab expectando noſtrate lingua nominantur) ſe miſſurum recepit. Franciſco item Bulouio, magni apud ſuos ob bellicæ peritiæ opinionem nominis & exiſtimationis, eundem in vſum certam æris ſummam ſpopondit. Hæc decimo quarto Calendas Maij acta ſunt.

PORRO Andreas Barbey ad regẽ in Daniam properans, confeſtim iter ingreſſus eſt, & emiſſi celeres ab Henrico Ranzouio nuncij, vt de omnibus rex diligenter & curioſè doceretur, planumq́; fieret quid de literis actum eſſet, quibus cõditiones eas obtuliſſe Adolphus ferebatur, & intelligerentur an copijs illis, quæ quatriduo pòſt eſſent conuenturæ, voluntate iuſſuq́; regis commeatũ dare oporteret. Henricus quoq;, qui per Holſatiam eius locũ teneret, fidele obiter conſilium ſuum regi communicauit, ita vt bellũ vnà ſuſcipiendum eſſe ſuaderet. Nam ex tribus omnino quæ in conſultationem cadere poſſe viderentur, quod factu eſſet optimũ, vnum eligendũ eſſe diſſerebat: aut reſiſtendũ, aut quieſcẽdum, aut deniq; arma ſimul ſumenda eſſe. Vt opponeret ſeſe, non exiguam continere difficultatem, quoniam copias militares iam paratas Adolphus, & vbicunq; vellet, ad manus in promptu haberet. Vt quieſceret, detrimẽtoſum videri, ſi Adolphus & emolumentũ & laudem domitæ ſubactęq́; per ſe regionis ſolus occuparet. Proinde vt iunctis viribus vnà bellũ inferret, conſultiſſimum fore: eamq́; ſententiam rex cõprobauit. Neq; ita multò pòſt Ioannes Seſtedius vir nobilis, Bertrami germanus frater, ad regẽ deſignatũ ducemq́; Ioannem cum mandatis ab Adolpho ablegatus eſt. Horum in primis id erat caput, quia Adolphus à copijs digredi longius nõ auderet, rex ex oratoribus ſuis quoſdam Nouomonaſterium mitteret, eòdem & dux Ioannes veniret: ibi tum ſeſe, vt cõſanguineos & fratres deceret, de re omni inter ſe placidè acturos. Et ſi ita conuenire poſſent, vt communi onere & damno impenſas iam antè factas ſuſtinere animum inducerent, emolumentum quoq; & lucrum vniuerſum commune fore.

Rex belli gerendi ſocietatem init.

EXINDE verò quanquam non ſemel nuncij vltro citroq́; miſſitati ſunt, neq; de loco quo congrederentur, ſtatim inter eos conuenit: tamen concorditer tandem eſt conſtitutum, vt principes ipſi vnà cum oratoribus ſuis, ad quartũ Calendarum Maij, in paruum quendam pagũ ad Notorpam in colloquium deuenirẽt. Id quod & factum eſt, commoratiq́; illic ad Calendas vſq; principes, de bello mouendo gerendoq́;, in hunc modum inter ſe compoſuerunt. Adolpho, quos iam feciſſet ſumptus, quum primus haberetur militum delectus, data viciſſim ab ipſo apocha (qua plenè & integrè acceptos ferret) ſoluerentur. Hi ad octies decies mille circiter thaleros æſtimabãtur: ſed in quibus nonnulla erant millia cõputata, quæ milites commodato duntaxat in manus acceperant, eaq́; in prima ſtipẽdiorum ſolutione erant deducenda. Quæ pòſt impenſæ fierent, cõmuni onere & detrimento ferrent. Si in poteſtatem Dithmarſia veniret, ea vniuerſa in æquales tres partes diſtributa, quam quiſq; ſuam caperet aſſereretq́;, ſorti iudici cõmitterent: verùm in iudicijs extraq́; iudicia iunctis opibus omnem ſimul defenderent. Cuius ſubditi & coloni ſeu prædationibus ſeu incendijs damnum acciperent, id ipſi per ſeſe tolerarent, deq; eo alter alteri ad ſatisfaciendum obligatus ne eſſet, ſed ſuam quiſq; fortunam periclitaretur. His pactis alijsq́; nonnullis conditionibus fœdere inito, extemplo cuncta bello rite adminiſtrando neceſſaria apparari prouideriq́; cœpta.

Principes coràm colloquuntur.

Belli gerendi rationes & capita.

PRIMVM omnium Ioannes Ranzouius eques, quem cùm ob eximiam eius & inueteratam virtutem, longoq́; & vario rerum vſu cõparatam validam ac ſtabilem prudentiam animiq́; robur incredibile, tum expeditam atq; efficacem rei militaris ſcientiam, præ cęteris omnibus tanto muneri maximè idoneum iudicabant, quanquam grauis & próclinatæ ſenectæ vſus excuſatione nonnihil reluctaretur, ſummus belli dux (quem Imperatorem olim Romani vocabant) cõmuni omnium ſuffragio declaratus eſt. Ei legatus ſiue adiutor additus Bertramus Seſtedius, qui quũ id officij (quòd priuatis quibuſdã de cauſis vereretur, vt ſibi cum ſummo belli duce ſat bene conueniret) recuſaret, in eius locum Franciſcus Bulouius, patria quidem extraneus, ſed affinitate cum Holſatis contracta non planè ab illis alienus, & ante id quoque tempus regiæ militiæ aſſcriptus, à Ranzouio eſt nuncupatus, & mox per principes approbatus. Exinde ſpectatos fide ac virtute viros, & autoritate gratiaq́; pollen-

Belli gerendi ſumma penes Ioan. Ranzouiũ.

pollentes, vnà cum deſignato belli duce, principes è ſuis binos quiſq; elegerunt, qui equitum peditumq;, quotquot eorum cōfluxiſſent, delectum agerent, vtq; coram ipſis in trium pariter principum verba ſacramētis dictis militari more ſeſe obſtringerent. *Imperatoris aſſeſſores.* In his regis nomine deſtinati ſunt, Nicolaus Ranzouius, præfectus arcis Steinburgi, & Holgerus Roſenkrantzius, ſenator regni Danici: à duce Ioanne, Otho à Tinnen, & Gaſpar Bocuoldius: ab Adolpho, Ranzouij duo, Nicolaus cognomento Luſcus, & Paulus ſummi ducis belli filius. Quæſtores præterea illis adiucti, *Quæſtores.* qui rem pecuniariam eo bello adminiſtrarent, cum quibus continuò illi ad copias profecti ſunt. Henricus quoq; Ranzouius, ijs quibus abs rege negotium datū erat, in delectum primū ter quinquies mille thaleros iuſſu regis per ſuos adnumerauit, quum maior argenti ſumma in tanta properantia confici ab eo non poſſet. Poſt eos cōſiliarij belli creati ſunt, quorum id eſſet officium, locorum ſitus inſpicere, hoſtiū *Conſiliarij.* conſilia explorare, ſpeculatores emittere, annonam militarem eiuſq; in caſtra conuectionem procurare, de captiuis quæſtiones habere, pœnaſq; ſumere, quibus locis quoq; tempore hoſtes inuadendi eſſent, conuenientes deliberare, initiiſq; ſuffragijs ſtatuere, & quę alia ex vſu belli commodoq; forent, proſpicere omnia & adminiſtrare, ne toties principes interpellandi eſſent. Hi fuerunt nobilium honoratiſſimi quiq;, & autoritate atque ætatis dignitatiſq; prærogatiua maximè inſignes viri: ipſe in primis Ioannes Ranzouius eius belli delectus dux, eiuſque filius Henricus, Breda, Chriſtophorus & Mauricius Ranzouij, Bertramus & Benedictus ab Aleuelde, Helgerus Roſenkrantzius, Bertramus Seſtedius. Ab illis poſtea in conſilium euntibus tres legionum præfecti adhibiti ſunt, Wolffgangus Schonueſius, Gulielmus Valterthumbius, Reimarus à Valde, vetuſq; ille militū præfectus Chriſtophorus Vrisbergius, qui prælio Dracenburgenſi, quanquam fugatus, inclaruit. *Præfecti legionum.* De commeatu decretū factum, quando copias numeroſas ſatis & validas haberent, ne præbendo eo ſupportandoq; oppidani & incolæ ditionum ſuarum vltrà quàm neceſſe foret, grauarentur. *Res frumentaria.* Id autem propterea fuit conſtitutum, quòd metuerent, ne fortè voluntarij plures quàm vellent, ad eius belli famam excitati conuolarent, quorum poſtea tamen ſupra quingentos, etiam ad exitum vſq; belli, Iacobo Blanchenburgio & Aſconio ab Holle ductoribus, caſtra ſecuti ſunt.

PRÆTER hæc placuit etiam, incolæ & coloni Holſati in Dithmarſiam vt ne abducerentur, ſed in omnem incertæ fortunæ & dubij Martis euētum, ad fines ditionis obſidendos ſeruandoſq; relinquerentur. *Limitanei milites.* Nicolaus itaque Ranzouius, in arce Steinburgo præfectus regius, vir ſanè vt auguſta ſenili facie caniſq; decētibus ſuſpiciendus, ita eximia cōſilij grauitate, inueterataq; vſu longo prudentia togata, patriæ in primis ſalutaris, & diſciplinæ militaris artiſq; haudquaquam imperitus, (quòd multos in Italia annos ordinibus ducendis præfectus Caroli v. ſtipendia fecerat) cum Crempermarſis & Vilſtermarſis, qui ſub præfectura eius ſunt, ad Albim fluuium eius loci cuſtodiam agere iuſſus eſt. Henrico autē Ranzouio ſeniori, qui potiorem ætatis virilis partem in armis contriuerat, belloq; eo quod Chriſtianus Daniæ rex cū Lubecenſibus geſſit, ab Oldenburgico comite captiuus factus, poſteaq; vertente ſe belli fortuna dimiſſus fuerat, ad occupādas cuſtodiendaſq; Eidoræ fluminis ripas, Phriſij & Eiderſtadenſes, alijq; ducatus Sleſwici, & Holſatiæ incolæ pletiq;, attributi ſunt. Naues inſuper apparatu omni nauali, & armamentis militariter inſtructas, ad eam expeditionem ſe collaturum rex deſignatus promiſit, quæ *Claſſis Danica promiſſa.* ex Dania ſoluentes in Albim traijcerent, & ab ea quoq; parte ſecuritatē ſocijs præſtantes, hoſtibus omnem nauigandi eius fluminis, recipiendiq; in portus amicas finitimorum puppes facultatem eriperent.

IDEO enim tam prouidè & cautè hęc inſtituebātur, vt incluſi vndequaq; Dithmarſi erumpere nullibi & euadere, aut auxilia ab exteris ſubmitti poſſent, commeatuſq; & alia bello gerendo neceſſaria importari. Deinde, ſi fortè præter ſpē omnem & expectationem, (vt ſunt belli varij & ancipites caſus) ab aduerſante fortuna incōmodum acciperetur, ij ad limites circumquaq; diſpoſiti ſubſidio vt eſſent, quò ab ingruente vi hoſtium protegere ſeſe, illoſq; repellere, & prælium renouatis denuo viribus inſtaurare valerent. Ad eundē vſum & per Fioniam Iutiamq; nobilibus, vt

De externo milite habendo conſilium.

Ciuitates principibus ſuſpectæ.

inſtructum paratumq́; equitatum ad quemlibet belli dubij euētum haberent,(quò mox,vbi accerſerentur,ad edictū eius conuolarent)abs rege deſignato imperatum eſt. Percommodè quoq; inter Hiſpanum Gallumq́; reges pace facta,ex præfectis nonnulli, qui ſoluto eo bello mittebantur: in eam conditionem principum iuſſu conducti ſunt, ſi ij opera eorum vti hoc bello neceſſe haberent, de eo literis certiores facti,cum turmis cohortibuſq́;, quas ducerēt,ſtatim tranſire & accedere ad eos maturarent,præſidioq́;,vbicunq; ipſi vellent,adeſſent. Sic Ioanni etiam Barnero, (quem ſuprà memorauimus) argentum numeratum, quo equites quingētos conſcriberet: & alij item equitum præfecto,quo totidem. Timebatur enim,ſi aliàs,tum maximè,ne ipſis in Dithmarſia ſubigenda occupatis, motus aliquis ab externis ducibus repentè excitaretur: quòd eſſent, qui hoſtilem in principes animum gerere haud falsò exiſtimarentur, vrbesq́; præterea finitimæ ſuſpicione nō carerent, quaſi vt Dithmarſis commodarent,per Holſatiam tumultum moturi eſſent.

Tormentorum genera & numerum.

Foſſores.

QVAPROPTER hæc omnia ita curioſè prouidebantur,vt ſi quis ſiue motus ſiue bellum alicunde ingrueret,iuſtas in promptu copias haberent, quas opponerēt, conatumq́; omnem & vim hoſtilem validis obiectis armis retunderent atq; reprimerent, ita vt in vtrunq; parati cōfirmatiq́; eſſent, & in Dithmarſia bellum gerere, & illatū alicunde propulſare. Arces item omnes per Holſatiam impoſitis præſidijs munitæ ſunt,tormentaq́; ænea bellica poſt tergum tot relicta, quot iuſto exercitui, ſi opus foret,ſufficere poſſent,vt in omnem belli euētum abundè proſpexiſſe, & ſapienter conſuluiſſe ſibi viderentur.Ex eodem quoq; principum cōuentu ad comitem Oldenburgicum literæ perſcribebantur,quum id cōmodiſſimè facere poſſet, cohortes militum tredecim ſiue quindecim Albim traijceret. Conſtitutum quoq; cōmuni ſuffragio,vt ſinguli è principibus tormenta ſena campeſtria & bina muralia(pluribus enim indigere ſe non arbitrabantur) cū apparatu & inſtrumento omni neceſſario in aciem adducerent,itemq́; plauſtra octo.Foſſores præterea mille conducti,ponteſq́; nauales pluros cōparati, & commeatus eiuſq́; ſubuectio affatim procurata,nempe vt ſinguli arcium per Holſatiam præfecti,certum & præfinitum annonæ militaris numerum, quotidie ad exercitum in caſtra mitterent. Verebantur enim principes,vt ciuitates(haud æquis animis id bellum moueri ferentes)permiſſuræ ſuis eſſent,vt commeatum adueherent. Poſtremò omnia, quorum in bello vſus eſt,quæque in tanta celeritate confici potuerunt, pro re & tempore diligenter ſunt

Dithmarſi ſe ad bellum tolerandum parant.

cōparata. Nam longiorem interponere moram minimè omnium cōſultum videbatur, quum nūcijs crebris & rumoribus quotidie adferretur,agreſtes magno ſtudio & labore pertinaci vndiq; ſeſe communire, & foſſas valloſq; indies perducere. Neq; enim conſilia principū ita prorſus occultari & tegi poterāt,quin haud obſcurè intelligeretur quid molirētur,& quò tenderent: & ipſi pterea principes ſibi perſuadebant,omnes hoſtium conatus & vim celeritate pręueniendam & opprimendam eſſe. Atqui potuiſſet bellum cùm cura conſilioq́; & rerū omnium adminiſtratione expeditiore,tum impenſis multò leuioribus inferri ac geri,niſi tanta Adolphi feſtinatio interueniſſet. Is enim, ſiue ſolus,ſiue iunctis cum alijs viribus hoſtes aggrederetur,in celeritate vna maximam victoriæ ſpem & fiduciam collocauerat.

Regi inſidiarū metū inycirūt.

CÆTERVM rex vt Nortorpam in colloquium ſibi veniendum ſtatueret,haud facilè potuerat adduci.Id extranci quidam præfecti,per omnem ætatē armis aſſueti,militiæq́; animis inquietis dediti, effecerāt, quum per homines ad id ſubornatos metū regi incuterent,rem periculi plenam eſſe dictitantes,inermem ad hoſtem armatū ire. Aſſerebant enim,de machinationibus quæ in regis exitium apertè fierēt, ſe compertum habere,quòd pręfectis quibuſdam ſcirent poteſtatem literis factam contra regem copias cōſcribendi: quæ tamen literæ poſtea interceptæ eos vanitatis

Aulici calumniatores & aſſentatores.

coarguerunt. Huius gregis hominum in principum aulis magnus eſt numerus, & vberrimus ſemper prouentus,qui peruerſis & malignis prędití ingenijs,vitijſq́; adobruti, quū virtute vera emergere non poſſint, prauis innixi ſtudijs & verſutia ſcelerata audaces,calumnijs & delationibus aliorū,in principum fauorē malitioſè ſeſe inſinuant: & his inuidiam conflando, illos in ſuſpicionē vocando, odiaq́; & diſcordias paſſim miſcendo, ex aliorū iniurijs & oppreſſione ad opes ingentes anhelant.

Et

Et ſæpenumero improbis eorũ votis improbior multò ſortuna aſpirat, apud principes etiam vigilantes & non malos: quando ferè fit vt falſò, ſed callidè conficta, & ad rem præſentem accõmodata, ſi ſuſpicionem paulò veriſimilem mouent, profundè animis aculeos figant, hæreantq;, & ægrè euellantur, vt veris locum relinquant.

Eisdem artibus & veteratores illi imponere regi, iam tum primùm regni habenas excipienti, in animum ſibi induxerant, inq; ſpem veniebant, ſi ſuccedẽtibus dolis, inter principes ſanguine coniunctiſſimos ſimultatem diſcordiamq; accẽdiſſent, fore vt bellum inter eos diuturnum contraheretur: quod illi pro animi ſui libidine adminiſtrantes, ducenteſq;, vt fideles & induſtrij miniſtri, ex eo honores gratiamq; regis aucupari & locupletari nimiùm poſſent. Sed hæc quanquam aſtutè & perfidioſè concepta techna, vnius viri ſolerti induſtria & cura detecta & planè ſubuerſa eſt. Hẽricus enim Ranzouius iunior, quem ſubinde vicarium regium appellamus, mirè temperato dextroq; ingenio, & animo nunquam intermiſſo prędiṫus, ſtudioſè regem edocuit, propterea fieri iactariq; hæc ab illis, vt diſſidium bellumq; alerent: quod quò diuturnius eſſet, eò ampliores ſortunas & opes ſe conſecuturos ſperarent. Eſſe enim homines alienigenas & aduenas, qui vt ſuum nihil & propriũ peregrina in terra poſſiderent, ita planiſſimè ſcirent ſe iacturam nullam ſacere poſſe, ſed potius, ſubortis certaminibus inteſtinis & diſcordijs, ex qualibet rerum perturbatione, noto artificio, honores & diuiꝛias immenſas captare, quò rebus quietis & tranquillis aſpirare nequaquam poſſent. Etenim ſicuti anguillæ, niſi aqua agitata & limo turbata, haud capiuntur, ita illi, niſi ſtatum reipubl. interturbent conſilijs ſuis, (quod illis ſolis & voluptati & cõmodo eſt) in ſuos caſſes prædam cupitam pellicere non poſſunt. Præterea habere ſe apud Adolphum & fratrem ſuum, & alios pleroſq; propinquitate & neceſſitudine ſibi deuinctiſſimos: tametſi princeps quid inopinatum & alienum à fide moribuſq; ſuis (quod vti crederet haud poſſet perſuaderi) animo ſecum agitaret, illos tamen neutiquam vt exequeretur eſſe permiſſuros. Deniq; Italico aut Hiſpanico more agere, & aliud fingendo ſimulandoq;, aliud animo occultare, malumque & exitium alteri ſubdola amicitiæ ſpecie machinari, inter coniunctos in primis arcto cognationis & ſanguinis vinculo, hiſce in Cimbricis oris minimè omnium vſitatum eſſe.

Vir prudens calumniatorias nebulas detegit.

Proditiones & fraudes vbi crebriores.

Qvibvs rex perſuaſus fidem habuit, ſeq; in viam dedit. Vſqueadeo tamẽ fraudulenta & inſidioſa illorum fabrica profecit, vt maior intentiorq; à rege cunctis in rebus cura adhiberetur, & is quingentis ſtipatus equitibus Nortorpam veniret. Adolphus autẽ duobus ſaltem leuibus vehiculis (quibus iumenta exciſis genitalibus celeritati inſuefacta iunguntur) aduectus eſt, vtq; pòſt vulgatum, non minus de inſidijs quàm rex ſibi metuit. Sed hũc vanum timorem & ſuſpicionem in ſe ipſe mox redarguens verbis cõfutauit. Nam ſeipſum allocutus, Non ſum, inquit, ignarus generis & ſanguinis noſtri: nos inter nos ne cogitamus quidem illa: tacebo quòd faciamus. At ſi in Italia aliiſve terris, quibus id frequens & vulgare eſt, eſſemus procreati, fortaſſis alter alteri minimè confideret. Equidem ſi illi maligno iuxtà & callido hoc auſu obtinuiſſent, in colloquium mutuum à principibus ne eſſet ventum, potuiſſet grauior inde motus exurgere: & fortè conatus eorum ſucceſſu non caruiſſet, qui hoc modo irritus fuit.

Mutua principum diffidentia.

Solvto conuentu duces illinc vterq; diſcedunt, hic Rendesburgũ, ille in arcem Gottorpam: belloq; ſe ambo parant, iſthac omnino ſpe & opinione quòd coràm intereſſe vellent. Rex autem deſignatus Segebergam cũ Ranzouio vicario ſuo (qui iam tum arcem eam præfecturæ nomine tenebat) ſeſe contulit. Vbi quũ diem vnum atq; alterum ſubſtitiſſet, relicto illic comitatu penè omni, Coldingam Iutiæ oppidum, curribus, quos ſingulos cantherij terni ob celeritatem trahebant, properè contendit. Ibi namq; ex Fionia & Iutia omni nobiles equis viriſq; militariter inſtructi, vt mille & quingentos numero exæquarent, ad omnem belli caſum literis regijs euocati, coiuerant. Quibus luſtratis, quòd exciti paruiſſent, rex gratias egit: & quia eorum opera, niſi opus foret, hoc bello vti non cogitabat, ſtatim dimiſit. Cęterum in regno, vt poſt tergum pacata & tranquilla ibi relinqueret omnia, quæ opus erant conſtituit: apparatumq; caſtrenſem & ſupellectilem, nec non omnia quibus

Res Danicæ ante bellum inchoatum componuntur.

ad iter & bellum indigere poſſe videretur, prolixè ſibi comparauit: perſcriptis antè ad Henricũ Ranzouium literis, vti ſe properè certiorem faceret, quando copiæ progreſſuræ eſſent. Eo deinde die qui feſtam Pentecoſten anteceſſit, Segebergam præcipitante veſpera rediit, fueratque eadem hebdomada magnæ partis militũ equitumq; delectus habitus, & ſtipendia præbita. Supererant aũt, qui ſub præfectis Wolfgango Schonueſio & Reimaro à Valde merebant: ij vniuerſi per dies feſtos luſtrati ſunt.

Ex itinere quũ præter arcẽ Gottorpã rex iter faceret, inter principes fuerat conſtitutũ, vt die Mercurij inſequẽti Pentecoſtẽ in pago Hohenueſte de conuentu agerent. Et vt cõmodius rex intereſſe poſſet, triduo antè Nouomonaſteriũ ſe recepit: & poſtridie eius diei turmã prætoriã ſuã recenſuit, & munera diſtribuit. Vexillũ Georgio Rauteno, præcipuæ in Dania nobilitatis viro, ferendũ tradidit, & Ioannẽ Truſiũ Daniæ prætorio pręfectũ (quẽ Mareſcallũ vocant) eius turmæ equitũ magiſtrũ creauit, cui legatũ ſiue vicariũ adiunxit, Ioachimum Brochtorpiũ Holſatum.

Decretum de educendo exercitu.

Sub eo equeſtri ſigno ſupra quadringentos ſtipendia faciebant. Sexto decimo autẽ Calẽdas Iunij ex conſtituto principes, cum oratoribus & cõſiliariis ſuis, dicto loco conueniunt. Ibi poſtridie conſentientibus ſuffragiis decretũ factum, vt quinto pòſt die vniuerſæ equitatus peditatuſq; copiæ, quantæ quantæ iam coiiſſent, in fundum hoſtilem in Dithmarſiam ducerentur. Inde rex in caſtellũ ſiue prædiũ Melbechianum Henrici Ranzouij ſeceſſit, quartumq; in diem vſque illic eſt cõmoratus. Eodem in conuentu literæ quoque, quibus bellum Dithmarſis principes more militiæ denuntiabant (quas nonnulli ab antiqua Romanorum conſuetudine feciales appellant) confectæ, & triduo antequam fines eorum hoſtilis exercitus ingrederetur, per tabellariũ regium perlatæ ſunt. Eæ literæ ad quadraginta octouiros, penes quos ex omnibus pagis delectos totius terræ ꝓcuratio fuit, & vniuerſos Dithmarſiæ incolas, decimo quinto Calend. Iunij datæ erant, & in hunc modum conceptæ.

Literæ belli denunciatoriæ.

QVANDOQVIDEM ſibi legitimis dominis & magiſtratui diuinitus ipſis conſtituto, impiè & ſceleratè non ſolùm non obtemperarẽt, contumaciterq; aduerſarentur, ſed indignis quoq; modis crebrò & intemperanter iniuriis grauibus contumeliiſq; inceſſiſſent, nec ampliſſimę quidem maieſtati dignitatibuſq; ſuis impudẽter parcentes, homines ſibi ſubditos magnis frequenter damnis affeciſſent, paſſim prædas egiſſent, cædes feciſſent, pacem publicam turbaſſent: vt nimirũ quum eos in ſubiectam ditioni ſuæ oram, quæ ſacra terra appellatur, incurſantes, nulla neque religio neque pietas continere & abſterrere potuerit, quin ipſas ædes ſacras cæde nefariè inibi perpetratã funeſtarent: necnon alia multa abominanda crudeliter & malitioſè commiſiſſent, in omnib. illis nulla iuſtitiæ æquitatiſve ratione habita: neque ipſi etiam aut ius adminiſtrare, aut alibi datum admittere voluiſſent: quæ quidem longo hactenus tempore eſſent tolerata, vt manus à profuſo ſanguine puras & innocentes haberent: nunc quum patientia ſua & manſuetudine turbulentos & ſeditioſos eorum conatus, ac petulantiam intolerabilem, adeò non frangi aut imminui viderent, vt etiam magis magiſq; indies augeſcerẽt, neq; ſpes eſſet amplius eos quicquam pro ſanis facturos: ſe variis eorum iniuriis & violẽtia multiplici inſigniter laceſſitos compelli, bello ipſos aggredi, & (adiuuante cœptum Deo) ad imperata facienda vi iuſta cogere. Ita enim facturos ſeſe, quod officij ſui eſſe agnoſcerent, vt obſequentiſſimos ditionũ ſuarum incolas ab iniuſta vi & oppreſſione defenderent, cędes, rapinas & incurſiones auerterẽt atq; depellerent. Veruntamẽ tam graui, & ꝓuocata & merita vindicta, ſupplicioq; de ipſis ſumendo, ſuperſedere multò maluiſſe. Quocirca hæc ipſis (quanquã vt in rebelles ſubditoſq; ſibi id neceſſe non fuiſſet) à ſe auxiliaribuſq; ſuis more militiæ denunciata eſſe voluiſſe, quò fidẽ ſuam omni ex parte integrã & liberã præſtarent, ad ea vt ſeſe animoſq; ſuos prępararẽt.

Scytalam nemo vult ferre.

HIC nuncius, per quẽ principes literas miſerunt, diu multumq; reluctatus eſt, ne id muneris ſubiret, quòd vſitatã agreſtium violentiam & furorẽ reformidaret. ſed quia ob maleficium perpetratum aliàs capitali ſupplicio afficiendus erat, minis metuq; mortis præſentis ſuſcipere coactus eſt. Eas igitur ſigillis trib. regis ducumq; obſignatas, & ad bacilli candidi cuſpidẽ ſuſpenſas, Heidam munitiſſimũ terræ illius

oppi-

oppidũ(vbi incolæ caſtra ſtatiua locauerant,& quadraginta octouiri de more conuentum celebrabãt) perferens, vt erant annexæ baculo, vni ex magiſtratu de facie ſibi noto in manus tradidit. Vulgato aũt de literis hoſtilibus rumore, plebs indignabunda & fremẽs, tumultu facto, & incondito clamore ſublato, tabellarium ad necem popoſcit: ſed is a quadraginta octouiris furori inſanientis vulgi ſubtractus; & à morte ſeruatus eſt. In priuatã enim domum ſeducto, dum de reſpõſo principibus dando conſultarent (ne omnem humanitatis affectũ penitus exuiſſe viderentur, & haberent per quem reſcriberent) epulum præbuerũt, & poſtea in tuta reduxerunt. Reuerſus duodecimo Calendas Iunij literas ab agreſtibus ad principes retulit: quarum tenorem, quam potuimus commodiſſimè, ſtylo Latino ita expreſſimus.

Dithmarſorum ad principes reſponſum.

LITERAS veſtras, ſereniſſime rex & illuſtriſſimi duces, animis inuitis accepimus, quibus ſignificatis, vos cauſis grauibus ad inferẽda nobis arma permoueri, vt vi ſubacti, id quod iure debeamus, obtemperãter vobis pręſtemus, & imperata faciamus. Ad ea ſubmiſſis animis nõ iniuria reſpõdemus, quod in Dithmarſiã iuris quippiam vobis competat, id nequaquam nos vobis largiri aut permittere, ſed eſſe nos membra inſerta Eccleſiæ Bremenſi, eiusq; diœceſi & territorio ſubditos. In cuius pręſulatus tutela & protectione, adiuuante feliciter Deo, per quadringẽtos amplius annos fuimus, & hucuſque manere perſeuerauimus: id quod demonſtrari veriſſimè poteſt. Eiusque rei gratia per pontifices maximos, Imperatores & reges, collatis diplomatis munificentiſſimè ſumus communiti. Neque equidem de vobis, vti Chriſtianis & laudatis ſemper principibus, ac ſummo clariſſimoq; prognatis ſtemmate, eam vnquam ſpem animis concipere potuimus (quãdoquidem nobis nulla vobiſcum eſt controuerſia) fore vt contra fas piumq;, contra ius & æquum, aduerſus literas & monumenta nobis data, ſigilliſq; confirmata, per maiores parenteſq; veſtros reges & principes, imò aduerſus publicam ac graui pœna in ſacro imperio Romano ſancitam pacem, aureamque bullam, tanta armorũ vi & truculentia, (vt ante oculos, proh dolor! videre eſt) nullo prius iudicio conuẽtos armis nos inuaderetis: ſed multò magis humaniſſima quæq; adminicula & patrociniũ, vicinitatemq; commodam & beneficam, ſemper nobis promiſimus. Etenim ſi quod inceptũ noſtrum iniquum, ſi qua vllo delicto noxa à nobis contracta fuiſſet, iuſtis & legitimis locis appellari & conueniri potuimus debuimusque, vbi ex iuris obligatione ſæpe iudicio ſtetimus, & nunc ſtare potuiſſemus. Quo ſanè caſu ſatis ſuperque æquo iuri ſubiecti ſumus, & (quò abundãtius vobis ſatisfiat) vt antea ſemper fecimus, ita nunc quoque, vi ac poteſtate harum literarum, ad omne iuris æquitatiſq; arbitrium nos offerimus. Quòd ſi huius quoque, præter ſpem noſtram, rationem nullam habueritis, & certũ fixumq; animis vobis ſederit, nos ditionemq; noſtrã (vt apertè liquet) vi opprimere, vxores liberoſq; noſtros, viduas & orphanos, in interitum & pernitiẽ internecionemq; miſerè adigere, atq; impellere, manusq; adeò veſtras noſtro innocentium cruore & ſanguine contaminare: nos Deo optimo maximo, ſummo Imperatori & protectori noſtro, cauſam noſtram cõmittere oportebit. Eum itaq; ſerijs & ardentibus votis noctes dieſq; implorabimus, vt ſanctam ſuam pacem clemẽter nobis largiatur, & quoniã veſtra omniũq; noſtrûm corda in ſua habet manu & poteſtate, ea ſacro diuini afflatus ſui numine gubernare & regere dignetur, vt vos clementiſſimi illuſtriſſimiq; principes, ab inſtituto hoc minimè quidẽ pio diſcedatis, neq; tã atrox vobis malũ, tamq; immanẽ ſanguinis profuſionẽ admittere collibeat: ſed ex ingenita animis excelſis & generoſis veſtris bonitate atq; clemẽtia, exitum finemq; prudenter cõſideretis, quò vtrorumq; ditiones, cùm veſtrę, tũ noſtræ, incolæq; viduæ, orbi, coniuges liberiq;, funditus non euertantur & pereant, ſed in pace ac tranquillitate, iuxta diuinam voluntatem, conſeruentur: cui vos reuerenter commendatos volumus. In calce harum literarum, vt fieri ſolet, ſubſcriptum erat: *Quadraginta octouiri Dithmarſiæ adminiſtratores, eiuſq; incolæ vniuerſi, regis ducumq; pro æquitate omni ſtudioſi & obſeruantes.*

Progredientis exercitus ordo.

VNDECIMO Cal. Iunij equitum peditumque copiæ vniuerſæ, quæ quaternas turmas & legiones ternas efficiebant, horam circiter nonam antemeridianam in pagum Oerichſtorp, non procul oppido Itzohoa, cis Storam fluuium, cõueniunt, aderatque rex ipſe & duces. Ibi inito conſilio, ex vſu militiæ decretum eſt, quo

ordine exercitus ingrederetur: & inde mox procedi cœptum. Primi omnium antecurſores, quibus ex legionibus ſingulis per ſortem delectis id obuenerat, agmen antecedere, eos inſiſtens veſtigijs ala equitū Mauricio Ranzouio duce inſequi, inde cum foſſoribus minora tormenta campeſtria trahi, poſt ea duæ Schonueſij & Reimari legiones incedere. In medio prætoriæ turmæ regis ducumq; cōſpici, eæq; inſtructa quaſi ad prælium acie iunctim ſeſe inferre, hinc legio Valterthumbiana ſuccedere, poſtremò Blanchenburgij turma cum Theodorico ab Holle (qui & ipſe cētum circiter ducebat equites) agmen claudere. Hoc inſtituto ordine quum mouiſſet exercitus, eodem die, priuſquam ſol occideret, in finibus Dithmarſiæ, in pago Aluerſtorp caſtrametatus eſt. Erant autem copiæ omnes, equitum circiter quaterna millia, peditum ſigna quina tricena, quum primùm in hoſticum peruentum eſt. Acceſſit poſtea cum cohortibus quinis denis Antonius comes Oldenburgicus, vt ita demum ſigna peditum quinquagena impleta ſint. Legionibus præfecti erant, Wolffgangus Schonueſius, Gulielmus Valterthumbius, & Reimarus a Valde. Equitatum ductabant Ioachimus Blanchenburgius, Mauricius Ranzouius Caij filius, & Theodoricus ab Holle, præter prætorianos regis ducumque præfectos, qui erant Iohannes Truzius Danus, Bertramus Seſtedius, & Benedictus ab Aleuelt, vexilliferiq; Adolphi, Gregorius ab Aleuelt. Porrò milites trans riuum, qui pagum præterfluit, tentoria figere, equites pagum occupare.

Copiarum numerus.

Nocturnus exercitus inſultus.

NOCTE verò ea quæ inſecuta eſt, excubias egerunt cohortes duæ cum equitibus ducentis: excitatuſque in caſtris tumultus ab octodecim agreſtibus, quum in equites excubitores bombardas diſploderent, neque tamen detrimentum vllum inferrent. Nam venit miles quidam in caſtra trepidans, nunciauitq; hoſtes in ſtationem vigilum impetum facere. Quo rumore excitatus ſummus dux belli, cum filio Henrico explorabundus prouolauit: ſed de aliquo hoſtium motu nihil comperit. Ab ijs poſtea qui diurnæ præfuerunt cuſtodiæ, vnus ex illis qui turbæ nocturnæ cauſam præbuerant, interceptus eſt. Multi quoque poſtridie quàm eò ventum eſt, ex armentis hoſtium equi boueſque abacti: vnde (vt fit) vtrinque nonnulli aut cæſi aut capti ſunt, & circumiacentes aliquot in propinquo caſæ & tuguria, per milites, quanquam iniuſſos, facibus illatis exuſta. Eodem die, quibus tractandæ explicandæq; belli rationes commiſſæ erant, indicto conuentu in conſilium iuere, habitaque cum præfectis de faciendo belli initio deliberatione, eſt conſtitutum, vt ne prius caſtris excederetur, quàm de conſilijs rebuſq; hoſtium exploratò eſſet cognitum. Itaq; de captiuis, quotquot eorum intercepti in manus venerant, per tormenta quæſtiones habitæ, & qui de hoſtium rebus cognoſcerent, ſpeculatores emiſſi ſunt. Ad IX. autem Cal. Iunij ipſi delecti belli conſiliarij, ducta ſecum præſidio legione Valterthumbij, & ala Blanchenburgiana, in agrum hoſtilem è caſtris proficiſcuntur, vt omnem vndiquaq; oram oculis ſubijciendo circumuecti ſpeculētur, quibus locis hoſtes adoriri, ex vſu belli quamprimum & quàm cōmodiſſimè conficiendi ſint. Tres enim omnino auſpicandæ oppugnationis rationes inueniebant, vt aut Tilebruggam, aut Hammam, aut deniq; Meldorpam aggrederentur, quòd tribus locis illis planè ſolis (quæ firmiora erant Dithmarſiæ propugnacula) itinera eſſent, quæ ex campeſtri terræ ſitu in paluſtrem ducerent: eamq; ob cauſam agreſtes maiore præ cæteris ſtudio & cura, prædùctis foſſis valliſq;, & aggeribus proiectis, communiuerant.

Tilebruggā agreſtes cōmuniunt.

PRINCIPIO igitur Tilebruggam adeunt: quo loco Dithmarſi ſecundū amnis præterlabentis traiectum, vallos aggeremq; pro ſe excitauerant: quæ tamen munitio adeò valida non erat, vt maiorem vim militum incurſantium ſuſtinere poſſe videretur. Ibi quum intelligeretur, ex caſtris hoſtium plauſtra aliquot, rerum variarū (quas tutius aſportare cogitarent) ſupellectili onuſta, in interiorem plagam ſeſe recipere, Henricus & Mauricius Ranzouij patrueles, minora tormenta campeſtria, adiunctis ſcloppetarijs, in collem æditiorem perducunt, & abeuntium terga globis emiſſis perſequuntur, ſed ſtragem nullam faciunt. In hos viciſſim agreſtes denas circiter pilas minoribus tormentis adigunt, & ipſi quoque damni nihil inferentes. Erant tum milites, eorumq; ductores & ſigniferi, ad conferendū cum hoſte manus prompti

promptis animis & alacres, vtque oppugnationis ſignum daretur poſtulabant: ſed ſummus dux belli iniuſſu principum pugnæ aleam ſubire abnuit. Quoniam enim munitio ea tranſcenſu facilis apparebat, & ipſe, ſummæ inueteratæq; militaris experientiæ dux, naturam militum nouerat, primum eorum impetum (qui plerunq; acrior & feruidior eſſe, ac poſtea, & tædio ex moleſtia caſtrorum concepto, & imminutis temporis diuturnitate moraq; animis, paulatim elangueſcere ſolet) in oppugnatione difficiliori periclitari volebat. Quamobrem hinc Hammam diſcedût, quod oppugnaculum, cùm ſitu ipſo, tum incolarum operibus, omnium eius terræ muniti ſſimum erat. Quippe denſis id ſtructis aggeribus foſſiſq; præcinctum, & ædificata inſuper turricula agreſtes diligentiſſime vallauerant, quia in paluſtrem (vt dictum eſt) oram aditum frequentem præbebat. Quò illis propinquantibus, Dithmarſi impulſis tormentis ingentem pilarum grandinem in eos iaculari, vehementerq; detonare, ſed nocere nemini: qui quum vicum munitioni ſubiectum proximè incendiſſent, in caſtra reuerterunt. *Hamma locus munitiſ.*

IN hac terræ hoſtilis & munimentorum inſpectione, perito eorum locorum viæ duce vſi ſunt, homine Dithmarſo, cui Splitteringo nomen erat: qui quum in ditione ducis Adolphi feras glandibus interfeciſſet, ante ſeſquiannum captus, eoq; temporis interuallo ad eum vſum in cuſtodia habitus fuerat. Poſtero die, vt eius quoque ſitum & firmitatem contemplarentur, Meldorpam eunt, itineriſq; monſtratores ſecum ducunt, quendam natione Holſatum, (qui propter id oppidum habitauerat, & bello ineunte, vt ita diſſimulata fuga agreſtes eluderet, carro argilla onuſto effugerat) & Bartoldum Petri Dithmarſum. Is erat patria exul factus, quòd in actione, quæ ei de legitima cum popularibus fuerat hęreditate, quum iniquis iudicum ſententijs circumuentus iniuriam ſibi factam putaret, ad Cameræ Imperialis iudicium prouocaſſet. Ad id verò oppidum nihil memorabile geſtum: ſiquidem vnicus tantùm equus confoſſus, & à Reinholdo Rubeo, patria Dithmarſo, qui in Gallia olim inter Germanos equo meruerat, magnæ audaciæ & roboris viro, in Ioachimum Brochiorpium Holſatum, breuiore bombarda manuaria diſploſa, quales cingulis appendi ſolent, impetus factus eſt. Reuerſi poſtridie ad principes explorata referunt, & ſummus dux belli in tabella deſcriptum exhibet, quo pacto & ordine, aut Tilebruggam, aut Meldorpam, alterutram earum inuadendam cenſeat, vtq; de eo deliberetur poſtulat. Tribus enim omnino locis (vt ſæpius diximus) quibus in interiorem oram paluſtrem aditus pateret, aggredi hoſtes decreuerant: in quæ agreſtes maximis operibus munita, omnem vim ſuam & robur cõtulerant, firmiſque vigilum & tormentorum præſidijs ſingulis noctibus cuſtodiebant: vt ibi de patriæ libertate, de ſalute & fortunis ſuis ſuorumque, quoad quicquam illis virium ad propugnandum ſupereſſet, ad extremum vſque cum hoſte dimicarent. Hammam verò omnes firmiorem munitioremque exiſtimabant, quàm vt facilè expugnari poſſet. *Refertur regionis ſitus.* *Hãma munitio firmiſſima.*

SVB idem ferè temporis punctum nuncius à Nicolao Ranzouio in caſtra venit, Antonium Oldenburgicum copias ſuas Albim eo die, contra Vedelam oppidũ traiecturum adferens. Quapropter ſtatuitur, ne prius caſtris, aliquam munitionem hoſtilem oppugnaturi egrediantur, quàm is aduenisset. Datiſq; ad Nicolaum literis Henricus Ranzouius ſignificat, quibus locis comiti cum ſuis pernoctandum ſit, vtque fœno, auena & vino, dono præbitis honoretur. Exinde diſceptatur in conſilio, ad vtrius primùm oppidi expugnationem tentandam milites educere, conſultius ſit, Vilebruggæ an Meldorpæ. Hanc eligit ſummus dux belli, quæ caput regionis habebatur: eiuſq; conſilij ſui rationes reddit. Omnes, inquit, qui ante hoc tempus Dithmarſiæ bellum intulerunt, graui & accurato conſilio, quòd loci ſummam notitiam tenerent, id oppidum primum omnium, vt caperent, adorti ſunt. Etenim quum in vmbilico penè terræ ſitum ſit, inter duas eius partes, quas à cœli plagis *Suderſtrant* & *Norderſtrant* incolæ vocant, (in quibus duobus omnino locis omne robur & vis eorum conſiſtit) eo occupato diſiungi & ſegregari hoſtes perſpiciebant, ne in vna caſtra vires ſuas conferrent, & coniuncti animis maioribus, & ſpe fiduciaq; certiore victoriæ, repugnarent illis, ſeq; defenderent: quos diremptos facilius *Imperator Meldorpam inuadendam eſſe cenſet.*

per partes opprimere & debellare poſſent. Namq; præter oppidũ latus riuus tranſuerſò Oceanum influit, ita, vt haud magno negocio & impendio prohiberi queat, ne ab vna parte laborantibus alijs alij ab aduerſo latere auxilio aduolent. Præterea compertum eſt omnibus qui bellicis artibus & vſu valent, milites primo ſtatim impetu, dum animi vireſq; integræ ſunt, nec laboribus vllis aut moleſtijs grauioribus labefactæ & eneruatæ, ad ardua & difficilia quæq; ſubeũda ducere, vtiliſſimum & tutiſſimum eſſe, ne dum minutis leuibuſq; in rebus cõficiendis ocium teritur, temporis longioris tædio affecti, alijſque difficultatibus preſſi, animi eorum & ſpiritus frangantur. Deniq; nec illud quidem oſcitanter nobis cogitandum, magnam milites facilis ab hoſtibus reportandæ victoriæ ſpem & fiduciam ſouere, quod in homines agreſtes, & rei militaris imperitos, præliaturi ſint: ideoq; animos, ad primum pugnæ diſcrimen & congreſſum, maximè audaces & ardentes allaturos. Atqui ſi in munitioris loci oppugnatione, conſertis manibus, ſuperiores hoſtibus fuerint, ad reliqua poſtea, quæ minus oſtendent periculi & difficultatis, eos promptiores & confidentiores habebimus. Sin in loco non admodum firmo oppugnando, quàm prodigioſis corporũ viribus, quanto periculi & mortis contemptu, quanta animorum rabie & pertinacia, ſe patriamque ſuam defendant, periculum fecerint, de ardore & fiducia priſtina plurimùm ipſis deceſſurum, quis non videt? Proinde ad bellum ex ſententia quàm fœliciſſimè terminandum, (quod Deus opt. max. ſaxit) ego vnum id maximè omnium expedire arbitror, vt potius in inuadenda Meldorpa, oppido ſatis munito & firmo, primùm militum, necdum vllo caſu imminutam & retuſam agilitatem experiamur, quàm ad infirmam Tilebruggæ munitionem ſubeundam conferamus atteramuſq;.

Breda diuerſum ſuadens oratio.

ADVERSVS ea Breda Ranzouius, vir ſapiens & eloquens, acriter diſſerebat, inter cætera, quibus diuerſum perſuadere conabatur, ſic inquiens: Etenim non ſemel à maioribus noſtris id oppidum infœliciter eſſe tentatum, vſqueadeo vt eo irrito conatu non ſolùm de vniuerſa victoriæ ſpe depulſi, ſed ingentibus etiam acceptis cladibus, turpiter fuga ſalutem quærere coacti ſint, ex annalibus noſtris cõſtat. Et quanquam fuerint, qui illud vi expugnatum ſuam in poteſtatem redegerunt, tamen id occupatum adeò nihil illis profuit, vt poſtea ab hoſtibus ad internecionem penè cæſi, maximè fœdam & luctuoſam calamitatem ſubierint. Itaq; ne ſimili temeritatis exitu, clade aliqua inſigni ab infida fortuna mulctemur, infauſto maioribus & ominoſo loco primas exercitus vires non periclitandas eſſe, ſed Tilebruggæ, quæ debilior & minus minuſq; communita eſt, (vt haud magno labore & periculo ſuperari & capi poſſe nemo deſperet) admouendas ſuadeo. Nam ſi ſemel milites proſperè cum agreſtibus manus contulerint, ad reliqua ſtrenuè & audacter conficienda reddentur multò paratiores atq; agiliores: & quantum ipſis fiduciæ ac alacritatis accreuerit, tantum hoſtibus detrahetur, qui, eo loco à noſtris occupato, armenta gregeſq; ſuos in interiora terræ recipere cogentur. Quod meum cõſilium ſi vobis (vti opto & ſpero) probabitur, ea hoſtium munitio breui momento, & non magno labore & iactura militum, in manus noſtras deueniet. Aliquot enim equitum peditumque ſigna ad Henricum fratrem meum, qui Eidoræ fluminis ripas cũ magna incolarum manu cuſtodit, noctu tranſmittite, vt is cum ſuis traiecto amne à tergo in hoſtes irruat, & nos à fronte adoriemur. Ita haud difficulter & laborioſè (Deo conatum noſtrum proſperante) occupabimus.

ERAT hic Breda princeps ſenatus & oratorum apud Iohannem ducem, magnæque autoritatis & nominis vir, cùm ipſa grandis ætatis prærogatiua, tum quòd longo rerum vſu & experientia, iudicij exquiſiti prudentiæque perſpicacis ſenex euaſiſſe crederetur, facundiaque polleret. At in bello & militia idem minus fœlix habebatur, quod ab ijs olim, qui, duce Georgio Schoneichio, Cæſaris iuſſu, Phriſiæ oppidulum Dam obſidione cinxerant, quum ad eam ſoluendam cum copijs à Chriſtiano Daniæ rege miſſus eſſet, captus fuerat. Cæterùm vicit tum præualuitque ſummi ducis belli ſententia, eaque à rege deſignato principibuſque, & cæterorum quoque ſuffragijs eſt approbata, ſic vt diſcedens ille è conſilio diceret, exitum eſſe declaraturum, vter eorum melius dixiſſet. Nam de fratre noctu acceſ-

Meldorpam primùm inuadi placet.

ſendo

ſendo quod ſuaſerat, id ita eſt confutatum, viris illis agreſtibus, & inſuetis ignariſq; rei bellicæ, fidendum non eſſe, præſertim eius loci incolis, qui, ſi forte (quod Deus omen auerteret) malignante fortuna minus proſperè bellum gereretur, erectis in libertatem animis res nouas moliturí viderentur. Quocirca decretum ex principum iuſſu factum, vt eo ordine modoque, quem Ranzouius belli dux (vt diximus) ex exacta ſcientiæ militaris arte & diſciplina præſcripſerat, Meldorpana oppugnatio ſuſciperetur.

In primis impedimenta omnia ſarcinæq; in caſtris, ſub præſidio equitum quadraginta & peditum circiter mille, relinquerentur: ijs tumultuum præfectus imperaret. Binæ deinde cohortes Tilebruggam contenderent: earũ latera tegeret Blanchenburgus cum equitibus ducentis. Totidem item cohortes Hammam equitibus totidem ſtipatæ irent, quibus præficeretur vicarius Blanchenburgi. Id enim ſummo & haud inani conſilio ita erat cõſtitutum, vt duobus locis illis eodem tempore (nempe horam circiter antequam Meldorpæ oppugnationem ordirentur) in hoſtes impetus fieret, vt eo vario tumultu in diuerſa diſtracti hoſtes, ignorarent quò ſuis ſubſidio conuolare, aut vbi potiſſimùm periculo occurrere oporteret, eaque ratione vires eorum diſiungerentur. Neque fefellit poſtea opinio. Nam qui ijs locis erant, quum hoſtes ad ſe ire cernerent, aliorum opem implorabant, & accenſis (vt conuenerat) ignibus ſignificationem faciebant. Pontes præterea nauales, crateſq; ſexagenæ vnà ducerentur, quem ad vſum plauſtra præſtò eſſent. Ternæ legiones, Schonueſio, Reimaro à Valde & Valterthumbio ductoribus, à latere Boreali, prope tuguriolum ſubiectum oppido, irruptionem facerent, quos cum ala ſua Theodoricus ab Holle comitaretur: & his Bartoldus Petri viam commonſtraret. Oldeburgicus cum legato ſummi ducis belli, Franciſco Bulouio, in partem auſtralem, relicto ad latus pago Vintbergo oppidum verſus iter caperet, idque ibi à tergo inuaderent: ipſum cum peditatu equitatuque ſuo antecedentem, cum turma ſua Mauricius Ranzouius inſequeretur: eſſetq; illis viæ dux Holſatus ille, quẽ ad Meldorpam domicilium habuiſſe, poſteaq; effugiſſe memorauimus. Principes cum duobus ſignis vrbem contra progrederentur, ita tamen ne ſub ictum tormẽtorum ſeſe darent, ibiq; conſiſterent. Quatuor cohortes ad tormenta præſidio manerent, quibus in colle facinoroſorum ſuſpendijs infami conſtitutis, ea aggeribus valliſq;, ex cratibus aggeſta terra excitatis, munirent. Poſtremò, quæ prima legionũ peruenifſet, indicium excitatis ignibus faceret: & ſi pars quæpiam munitiones tranſgrederetur, vt reliqui certiores eius fieri poſſent, principes vicinam oppido molam (quod genus his locis vſitatæ, vento in exerta longiuſculè brachia delato circumaguntur) illatis facibus ſuccenderent.

Exercitus cur tripartitò diſtribuitur.

Dvm hæc agerentur, IIII. Cal. Iunij Oldenburgicus ad Hogaſpam pagum copias ſuas recenſuit: vnde collectis vaſis quum poſtridie mouiſſet, eodem die prope vicũ Tinsbuttelium, qui ab Aluerſtorp dimidio diſtat miliari, in hoſtico cõſedit, quintis iam caſtris eò perueniens. Sub idem tempus ad principes Sebaſtianus Erſamenus Lubecenſiũ legatus, quibus erat à ſecretis, in caſtra venit. Is ciuitatis ſuæ nomine, ſi rationes vllæ iniri poſſent, vt pacatis vtrinq; animis & pace facta, ab armis diſcederetur, ſe interceſſurum offerebat: permiſſuq; ducum Hammam miniſtrum ſuum miſit, commeatum expetens. Quem datis eum in vſum literis impetrauit, quibus agreſtes arroganter ſubſcripſerant: *Nos ſummi duces, præfecti, & adminiſtratores belli, nunc temporis Hammæ commorantes.* Eius autem miniſter quum ſub præſidio (quò tutior eſſet) eò deduceretur, leui cum hoſtibus contracto certamine pugnatũ. Ceciderunt ex Dithmarſis nonnulli, ex Holſatis vnus duntaxat ignobilis & gregarius eques, & ictus præterea glande nobilis Luneburgicus, ex familia Sporchia, ſed vulnere non lethali. Erſamenus verò, quia intelligebat, principes oppugnationem propediem auſpicaturos, nec propter interceſſionem ſuam quicquam intermittere velle, liberè tutoq; abeundi accepta licentia, caſtris excedens domum reuerſus eſt. Itaque, vt ſtatutum erat, poſtridie calendas Iunij, vergente in occaſum Sole, horam circiter ſextam caſtris exitum eſt. Primi viam ingredi foſſores, eos comitari ala Theodorici ab Holle, cum cohortibus quaternis, inde tormenta curulia pro-

Lubecenſes pacis cõſtituendæ ſtudioſi, nihil agunt.

moueri,poſt ea pontes nauales vehi,hinc prætoria inferri ſigna,poſtremò legiones ternæ ſuccedere. Inter eas præibat Schonueſiana, hanc in medio Reimarus a Valde excipiebat,extremã occupabat Valtérthumbius. At ſummus dux belli Ranzouius, cum ſignis quatuor & magiſtró caſtrorum progreſſus, ſecundum collem damnatorum ſupplicijs deſignatum,vallos aliaq́; ſubitaria munimenta, quàm poteſt óccultiſſimè, perficit. Porrò Schonueſius, cum foſſoribus nonnullis & viæ duce Bartordo Petri,primus pontes nauales traducit, & ad hoſtium munitionem penetrat. Eum reliquæ duæ legiones & equites Theodorici ab Hollen inſequuntur.

Graue ab altis paludibus periculum.

SED nimia vſus feſtinatione Schonueſius, dum ſperat, antequam diluceſcat, ſe pontes iacturum, in extremum vitæ periculum cum legione ſeſe præcipitat. Vbi enim omnem itineris difficultatem eo adminiculo iam ſuperauit, & viæ dux Bartoldus, quòd ab vna munitionis parte hoſtes vehemẽter tormentis infeſtarent accedentes, vt equum aſcenderet, quem pedibus abiens à tergo reliquerat, eſſet retrogreſſus, per militem Dithmarſum, opinione declinandi ictus tormentorum, in profundas foſſas cæcaſq́; voragines abducitur. Inde militibus, collo tenus abſorbẽtibus vndis, ferè enatandum fuit, adeò vt mirum ſit quomodo emerſerint. Enimuero niſi Theodoricus ab Holle, cum turma ſua ſuperatis foſſis eò aduolans, palantibus maturè opem tuliſſet, vniuerſa ea legio occidione occiſa fuiſſet. Is in difficili & periculoſo illo certamine, quo milites, quòd (madefacto aquis puluere pyrio) ſclopettis vti nõ poſſent, bis ab agreſtibus reiecti ſunt, traiecto pila crure vulnus accepit. Schonueſius quoq;, dum optimi ſimul ducis & militis fortiſſimi munus ſedulò implet, ſuoſq́; cùm voce tum exemplo incitans, framea in hoſtes ſtrenuè rem gerit, breui æneo tormẽto, quaſi ſemifalcone, traijcitur: ex quo vulnere quarto pòſt die mortem obijt. Nec mora, reliquæ mox ſuccedunt legiones, atroxq́; illic & cruentum valde oritur certamen, quo diu ancipiti, ad ſeſquihoram circiter diſplofis continenter vtrinq; tormentis & bombardis, acerrimè pugnarũ eſt. Tandem verò Dithmarſi exhauſti viribus, pedemq́; referentes, in fugam ſeſe conijciunt, milites per munitionem ſubeuntes in oppidum irrumpunt.

Ignis acceſſi ſignum.

DVM hæc incerta æquato diſcrimine pugna duraret, mola ad oppidum, vti cõuenerat, iniecto igne per Henricum Ranzouium incenditur, vt eo conſpecto ſigno Oldenburgici accedere, ſocijſq́; ſubſidio venire maturarent. Ita namq; erat conſtitutum, vt tribus ſimul locis oppidanos aggrederentur, à latere Schonueſius, à tergo Oldenburgicus, à fronte Ranzouius ſummus dux belli, cũ rege & principibus. Cui rei optimo conſilio inſtitutæ, prẹter fiduciam mora allata eſt, dum illi lentius quàm res exigeret, iter faciunt. Ferunt penes milites eius moræ culpam fuiſſe, qui progredi aliquandiu recuſauerint. At Iohannes Ranzouius & Vriſbergius, dum in foſſis ſuperandis Schonueſiani laborarent, directis prius in hoſtes, impulſiſq́; tormentis vniuerſis, pedeſtres quatuor exhortati cohortes, ex cõſtituto rectà in oppidum impetum fecerunt. Ipſe Ranzouius ingentis indomitiq́; animi, & inuictæ fortitudinis prẹclarus dux, vt legionem in profundo luto foſſiſq́; hærentem opportuno & tempeſtiuo auxilio ſubleuaret, equo ſe in pedes demittens, prima in acie inter milites audaciſſimè dimicauit. Eo etenim modo milites nonnihil cunctãtes pudore ſimul & æmulatione accendi poſſe putabat, ne ſe ſummũ ducem belli pedibus in hoſtes intrepidè vadentem deſtituiſſe, minuſq́; ſtrenuè & confidenter ſecuti eſſe perhiberentur. Neq; eum decepit opinio. Nam mox concitato vehementer inuecti impetu milites, pellendiſq́; agreſtibus pertinaciter incumbentes, tametſi hi membris toroſis lacertiſq́; grandibus, & viribus indefeſſis, (quãtum à viris fortibus in extremo ſalutis diſcrimine poſitis fieri præſtariq́; potuit) obſtinatiſſimè pugnarent propellerentq́;, nec ſtationes ſuas, quam quiſq; fortitus eſſet, fuga deſerere, ſed corporibus tegere cogitarent, quum ne vno quidem confecti vulnere ad terram ſtatim proni caderent, tamen nudato tãdem propugnatorum corona, ſuperatoq́; vallo, & portis refractis, in oppidum irruerunt. Quo expugnato portiſq́; recluſis, confeſtim Adolphus tribus quatuórve comitatus equitibus inuehitur, poſt eum rex cũ ala prætoria & Henrico Ranzouio, inde vtraq; ducum turma.

Dux ex equo deſiliẽs pedeſtribus ſe exæquat.

Meldorpa violenta irruptione capitur.

IN primo irrumpentium furore & impetu, quicquid in oppido eiuſq́; circuitu reper-

repertum, trucidatū eſt, viæq́; omnes, plateæ & domus, cruore fœdatæ & funeribus repletæ. Nec ipſis quidem fœminis parſum, quum multę earum ab indignante milite interficerentur, plures oppido exigerentur. Nam & tunc, quum cæſi ſpoliarentur, & antea, exploratò erat cognitum, nonnullas ex ipſis indutas armis, viriſq́; immiſtas, ſuprà quam animus muliebris & natura ferret, pro ſtationibus præliatas eſſe, fœminamq́; vnam milites duos vnum poſt alterum cultro confodiſſe. Ita incredibilis libertatis patriæq́; amor, omnem innatam eo in ſexu mollitiem & formidinem ſuperauit. Ceciderunt aūt in ea oppidi expugnatione, ex Dithmarſis circiter quadringentos: ab altera parte, & qui in pugna cæſi ſunt, & pòſt ex vulneribus obierunt, penè centum: Inter quos fuit Iohannes Strugmannus Danus, militum præfectus. Occubuit quoque Volffgangus Schonueſius (vti diximus) conſtanti animo & egregia fide dux, & Danielis Ranzouij præfecti militum ſignifer grauiter ſauciatus. Enimuero, niſi ſegnis ea militum in accelerando interceſſiſſet ceſſatio, & quo decretum erat modo, triplex eodem tempore inchoata fuiſſet oppugnatio, concluſis vndiquaq; agreſtibus nulla effugiendi patuiſſet via, & ad vnum omnes, quotquot in oppido eſſent deprehenſi, in hoſtium manus deueniſſent.

Mulieres armata propugnantes.

At qui equitum incurſu auerſa oppidi parte eiecti, in fugam ſeſe effuderunt, eò deflexere quò Oldenburgicus cum ſuis aduentabat. Hi ſigna nouem explicantes, vicena circiter tormenta grandia ſecum ducebant: & quum elabendi viam aliam nullam conſpicerent, rectà in comitem ibant. In quos equitatus delatus impetum fecit, Mauricijque Ranzouij ala ad trecentos eorum cæcidit, & tormenta præterea parua grandiaque quinque & viginti, & magnam vim pulueris ad tormenta impellenda perfecti, ſignaque non pauca ademit. Ita III. Non. Iunij ante horam vndecimam diurnam, Meldorpa capta & expugnata eſt, eiuſq́; propugnatores & incolæ, partim interfecti aut capti, partim fuga elapſi ſunt. Stetere aliquantiſper inſtructa acie in oppido milites, quòd agreſtes ad amniculum quēdam ex fuga confluere conglobarique nunciarentur: ſed iis (vt dictum eſt) per immiſſos equites diſiectis, permiſſum militibus ad direptionem & prædam diſcurrere. Hi verò ingruente veſpera oppido egreſſi, prope illud Septentrionem verſus foris conſederunt, intus remanentibus equitibus. Oldenburgicus in pago Ameſphurto in auſtralem à Meldorpa plagam tetēdit, nec procul inde Mauricius Ranzouius. Inſequenti die, propter contentionem inter equites peditesque ortam de præda, quam omnis generis opimam & variam (nam eò accolæ, vt in locum tutiorem, ad primum belli motum opes fortunaſque ſuas omnes cōtulerant) nacti erant, in oppido mora tracta eſt. Milites enim, quia ſuo potiſſimùm periculo & labore eius diei victoria ſtetiſſet, dum ipſi, propter perpetuas interiacentes foſſas, equis adactis hoſti cladem inferre non poſſent: excluſis equitibus prædam quoque omnem ſibi vendicabant. Sed eo graui & periculoſo tumultu (vix enim præfectorum interceſſu & obteſtationibus contineri poterant, ne ad arma conſternari in ſeſe verterentur) principum imperio atque autoritate vtcunque ſedato, conſtitutum vt poſtridie vniuerſæ copiæ oppido Brunsbuttelio admouerentur. Id verò, quòd meliora eſſent capta conſilia, in tertium diem reiectum dilatumq́; eſt. Quippe Reimarus à Valde cum cohorte vna, & Blanchenburgus cum equitum ala, ad Nicolaum Ranzouium Albis fluminis ripas tenentem miſſi: vt iunctis cum eo viribus, quando ſummus belli dux à fronte cum maiore exercitus mole expugnando Brunsbuttelio incumberet, ipſi à tergo impreſſionem facerent. Namque hoſtes circumuallatos vndique facilius opprimi, & intercluſo ita aditu, ne reliqui Dithmarſi ſubſidio & ſuppetiis ferendis aduolarent, prohiberi poſſe iudicabant. Hi igitur Dithmarſia egreſſi, capto per Holſatiam circuitu (ne id quod agere animis deſtinauerant, ab agreſtibus animaduerteretur) ad Nicolaum peruenıunt.

Meldorpenſes profugi, in hoſtes incidunt.

Contentio de oppidi capti præda.

Interea temporis caſtra inſpecta, mortui collecti numeratique ſepulturæ traditi ſunt, obiterque deliberatum de impedimentis quid ageretur, & porrò hoſtes qui in Hamma aliiſque locis Dithmarſię altioribus ſeſe communiuerant, quomodo eſſent inuadendi. Schonueſij quoque defuncti cadauer, quemadmodum ipſe vita excedens rogauerat, in Holſatiam aſportatum, & honorificè (vt decuit)

Refertur de inuadendis aliis Dithmarſorum oppidis.

Itzohoæ tumulatum eſt. Deduxerunt equites quadraginta, quos principes ad id muneris obeundum delegerant. Quia enim agreſtes vias omnes & itinera, vt commeatum intercluderent, poſitis diligenter vbique cuſtodiis obſederant, verebantur, ſi cadauer fortè interceptum in manus eorum perueniſſet, ne in id more ſuo ſæuitiam immaniter exercerent. In eius locum Chriſtophorus Vrisbergius legioni præfectus eſt. Hunc principes deſignauerant: & tametſi omnium ferè animi in Danielem Ranzouium, fortem & egregium virum, eſſent proclinati, eumque vt præclara generis nobilitate & ſingulari militiæ ſtudio conſpicuum, præfectura ea dignißimum iudicarent: tamen is in gratiam regis, etiam refragantibus nonnihil militibus, ipſi prælatus eſt, ne per Ranzouios omnia eo bello ſtare & adminiſtrari viderentur.

Cur Meldorpa tam paruo præſidio firmata.

PORRO ex captiuis cognitū, habuiſſe agreſtes clandeſtinum in caſtris principum ſpeculatorē, qui ipſis retulerit, conſtituiſſe principes nocte ea, quæ expugnationem Meldorpę anteceſſit, modicum militum equitumq́; agmen Tilebruggam mittere, qui ibi hoſtes cōgrediendo diſtinerent, reliquas verò copias omnes quàm occultiſſimè ad Hammam inuadendam ducere. Quamobrem miſiſſe eius oppidi defenſores habitatoresq́; eadem ſtatim nocte ad Meldorpanos, qui ea nunciarent, & tam præſenti imminente periculo ex pacto opem implorarent: eorum aūt è numero quingentos, omni armorum genere pro more ſuo inſtructiſſimos, vix dum oriente Sole, eò profectos eſſe. Ea vana opinione deluſi agreſtes, impellente procul dubio diuini numinis ira, & ad pœnā iam pridem meritam vocante, ſuum ipſorum oppidū præſidio eo detracto nudarunt. Ex quo intelligitur, quàm ſalubri & vtili conſilio decretum fuerit, vt, emiſſis nonnullis copiis, inuadēdi illas munitiones ſpecies agreſtibus præberetur, qui hoc modo decepti, alij aliis opem maturā (vt neceſſitas poſtularet) ferre nequiuerint. Etenim eſt credibile, ſi vnum in locū conſociari omnes vires ſuas & robur contuliſſent, potuiſſe eos aliquam fortaſſe cladem hoſtibus inferre, aut certè maiore conatu & ſucceſſu minus infœlici ſeſe defendere, & difficiliorem multò luctuoſioremque aduerſariis efficere victoriam.

TERTIO poſt captam Meldorpam die, ſummus dux belli cum cohortibus legionariis, Oldenburgici, Vrisbergij, & Valterthumbij (quibus cum ala ſua aderat Mauricius Ranzouius) motis caſtris oppido excedit, & ad riuulum quendam, vbi aquabantur agreſtes, & munitionem fecerant, haud procul Brunsbuttelio cōſidet. Quò quum propius acceſſiſſent, ſpeculaturi qua ratione ſub exortam primùm lucem rectiſſimè oppugnarent, equus Vrisbergij, quo vehebatur, glande ſclopetto emiſſa, interficitur. At poſtridie (qui dies erat ſeptimus Iduum Iunij) prouecti vlterius ſecundum Albim, vt hoſtem aggrederentur, ſabuloſum & ſatis ſolidum inueniunt vadum, vbi nullum antea fuerat. Id conſpicati agreſtes, protinus deſertis munitionibus fugam arripiunt. In quos adactis equis ſeſe inferunt equites, & nonnulli quoque milites per circuitum viam intercipientes ſeſe obiiciunt: ita vt illo etiam die ad quadringentos eorum cæſi & profligati ſint, ſignum vnicū ereptum. Agreſtes verò vehementer fugæ inſtiterunt, vt inſequentium vim euaderent. Erāt ſuperioribus diebus plauſtra militari annona onuſta ab his multa intercepta, fuerantq́; cōmeantibus ex caſtris admodum infeſti: & in primis nobilem regium puerum, ex gentilitio Qualiorum in Holſatia ſtemmate, à regina literas ad regem filium deferentem, duobus medium globulis tranſadegerant. Neq; ex vulnere tamen ſtatim vita defecit: ſed ab eo infauſto ipſi loco, qui circa molendinum fuit ad dimidium à Meldorpa miliare, in vliginem ſiue lacunam paluſtrem euadens, literas incolumes regi pertulit, alteroque poſt die animam efflauit, & Meldorpæ humatus eſt.

Dithmarſorū alia clades.

Aliud oppidum & captum.

CÆTERVM ſummus belli dux, cum legione Oldenburgica Brunsbuttelium adortus, id vi capit, hominum autem ferè neminem reperit, quòd omnes capta fuga illinc metu hoſtium profugerant. Nicolaus quoque Ranzouius, vbi de conſiliis ſociorum accepit, cum Reimaro à Valde & Blanchenburgo, ex Vilſtermarſiæ finibus copias eò ſtatim traduxit. Blanchenburgi autem turmam ſummus dux belli, quò firmiore illa præſidio tenerentur, ad principes in caſtra remiſit. At milites, quum tam proſpera conatibus illorum fortuna aſpiraret,

raret, excurrere, prædaſque agere cœperunt, in primis Oldenburgici. Quo temporis momento, quum Valterthumbius quoque cum ſuis ſuperueniret (qui horis antemeridianis hoſtes anteuertens ſeſe ipſis obiecerat, eaque interueniente mora poſt ſocios nonnihil fuerat relictus) eius ſclopettarij Oldenburgicis ſeſe cõiungunt, & iniuſſi in hoſtes progrediuntur, exiſtimantes, ſe agreſtes penitus fuga diſiicere & cõcidere poſſe. Sed quoniam horam circiter octauam aut nonam iam veſpera præcipitabat, belli dux cum Oldenburgico aliiſque præfectis reliquos milites educere noluit: verùm communibus ſuffragiis decreuerunt, ſub primam exortę diei lucem omni illata vi hoſtes laceſſere: pugnæque aleam ſubire. In oppido itaque belli præfectus cum Oldenburgico pernoctauit, Valterthumbius ad pagum proximum tentoria fixit. Eadem nocte Blanchenburgi vicarius cum ducentis equitibus ex caſtris prętoriis Boecelenburgum mittitur, vt qui hoſtium iſthac fugiendo, manus militum euaderent, eos ipſe turma ſua exciperet conficeretq́. Quam ad rem & Mauricius Ranzouius, cum delecta trecentorum equitum ala, in loca terræ aridiora à patruo duce belli collocatus eſt.

Itaqve inalbeſcente cœlo, paratis ad pugnã animis, ſtatim moueri cœptum: ſed hoſtiũ pars maxima iam noctu profugerat. Quadringẽti circiter agreſtes, cum puerorum imbelliũ & mulierum turba, ad caſas duas, quæ totæ palude & aquis penitus circumfundebantur, confluxerant, ductiſq́ foſſis, & ſubitariis factis munitionibus, ex plauſtris coactis, centonibus, ſtragulis, culcitris, aliaq́ materia promiſcua (vt quæque ſors obtulerat) intra eas aduerſus hoſtilem vim & impetum ſeſe continere & defendere parabant. Poſteaquam aũt legionibus vndiquaque circumdari, & quaſi indagine ſe claudi conſpiciunt, protinus arma abiiciunt, & ſine conditione vlla ſeſe dedunt. Quos Ranzouius dux belli vbi videt nudos atq́ inermes maximè eſſe homunculos, ſubitò rem omnem ad principes defert. Ea dum ita geruntur, rex cum Iohanne duce Holſatiæ ſuperuenit, atq́ ſtatim, ſubeunte generoſum atq́ ſublimem eius animum commiſeratione, vt data impunitate in gratiam recipiat, calamitate & miſeria illorum permouetur. Neq́ tunc tamen certi quicquam de captiuis decernitur, ademptaq́ eodem die hoſtibus ænea tormenta campeſtria ſeptem.

Imbellis ſimul et vnà ſunt dedititio.

Poſtridie eius diei, quum hanc ob cauſam in conſilium eſſet ventum, reſque multùm diſceptaretur, duces ambo annis animiſq́ florentes, cum nonnullis oratorum ſuorum (inter quos erant Breda Ranzouius & Bertramus Seſtedius) facilè permiſiſſent mox interfectos fuiſſe: vt nempe tam execrabili & ſæua, nullamq́ clementiam promerita ex gente prognati, tot præclaris & illuſtribus maiorum ſuorum animis, quaſi inferiæ, eſſent mactati. Tandem verò quum Ranzouius reuerſus huic deliberationi interueniret, diceretq́ crudele omnino & tyrannicum eſſe, eiuſmodi homines dedititios trucidare, eiuſq́ ſententiæ rex accederet: vnanimi conſenſu eſt ſtatutum, vt primoribus exemptis (qui in Holſatiam traducti, diuerſis in arcibus ad exitũ belli cuſtodiæ traderentur) reliqua multitudo aceruatim, cum liberis coniugibuſq́, in naues collata Albim traiiceretur. Ita vnius ferè hominis clementiore iudicio iis omnib. vita impetrata, & tot animæ à præſenti morte ſeruatæ ſunt: mandatumque legato ſummi ducis belli, vt is eam rem procuraret: & miſſa iuramenti formula, in quam conceptis verbis captiui iurarent, priuſquam dimitterentur.

Deliberatur quid de captiuis fieri debeat.

Postea placuit mox omnibus, vt tempore pomeridiano in ſenatum redirent, conſultarentq́, redacta iam in poteſtatem auſtrali Dithmarſiæ plaga, qua ratione hoſtes, qui in oppoſita ora Boreali, collatis eò omnibus ſuis viribus, diligentiſſimè ſeſe firmiſſimeq́ communiuiſſent, & extremam ibi fortunam ſuam periclitari ſtatuerent, porrò inuadere & perſequi oporteret. Eodem tempore quidam ex ſtatione vigilum Dithmarſicorum ad hoſtes transfugit: quo referente cognitum eſt, ſtatuiſſe priori nocte agreſtes, incenſo per mulieres oppido, in caſtra prætoria repentino facto impetu inuadere, in quibus ad Meldorpã principes cum mediocri præſidio remanſerant: ſed dum in itinere fuiſſent, oborto inter eos terrore, ſupra cẽtum abiectis armis rebuſq́ omnibus in pedes ſe conieciſſe & profugiſſe. Quare deiectos animis perturbatoſque cæteros incepto deſtitiſſe, & mox quò venerant regreſſos eſſe. Eius conſilij, tametſi vani & irriti, haud abſurdæ tamen fuerunt rationes.

Refertur de reliqua Dithmarſia bello petẽda.

Audax agreſtiũ conſilium.

Sciebant enim agreſtes, maximam copiarum partẽ fortiſſimamq́; inde abductam eſſe, eamq́; duntaxat legionem præſidio caſtris relictã, quæ nuper in oppugnatione Meldorpæ, amiſſis pluribus viris egregiis & fortibus, vehementer imminuta attenuataq́; graue vulnus accepiſſet, ita vt eam facilè ſuperari & opprimi poſſe, minimè diffiderẽt. Præterea vnico ſaltem hoc modo, ſi eo accepto rumore hoſtes irrito conatu cœptis abſiſtere, & ad defenſionem & ſubſidium principum celeriter reuerti cogerentur, ſe ſuis in ſupremo verſantibus diſcrimine opem ferre poſſe, perſpiciebant. Neque ſanè abhorret omnino à vero, quemadmodum aptius vtiliúſve tum nihil ab ipſis quiuit excogitari, ita euentum quoque pro votis feliciter potuiſſe reſpondere, ſi eo modo quo erat deliberata res, geſta & adminiſtrata fuiſſet.

Contẽtio de præda inter milites recrudeſcit.

REVERSO autem in caſtra legato ſummi ducis belli, vehemens & turbulenta denuo de præda contentio exarſit, his vt diuideretur, illis vt venderetur flagitantibus. Et quãquam principes, quicquid ad eos cùm iure ſuo, tum equitatus prætoriani nomine, redire poſſet, id omne vltro ipſis remitterent cõdonarentq́; : tamẽ neq; ita ſubortus in caſtris tumultus cõpeſci & cohiberi potuit. In eam demum ab omnibus ſententiam itum conſenſumq́; eſt, vt ſingulis ex decuriis ſinguli prædæ præfecti deligerentur, qui in caſtris ad partiendum interim exuuias manerent: eóque pacto turba ſedata eſt. Quare progredi, & hoſtem, donec omnino eſſet profligatus victuſq́;, proſequi decernitur. In primis per delectos belli conſiliarios hæc ratio inita & inſtituta. Oldenburgicus cum equitatu peditatuq́; ſuo, & Mauricij Ranzouij turma, in principum caſtra ad Meldorpam reuerteretur, ibi ſubſiſteret, & tormentorum cuſtodiam ageret. Idibus deinde Iunij, quum primùm diluxiſſet, hoſtibus ſimulatò ſeſe oſtenderet, quaſi Hemmingſtadium, ad id oppidum oppugnandum, omnibus viribus contendere, viamq́; eò ferentem ingredi vellet, vbi Iohannis Danorum regis vniuerſus olim exercitus cæſus fuſuſq́; eſt: vt ita hoſtibus ſuſpicio inijceretur, ipſos quoque eadem via illos aggredi cogitare. Pridie aũt Idus ternæ cum principibus legiones; & ala Blanchenburgi, horam circiter tertiam vel quartam à meridie, rectà Tilebruggam irent, eoq́; in loco in hoſtes impetu facto irruerent.

Vnus cæterorum conſilio non paret.

At his aduerſatus Oldenburgicus conſilium turbauit, qui morari in caſtris abnuit, vt pro ſe quoq; aliquam bello gloriam ſibi venaretur, nec deſes & quietus alieni laboris bellíq́; ſpectator in tentoriis deliteſceret. Ex quo illud incommodi conſecutum, quandoquidem facta commutatione Valterhumbium cum ſuis ad caſtrorum tormentorumq́; cuſtodiã relinquere oportuit, & milites potando ſeſe largius aliquanto inuitaſſent, vt plurimi ex ipſis in caſtris permanſerint, nec dimidia pars vexillum quiſque ſuum ſit inſecuta. Quæ res principibus cauſam præbuit vt diuiius in itinere hærerent, dum reliqui aduenirent. Milites enim quotquot in via iam erant, ſemel atq; iterum ſigna ſiſtentes progredi recuſabant: ita vt rex vehementer incandeſceret, diceretque ad circumſtantes, nebulones eos facturos, vt belligerare in poſterum ſe pœniteret. Luberet quidem, aiebat, in bellica hac palæſtra exerceri verſarique diutius: ſed eiiciam animo eas cogitationes. Soluta illis ſunt ſtipendia, obligati ſunt nobis: & has turbas concitant. Quid facerent, ſi nos obſtricti ipſis aut obærati eſſemus? Enimuero, de præda quòd altercantur, ad nos quid attinet?

Ordo progredientis exercitus.

EXINDE imperatum ſigniferis, vt prælatis vexillis ipſi progrederẽtur: quo viſo milites ad continuandum iter excitabantur, idq́; eo ordine confectũ: Primã aciem efficiebat ala Blanchenburgi, ei Vritzbergius cum legione Schonueſiana ſuccedobat, tormentiſq́; duodenis minoribus, nec non pontibus naualibus vniuerſis & foſſoribus. In medio equitabant principes cum turmis prętorianis, eas reliquæ duæ legiones comitabãtur, agmen claudebat equitatus Oldenburgicus. Iter verò extendentes in vetera caſtra ad pagum Aluerſtorp direxerunt, quòd illic pontes nauales nonnullos reliquiſſent, eoq́; in loco aliquandiu ſunt cõmorati. Ibi præfecti tribunis militũ & decurionibus denunciant, prędam poſthac eius fore qui eam ab hoſte cepiſſet, eo tamẽ pacto & cõditione, vt ne antè ad prædã diſcurſus fieret, quàm hoſtis eſſet profligatus. Vix orta luce, relictis caſtris Tilebruggæ approperant, quam duplici oppugnatione aggredi in conſilio erat decretũ. Ranzouius aũt præfectus belli, comitantibus nonnullis, propius equo aduectus, ſpeculatur qua parte munitio

hoſti-

hoſtilis tutiſſimè inuadi poſſit. Ea erat vnicum ſaltem propugnaculū, aggere præducto & palude voraginoſa foſſaque munitum, ad quod vnicus omnino erat aditus, in quem tormenta ſua agreſtes contulerant. Gloriabantur illi, hoſtes ſuos eo loco ſæpius à ſe profligatos & deletos eſſe, quum irrumpere tentauiſſent. Quod ſi tūc quoque Holſati incautius in eam ſe viam intuliſſent, nec ipſi fuga deſeruiſſent, munitionem fortaſſis detrimento & clade aliqua inſigni afficere potuiſſent. Aderant autem rari propugnatores, qui cuſtodiæ duntaxat erant relicti, quum reliqui decepti errore Hemmingſtadium confluxiſſent, vt ſuis ſuppetias ferrent, in quos illic omni mole irruituros hoſtes credebant. Illi vbi vident hoſtes accedere propius, extemplo munitione deſerta in fugam præcipites ſe cōferunt: milites verò gregarim ingruentes iter ſibi vi aperiunt, aggeremque demoliuntur. Subit inter primos ipſe ſummus dux belli pluribus comitatus: viaq; facta penetrantes quum ad vicū quendam perueniſſent, ibi nonnullos ex agreſtibus offendunt: quorum parte maxima interfecta, ex ſuis quoque aliquot glandibus traiectos deſiderant.

Telebrugga à propugnatoribus, ob paucitatē, deſeritur.

INTEREA cum ala ſua Blanchenburgus aduenit. Habebat multis indiciis pro comperto & explorato Ranzouius, pagum eum & oppidum Heidam nihil intereſſe (vbi hoſtes ex fuga reſiſtere, & in arma ſeſe colligere poſſent) præter vnū amniculum, quem propter palus eſſet. At quia itineris monſtrator nullus erat in promptu (exploratores enim poſt tergum procul aberant) eum filius Henricus Ranzouius, quocum Haruardus Langius erat, ſubmonuit, militē ſe ex itinere allocutum eſſe, qui notam ſibi viam diceret. Hoc milite duce cum quinquaginta fermè equitibus eò contendit, repertuſque quem diximus amniculus deſertus: quo traiecto, per nuncium Blanchenburgo ſignificat, amniculum à ſe teneri, vtque accedere maturet hortatur. Regem quoque duceſque de eo certiores facit: qui non diu morati, celeriter vltra amnem proſequuntur. Iamque equitatus penè vniuerſus tranſmiſerat, militum verò plerique poſt tergum aberant longius, quum ad pernoctandum in oppido Heida (neque enim ineſſe quenquam arbitrabantur, qui contra ſe arma ſumere auderet) loca atque hoſpitia inter ſe ſortiri inſtituunt, ortaq; inter cohortium turmarumq; præfectos altercatio, quum neutri alteris ſe permiſſuros contenderent, vt ipſi ſoli oppidum tenerent. Quam contentionem ita diremit Ranzouius belli dux, vt equites pediteſque ſimul in eo pernoctarent, cum ſuis in primis principes, deinde pars vna equitum, altera militum.

EST verò oppidum Heida celebri eius loci emporio, & ædificiorum ſtructura atque elegantia, omnium in Dithmarſia ornatiſſimum: in quod intermedium ferè incolæ ex omni ea ora ſtatis diebus ad mercatum coeunt: ſolebantque in eodem cōuenire ſingulis hebdomadibus, ſeptimo quoque die Saturni, quadraginta octouiri, & negotia procurationis ſuæ expedire. Huc permiſſu Ranzouij Iacobus Blanchenburgus & Aſcanius ab Holle, qui voluntariorum equitum duces erāt, exploratum proficiſcuntur: & nacti in itinere mulieres, quæ Blanchenburgo mulſum porrigerent, ex iis cognoſcunt, viros in oppido eſſe: quumq; caſtrorum præfectus propius oppidū adequitaſſet, cum eodē ad ſuos ſe recipiunt. Quaterna enim agreſtium ſigna eminus conſpexerant, quæ incitato curſu ſe perſequerentur: faſſiq; poſtea ipſi ſunt agreſtes, ſe in turri miniſtrū ſacrorum habuiſſe, qui capitis ſui periculo ipſis affirmauerit, ducentos tantummodo aduenire equites: quæ cauſa fuit tam audacis eruptionis. Hoſtes quoque poſt collem abditi ita latebant, vt conſpici ab ipſis non poſſent. Ea quatuor vexilla cum paucis tormentis, quæ ſecum aduexerant, vbi longius progreſſa ſub equitum conſpectum venerunt, qui nuncio eo accepto vix acie inſtructa, vnaquæque ſeorſim turma, vt eò acriorem in hoſtes impreſſionem facerent, conſtiterant, pedem referre cœperunt. Tum verò equites, adactis repentè calcaribus equis, in vertentes terga agreſtes inuecti prouolant, ſtragemque faciunt. Rex deſignatus cum equitatu prætoriano ſecundum collem, ad cuius latus læuum palus erat, rectà à fronte contra locum eum, quo tormenta ab hoſtibus erant collocata irruit, ipſe primo in ordine decoris & fulgētibus armis generoſo in equo conſpicuus. Ad eius vtrumque latus hinc inde Iohannes & Adolphus duces conſanguinei ſeſe inferebant, & ipſi ferè à fronte in tormēta euntes. Ioachimus autem

Heida oppidū celebratū.

Blanchenburgus, capto retrorſum ambitu, Adolphi turmam circumuectus, oppidumque petens, inter illud & equites prætorianos ſe medium cum alariis ſuis conſtituit, ita vt hoſtium nemo ad oppidum penetrare poſſet.

ITAQVE hi ferme omnes trucidati, ad octoginta ſaltem nonagintáve circiter in paludem, quæ regiæ turmæ à ſiniſtris erat, fuga elapſis: quanquam & eorū complures, dum interim ſclopettarij aduenirent, ab ipſis interfecti ſunt. Atque ibi ſpectare fuit, milites duos, quum bombardas diſploſiſſent, vni agreſtium terga dare. Nec mediusfidius inter arma & tela militaria in extremis ponenda eſt haſta oblonga, ei qui probè ſcienterque vti nouerit: quemadmodum hoc bello cognitum eſt. At ſclopettarij, quoniam ſequi recuſando diu fuerant tergiuerſati, plurimiſque ſubſiſtentibus cunctanter admodum & ſegniter iter faciebant, ipſi turmam prętoriam regis, dum ab altero latere hoſtem fugientem perſequuntur, vulneratis equis non leui detrimento affecerunt. In eo conflictu fortes in primis & clari viri, ſub prætorio præſertim regis vexillo, aut illatis vulneribus ſauciati, aut cæſi ſunt. Iohannes Truzius Danus equitum magiſter, quum primum in hoſtes impetum feciſſet, equo lapſus grauiter in pectore lancea vulneratus eſt. Nicolaus Truzius globo per corpus adacto traiectus, ſed vulnere non lethifero. Ericus Podebuſchius, & ipſe Danus, nobili ortus ſanguine, ad latus regis glande ictus cecidit: eodemq; fato Andreas quoque Friſius occubuit.

Haſta oblonga ad pugnā aptiſſima.

CÆTERVM dum fugientium paſſim veſtigiis inſiſtitur, faucij & exanimes abducuntur, ecce nouem agreſtium ſigna ſeſe in conſpectum dant. Quę vt lōgius ſub incurſum equitum patentem in campum proueherentur, vniuerſæ equitum turmæ poſt colles (ij omnino tres leuiter aſſurgentes non procul oppido imminēt) ſeſe recipiunt occultantq́;, ne ſtatim ab hoſtibus conſpiciantur. Militum quoq; cohortes, quotquot iam aduenerant, cōpoſita ad prælium acie conſtituuntur, quos ſummus belli dux aliquandiu moratus ſic continuit, quò hoſtes vlterius ſeſe effunderent. Illi eum tormentis ſuis alacriter oppido egreſſi, penè ad tormenta vſque hoſtilia procedunt, vix triginta aut quadraginta paſſuum interuallo ſegregati. Ibi equites iterum fortem & egregiam gnauiter operam præſtant, & in hoſtes irruunt. Regia turma, ne per medias cohortes perrumpere cogatur, reflectit ſeſe, & ad læuam oppidum prætergreditur. Reliqua ſigna prætoria & ala Blanchenburgi, idem verſus oppidum ad dexteram ſeſe inferunt, ita vt ex hoſtibus nōnulli inter equitatum & milites medij intercluderentur. Hi in pratum foſſis & aggere paruo cinctum recedere: ibiq́; viriliter & impigrè ſeſe defendere, vſqueadeo vt quatuor in illos ſigniferis impetum facientibus, vni eorum ſignum, quum id trans foſſam ſaltu ſubſecuturus, in terram ante ſe fixiſſet, eriperent, ad reliquos, aggerem foſſáſq; contis tranſuolantes (cuius rei vſu longo & aſſuetudine peritiſſimi ſunt agreſtes) ſeſe eiicerent, eos quoq; cum ſociis in fugam compellerent. Id Adolphus conſpicatus, quum non procul inde equo inſidens ad colliculum ſubſtitiſſet, cum paucis, quos ad corporis cuſtodiam iuxta ſe habebat, aduolat, manu ſigniferos corripit, vtq; in hoſtem ſeſe conuertant, inclamat, in hæc prorumpens verba.

Agreſtium ſubſidia fortiter pugnāt.

Milites fugam capeſſunt.

AN vos, ſigniferi atque milites, viros armis exercitatos, & militiæ ſemper deditos, agreſtibus & ignaris rei militaris hoſtibus, imò vndique concluſis & iam propè victis, tam turpiter terga præbere non pudet? Vultis nouo dedecore & ignominia culpam, quam dudum haud leuem in itinere progredi tergiuerſantes commiſiſtis, accumulare & exulcerare? Eſte memores honoris & exiſtimationis veſtræ, ſiſtite fugam, ſigna in hoſtes ſemiuictos conuertite, ſi noxæ priſtinæ & iniuriæ memoriam, fortiter & intrepidè audendo, abolere & extinguere cupitis. Quod ſi feceritis, fidem do vobis, quæcunq; nocte præterlapſa minus rectè & obſequenter perpetrata à vobis ſunt, condonata vobis omnia, & obliuione perenni obtrita & obliterata eſſe debere. Quibus verbis, vt conuerſi hoſtibus ora vultumque præberent, vix eos potuit adducere. Ipſe incitato ſtimulis equo in globum agreſtium perrumpit, & vnum in primis glande ſclopetto breuiore impulſa petit traiicitque. Is verò, vulnere haud tardante, viciſſim inſurgens in ducem, qui totum armis ſeſe exuerat, quoniam is dies (vt erat tum anni tempus) admodum eſſet æſtuoſus, iterq́; longin-

Ducis ad milites territos cohortatio.

longinquum (vt præoccupato amniculo hoſtem ſuo cum bono & commodo anteuerterent) nocte tota dieque ſine intermiſſione confeciſſent, alteram præterea noctem ludendo cum rege inſomnis fortè abſumpſiſſet, eſſetque nonnihil poſt primam in hoſtes impreſſionem, & æſtu nimio & labore itineris defatigatus: in dorſo ſupra coxendicem, quà ſpinæ coniungitur, eum alaparda (ſic vſitatum noſtris illud armorum genus vocant) grauiter ſauciat. Præuiderat hominem, auidum impetendi ſui, inſano impetu in ſe proruere princeps, & auerſum prope latus equi ſeſe paululum incuruans demiſerat. Id niſi feciſſet, eodem loco fuiſſet lethaliter ab eo confoſſus. Eductus eſt prælio triiugo celeri curru, quòd adeò durum & immite eſſet vulnus, vt ex patentiore eius hiatu acceptum per os ſpiritum redderet. Idque ei in pago, non longè vltra amnem, præſenti ope chirurgica alligatum applicatiſque fomentis lenitum eſt.

Dux grauè vulnus accepit.

Qvo animaduerſo à militibus, quorum pars maxima iam confluxerat (nam duo circiter millia, vt animorum libidini morem gererent, ne pedem quidem loco mouerant, neque quiſquam ex illis huic pugnæ interfuit: quos ſcilicet omnes ſuſpendio mulctatos in exemplum cæteris ſtatui oportuiſſet) quanquam & continuo labore viæ, & æſtu intolerabili, vehementer eſſent laſſi omnes, acri facto impetu in illos irruunt, ita vt vniuerſos inde propellerent. Ex his trecenti circiter anguſto in loco, in quem incumbentium militum celeritate turmatim & perquam arctè erant concluſi, quaſi in cumulo conferti reſtiterunt. In quos, cæteris cunctantibus, fortis & audacis animi miles, quum de plauſtro axem duabus cum rotis & temone, quo tormentum fuerat aduectum, quaſi munimentum corporis ante ſe promouiſſet, machæra ſiue ſpatha oblonga lataq; (quod genus ingentes gladij noſtro ſeculo valde vſitati ſunt, & qui eos gerunt milites, ambabus manibus regentes, haſtariis miſcentur) corpora metens primus irruptionem facit. Nec mora, cum commilitones audacter ſequuntur: & quotquot agreſtium ab ipſis non ſunt interfecti, ij quum trans aggerem aduerſum præcipites ſeſe demitterent, aut in equites, aut cæteros milites inciderunt: ita vt maxima ex illis quoq; pars conciſa & deleta ſit. Interea temporis equeſtres turmæ in oppidum irrumpunt, ſed quia hoſtibus illic detrimentum ferè nullum inferre poterant, eoſq; oppidani ex ædibus, quaſi anates aliáſve feras volucres, certis & deſtinatis ictibus paſſim ſclopettis petebant: mox inde ſeſe recipiunt, quum quidem peditatus ſubſidio careret. Atqui rectius feciſſent (quandoquidem ipſis, vt id facerẽt, non erat imperatum) ſi ea oppidi inuaſione planè abſtinuiſſent. Supra cæteros enim qui tunc aut vulnerati aut cęſi ſunt, Marquardus Rannouius, vnicus parentis ſui filius, eiuſq; familiæ nobilis hæres vltimus, ſub dorſum in veſica glande parua ictus eſt: ex quo vulnere non ita multò pòſt Itzohoę fatis conceſſit, & cadauer in patriam reuectum eſt.

Spatha ambabus manibus verſanda.

Dvrante eo ad Heidã certamine, Mauricius Ranzouius, ſimulac flammas in ſublime volantes procul conſpexit, tormentorumq; diſploſiones & bombos auribus hauſit, ab Hemmingſtadio cum ſexaginta equitum ala eò aduolat, oppidúmque contra ſeſe opponit: ita vt qui in oppido erant, ſi fugam capere vellent, elabendi viam nullam inuenirent, quin in equites incurrerent. Quo viſo Dithmarſi, quorum pars aliqua ad id vſque temporis, cæteris partim ſaltu ad terram miſſis, partim fuga elapſis, pertinaciter reſiſtens locum ſuum defenderat, vniuerſi penitus in fugam ſeſe effundunt, oram paluſtrem petentes: quæ foſſis vndiq; & paludibus circumſepta, non facilem hoſtibus acceſſum præbet. Ipſi primo contuitu ſocij, & in primis milites, ignorare, ſui, an hoſtes eſſent, qui equos nacti eos conſcendiſſent. Trecentos demum circiter agreſtes, qui ex fuga eò declinantes deferebãtur, Mauricius equitatu ſuo ita excepit, vt labẽtes & humi ſtrati terram corporibus tegerent. Ab illis viciſſim Theodoricus ab Holle vulnere fatali confoſſus eſt.

Dithmarſorum deuictorum fuga.

Cæterum agrẽſtes, tametſi magna clade victi diſſipatiq;, ſola fuga ſe manib. hoſtium eripuiſſent, in paluſtri tamen terræ ſitu ex fuga conglobari, & quaſi vim omnem & impetũ hoſtilẽ excepturi repulſuriq;, cõſtiterunt, quũ ſole iam occidente adueſperaſceret. Quapropter dux belli Ranzouius mox equitatũ eò cõtendere, & hoſtibus ſeſe obiicere atq; obſiſtere iubet, dum ipſe ad capiẽdum oppidum milites

educat, ne interim à tergo in eos impetum facerent, ipſiq́; præterea milites ad illud inuadendum eſſent audentiores, quod pluribus ſtatim locis incenſum eſt. Inde vniuerſas ſimul cohortes oppido admouet, etiam reclamantibus pleriſque, quibus

Dux cohortes ad oppidū adducit.

hoc conſilium eius vehementer diſplicebat. At ipſe nullis aduerſariorum clamoribus de ſententia & inſtituto dimoueri ſeſe patiebatur, quum exiſtimaret, niſi agreſtes oppido profligaret expelleretq́;, tota ea nocte exercitum omnem quietem nullam habiturum. Tum primùm frequentes & terribiles reboantium tormentorum fragores & tonitrua exorta, quum & incēdia in oppido, quæ ab iniectis facibus cœperant, liberè lateq́; vagarentur, vt intrare hoſtes haud temere formidarent: & coloni inceſſent vaſtis & lacertoſis corporibus robuſtiſſimi, qui (vti in ſupremo vitæ diſcrimine) pertinaciſſimè dimicabant: donec vniuerſi, vel occiſi vel concremati, mortem oppeterent. Quo oppido capto, milites mulſum & cereuiſiam (vt vocant liquorem frumento & lupulo excoctum) nacti, ad reuocandas paulisper ea potione vires, ſiti & inedia & æſtu & defatigatione penè amiſſas, vti cœperunt: ſed non permiſſum, vt longiorem ingurgitandis illis in oppido moram facerent. Quandoquidem enim ſol ex conſpectu iam ſeſe ſubduxiſſet, non videbatur Ranzouio ex re eſſe, ibi lentius agere, aut commorari diutius: militeſq́; ad locum tormentorum (ad quæ relictus cum haud multis rex ſubſtiterat) reduxit: hoſtilia verò tormenta conquiſita, & in cumulum congeſta, ſecum auexit, & Blanchenburgium, cum ala ſua in extremis collocatum, tutari agmen iuſſit, donec caſtra poſita, & tormenta conſtituta eſſent. Ita vno die ter in hoſtem irruptio facta, pugnæque trinæ, & ipſæ quidem acerrimæ grauiſſimæque, conſertæ ſunt.

Equeſtris itineris diuturnus labor.

EQVITES, nulla interpoſita laboris remiſſione, equis inſeſſis iter facientes, viginti quatuor amplius horas inediam ſitimq́; patientiſſimè tolerarunt: adeò vt ex regiis ſatellitibus vnus, præ laſſitudine animo deficiens, ſub equum delaberetur, animamq́; redderet. Erant enim Meldorpa ſub veſperam egreſſi, horam circiter tertiam aut quartam, noctemq́; inſequentem profecti totam exegerant: nec prius tentoriis collocatis quies fuit data, quàm altero die ſol occidiſſet. Equidem vix erat credibile, equos tanto conficiendo itinere laborem tantum, in eo præſertim canicularis ſyderis rabioſo moleſtiſſimoque ardore, perpeti & ſuſtinere potuiſſe. Et fuerat aggreſſus ex itinere rex ſummum ducem belli, dum Heidam properaret, vt, ſi conſultum ipſi videretur (ſiquidem multum ſpacij & viæ progrediendo iam emenſi eſſent, multum laboris & moleſtiæ pertuliſſent) via paulisper abſcederent & quieſcerent. Id quod nonnulli (inter quos & antiſtes Lubecenſium erat) magnopere probabant, nec ineptè omnino aut futiliter ſuadere videbatur. Verùm dux belli, veteri ſuo conſtanter innixus conſilio, vt nullum hoſtibus ſeſe colligendi confirmandiq́;

Dux vrgendam victoriam cēſet.

ſpacium daret, id apertè regi diſſuadebat, inter cætera ita inquiens: Sinemus ergo rei bene proſperéque gerendi occaſionem manibus elabi? éque, rex inclyte, eo abſceſſu & mora, haud abſimili fugæ & trepidationi formidoloſæ, ruſticis fugitiuis terga dantem conſpiciemus? Ego certè malim nunquam in hanc lucem me editum, quàm in tam ſecundo victoriæ curſu tantum dedecus ſuſtinere & admittere. Ad quæ rex, ſeſe aſſentiri & vnà progredi velle retulit: atque ſic eodem die pugnatum, & in pagum irruptio communi conſilio facta eſt.

AT poſtquam in locum deſtinatum, quo rex cum paucis ad cuſtodiam tormentorum remanſerat, copiæ omnes equitum peditumq́; coierunt, oritur controuerſia, vbinam caſtra metari præſtet. Nõnulli, quorum & equi & ipſi quoq; adeò laſſi, æſtuq́; confecti & excocti erant, vix vt progredi vltrà & pedē figere poſſent, in hanc manibus pedibuſque ſententiam ibant, vt eodem loco caſtra locarentur. Illud verò, quia omnino inconſultū erat, & tum rex ipſe tum ſummus dux belli improbabant, quòd is locus oppido propinquus eſſet, longiuſq́; inde exercitus, ſi manerent, adaquare cogeretur, & præterea Adolphus in pago Villa ſaucius ſubſtitiſſet, repudiatum eſt: decretumque retro Hammam ire, ibique fixis tentoriis noctem agere. Quod & factum eſt, poſitaq́; ad Hammam ſecūdum amniculum caſtra, iamiamq́; nocte ingruente. In fronte ænea tormenta, poſtea peditatus collocari, inde equitatus ad exitum amnis ſuccedere, propter ſummā equorum laſſitudinem. Pro certo enim

enim credebatur, agreſtes inſana animorum ferocia vehementer tumentes, & temeraria quadam pertinaciq́; confidentia plenos (vſqueadeo vt æquo iniquo loco pugnam capeſſere iuxta haberent) nequaquam noctu quietem acturos, quin denuo in caſtra incurſionem facerent. Inſequenti nocte & oriente die altera plurimi paſſim præſtantes & generoſi equi exanimati ſunt, confecti ardore pridiano ſolis & laboris intolerantia. Adolphus autem in caſtra, vbi ſui tenderent, curru vehi ſe iuſſit, quò tutior ad exercitum eſſet. Eum rex cœnatus horam circiter duodecimam noctis comiter inuiſit. Et profectò grauiter admodum ex vulnere laborabat: ita vt familiares eius & miniſtri de vita diffiderent.

Adolphũ ex vulnere ægrotantem rex inuiſit.

PORRO in triplici eius diei prælio ex Dithmarſis, qui cæſi pòſt inuenti numeratiq́ue ſunt, præter eos qui ſaucij per noctem reptando euaſerant, & poſtea expirarunt circiter tria millia occubuerunt. Ab altera parte milites, neque laboris neq; periculi multum adeuntes, paruo quoque incommodo affecti ſunt: ſtetitq́ue pouiſſimùm ea per equites victoria, quorum pars modica cæſi, pars vulnerati ſunt & in vniuerſum tamen cæſorum numerum non ſupra trecentos fuiſſe conſtat. Inter clarioris nominis & ortus proceres, cùm quorum antea meminimus, tum Oldenburgicus comes ſub mento glande ictus, ſummus præfectus belli Ioannes Ranzouius fragmine pilæ reſilienus ſupra genu, Iuo Reuentlouius per pedem, Paulus Ritzerouius & Borchardus ab Aleuelt per crus vtrq;, Ioannes Ranzouius iunior per lumbum, pilis minoribus adactis ſauciati ſunt. Eodē corporis loco & Gregorius ab Aleuelt globo traiectus: iſq́;, quia initia vulneris negligētius curata erant, nono pòſt die Rendesburgi vita deceſſit. In cuius locum poſt acceptum vulnus, quòd vexillum turmæ prætoriæ Adolphi gereret, Ioachimus Ranzouius ſucceſſit: Baroni præterea à Donow manus perfoſſa, & legatus Ioannis Ranzouij Franciſcus Bulouius in pectore haſta vulneratus eſt. Ipſe denique rex deſignatus in hac pugna fuiſſet glande interfectus, niſi Bertramus ab Aleuelt citato curſu irruens in eum, qui oculis in regem verſis collimans id facere deſtinabat, auertiſſet. Iſq; illata ſclopetto plaga Bertramum ita exercuit, vt ſub equum caderet: & cōfeciſſet omnino, niſi rex mutuam ei opem tuliſſet. Eadē nocte caſtra vigiliis diligentiſſimè munita ſunt. Nam nouem circiter ſtationariæ peditum cohortes in excubiis ſunt collocatæ: & equitatus pro ſe quoque intentus, haud negligenter rerum ſuarum curam geſſit. Etſi verò exigua eo loco annonæ copia fuit, milites tamen cereuiſiam, quanta ad ſitim reſtinguendam ſufficeret, adepti ſunt, eaque per legiones & cohortes eſt diſtributa.

Saucij.

Ex Dithmarſis poſtea confecto bello cognitum, ſi ſclopettarios ineunte bello ſtipendiis conductos, quos contra naues Danicas (quarum ſuprà mentionem fecimus) ſecundum Albim ad eas arcendas vniuerſos conſtituerant, in tantulo temporis momento reuocare potuiſſent, voluiſſe ipſos denuo fortunam ſuam periclitari, hoſteſq; impetu nocturno in caſtra illato aggredi. Sanè id inceptum infœliciter & calamitosè ipſis ceſſiſſet. Quippe erat omnino planus patenſq;, & equorum vſui aptiſſimus ante caſtra locus: & haud difficulter peditatus (qui iam omnis coiuerat) tam diu ſuſtinuiſſet agreſtes, quoad equites vniuerſi cōueniſſent. Quo facto, quotquot in id tempus eo bello Mars reliquos fecerat, & ipſi quoque vniuerſi vita ſpoliati fuiſſent. Poſtridie eius diei, propter equos oppidò quam deſatigatos, quies acta eſt, & nihilo tamen minus in conſilio deliberatum, quo pacto reliquię hoſtium delerentur. Eſt enim Dithmarſia, quemadmodum & confinis ei Holſatia (quod priore libro demonſtrauimus) in duas omnino partes diuiſa, campeſtrem & paluſtrem. Illa, ſuperatis fugatiſq; ad Heidam incolis, iam tota in victoris exercitus poteſtatem conceſſerat: quum ea clade ſuorum nunciata, & reliqui, qui loca oppidaq; intacta & intentata ab hoſtibus in ipſa obtinebant, in paluſtrem effugiſſent. In hanc exundantem aquis, foſſiſque ac paludibus ab ipſa natura egregiè munitam, in ipſo belli exortu & paſſim pòſt, pleramque inutilem ad arma gerenda ætatem imbellémque ſexum, & res ſuas chariores contulerant: & demum, poſt vltimam grauiſſimamque eam acceptam plagam, omnes ex fuga ſuperſtites turmatim in eam ſeſe receperant: atque conferti omnes vnumq; in agmen denſati, quotquot arma ferre poſſent, conſiſtebant, quaſi extremam ibi propugnando belli aleam ſubituri. Itaq;

Paluſtris Dithmarſiā ſupereſt occupanda.

conſultabatur ab hoſtibus, altera iam capta ſubactaq́ꝫ, qua ratione & illa Dithmarſiæ pars in poteſtatem redigi poſſet.

Legati de deditione veniunt.

AT properante iam in occaſum ſole, ecce duo inde ſacrorum myſtę in caſtra legati veniunt, niueũ bacillum vterq́ꝫ manibus geſtantes, & epiſtolam ſupplicem ab agreſtibus ad principes datam, ſed apertam & nullo obſignatam ſigillo, deferunt. In eius fronte ſiue inſcriptione (quemadmodum in principum literis vltra citraq́ꝫ datis fieri conſueuit) eos Dithmarſiæ dominos vocant: quam tituli particulã, vt contrariam & detrahentem libertati ſuæ, nullis antea literis vnquam tribuentes, vehementer ſemper impugnauerant. Cæterùm in epiſtola & per legatos ſubmiſsè ſuppliciterq́ꝫ, per Deũ perq́ꝫ omnia ſacra rogant & obteſtantur principes, primùm vt eos legatos ſuos humaniter patienterq́ꝫ audire, & ipſis fidem habere: deinde ſibi vt inducias dare, ab infeſtatione hoſtili interea abſtinere, & quibuſdã ex octo quadraginta viris (quos poſtridie miſſuri ſint) commeatu ſiue libera tutò eundi redeundiq́ꝫ licentia præbita cauere, atque in colloquium admittere velint: vt, iis calamitates & miſerias ſuas extremas exponentibus, rationes ineantur, quibus terram omnem, ſaluis incolarum corporibus ac bonis, in deditionem ac fidem clemẽter accipiant.

LEGATOS miſſo præſidio ad ſe deductos, vt eo præclaro & inſigni exemplo, pietatem ſingularem & beneuolentiam ſuam erga id genus viros ſacratos teſtaretur, rex in prætorio ſuo comiter excepit: & bene eos ſperare iubens, Nicolao Coldingenſi (is ipſi à ſacris concionibus erat) commendauit: vt cibum vnà cum ipſo caperent, & mutuo colloquio tempus fallerent, dum in ſenatu de dando reſponſo deliberaretur. Commeatum verò ſiue ſaluum (vt vocant) conductum, quem agreſtium verbis petebant, ipſis trium principum nomine iuſſuq́ꝫ, patente in diplomare, & ſigillo ſuo gentilitio in calce ſignato, ſummus dux exercitus Ioannes Ranzouius dedit: vt poſtridie ex quadraginta octouiris, qui omnium Dithmarſiæ incolarum verbis agerent, pacemq́ue peterent, ad horam duodecimam in caſtris præſtò eſſent, libera eundi abeundiq́ue, quum vellent, copia facta ab omnibus illis qui iiſdem in caſtris militarent. Fidem quoque ſuam iiſdem literis aſtrinxit, medio intercedente tempore, dum ea actio duraret, inducias fore, nihilq́ue hoſtile, quotcunq́ꝫ in eo exercitu ſtipendia facerent & facturi eſſent, contra ipſos ſuſcepturos. Addidit denique legatis diſcedentibus tubicinem ſuum, qui hos eò deduceret, & illos tutò in caſtra reduceret. Inſequenti igitur die, qui erat decimus ſeptimus Calendarum Iunij, quinque ex octo quadraginta viris, cum ſacrato rei diuinæ miniſtro, & vno à ſecretis, eodem tubicine, & obuiam miſſo equeſtri præſidio comitati, in caſtra ſe conferunt: quibus in tabernaculum Pauli Ranzouij, filij ſummi præfecti belli, deductis prandium datum eſt.

Itineris tutò agẽdi & induciarum fides.

Refertur de excidio & ſalute agreſtium.

INTEREA principes cum proceribus & oratoribus ſuis, quoniã Adolphus ex vulnere æger lecto decumberet, in prætoriũ eius conueniunt, ſenatumq́ꝫ habent. In eo conuentu, quia nemini dubiũ erat, eò loci redactos eſſe agreſtes, vt vim hoſtilem nullo modo ſuſtinere diutius aut reſiſtere poſſent, variæ ferebantur agitabanturq́ꝫ quæſtiones. Summa verò deliberationis illa erat, vtrùm hoſtes bello ad excidium vſq́ꝫ perſequi, an deditione in fidem accipere præſtaret. Nam quoniã de vita Adolphi periculum erat, idq́ꝫ omnes metuebant, minus liberæ dicebantur ſententiæ: quòd is præſens ſuffragij & vocis vniuſcuiuſq́ꝫ teſtis & auditor adeſſet. Qui fortè hoc animaduertens, neq́ꝫ paululũ, tametſi graui & periculoſo accepto vulnere, inclementior amariórve ſeipſo factus, & præclariſſimo pulcherrimoq́ꝫ generoſi & excelſi animi decreto ad lenitatem & manſuetudinẽ proclinatus: primus omnium apertè prolixeq́ꝫ ſuadebat, vt conditiones ferrentur, quibus pacem hoſtibus petentibus daret. Ea protinus ſententia, plena profectò veræ ardentiſq́ꝫ pietatis & humanitatis, ab omnibus vno quaſi ore probata acceptaq́ꝫ eſt. Etenim & hoc in conſiderationem plurimùm veniebat, ſi incolas funditus delerẽt excinderentq́ꝫ, ex ea ſubacta terra multis annis nihil compendij & emolumenti percepturos principes: & cùm foſſas, & aggeres, & catarrhactas, quæ ad mare ſunt, ruinis in ſe turpiter collapſuras: tum præfectos & ſingulos tribunos militum, in ora labore periculoq́ꝫ ſuo domita & capta, aliquid dominij & proprij concupituros. Poſtremò milites pingui

oræ

oræ inueteratos, præda auellere, terraq́; educere, oppidò laborioſum & graue fore: omnes in ea deſideraturos locupletari, & paſſim quoſcunque etiam, licet laboris & operæ nihil parúmve impendiſſent, contentionem & litem motutos. Itaque re diu multumque diſceptata, tandem pacis conditiones conceptæ conſcriptæque ſunt, & in hunc modum legatis exhibitæ.

Pacis conditiones & capita.

IN primis Dithmarſi debitæ fidelitatis ſpōſione, & iuriſiurandi religione (quod homagium vocant) principibus ſeſe obſtringent, vt cæteri earum dirionum habitatores de more & conſuetudine faciunt: vexilla prætoria & ſigna militaria, quæcunque olim Danorum regi Ioanni, & fratri eius Friderico, Holſatiæ duci, prælio victis erepta ſunt, cum omni precioſa caſtrenſi ſupellectile, quicquid eorū apud ipſos reliquum fuerit, ſub iuramēto reſtituēt. Impenſas belli, cuius ipſi autores ſunt, victoribus rependent ſoluentq́;: quæ quidem ad ſena cētena millia aureorum excurrunt. Principes ius & poteſtatem habebunt tres arces ſiue caſtra, quibus ipſi locis velint, auxilio eorū & operibus in Dithmarſia ædificandi: quaſcunq; verò munitiones & propugnacula iſthoc tēpore terra habitura eſt, funditus diruentur, euerteritur, ſoloq́; æquabuntur. Ad ſuſtinendas arces iidem tantum agri, prati, paſcuorum, campi nemoriſq́; ſibi retinebunt, quantum in vſum neceſſariū deſiderabitur: accolæq́; in iiſdem de more gentis operas facient, & angarias præſtabunt. Omne quoq; merum mixtumq́; imperium, territoriū, ius ac dominium, venationes & piſcationes, quæq́; his affinia ſunt, in vniuerſa terra ſibi vēdicabunt. Quicquid apud Dithmarſos machinarū & tormentorum bellicorum erit, itemq́; armamenta omnia & arma, tam ſingulorū quàm publica, vnum in locum comportata victoribus tradent, nec ſine permiſſu eorū reparabunt. Quum bellici ſumptus reddiri ſolutiq́; erunt, ex agris & paſcuis tantū quotannis pendent, quantum nunc ipſi accipiunt, quum aliis ea locauerint. Imperialia & pontificia ac aliorum cuiuſcunq; ordinis & dignitatis procerū diplomata, quotquot ſuperfuerint, bona & integra omnia fide datoq́; iureiurando exhibebunt: & quæcunq; exhibita non fuerint, & literas & ſigilla obliterabunt, irritaq́; & inualida per ſcripturam facient. Iuriſdictio, iudicia iuraq́; omnia per principes cōſtituentur: ad ipſos prouocatio libera erit, nec vltrà ſeſe extendet: multæq́; ad eoſdem omnes recident, eadē ratione & modo qui in reliquis eorum ditionibus obſeruatur. Ad exactiones præſtādas, tributa precaria & penſiones contribuendas erunt obligati, & æquè vt vniuerſi Holſatiæ Stormariæq́; incolæ: & fœderibus, quibuſcunq; iamnunc cum quibuſuis contractis deuincti tenētur, renunciabunt, & cuncta diſſoluent, nec alia porrò inibunt. Quibus cōditionibus (vbi probatæ acceptæq́;, & in eaſdem ſponſio facta iuratumque fuerit) principes, Dithmarſos, vt ſuæ ditionis habitatores, ſibi ſubditos, in deditionem & fidem accipient, bonaq́; ipſis ſua & poſſeſſiones ſaluas & integras relinquent, conſeruabuntq́;. Poſtremò, ſupplices principibus fient, & ſolenni (vt decet) ritu culpam deprecabuntur, literiſque appenſis ſigillis fidem ſuam obſtringent: &, quoad ea vniuerſa quæ ſunt commemorata, integrè præſtentur & impleantur, obſides dabunt, octo de adminiſtratoribus quadraginta octo viris, & ſexdecim gentis principes.

Dimittūtur agreſtium oratores.

EO dato acceptoq́; reſponſo, legatos abeuntes, vt propoſitas ad ſuos conditiones referrent (quoniam inter milites, belli quàm pacis cupidiores, clàm ſpargi ſermones turbulentos, de via expedita pacis monſtranda pacificatoribus, fuerat cognitum) legatus ſummi ducis belli, Franciſcus Bulouius, & Henricus Ranzouius, in pacatum vſque comitati ſunt. Vt autem conſpicerent intelligerentq́;, quanta ob improbam & indomitam animorum pertinaciam, ab indignante ſceleribus hominum diuino numine pœna ſui affecti eſſent, quam & ipſi, niſi iis initis pactis pacem acciperent, non eſſent effugituri, ſecundum cadauera & aceruos cæſorum, qui paſſim per agros inhumati adhuc iacebant, eos deduxerunt. Poſtridie eius diei rex deſignatus, quia de pace faciēda actio iam inſtituta, belloq́; finis penè impoſitus erat, & ipſi abeſſe diutius regno vix liceret, quòd dies inaugurationi præfinitus non admodum erat longinquus, omniaq́; ad eius ſolennitatem neceſſaria etiamnum præparanda forēt, vt in regnum rediret, ex caſtris Itzohoam abit. Ampliſſimam autem & integram dandæ negandæque pacis poteſtatem ſcripto fecit ac reliquit Iohanni

Rex in Daniam ſe recipit.

Ranzouio, eiuſq; filio Henrico: quibus, ob egregiam & ſæpius probatam in rebus præclarè geſtis prudentiam & dexteritatem & fidem, plurimùm tribuebat: itemq; pecuniam apud eos depoſuit, qua in ſupplemētum exercitus (ſi neceſſum eſſet) copiis conſcribendis vterentur.

Dithmarſorum ad pacis capita reſponſum.

TERTIO pòſt die quàm diſceſſiſſent (tantum enim ad deliberandum temporis ſpacium impetrauerant) legati Dithmarſici equeſtri præſidio excepti in caſtra redeunt: & omnium Dithmarſiæ incolarum nomine, quid de pacis conditionibus ſe facturos reſpondeant, ſcripto comprehenſum deferunt. In quo præfati, ſe per Deum, & ſalutiferam eius pro genere humano ſatisfactionem, animis demiſſis orare & obſecrare, vt cum vxoribus ſuis liberiſq;, viduis & orbis, in fidem ſaluis corporibus & fortunis accipiantur, & non ad extremam vſque perniciem & interitum deleantur: ad ſingula ordine capita reſpondent. Quod primum, inquiunt, in conditionibus eſt, ei ſubſcribimus: idq; vt verba ſonant, re exequemur. Quòd bellicos ſumptus, quorum ipſi cauſa fuimus, ſena centena aureorum millia exæquantes, rependere debeamus, id verò nobis intolerabile atq; adeò impoſſibile factu eſt: dum conſideretur, multò maximam incolarum partem bonis ſuis ſpoliatam & expulſam eſſe, domos exuſtas, res mobiles vniuerſas ademptas, frumentum omne corruptum & ad nihilum redactum, neque habere præterea nos quicquam, niſi quod ſtantes euntesq;, cum afflictis calamitoſis vxoribus liberiſq; noſtris, nobiſcum circumferimus. Vt munitiones & propugnacula deiiciantur deſtruanturq;, aſſentimur. Vt autem arces tres ſubminiſtrantibus nobis & adiuuantibus condantur, iiſq; ſuſtentandis, quantumcunque agri, prati & paſcuorum neceſſarium fuerit, attribuamus, id vndiquaq; nobis grauiſſimum eſt. Nam cum in vſum quod ſatis ſit, ex bonis noſtris, agris, pratis & paſcuis, ſi nobis adimatur, nihil certè miſeris perditiſq; reliquum fuerit, exactiq; fundis & poſſeſſionibus noſtris ſolum vertere cogemur. De mero mixtoq; imperio, dominio, omni & iure, venationibus & piſcationibus, & quæ iis cognata ſunt, nihil refragamur, quin fiat quod placitum fuerit. Arma quoque vniuerſa, & quæcunq; ad corporis defenſionem nobis comparata ſunt, ſi fieri aliter non poterit, ſubmiſſis animis dedere non grauabimur. Cæterùm ad id quod attinet, vt ex agris & paſcuis noſtris tantum quotannis pendamus, quantum nunc ex iiſdem ipſi accipimus: reſpondentes, humiliter obſecramus ne in ſeruitutem omnino redigamur, ſed bonis noſtris vti frui liceat, eorumq; potētes eſſe, perinde vt & Phriſij ſunt: quaq; hi & Crempermarſi & Vilſtermarſi libertate gaudent, eadem & nos potiamur: & ne operis faciendis & angariis oneremur, ſed ab earum præſtatione immunes ſimus, quemadmodum & illi. Diplomata, priuilegia & conuenta, quotcunq; nobis ſupererunt nec interciderunt, reddemus: & quæ reddita non fuerint, caſſa & irrita per ſcripturā fieri curabimus. Iuriſdictionem, iudicia & iura, per clementiſſimos illuſtriſſimoſq; principes conſtitui & exerceri, eorum arbitratui & humaniſſimæ voluntati permittimus. Quod ſi & illud obtineri queat, vt in Eiderſtadio ſenatus collocetur, iſque ex iure gentis ſcripto lites dirimat, & ius dicat, ſalua & incolumi ad principes prouocatione, id nobis haud inconſultum videatur. Societas & fœdus, quod vnicum nobis cum ciuitate Lubecenſium eſt, irritum infectumq; erit, & poſthac in perpetuum nemini nos fœdere iungemus: eaque omnia, quæ promittimus & iuramus, vt viros bonos & honeſtos decet, ſanctè & religioſè ſeruabimus. Collationum præterea nomine, penſionum & tributorum, quicquid Phriſij, Crempermarſi & Vilſtermarſi, ſoluunt & erogant, in iis omnibus præſtandis nos quoque obſequenter & officioſè nos geremus. Vt etiam ſupplices facti culpam deprecemur, & quicquid inſuper literarum ſigillorumq; à nobis flagitatur, in ſingulis hiſce haud grauatè obtemperabimus: & arma quoque vniuerſa atque inſtrumenta bellica, quæcunque penes nos ſunt, in vnum collata exhibebimus. Obſidibus tametſi adeò opus non eſſe arbitramur, tamen id quoque arbitrio & voluntati clementiſſimæ principum relinquimus.

Agreſtium ſupplicum preces.

POST ea prope finem literarum adiiciunt, non ſe dubitare, quin, vt verè Chriſtianos & pios deceat principes, acturi ſecum, à ſanguinis effuſione ſibi temperaturi, homineſque ſe ærumnoſos & ad extrema redactos, vxores liberoſq; ſuos, cu-

iuſcunque

iuſcunque ætatis & ſexus, nullo amplius incommodo & detrimento affecturi ſint. Confidere quoque, ad animum reuocaturos, tantam iacturam & diſpendium eo bello acceptum, dum eius ſeculi mortales vixerint, in vna ſua patria extingui obliuione & ſarciri non poſſe: eo etiam non adiecto, quòd aliquot millia inopum miſerarumque viduarum, orphanorum & puerorum imbellium in medio ſint, qui nudi omniumque rerum egeni oſtiatim cibum petere cogantur, neq; vnquam in priſtinum redire ſtatum poſſint. Poſtremò Deum orant, vt is principum corda flectat & inclinet, quò pax ſancta, ſtabilis atq; perpetua ineatur, ad illuſtrem & glorioſam diuini nominis ſui celebritatem, & afflictarum ditionum incolarumq; ſalutem atq; conſeruationem. Interpoſitis autem pluſculis actionibus, quum demum per principes regioſque vicarios nonnullæ conditiones, quæ ipſis grauiores durioreſq; videbantur, aut eſſent mitigatæ nonnihil, aut omnino (quoad vſu diſcerent quales ſe poſt deditionem præbituri geſturique eſſent) ſublatæ & abolitæ, deditio facta, eaq; ſtatim pòſt literis vtrinque datis, commutatiſque ſtabilita eſt. Quibus literis Dithmarſi ad obſequium cùm ipſis principibus, tum heredibus & ſucceſſoribus eorum, in perpetuum præſtandum ſeſe obſtringebant: principes viciſſim ad illos fouendos tuendoſque ſe obligabant.

Dithmarſorum plena deditio.

EXINDE duodecimo die Calẽdas Iulias vniuerſi Dithmarſi, quotquot eorum ex bello, nullo ætatis habito diſcrimine, ſuperſtites erant (inter quos, qui arma ferre poſſent, numerum quatuor millium vix excedebant) ad limites oræ paluſtris vltra Heidam, horam circiter decimam matutinam, conuenerunt: & quicquid ipſis armamenti inſtrumentiq; bellici, tormentorum apparatuſq; tormentarij, globorum pulueriſq; pyrij, armorum & lancearum, reliquum fuit, victoribus dediderunt: quę mox omnia Meldorpam aſportata ſunt. Eodem quoque loco, ducibus Iohanni & Adolpho (qui corpore etiamnum malè ex vulnere affecto ægrè equitabat) & quibus ea à rege per abſentiam cura & poteſtas data erat, ac vniuerſis belli conſiliariis, ſupplices facti (quod in conditionibus erat) atque cõtumacię & rebellionis veniam deprecati ſunt. In trium præterea principum verba, nudati omnes capita, & in genua prouoluti, promittentes iuranteſq;, eo vſitato obſequij & fidelitatis ſacramento ſeſe ipſis obſtrinxerunt: à quibus mox in fidem ſunt accepti. Erat autem ſolennis eius concionis hic ordo: Principes & conſiliarij mediũ quaſi centrum obtinebant: hos circùm proſtrati iacebant Dithmarſi, illos equitatus & exercitus vniuerſus circumdabat. Quæ hîc trepidatio ſuſpenſos metu retalionis agreſtium animos tenuerit, videre omnino fuit. Nam quidam ex plebe ſacerdos ad alterum ſui ordinis conuerſus, Latino ſermone (quem à nullo aſtãtium intellectum iri putabat) in hæc verba prorupit, O nos miſeri, ad quam ſeruamur lanienam! Iamiam fœdere fracto in nos impetũ facient, & veluti pecora ferient atq; iugulabunt: Totus profectò morte futura palleo atque horreſco: nam extrema mox paſſurum me video. Eum ſiniſtrè de principum & procerũ fide ſentientem loquentemq;, Henricus Ranzouius, regius vicarius, his propè verbis increpauit: Quid, inquiens, tu nos ex vobis iudicas? Vos quidem digni eſſetis in quos ſæuiretur: at nobis indignum qui ſæuiamus. Datam nec reuocamus fidem, nec frangemus. Obſides quoque viginti quatuor numero traditi: quibus vt Rendesburgi ſe ſiſterent, imperatum. Ne verò milites, in interiora terræ excurrentes, ea porrò quæ ſæua belli procella & clades ipſis intacta reliquerat, illata vi eriperent, pleræque haſtæ & frameæ Dithmarſis ſunt reſtitutæ, quibus ad ſui rerumque ſuarum defenſionem vterentur.

Deditionis facta ordo & ceremonia.

INSEQVENTI die vniuerſus exercitus inde Meldorpam reductus eſt: quumq; vnam dũtaxat legionem Schonueſianam cum equitatu principes apud ſe manere iuberent, reliquæ tres diuerſis itineribus in Holſatiã dimiſſæ, & non multò pòſt dilapſæ ſunt. At inuiti omnino milites terra excedere, & diſiungi ſe ægris ingratiſq; animis pati: quum pingui & opulẽtæ oræ (quæ inexplebili eorũ rapacitate perquam idonea videbatur) diutius inſeneſcere, & armentis abactis, mactatiſque pecoribus, prædam quàm ampliſſimam facere & abducere vehemẽter cuperent. Parũ enim abfuit, niſi conatibus eorum maturo & expedito conſilio obuiã itum eſſet, quò minus ea res in ſeditionem militarem exarſerit: quum ob aditum prælij diſcrimen, ſti-

Milites ægrè à regione ſubatla abducuntur.

pendium menſtruum debitum ſibi (vt impudenter iactitabant) prædæq́; opimioris nomine donatiuum tam tumultuoſè & contumaciter quàm improbè principes flagitarent. Quem motũ inter milites ſerpentem primùm, niſi fouere & alere maluiſſent ex præfectis nõnulli, in ipſo mox principio ſedare & opprimere potuiſſent. Quoniam aũt turbulentis & rabioſis clamoribus nihil impetrare poterant, quum nec quicquam ex conuento illis amplius deberetur: ſtipendio accepto demum acquieſcere, poſteaq́; dilabi oportuit: eò quidem citius, quòd animaduerterent, principes indignantes cum equitatu paulatim propius accedere. Neq; ſanè ſine perſpicaci & euidenti ratione ita diuiſæ & ſegregatæ ſunt legiones, vt per vias vniuerſas in Holſatiam iter facerent: ne iunctis ſignis viribuſq́;, vbi vellent, ad arma conclamare & ſeditionem miſcere poſſent: idq; etiam ſi facerent, ſuperati minore cum negotio vt compeſcerentur. Tormenta quoque, quæ ad copias pedeſtres erant, non ſine aſtu ab ipſis abducta ſunt: ea ſimulata cauſa, quòd duces, ad maiorem tutioremq́ue ſui cuſtodiam aduerſus agreſtes, ea apud ſe eſſe cuperent.

Periculum tumultus à militibus.

ILLA poſtea tormenta quæ hoſtibus fuerant adempta, in tres æquales portiones diſtributa ſunt, & principum quiſq; pro ſeſe (niſi me fugit ratio) ſena tricena eſt ſortitus. In vniuerſum enim ſupra centum grauia leuioraque tormenta erant, quæ rotis pleraq; omnia agebantur, iis exceptis quæ quum impellerentur, diſrupta fuerant. Minoris tamen ponderis plura ſunt reperta, colubrini & falcones: quia his, vt habilioribus, agreſtes in lutulenta & vliginoſa ora commodius vti, & adminiſtrare facilius poterant. Et profectò id verè adfirmare licet, Dithmarſos tormentis militariter inſtructos, in collocandis iis reducendiſque, ipſo hoſte iudice, tantam cum agilitate ſumma peritiam adhibuiſſe, quãta vel in maximè exercitatis re bellica deſiderari queat. Nam id vel in prælio nouiſſimo ad Heidam præclarè cognitum eſt, vbi cum ſuo vbiq; commodo & bono de loco in locum ſciēter admodum ea tranſtulerunt: quanquam ſtragem non æquè magnam fecerunt. Muralia quoque tormenta tria reddita ſunt, quæ olim Holſatiæ duces (vt inſculptis ex inſignibus folij vrticæ cognoſcere erat) bello amiſerant. Vexilli præterea peruetuſti, & à priſcis vſque Daniæ regibus antiquitate religioſa venerabilis (quod regi Ioanni olim ſuperato ademptum, caries ſitusq́; penè abſumpſerant) fragmentum reſtitutum eſt: quod nunc in æde ſumma oppidi Sleſwici in Holſatia ſuſpenſum, quaſi victoriæ huius argumentum conſpicitur.

Dithmarſi torquēdis & mouēdis tormentis peritiſsimi.

MELDORPÆ autem tunc primùm, quum illic hærerent aliquantiſper principes, diplomata literasq́; vniuerſas, quibus aut collata alicunde beneficia, aut eorundem confirmatio continebatur, tradiderunt. De fœderibus quoque principes docuerunt, quibuſcum ea pepigiſſent: & aureum item eleganti ſculptura poculum, quod Friderici fuerat clariſſimi Daniæ regis, reddiderunt. Porrò legio Schonueſiana, quam Vrisbergius ductabat, in vico Dithmarſiæ Scapſtadio, pace iam compoſita, octiduum ſeſe cõtinuit, dum reliquus peditatus omnino dilaberetur. Eo effluxo in Holſatiam diſceſſit, vbi reliqua ſtipendiorum, octonis inſuper diebus donatiui nomine connumeratis, ſoluta ſunt, & præfecti omnes ductoresq́; ordinum & ſigniferi muneribus honorati. Qua in cæteras quoque legiones liberalitate vſi ſunt principes, ſed erga illos duntaxat qui bene promeriti, & digniores ea præ reliquis viderentur. Sub idem ferè tempus & equites actis gratiis dimiſſi, quum quidem ſupra debiti æris ſolutionem, quòd confluxiſſent dilaberenturq́;, menſtruum ſtipendium ſinguli accepiſſent: quorum præfecti & ipſi muneribus exculti & ornati ſunt.

Dimittitur confecto bello exercitus.

NEC habent certè quod conquerantur milites, & in primis tribuni præfectiq́; eorum, quum ſtipendia, vti primo in delectu numerus capitum in rationes fuerat relatus, non iterata recẽſione, ipſis præbita & ſoluta ſint. Bellum itaq; hoc vix menſtruum fuit, ſi eo die, quo vndecimo Calendas Iunij in finibus Dithmarſiæ caſtra primùm ab hoſtibus poſita ſunt, eius initium factum, & duodecimo deinde Calendas Quintiles, quo die ſuperſtites incolæ vniuerſi ſupplices facti in deditionem venerunt, confectum dixerimus. In quo quidẽ bello ſiue expeditione, neq; dum confluerent colligerenturq́; copiæ, neque dum dimitterentur, vllis aut finitimis ſociis, aut extraneis longiuſque remotis, graues fuerunt, damnúmve vllum dederunt.

Bellum paucis diebus confectum.

Soli

Soli rebelles & inſolentes agreſtes, læſæq; maieſtatis rei, meritò iampridem ſupplicio affecti mulctatiq; ſunt: vt tandem verò pioq; magiſtratui ſeſe ſubiicere, iuſtis & legitimis obedire dominis, legibuſq; honeſtis & æquis frenari ac regi diſcerẽt: nec non, quod olim in egregiè fortes præclaroſq; cum principes viros, tum genere & virtute inclyta nobiles, dira & immani ſęuitia miſerè eos trucidando laniandoque, perpetraſſent, per poſteros cumulatè ipſis redderetur. Inſequentis autem anni ineunte vere, Ferdinãdus Auſtriacus Imperator, quum principes, vt ditionem & ſucceſſione hæreditaria ad ſe deuolutam, & armis ſuæ poteſtatis factam, iure quoq; & conſenſu imperiali demum obtinerẽt, per legatos id expeterent atque poſtularent: ex Auguſta imperij poteſtate conuentiones & placita, inter Dithmarſos victoresq; inita, & literis vtrinque firmata, rata habuit, & diplomate ſtabiliuit.

Dithmarſia dominatus principib. ab Imperatore confirmatur.

ITA Dithmarſia bello domita in ius & ditionem eorum conceſſit, quorũ maiores maximis cladibus non ſemel antè profligauerat, vti priore libro cõmemorauimus. Nam per quingẽtos ferè & amplius annos tametſi variis interim iactata caſibus fuerit, & ſæpiuſculè etiam iugum (ſed ad modicum ſaltẽ tempus, dum hoſtili metu & periculo ſublato, recollectiſq; viribus ex opportuno ad ingenium rediret) acceperit: tamen agreſtem libertatem ſuam, reiecto & excuſſo ſemper ceruicibus dominatu, incredibili animorum pertinacia aſſeruit: eamq; oppugnans, fortunæ beneficio victrix, barbarica feritate fudit atq; trucidauit. Fuit illa quidem olim (vt pleræque aliæ vicinæ regiones & prouinciæ) Saxonum imperio ſubiecta, & deinceps quoque peculiares ſibi ſub marchionum & comitum nomine dominos habuit: ſed eorum complures armis crudeliter oppreſſos interemit. Exinde in præſulatus Bremenſis ditione & territorio eſſe voluit, quum permutationis iure ad eum pertinere videretur. Verùm antiſtitis imperium, licet aliquando etiam vis iuſta intentata ſit (quæ quidem nunc ſtrictim repetentes fuſius omnia ſuprà ſumus executi) titulo tenus ſaltem pertulit: eoq; ipſo quaſi tegumento abuſa eſt ad repudiandum quemlibet alium magiſtratum, & corroborandam ſceleratæ immunitatis licentiã. Interceſſerunt igitur plurimæ cum Holſatis lites & controuerſiæ, dum illi ius ſuum, nunc dictis conditionibus, nunc armis repetunt, & aliquot ſubinde præliis certatum eſt. Quorum tria in primis cruenta admòdum & atrocia commiſſa ſunt: in quibus Dithmarſi inſigni fallacis & impotentis fortunæ ludibrio victores, & luctuoſam hoſtium ſtragem inexplebili ſęuitia ediderunt, & faſtidioſam libertatem ſuam pertinaciſſima animorum conſtantia tutati ſunt. At vbi fœlicitate perpetua inflati, & opimis feracis terræ muneribus luxuriantes, inſoleſcere nimiùm & ferocire cœperunt: vltricem diuini numinis iram in ſe prouocarunt, & diuturnę peruicaciæ & improbitatis dignas tandem pœnas luerunt.

Quos olim dominos habuerint Dithmarſi.

Petulantes Dithmarſi Deum vindicem irritant.

NEQVE equidẽ in alia ſum opinione, quàm vt certiſſimè credam, tantam calamitatem & miſeriam, ſeuero & iuſto Dei indignãtis iudicio, diuinitus hanc gentem oppreſſiſſe. Etenim tacebo illa, quæ de agreſti & intemperanti luxu faſtidioq;, quæ de ſumma iniquitate & iniuſtitia, quæ de cędibus & maleficiis innumeris perpetratis, eorumq; impunitate, vulgi ſermonibus prædicantur: ne quid rumoribus tribuere videar. Fuit præterea tam arrogans ſimul & impudens eius populi perſuaſio, quoniam tot annorum ſpacio effrenatam libertatem ſuam egregiè propugnãdo obtinuiſſet, omne ſeruitutis vel nomen à ſe repuliſſet quàm longiſſimè, tot fortiſſimos exercitus fudiſſet, & ad internecionem penè quoſdam deleuiſſet: vt omnino inuictum eſſe ſe crederet, terramq; ſuam, tam inſigniter & ab ipſa natura & operibus munitam, nullis viribus aut artibus ſubigi poſſe confideret. Itaque omni depoſito timore ſecurè agens, vberiſq; terræ bonis immodicè laſciuiẽs, magiſtratũ omnẽ deſpiciebat & aſpernabatur: atq; legibus nullis, moribus aut inſtitutis, quibus reliquæ gentes continentur, ad ea præſtanda ſe cogi poſſe iudicabat, quæ ingrata & commodis ſuis contraria eſſent. Atque hanc fiduciam animis non cauſæ æquitas iuſtitiáve addebat, ſed ſolæ prodigioſæ & inuictæ (vti credebant miſeri) vires excitabant. Nam vt aduerſus priſtinam & obſtinatam contumaciam ſuam aliquid admitterent, nulla pietas, nullus numinis cœleſtis metus aut reuerentia, nulla iuris rectique obſeruantia perſuadere poterat. Quin & eò dementiæ progreſſi Di-

Dithmarſorum perditi ante hanc cladem mores.

thmarſi, vt principũ maieſtatem malitioſè lædere non reformidarent, indignis & contumelioſis conuiriis honorem & nomen eorum inuerecundè lacerando proſcindendoq́ue. Hoc ad cæteras iniurias addiderunt: quaſi non ſatis admiſiſſent ſcelerum, ſi ditionum incolas & habitatores variis multiſque per iniuriam damnis afflixiſſent (ſeu ius in terra ſua ipſis denegando, ſeu incurſionibus factis deprædando, ſeu aliis quibuſcunque violentis fraudulentiſque modis circumueniendo) niſi in ipſos quoque principes virulentam immodeſtæ & petulãtis linguæ proteruiam effunderent. Quam ego vel cum primis indignationis diuinæ cauſam fuiſſe iudico, vt tantas clades & ærumnas cum ſumma ignominia hoc bello perpeterentur.

DEVS enim æquiſſimus iuſtiſſimúſque, vt vniuerſi huius politici ordinis autor atq; princeps vnicus eſt, & magiſtratum omnem in terris vicarium pro ſe munus gerere præcepit: ita quoque illos, qui in eo munere rectè iuſtéque verſantur, fouendos tuendóſque ſemper ſuſcipit: contumaces verò, & qui improbè iniuriis contumeliiſve onerãt, pœnis grauiſſimis plectit. Quapropter iram ac iudicium diuinum pertimeſcere, & magiſtratum legitimum habere ac colere reuerenter omnes debent populi, qui tranquillo & florenti in terris ſtatu agere exoptant.

DITHMARSICI BELLI, QVO DITHMARSIA IN PRINCIPVM POTESTATEM VENIT, FINIS.

IACO-


IACOBI ZIEGLERI LANDAVI BAVARI SCHONDIA.

LECTORI.


SCHONDIAM, quam deſcripturi ſumus, Tabulæ aliquæ ſitus Germaniæ particulares, Schõdenmarchiam ſiue Schondaniam, id eſt; amœnam Daniam vocarunt. Plinius aliquo loco Scandiam, alio rurſus Scandinauiam (ſi fides tamen exemplaribus eſt) nominauit. Sed manſit illi Schondiæ nomen, quod amœnitatem, vt dixi, ſiue (vt verbum reddam) pulchritudinem ſignificat, quoniam cœli beneficio, telluris obſequio, portuum & emporiorum commoditate, maritimis opibus, lacuum & fluminum piſcatione, venatione nobilium ferarum, auri, argenti, æris & plumbi inexhauſtis venis, coloni induſtria agro exercendo, oppidorum frequentia ciuilibus inſtitutis, nulli cedit beatæ regioni. Quòd ſi commentarium hoc, ſiq; adiecta pictura minus implere præſentem laudem forſan videbuntur, hoc nobis imputari; non Schondiæ, debebit. Nos enim vt rerum (quantæ deſcriptæ ſunt) fidem exhibemus, ſic operis abſoluti expectatione ſumus inferiores. Hæc enim terrarum comprehenſio latiſſima eſt, & ipſa etiam frequentia impedita, adeoq; ſupra hominis vnius ætatem & vires. Sed ſi ſecundus tantundem addiderit, & tertius ſicq; per plures ꝓcedat inueſtigatio: perficietur opus par nobilitati rerum.

SCHONDIAM veteres Latini & Græci ferè incognitā habuerunt: argumento eſt, quòd iſthic terrarum Zonam frigidam perpetuis damnatam niuibus, omniſq; animantis impatientem dixerunt magno conſenſu. Pauci modò eius mentionem tanquam habitatæ fecerunt. Inter quos Plinius, Quarum clariſſ. inquit libro quarto, Schotidania eſt incompertę magnitudinis, portione tantùm eius (quod ſit notum) Hilleuionum gente quingentos incolente pagos, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec eſt minor opinione Eningia. Alij Plinio etiam antiquiores, fortunatas terras, & homines Macrobios, atque omnium iuſtiſſimos mortalium, ſub hoc terrarum tractu poſuerunt, & vnde veniſſe virgines ferunt ſolēni religione cum votiuis donis Delphos, & gentem cuſtodiiſſe inſtitutum hoc, donec virgines habitę inter hoſpitas terras ludibrio atque violatæ forent. Clariſſima hæc teſtimonia ſunt ex tanta antiquitate, cùm magnitudinis & frequentiæ Schondiæ, tum probatiſſimæ vitæ gentis: ſed obſcura. Nec poſtea quamuis Gothi hæc loca egreſſi, Mæotidis & Euxini maris littora imperio tenerent, Daciam (cuius portio cenſetur quæ hodie Trāſyluania eſt) ripamq́ue Danubij inſediſſent, potentiā Imperij Romani inuaſiſſent, ſatis cogniti fuerunt, vnde eſſent oriundi. Ita veteres perparū idonei ſunt teſtimonio reddendo narrationi noſtræ. Pars qui eam ad terram non habitatam excluſerunt, etiam ſunt manifeſtè conuincendi, ne illorum authoritas admiſſa ſecurius apud auditorem, opiniones faciat non conuenientes naturæ locorum.


HVNC igitur ſermonem ante alia tractamus, non verò ponimus, ita vt veteres, in quæſtionem, neq; à rationibus colligimus ſententiam. Nam his certior eſt hiſtoria, quòd frigida habitatur. Sed iſtud agimus, vt à pręſidiis vitæ arte humana procuratis, à phyſicisq́ue & ſphæralib. rebus conſideratione deducta, oſtendamus frigidā extra animantis perniciē habitari. Hic verò de qualitate æſtatis, quàm aucta eſſe illic poſſit, priore loco dicemus. Ea cauſſa eſto qui per verticē & polos mundi vadit circulus A.B.C.D. & ſit A. polus borealis, & idē vertex loci ſubpolaris. Manifeſtū eſt circulū ſuper B.E.D. erectū, ipſiq; A.B.C.D. circulo orthogonalē, haberi pro horizōte ei loco cuius eſt vertex in A. deniq; eundē eſſe pro æquatore: ſiquidē A. eſt polus mundi. Sic iſti loco ſubpolari eſt horizō idē qui æquator. Ex hac deſignatione hoc colligimus, vbi aliquod ſiderum VII. Eſto autē Sol, à quo faciamus exemplū, pro reliquis. Ergo vbi Sol per æquatorē vt B.E.D. cōtinuè ferretur, illuſtraret inoffenſa luce vtrinq; apud A. & C. terras ſubpolares. Deinde ſicut lucem, ſic reliquā vim ſuam (quantā à prouidentia ſuper vegetalium & ſenſiliū rerum ſeminibus animādis accepit) inferret terris præſentia corporis ſui. Quòd ſi tanto infirmius, quantū ipſe toto illo hemiſphærio B.A.D. depreſſus, incedit medio ſuo diſco æqualis terræ per huius marginē B.E.D. Tamē quòd operatione tot ſeculis ab orbe condito nunquā quieſcente affulſiſſet, ſuperaſſet olim perpetuitate ſua: vnde ætate ſequenti rerum ſemina ad frugē peruenirent. Nunc verò prouidētia non contenta oſtendiſſe Solē horizonte tenus terris extremis ad polos, ſublimē etiam fecit: proptereaq; iuſſit hunc agere per cęlum curſum obliquū, & late deflectere in auſtrū & boream mutatis vicibus ab æqualitate in B. E. D. Secūdum exemplū circuli, qui & ipſe in propoſita deſignatione ſuper F.E.G. recta intelligitur erectus & orthogonalis ipſi A.B.C.D. circulo. Ex qua obliquitate omnes prouenirēt terris cōmoditates à cælo, quātæ ſufficerēt ſeminibus rerū & alendis & perficiēdis. Sed non ego cūcta cōplectar, verùm pauca hæc, quæ noſtrę ſunt aſſumptionis. Itaq; terris recedentibus à torrida in boreā, iis quibus Sol ſublimior imminet, tantoq;



torri-




torridior, vt Africę. Iiſdē ſub diē breuius decurrit, ducitq́; noctes ꝓlixiores refrigeratioreſq́;, quæ reſtituāt dāna paſſi vaporis. Quibus verò terris ſol humilior venit tātoq́; remiſſior, vt Sarmatię, his ſub diē prolixius decurrit, noctes q́; ducit breuiores, & eas multū ꝓ vaporis retinētes acti diei qui vapor adiuuet operā diurnā. Comperta loquor, inquit Vpſaliēſ. Noctes æſtiuas ſuſtinemus graues calore in Gothia, quas Romę ſenſimus refrigeratas. Hoc beneficiū incremēti dierū, cōtinuè accreſcit magis terris, quò hæ longius ad ſeptētriones abſcedūt. Nec ceſſat, donec eò ventū ſit, vbi cardo mūdi inſtat ad verticē tanquā in A. ſigno, & Sol illic leuatur ſub ſolſtitio die gradib. circiter XXIIII. ſicut ſecundū arcū B. F. Quo terrarū loco eſt vnus cōtinuus dies menſes ſex, à verno tempore per ſolſtitium in Cancro ad autumnū. Itaq; Sol præter aliquam offenſionem noctis ſeſe infundit terris illis, calore nunquā intermiſſo: quare etiam facit ad eximiū profectum æſtatis. Hoc ſit à Sole exemplū, quod ad ſex ſtellas vagas rectè transferamus & ſentiamus, has quoq; nihil infirmius adeſſe vi ſua terris extremis. Quibus deniq; prouidentia id tribuit, vt limitē illum obliqui circuli latè excederent in auſtrum & boream partibus ſex, vt per arcū F. H. Quo exceſſu præſtant in reliquis Luna & Venus, tanquam ſecundum Solem magis neceſſariæ generalibus rebus, vt quibus diſpenſant genitalē rorem, & fieri ergo præſentiores oportebat. Illo enim exceſſu hæc procurata ſunt, vt altius quàm Sol incumbāt à cœlo, ſecundū arcum B. H. partibus ferè XXX. ob idq́ue propiores vertici A. fiant, & radiorū vim procliuius figant terræ in E. centro ſubiectæ.



NVNC iuuat etiam colligere aliqua cōiectura, quàm prouectā calore æſtatē illic eſſe putemus. Diximus quàm ſublimis Sol fiat terris ſubpolarib. ſub ſolſtitij die. Totidē aūt partib. leuatur ſub bruma Romę. Hìc verò media hyeme Sol meridianus eſt perbenignus, ipſe roſas & flores alios aromaticos, quibusq́; eſt propterea Garyofilis nomē. Aliqua hyeme decerpſi, Decembri mēſe, nulla domi humana arte procuratos, verùm in apertis hortis ſub apertiſſimo cœlo omnibus areolis vno Sole eliciente prouenientes. At ſimilis benignitas non quinq; horarum ſpacio collecta eſt, ſiquidē præceſſit nox algens. Sicq́ue per ſingulos dies hæc temperies extincta per iniuriā noctis ſequētis, noua quotidie ad eundē modum coaleſcit. Quòd ſi extra detrimēta noctis (id quod ſub polis fit) hæc vis Solis vrbani inoffenſè decurreret, & ſuperior dies adiiceret continua incrementa caloris ſequenti, atq; hęc acceſſio perueniſſet tandē ad brumā per plures menſes priores. Hac conditione propoſita quiſpiam rectè ſenſerit brumā Romanā, vt non auctiorē calore, ſic certè parem futuram ſuo ipſius vrbis veri adulto. Ad hunc modum ex ſimilitudine altitudinis ſolis ſub loco vtroque, & ex comperta qualitate cæli Romani, exq́; acceſſione huic facta longiſſimi diei plurium menſium (qualis eſt ſub loco altero) colligimus æſtatem ſubpolarium locorum parem eſſe veri Romano adulto.

SED difficilior quęſtio eſt ex tempore ſex menſium, quibus Sol eas terras relinquit, & abit per obliquum circulum auſtrum verſus, veluti in G. ſignum medię bru-

mæ. Aiunt enim incidere ſub id tempus horridas tenebras, noctesque inactuoſas, quæ eripiant animanti facultatē quærendi victus. Incidere quinetiā frigus non tolerabile: quo ergo duplici malo conſtricta omnia emoriūtur, ſicque nihil animātis ſuperſtes ex iniuria hyemis & inediæ, quod ſobolē æſtate reſtituat, hacq; cauſa eſſe illic Zonam frigidā perpetuò deſertā. Ei etiam ſatisfacimus. Quod noctes attinet inactuoſas, inquam, non conueniebat iſtud in rationē aliquam aſſumi. Non enim vt Sol occidit, ita venit repēte atra nox, quin veſpera ſubſtituit nobis diem in ſeram horam: poſtea diluculū refert ſplendorē diei tanto antè præueniens ortum: poſtea reliquū noctis quod crepuſcula non reficiunt, reficit Luna. Vnde fit vt rara ſit nox inactuoſa. Hoc ſit exemplum ex noſtra temperata compertū nobis, vnde intelligamus conditionē noctis ſubpolaris. Ergo illic etiam crepuſcula ſubueniunt nocti in longum tempus: quod denique præſentius oſtendemus. Conſeſſum eſt Aſtronomis (& eſt eius oſtenſio non obſcura, verùm non huius loci) Solem deſcendentē ab hemiſphærio ſuperno per XVIII. parallelos ſubhorizōtis, finem facere crepuſculi, ſic vt tandem ſuccedat denſa nox: eundem quoque accedentem, ſub ortu ipſi hemiſphęrio ſuperno per totidem parallelos abſumere noctem & referre diluculum. Nunc verò poſitione ſphæræ ſubpolaris idem eſt horizon qui æquator. Ergo qui ipſi horizonti, ijdem & æquatori paralleli cenſentur. Itaque ſol deſcendens illic ſub horizontem, non ingerit terris noctem denſam, priuſquā attigerit parallelum diſtātem partibus XVIII. ab æquatore, vt lineā K L M. q, fit ſub decimo proximè gradu Scorpij, die verò circiter XX. Octob. Poſtea ex G. bruma reuertens in L. refert continuò diluculum ſub decimo proximè gradu Aquarij, die verò Ianuarij XX. Sic nox quanta Solis & crepuſculorū beneficio deſtituitur, eſt mēſium non amplius trium, quibus Sol inter L G. portionem obliqui circuli it & redit. Sed neque hæc trimeſtris caret remedio de cœlo. Ei enim Luna, atque ea auctiſſima orbe & lumine accedit, & illuſtrat lucis indigos menſes, quemq; pro ſe ſeorſim medio curſu menſtruo. Cuius beneficio fit vt nox (quaſi inactuoſa dicta) teneat terras illas non longius mēſe vno & medio, neque ea perpetua, & in vnum congeſta tempus, ſed partita hæc etiam in tres breuiores, quarum ſingulæ durent in hebdomades binas, videlicet Luna per binas alias illuſtrante. Hæc eſt ratio inita à ſphærali poteſtate: vnde teſtamur & æſtates & noctes ſubpolares tolerabiles eſſe animanti.



VENIMVS in hoc, vt à phyſicis rebus & præſidiis arte paratis oſtendamus, frigus iſtud formidatum etiam eſſe remiſſius opinione noſtra, ſicque comparatum illic viuentibus, vt planè ferendum cenſeatur. Iuuat autem hic ante alia referre, à quibuſnam initijs & auctoribus exiſtimemus hanc perſuaſionem profectam eſſe. Non dubium eſt auctores eſſe ætate vetuſtiores, ea qua de locis ſeptentrionalibus exploratius aliquid renunciatum fuit. Ergo veteres nuda coniectura perſuaſi, collegerunt quod ſuper illis locis ſtatuerent, aut verius ab æſtimatione cœli (quale per extremam difficultatem tolerandum ſibi, vel minus, ſentiebant homines ſub climate Ægyptio & Græco nati & conuerſati) argumentum ſumpſerunt de tota habitabili terra. Nota apud Strabonem hiſtoria eſt, ollam æneam, quæ aqua glaciata diſſilierat, allatam fuiſſe ex Ponto, & oſtenſam Delphis in grauiſſimæ hyemis indicium. Hîc qui hyemem (quanta ſub parallelo XLVIII. accidit terris) exhorruerunt, & quòd ea circa ollam effeciſſet conſecrarunt templo. Tales ſuper terris tanto exterioribus, quatenus habitatæ vel minus eſſent, quid rectè definirent? Qui verò ſequuti ſunt, hi & contenti veterum inuentis, & ſub pari qualitate cœli ferè nati, ad eandem ſententiam vltro quieuerunt, pluri fiducia quàm conſidera-

tione


ctione rerum in quibus nos hoc ſermone verſamur. Tam leuiter opinio ſuſcepta eſt ſuper Zona deſerta ſub polis. Quo ergo maiore venia, ſed & fide (quia non coniecturis, ſed præſenti locorum hiſtoria inſtructi ſumus) imus contra veterum ſententiam, aſſerentes, Septentrionem intra frigidam terra marique latè & multa frequētia habitari. Aringhæ & aſelli & rhombi (à quorum infinita propè copia menſa inſtruitur per maximam Europæ partem) ex cetariis importantur externi maris, & ad Boream propè incomperti. Infundit hoc interioribus terris fœcũditatem ſuam ſtato anni tempore, aut extrudit potius ſobolem ad nouas ſedes quærendas, hic in tranſitu capitur. Ipſa quinetiam oſtia Tyberis ſuſcipiunt hoſpitem piſcem miſſum à ſeptentrione. Enauigauit is bis Galliam, bisque Hiſpaniam: ſuperauit Liguſticum mare & Tyrrhenum plenis velis, vt copiā ſui faceret vrbi. Lacus & fluuij illis terris æquè piſcoſi ſunt. Nulla vis frigoris extinxit ſobolem anni ſequentis, & reparabilem tot ſeculis prouentum. Et puto ego, ſi alterutram naturam (terram vel aquas) reddi exitialem per frigus animanti oportebat, aquas præcipuè oportuiſſe: verùm hæ adeò etiā tractabiles ſunt, vt profunda hyeme & ſoboles illa exoneretur, & exerceatur piſcatura. Terræ quoque pari fœcunditate habitantur. Verùm ne multa repetamus, ſit eius fides penes interius commentarium. Magis exponemus cauſſas à potentia naturæ & humana induſtria petitas, vnde prouenire iſta cõmoditas poſſit. Hic verò (quod naturam ſpectat) ſentimus, prouidentiā nihil vbique feciſſe incommunicabile, ſed modum ingeneraſſe rebus, vnde fierent ſingula tolerabilia proximis. Elementorum extrema conſentiunt cum vicinis. Aer craſſus eſt ad terram & aquas, pertenuis autē ad ignem, & iuxtà calens. Ab hoc conſilio naturæ mare externum eſt plurimùm ſalſum. Sal autem (teſte Plinio) olei pinguitudinem reddit. Oleum verò in calore quodam & ſymbolo ad ignem conſiſtit, taleque exiſtens mare plurimis ſinubus infundit ſeſe terris extremis. Quæ res facit, vt ſale ſtimulet prolificum calorem, & pinguitudine foueat ad fœcunditatem. Alluuionibus autem æquè adſit vi ſua terris: quamuis habent quoque terræ intra ſinum intimum eundem calorem, omnia fœcundantem & fouentem. Vnde ergo tepent ſpecus, & aquarū ſcaturigines, tantoq; impenſius quantò eſt hyems grauior? Quodque exemplum multò inſignius eſt, mõtes per Norduegiam & Sueciam paſſim ſunt metalli feraces. Digeritur intra hos, inque venas confluit argentum & æs, quantum opus non perficiat officina minacibus ignibus. Ad hanc rationem vapor terris & aquis infuſus, & ſeſe per vtranque naturam mutuis ſpiramentis refundens & adiuuans, temperat qualitatem cœli, & facit animanti tolerabilem. Cuius eſt teſtis beluarum in mari immanis magnitudo, & in terra degentium corporum firmitas, & vita longa, omniumq; præſentiſſimus vigor: quæ non eſſent, niſi cuncta illic commodè à cœlo & elementis fouerentur. Non enim quod inter incrementa eſt aliqua iniuria offenſum, vel quod omni vita eſt malè paſtum, idem lætè proueniet. Neque viuentia illic ſua illorum hyeme perinde afficiuntur, quomodo ſi Ægyptius vel Æthiops illuc ſubitò transferatur. Namque hæc longa inductione in eius cœli naturam iam olim tranſierũt. Cuius etiam exemplum ab homine & hiſtoria ſacra faciam. Qui à Meſopotamia & illa famoſa turri in prima gentium deductione verſus ſeptentrionem migrarunt, non continuò penetrarunt ad fines extremos, ſed locarunt ſedes prius ſub cœlo medio inter vtrunque, quaſique ducto per Thraciam & Pontum. Hìc aſſueuit poſteritas, quæ Scythiam ferret, & Tanaim: quo modo qui ex æſtate ad hyemem venit, is pruinis autumni tētatus prius fuit, vt niuem ſubinde & glaciem toleraret. Ad eum modum mortales facti aſſiduè ad proxima quæque loca duriora confirmatiores, ad extrema tandem peruenerunt. Sed etiā hic ſiquid manſit aſperitatis reliquum, id natura alijs præſidijs emendauit. Dedit terra marique brutis profundos receſſus montium, & caui littoris. Quibus vapor ſubeſt tepēs tantò intenſius, quantò fit ab incumbente frigore coactior, dedit valles à ſeptentrionibus aduerſas. Veſtiuit bruta pilo tantò denſiore, quantò eſt vis frigoris maior. Itaque non ab alijs terris veniunt pelles nobilium ferarum præſtantiores. Sabellæ, quibus in orbe noſtro preciū propè immane, & æſtimatio ſecundum aurum & gemmas in regio inſtrumento eſt, inde exportantur. Et (quod miremur) non aliò quam

hyeme tempore electiore venãtur, quoniam tunc pilus denſior eſt, & cuti fidelius hæret. Quàm grauem hyemem eſſe putamus hanc qua beſtiola plurimùm viget, & qua permittitur venatori ſcrutari per ſyluas & niues & ſeptẽtrionis vim, luſtra, & præcipua lucra ſectari? Quibus autem brutis conditio corporum eſt ad frigoris iniuriam recentior, his dedit vt vel condantur ſub brumam, vel emigrent: id quod etiam in orbe noſtro plæriſque tribuit. Homini verò præterea remedium dedit, arte & induſtria comparatum, ei foris agenti veſtem denſam, & inſuper geminatã, domi focum largum, vaporariam cameram in diem, in noctes cubile plurima pluma tepens, quibus remediis edomant hyemes, quamuis ſæuas externis exiſtimatas, indigenis aũt noſtra opinione mitiores: & reuera ſunt ex primigenia mixtura corporum illa his conuenientia, quæ aliis prædura cenſentur. Leo in Africa, vrſus in Sarmatia ferocit, tanquam hîc vigore pręſentiore, tranſlati autem in contrarium cœlum languidiore vi ſunt. Ciconia hyemem non moratur: at grues ſub eam veniũt. Scytha cœlum Romanum vt febriens accuſabit, & eſt eo nihil ſalubrius. Qui tenerius educatus eſt, ſi in caſtra ſubitò transferatur, inedias, vigilias, æſtus, tranſmiſſiones fluminum, pugnas, obſidiones, capitale ſibi malum experietur: verùm miles hæc caſtrenſium meditationum loco habet, longè ante iſta induratus. Qui in vmbra vrbana verſatus tentare velit Vergilianum iſtud, *Nudus ara, ſere nudus*, profectò fuerit periculo ſuo carmen finiturus, *Habebis frigore febrem*. Senſim inſueſcitur his quæ dura putamus, & ex leuibus initijs coaleſcit facultas, qualis ſæpe ad prodigioſa opera peruenit. Videmur ſatis rerum complexi eſſe à cœlo, à natura, ab arte, vnde conſtet nihil vbique terrarum & maris eſſe negatũ animanti. Sentit etiam lector quàm hîc plurima materia apetiatur rationum & exemplorum, quæ noſtræ ſententiæ atteſtentur: quare quieſcimus. Et cedat ergo authoritas veterum, & ſequentium conſenſus hiſtoriæ huic, quanta non dico deprehenſa nunc demum fuit (multis enim antè ſeculis Germania & Schondia, non laxo diſcretę Gothano ſinu, celebrarunt mutua commercia) ſed quanta in commentarium noſtra opera venit. Atque tanta præfati, ad Schondiam & plures in illo mari memorabiles inſulas ſcribendas conuertamur.

TABVLA continet ſuper meridiano gradus XVIII. ſchœnos autem in terra CCLXXXVIII. qualium XVI. dant gradum vnũ circuli maximi cœleſtis. Super autem parallelo medio continet tabula gradus paralleli LXXXII. ſchœnos autem DC. ſerè, habet ſiquidem parallelus medius tabulæ proportionem ad circulum maximum, quam IX. ad XX. ferè: & tertia pars horæ, id eſt gradus V. ſuper parallelo cõtinet gradus duos, & quartam partem gradus circuli maximi. Parallelus auſtralior abeſt ab æquatore partibus LIIII. borealior partib. LXXII. Meridianus occidentalior diſtat a meridiano per inſulas Fortunatas gradibus VIII. Orientalior gradib. XC. Secundum hæc conformabuntur latera tabulæ ad iuſtam proportionem. Circumſcribitur autem ab occidente oceano Hyperborico, à ſeptentrione, terra incognita: ab oriente, parte Ruſſiæ albæ & mari Balthico: à meridie, Gothano ſinu, & parte Dacię. Complectitur verò imperia regia tria, Norduegiam, Sueciam, Gothiã. Dynaſtias verò quæ regibus parent XXXVII. Linea inclinationis R S. pertingens ab vrbe Roma cum meridiano Stokholmenſi regiæ Sueciæ, conſtituit ſupra huius verticem angulum poſitionis graduum LVII. circumferentiæ horizontis H N. verſus occidẽtem. Diſtantia autem recta inter duo loca ſuper linea inclinationis S R. eſt graduũ XXVII. maximi cœleſtis circuli, in terra verò ſchœnorum CCCCXXXII. qualium XVI. dant gradum vnum, ſiue eſt MDCXX. M. paſſ. qualium LX. M. reddunt gradum vnum. Linea inclinationis V S. pertingens à Venetijs cõſtituit cum meridiano Stokholmenſi, ſupra huius verticem angulum poſitionis graduum LXVI. verſus occidentem. Diſtantia autem recta inter duo loca ſuper linea inclinationis S V. eſt graduum XXV. maximi cœleſtis circuli, facit in terra ſchœnos CCCC. ſiue MD. M. paſſ. Qui aliquo trium locorũ manet, extendat tabulam Schondiæ in planiciem, & huius lateri borealiori ſupra Laponiam aptet frontem Scioterici magnetis. Tabulam

autem

autem dirigat, vt magnes ſtet correctus ſuper linea intima caui. Hoc ſitu cuſtodito, lineæ S R. & S V. ex finibus. R & V. extrahantur in longum, accipiatur verò extenſio circini per gradum vnum lateris, vtpote Occidentalis. Cum ea æquilatatione accipiantur ex S. ſuper S R. partes XXVII. finisq́; ſit R. Super autem S V. partes XXV. & ſit finis V. Hac operatione indicatur tota poſitio tabulæ ad faciem mundi, deinde aſſumptorum locorum cum inclinationibus diſtantia mutua, ſic vt poſtulat ratio aſſumptæ menſuræ tabulæ Schondiæ.



R. Roma. V. Venetiæ. S. Stockholmia. Lineæ M S B. & M R B. & M V B. ſunt meridiani locorum per quæ vadunt. H N. portio eſt horizontis loci S. S R. & S V. lineæ ſunt inclinationis locorum.

GRONLANDIA.

GRONLANDIA interpretatur virens terra, ſic dicta ob inſignem prouentum pabuli. Cuius, & pecoris, quanta ſit copia, hinc licet ſpectare, quòd ſub tempore quo ad eos nauigatur, componunt promercales ingentes ſtrues butyri & caſei: vnde etiam coniectamus terram non eſſe aſperam montibus. Epiſcopales eccleſias duas habet, ſub ordinatione Nidroſienſis. Vni datus eſt his proximis annis præſul, ſuffraganei tantùm titulo: quoniam dum metropolis negligentius intendit illic directioni religionis, propter locorum diſtantias & difficiles nauigationes, populus ferè eſt relapſus ad gentilitatem, alioqui ingenio mobilis, & magicis artibus impensè deditus. Feruntur (id quod etiam in Laponia dicemus) magicis carminibus ciere tempeſtates maris, & inuoluere periculis peregrinas naues quas ſunt prædaturi. Ipſi enim ſcorteis & ſubtilibus nauigiis vtuntur, tutis à quaſſatione maris & ſcopulorum: ad hunc modum laborantes alias adoriuntur. Petrus Martyr Mediolanenſis in Hiſpanicis nauigationibus ſcribit, Antoninum quendam Cabotum, ſoluentem à Britannia, nauigaſſe continuè verſus Septentrionem, quoad incideret in cruſtas glaciales menſe Iulio. Inde ergo conuerſum remigaſſe continuè ſecundum littus, ſeſe incuruans Auſtrum verſus, donec veniret ad ſitum contra Hiſpaniam ſupra Çubam inſulam Canibalum. Quæ narratio nonnihil cauſæ dedit mihi, vt Gronlandiam vltra Huitſarch promontorium extenderem ad continentem Laponiæ, ſupra Wardhus caſtrum. Et id feci eò libentius, quòd & ſenior archiepiſcopus Nidroſienſis conſtanter affirmabat, mare illic in anconem curuari. Acceſſit id quoque quòd Lapones conſentiunt in iiſdem ſtudiis magicis, & religionem Chriſtianam

neque ſectantur neque refugiunt: per quæ ego exiſtimaui iſtam ſimilitudinem vtrique genti accidere, quia ſeſe contingerent per continentem. Diſtantiæ quoque videntur non refragari: ſchœni enim interſunt inter vtramq; gentem non integri ducenti. Fecit & hoc ad coniecturam, quòd Cabotus fertur in glaciem incidiſſe. Et quamuis de menſe Iulio contendam non bene relatum eſſe, adeò ſi ſub polo quoq; ipſo nauigatum foret (ob ea quæ in eam rem antea diſſeruimus) tamen quòd aliquo tempore per glaciem nauigauit, id teſtatur, quòd nō per mare vaſtum, ſed propinquis littoribus in ſinus formam comprehenſum nauigarit, quādo ob eandem cauſam ſinus Gothanus concreſcat, quoniam ſtrictus eſt, & fluuiorum plurium & magnorum oſtia ſalſam naturam in parua copia ſuperant. Inter autem Norduegiam & Iſlandiam non concreſcit, ex diuerſa cauſa: quoniam vis dulcium aquarum illic ſuperatur à vaſtitate naturæ ſalſæ. Fama eſt (ſed incerto hactenus auctore) quòd Hiſpani adnauigent hoc tempore Gronlandiam, & quam dicūt terram viridem. Argumentum eius eſſe aiunt merces quaſdam exportatas ab his, & recognitas quòd forent rerum quales apud Gronlandiam reperiuntur. A ſeptentrione pertingit ad terram incognitam ſub polo, vnde etiā veniunt in hanc Pigmæi prædatores. Quod etiam argumentum fuerit terras ſubpolares habitari. Igitur Cherſonneſi Gronlandiæ deſcriptio ſic ſe habet.

Lateris Orientalis, quod Norduegiam reſpicit, deſcriptio.

Wardus caſtrum	54		70	36
Vbi ad Septentrionem	53	36	71	36
Extenſio prima	40		71	46
Extenſio ſecunda	28		72	
Huethſarg promont.	22		67	
Extenſio	5		61	45
Inde continuatur littori terræ Baccallaos	356		60	

Ad Occidentem & Septentrionē terminatur incognito fine terrarum & marium.

ISLANDIA.

ISLANDIA, id eſt glacialis terra. Hæc eſt Tyle, nulli veterum non celebrata. Tylenſes continentiſſimi dicūtur à Saxone Sialandico Grammatico. Religione ſunt Chriſtiani. Propriam ſcripturam habent, vt tota Schondia. Res memorabiles maiorum & ſui temporis conſcribunt, & celebrant cantibus & rhythmis, deniq; ſcopulis & promōtoriis inſculpunt, vt nulla niſi cum naturæ iniuria intercidāt apud poſteritatem. Situs inſulæ extenditur inter Auſtrum & Boream ducentorum propè ſchœnorum longitudine. Ipſa multa ſui parte eſt montoſa & inculta. Qua autem parte eſt plana, præſtat plurimùm pabulo, tam læto vt pecus depellatur à paſcuis, ne ab aruina ſuffocetur. Præterea inſula eſt prædicanda inſolitis miraculis. Rupes ſiue promontoriū eſt quod æſtuat perpetuis ignibus, inſtar Æthnæ. Is locus eſt carcer ſordidarum animarum. Glacies etiam certa appellitur littori magnis molibus, cuius ſi cruſta adſeruetur quamuis magna diligentia, tamen diſparet ſtatim, atque reliqua eius generis glacies recedit à promontorio in altum. Cōperiuntur illic ſpiritus ſe exhibentes manifeſtos humanis miniſteriis. Submerſorū ſiue alio violento caſu enectorum ſpectra ſeſe offerunt cōgreſſibus notorum hominum, tam manifeſta, vt tanquam viuentes accipiantur ab ignaris mortis illorum, data dextra: nec deprehenditur error priuſquam ſpectrum diſpareat. Incolæ plurimùm præſagiunt fata principum.

MERIDIONALIS lateris deſcriptio.

Littus eius Occidentalius	20		63
Choas promontorium	22	46	63

Vnde latus Orientale extenditur contra Septentrionem, & finis extenſionis habet gradus 30 68

Inde Septentrionale latus contra Occidentem extenditur, & finis extenſionis habet gradus 28 69

Lateris

Lateris occidentalis deſcriptio, poſt extenſionem quæ dicta eſt

Hekelfol promontorium,	25		67	

Inter hoc & Huytſarch Gronlandiæ, ea propinquitas eſt, vt nauigantibus inter medium ſpatium, vtrunque promontorium conſpiciatur.

Madher promontorium,	21	26	95	16
Vnde coniungitur priori fini				
Ciuitates in ea mediterraneæ ſunt				
Holen epiſcopalis,	28		67	56
Skalholten epiſcopalis,	22		63	36

HETLANDIA INSVLA.

HETLANDIA, maxima Orchadum, ſic circumſcribitur.

Littus auſtralius	30	36	62	
Littus occidentalius	27		63	36
Pars littoris Borealioris	28		64	36
Hinc iungitur fini prædicto				
Mediterranea habitant, quorum ciuitas				
Orchada epiſcopalis	28		63	36

Circa eam ſunt inſulæ aliæ XXIX. dictæ ſimiliter Orchades.

FARENSIS INSVLA.

Latus eius ſeptentrionale				
Pars eius orientalior	29	36	61	
Pars eius occidentalior	26		62	
Vnde verſus auſtrum deſcendit. Et habet gradus	24	36	61	26

Inde iungitur ſuo fini orientaliori. Eſt in ea ciuitas epiſcopalis, dicta & ipſa Farenſis.

LAPONIA.

LAPONIA dicta eſt à populo quo habitatur. Vocāt verò Germani Lapones, eos qui parū idonea rei præſenti dicunt & faciūt, quos Romana lingua dicet, puto, ineptos. Sunt verò Lapones ſtaturæ modicæ, & corpore vſq; adeò agili, vt accincti pharetra & arcu, tranſmittant ſaltu ſeſe per circulū diametri cubitalis. Pedeſtres pugnāt arcu armati, vt ferè Tartari. Artē iaenlaudi docētur à pueris: vtq; antiquitus apud Baleares, ſic apud Lapones ætate noſtra, puero non datur cibus, priuſquā attigerit ſagitta propoſitum ſignū. Veſte vtuntur ſtricta, & toti aptata corpori, ne quid impedimēti faciat operi. Hyeme vtūtur veſte, pellib. integris phocarū (ſiue vrſorū) artificioſè laboratis: eas nodo adſtringūt ſupra caput, ſoliq; oculi patēt, corpore reliquo toti cōtecti ſunt, quaſiq; in culeū inſuti: niſi quòd hæc expreſſa per mēbra omnia, ad commoditatē, non ad pœnā laborata eſt. Hinc puto temere creditū eſſe quòd ſint corpore hirſuto, inſtar brutorū: pars ita referentes ob ignorantiā, pars ob voluptatē, quam inde pleriq; capiūt, vt ſupra fidem rerum dicant omnia cōperta ſibi apud remotas terras. Sic verò arte atque induſtria muniti Lapones, perferunt foris hyemes, & aquilones, & omnē iniuriā a cœlo. Domos non habēt, ſed tabernacula quaſi caſtrēſia: manſionesq; ſæpe transferunt, hamaxobij ſunt, venationib. plurimum ſtudent. Ferarum quoque tanta copia eſt, vt paſſim cędantur. Nefas eſt mulierem exire tabernaculū, ianua qua vir eo die eſt ad venationem profectus. Etiam religio eſt, ne manu contingat feram captam: ſed vir porrigit mulieri veru præfixum, quantum illi carnis impertit. Agrum non colunt. Terra ſerpentem non fert: ſed culices illic ſunt grandes & infeſti. Piſces capiunt plurima copia: hocq; prouētu viuunt, Ichthyophagorum

Æthiopum more:atque vt hi feruore nimio, ſic illi frigore excoquũt piſces, & edomant in farinam. Tantum denique ſupereſt capturę, vt eius plurimum condant in cetarijs, & exportent in vicinas terras Northbothniã & Ruſſiã albam. Nauigijs vtuntur nullis clauis, ſed neruis & viminibus, compaginatis. His per rapidiſſimos fluuios inter montes Laponiæ deferuntur, æſtate nudi, vt in periculo enatare valeant, & colligere ex naufragio merces. Pars artificia exercent: pingunt acu ad delicias, & faciunt veſtes intextas auro & argento. Qui ad vſum quippiã artis repererint, & qui receptũ ab aliis excoluerint, honorantur puplicè: videlicet veſte donantur, cui ſit intextum argũmentũ excultę artis: atq; hoc inſigne in familia manet ad poſteritatẽ. Naues, dolia, & omne inſtrumentũ domeſticũ probè fabricãt, & exportant ad viciniam. Cõmercia permutatione & pecunia agunt, mutuo cõſenſu tantùm, & nullo ſermone communicato: atq; iſtud non propter ingenij inopiã & mores brutos, ſed quòd linguam habent peculiarẽ & ignotam vicinis. Gens validiſſima eſt: & diu libera fuit, & arma ſuſtinuit Norduegiæ Sueciæq;: donec conceſſit tandem ſub imperium, & tributum pendit precioſas ferarũ pelles. Præſidem eligunt propriis arbitriis, quem regem vocãt: verùm rex Sueciæ ius adminiſtrationis donat. Is veſte rubra induitur: hoc eſt ipſi inſigne regium. Deniq; populares veniunt in Sueciam pro cognitionibus dubiarũ cauſarum. In itinere hoſpitiũ aut omnino tectum non ſubeunt, ſed agunt noctes ſub diuo. Equos non habent: ſed eorum loco feram domãt, *Reen* ipſi dicunt. Hæc eſt iuſtæ magnitudinis mulæ, pilo propè aſini, hirſuto: vngulas habet bifidas, & cornua ramoſa, inſtar cerui, ſed humiliora & ramis rarioribus. Equitẽ dorſo non fert, ſed antilena impoſita iũgitur vehiculo. Aſſequitur XXIIII. horarum ſpatio CLM. paſſuum, ſiue ſchœnos XXX. Quod ipſum ſpacium dicunt lingua patria ter mutare horizontem: hoc eſt, ter contingere ſignum quod eminus poſtremũ proſpexerint. Quod certè indiciũ eſt cùm magnæ pernicitatis, tum magnarũ virium feræ: quæ in tantum ſpaciũ curſu ſufficit, etiam vbi interim pabuletur. Hanc hiſtoriã putarim veteres quoq; agnouiſſe, ſed obſcura & dubia quaſi fama exceptam: ſiquidem aiunt Scythas quoſdam equitare ceruos. Religionẽ Chriſtianam neq; ſequuntur, neq; etiam refugiunt, tanquã Iudæo odio in eam offenſi: ſed ſubinde admittunt in gratiam regum quibus parent. Etiam quòd minus plures ſunt Chriſtiani, culpa nonnulla eſt pręſulũ: qui aut hanc curam inſtruendæ gentis abiecerunt, aut fidem Chriſti illic adoleſcentem euileſcere rurſus fecerunt. Siquidem huius prætextu ſua etiam vectigalia ſubinferre genti voluerunt, intolerabili exemplo, non his locis magis quàm orbi omni Chriſtiano, vt quod acerbiſſimas trahere defectiones ſolet. Ioãnem Gothum epiſcopum audiui dicentem, Nos, qui Vpſalienſi eccleſiæ pręſidemus, & ſub diœceſi noſtra habemus eius gentis multam partem, vt de noſtra vigilantia paſtorali prædicare multa non conuenit, ſic à cupiditate nefaria (qua religionẽ quæſtum ſtatuamus) abſtinentiſſimi: hoc vbiq; pręſtabimus, vt nullam prębeamus materiam, per quam hęc gens, tanquã noſtro offenſa peccato, minus ſit Chriſtiana. Is ſtatus eſt religionis apud Lapones. Tamen ſuopte & à maioribus recepto inſtituto ſunt idololatræ: & quod manè animantis occurrit procedenti, ex eo capit omen euentus diei, & idem in diem colit. Statuas etiam lapideas erectas in montibus pro dijs habent. Fœderãt coniugia, auſpicantur in igne & ſilice: myſterio ſtatui coniugali tam aptato, vt eo ſit nihil aptatius, tamq; conſideratè recepto, quàm ſi Græcia media. Quòd enim ignem pręferunt, vt id non faciũt ſoli (quoniã eum morem & Romani ſeruarunt) ita iſto celebrandi ſunt, quòd populo omniũ maximo ſimilia faciunt. Iſtud verò maiorem in modum, quòd ſilicem præferunt, collaudandũ: cùm quòd hæc philoſophia domeſtica eſt, tum quòd ſignificationem habet nimis quàm affinem his ſacris. Vt enim ſilex latentem in ſe ignem habet, qui concuſſione emicat: ſic in vtroque ſexu eſt recondita vita, quæ tandem profertur mutua copula, in prolem viuentem. Præterea incantatores ſunt perefficaces. Magicos nodos tres nectunt, pendentes à loro. Vbi vnum ſoluerint, cient ventos tolerabiles: vbi alterum, vehementiores: vbi tertium, mouent apertam tempeſtatem: ita vt veteres fulmina eliciebant. Ea arte iſti vtuntur in nauigantes ex arbitrio: ita vt his fauere vel minus viſum fuerit, ita ſiſtunt & mo-

uent flu-

uent flumina & maria. Faciunt quoq; è plumbo iacula magica breuia, ad modum digiti: ea emittunt per quamuis diſſita loca, in eos de quibus vindictā expetunt. Hi oborto carcinomate à crure vel brachio intra triduum vehementia doloris exanimantur. Sol occidit illis locis, & ducit noctem vnam per tres ferè menſes brumæ: per quos non habent lucem niſi qualem crepuſcula, clariſſima quidem, ſed in paucißimas horas, qualéſque lunares ſplendores faciunt. Itaq; diem quo Sol ad hemiſphærium redit, feſtum habent, & ducunt lætitiam ſolenni feſtiuitate. Hi ſunt mores gentis, nequaquam abſurdi (ita vt ſyluestris vtque nomine Laponum cēſeri debuerit) ſed olim, quando ſub imperio domeſtico vixit, & nulla commercia cum vicinis habuit, & ſuas opes ignorauit, nec precium nouit domeſticarum pellium ſub orbe noſtro, atq; earum multam copiam leuium rerum repenſione commutauit. Hinc puto, ſimplicitas ad Laponum nomen deflexa eſt.

LAPONIA terra, extrema Schondiæ cognitæ, verſus ſeptentriones. Terminatur hæc etiam hac parte ad incognitum nobis orbem, prætere a parte maris externi, ſecundum deſcriptionem hanc.

Littus primum	70	72
Littus ſequens	80	70
Quod etiam ſequitur	90	70

Ex cetarijs huius maris plurimā copiam piſcium exportāt ad Nordbothniam & Ruſſiam albam terras vicinas. Vnde licet coniectare, mare hoc quaquauerſum extendi verſus ſeptentrionem. Ab occidente terminatur intimo ſinu ad

Wardhus caſtrum, ad gradus	54	70	36
A meridie terminatur linea hinc extenſa, vſque in gradus		90	69

NORDVEGIA.

NORDVEGIA, ideſt ſeptentrionalis via. Fuit regnum hoc aliquandiu admodum florens, & imperium tenuit per Daniam & Friſiam, & latè per inſulas: donec domeſticum imperium per hæreditariam ſucceſsionem adminiſtratū fuit. Poſtea ſub interregno, conſenſu procerum inſtitutum eſt, vt reges per electionem ſuſciperētur: arbitrati eos hoc æquius adminiſtraturos regnum, quo minus forent cōfirmati per nouitatem. Sed euenit (dum quiſque vt opibus, ambitione & fauoribus affinitatis præſtitit, ita in ſpem maiorem venit regni aſſequendi) vt factionibus diſtraherentur, ſeſéque etiam inferrent ad occaſionem capiendi regni externi, qui adiuuarent & deſtituerent partes concertantes, vt viſum ſibi è re fuit. Itaque eſt hoc tempore ſub poteſtate Danorum. Hi non legitimos modò reditus & tolerabilia vectigalia imperant: ſed omnia commoda corradētes, transferunt in Daniam; videlicet diuturnitatem imperij conſtituentes in infirmitate ſubiectorum: quòd non vnum exemplum eſt hac ætate in re Chriſtiana. Poſtquam enim virtutes quæ principem) id eſt patrē patriæ) verè ſpectant, relictæ ſunt, ſuperbumq́ue domini ſupercilium ſolùm retētum, quod aperuit ad ſubiectorum iniuriam licentiam: ſequutum iſtud eſt, quum dynaſtæ nihil præſidij reliqui fecerint ſibi in amore mutuo populari, vt in vi & omnium fortunarū extenuatione quærant incolumitatem ſtatus ſui. Hæc fortuna eſt Norduegiæ: neque ipſa ædificia vrbium ſuam amplitudinem & dignitatem veterē tueri poſſunt, nec ſpes eſt ſtatus reparandi. Publici enim conuentus in rem non admittuntur: nemo ex arbitrio ſuo referre audet, aut opere tentare, incertus de omnium voluntate. Ad hanc difficultatem accedit qualitas locorum. Habet enim Dania in poteſtate nauigationes omnes Norduegianas: neque hæc exercere mare poteſt, neque exportare merces, hoc rege hoſte. Præterea a cælo, à tellure, à mari nequaquam humilis aut parum fœlix exiſtimata. Hæc mittit in reliquam Europam piſcem ex genere aſellorum, frigore indutatum, & extentum in fuſtem: vnde & eum Germani dicunt *Stockfiſch.* Captura eius laudatiſsima eſt Ianuario, quādo ſupereſt frigus, vt induretur. Et qui clementioribus menſibus fuerunt capti, marceſcunt neque ſunt idonei vt exportentur.

OCCIDENTALIS littoris deſcriptio, pars maximè borealis.

Wardhus, id eſt ſpeculatoria domus	54		70	30
Caſtrum eſt validiſſimum, & præſidium impoſitum Laponibus.				
Littus ſequens	48	50	70	
Matthkur oppidum	48	30	70	15
Cherſonneſus extrema	48	30	70	15
Bomgang oppidum	48		70	30
Sinus intimus	48		79	55
Skyttungzberg oppidum	47	30	70	20
Littus ſequens	47		60	15
Sammawik in Cherſonneſo extrema	46		70	15
Littus ſequens	46		70	10
Littus ſequens	46	15	70	
Honouitz	46	40	69	45
Littus ſequens	47		69	55
Ingen ſuper ſinu intimo	47	15	69	15
Helganas	47	30	69	35
Segerwar	46	45	69	
Katiwik	47	5	69	15
Littus ſequens	46	45	69	20
Littus ſequens	46	15	69	15
Haſſewagh	45	35	69	
Littus ſequens	45	55	69	15
Littus ſequens	45	30	69	25
Tuſwonas	45		69	

Totum hoc littus & loca vicina, olim deſerta lue publica Norduegiæ, Lapones deligunt ſibi in ſedes, commigrantque ſub clementius cœlum.

Littus ſequens	44	45	66	15
Skarteſuagh	44	20	68	50
Wand Wagh	44	30	68	20
Littus ſequens	44		68	40
Sandwar	44		68	15
Littus ſequens	44	40	68	10
Malanger	44	20	67	40
Littus ſequens	43	30	68	10
Rodhelle	43	30	67	40
Lokhelle	44		67	30
Littus ſequens	44	36	67	35
Oſtafiorden promontorium	44	40	67	15
Littus ſequens	43	50	67	5
Rollen	63	30	67	
Promontorium	44		67	
Littus ſequens	44	[illegible]5	66	50
Littus ſequens	43	30	66	50
Foten	43	30	66	35
Stegh ſub circulo arctico	42	10	66	30
Conuentus Helgeland.				
Salten	40	30	65	45
Gilles Skal	40	20	65	15
Rodhoo	40		65	
Alſtahus	40		64	45
Brynnia ſuper ore ſinus	39	50	64	10
Conuentus Nummodal.				
Littus ſequens	40	30	64	10

Hactenus à caſtro Wardhus vſq; in hæc loca, totum littus eſt infeſtũ verno tempore,

pore balenis vaſtæ magnitudinis, adeò quòd ad centum perueniunt cubitos. Hæ tunc gregatim conueniunt ad prolificádum. Naues vel quæ in earum corpora, vel in vortices aquarum, quos hæ faciunt (inſtar Charybdis) agitatione ſua, delatæ fuerunt, periclitantur. Remedium eſt autem nauigantibus, caſtoreum dilutum aqua, & in mare effuſum. Hoc, tanquam attonito, petitus grex balenarum, totus repente diſſipatur, & in profundum fertur. Rugiunt horrendùm: ſpiracula duo habent in ſumma fronte, patentia ad cubiti proceritatem, hæc tecta ſunt folliculo: reſpirantes efflant vndas in modum denſi nimbi. Spina dorſi reperitur continens amplexu vlnas tres, internodia ſingula vnam, longæ minus cubitis LX. Condiuntur in cetarijs. Maiores inutiles cibo ſunt, propter non domabilem aſperitatem.

Snaſen	41	20′	64	35′
Bionor	41	30′	64	15′
Sradzbigd	42		64	15′
Oryan	42	30′	64	
Oſtraath	42	40′	64	15′
Reon caſtrum	43		64	30′
Betzſtad	42	10′	46	45′
Littus ſequens	42	30′	65	
Littus ſequens	41	30′	65	10′
Inderoo	42		65	15′
Sparrabo	42	20′	65	30′
Wardal	43	20′	66	
Oſtia fluuij	43	30′	66	
Skongen	44		66	
Froſten	44	30′	65	55′
Conuentus Styordal				
Oſtia fluuij	45		65	40′
Imblewik	45	40′	65	15′
Iadha ſuper oſtijs	45		65	15′
Bakka monaſterium ſuper boreali ripa oſtiorum Tildræ fluuij	44	35′	65	
Nidroſia ſuper auſtrali ripa				

Hæc eſt omnium eccleſiarum per Norduegiã, Iſlandiam, Gronlandiã, & inſulas adiacentes, metropolis. Fuit nobilis in primis ciuitas, ſub florente Norduegiæ imperio, continens in ambitu parochias (quaſi dicas regiones vrbis) XXIIII. Nunc in vici formam ferè redacta eſt. Vocatur lingua germana *Truthaim*, quaſi Dryidũ domicilium. Extat hodie eccleſia cathedralis, argumentum veteris felicitatis: cui magnitudine & laborati lapidis artificio, par opus nõ eſt ſub orbe Chriſtiano. Crepido circum altare corrupta fuit incendio, hæc reparabatur eo tempore quo iſta ſcribimus: in quam impenſæ imputantur ad VII. M. aureorum. Atq; à tantula parte æſtimatio præſtantiæ fiat templi totius.

Littus ſequens	44		65	
Nas	44	30′	64	
Medelhus	45		64	
Bodwik	45		63	45′
Byrſen fluuij oſtia	45		63	35′
Conuentus Midental				
Littus ſequens	44	20′	63	45′
Agdanas	43	30′	64	15′
Laſwik	43	30′	64	
Conuentus Hempne				
Littus ſequens	42	40′	63	45′
Littus ſequens	44		63	45′
Oſtia fluuij	44		63	30′
Conuentus Nordmor				

Littus ſequens	43	15	63	30
Conuentus Romſdal				
Littus ſequens	42	20	63	
Littus ſequens	41		63	
Quod etiam ſequitur	41		63	25
Conuentus Sudmor				
Littus ſequens	39	40	63	30
Stad promontorium	39	10	62	45
Medium ipſius in mediterranea	40		63	
Et Sognifyal mons	42		62	30
Finis	45		62	30
Poſt Stad promontorium Nordfyord Conuentus Sydfyord	39	30	62	30
Conuentus Sogniæ				
Litus ſequens	40		62	30
Littus ſequens	39	20	62	
Quod deinde ſaquitur	39		62	
Quod etiam ſequitur	39		61	45
Conuentus Valdres				
Littus ſequens	41		61	45
Conuenius Oſteruee	39		61	30
Littus ſequens	39		61	15
Bergis ciuitas epiſcopalis	40	30	61	15
Conuentus Quinmobarath				
Monaſterium beatæ Brigittæ	39	15	61	
Littus ſequens	40		60	45
Halſne	40	10	60	45
Littus ſequens	41	30	60	45
Conuentus Hardanger				
Littus ſequens	40		60	30
Hwitting Soo portus	40	20	60	15
Staffanger ciuitas epiſcopalis	41		60	20
Iadher	41	40	60	
Hither portus	41	30	60	
Liſta	41	30	59	45
Lindaſnas promontorium	41	30	59	35
Littus ſequens	42	10	59	40
Heſtnas	42	30	59	45
Skidhen	42	20	59	55
Littus ſequens	42	45	59	50
Konſpergh caſtrum & emporium	43		59	50
Koparwik	43		60	6
Lidher	43	40	60	
Aska	43	45	60	
Littus ſequens	44		60	5
Conuentus Agdaſidha				
Æſtus	43	45	60	15
Naſoo	44	10	60	5
Akershus caſtrum	44	30	60	15
Conuentus Ringariko				
Argenti fodinæ	45		60	15
Littus ſequens	45	30	60	20
Conuentus Midyental				
Aſloia epiſcopalis	45	30	60	5
Conuentus Riggo				

Varne Monaſterium	44	40	59	55
Conuentus Veſtfalen				
Eng	44	20	59	55
Saltzburgum emporium ſuper boreali parte oſtiorum				
Sarps torrentis	44	30	59	15
Littus ſequens	44	30	59	
Auros caſtrum	45	45	59	
Oddawad	46	10	59	
Littus ſequens	46		58	50
Littus ſequens	45		58	50
Dragemmark	44	50	58	50
Littus ſequens	44	30	58	50
Sinus intimus	44		58	40
Littus ſequens	44	15	58	35
Maſtrand	45		58	30
Kongelle emporium	45	30	58	5
Bohus caſtrum munitiſſimum ſuper boreale latus oſtiorum				
Trolhetæ fluuij	46	30	58	30

Is fluuius tanto fragore decurrit, vt per ſchœnos tres audiatur. Tractus totius littoralis Norduegiæ eſt mitis, mare non conglaciatur, niues non diu durant. Habet etiam terra hęc peſtem peculiarem, quam *Leem* vel *Lemmer* vocant patrio ſermone. Hæc eſt beſtiola quadrupes, magnitudine ſoricis, pelle varia. Hæ per tempeſtates & repentinos imbres decidunt, incompertum adhuc vnde: an ex remotioribus inſulis, & huc vento delatæ, an ex nubibus fecu'entis temere natæ deferantur. Id compertum eſt: ſtatim atque deciderunt, reperiuntur in viſceribus herbæ crudæ nondum concoctæ. Hæ more locuſtarum depaſcunt omnia virentia: & quæ morſu tantùm attigerint, emoriuntur virulentia. Viuit hæc peſtis, donec non guſtauerit herbam renatam. Conueniunt quoque gregatim, quaſi hirundines auolaturæ, ſed ſtato tempore: aut moriuntur aceruatim cum lue terræ. Ex quarum corruptione aer fit peſtilens, & afficit Norduegos vertigine & icteriſi: vel ab aliis beſtiis, dictis *Leſrat*, conſumuntur: vnde pingueſcunt, & reddunt pelles aliquantò laxiores humana menſura. Ab oriente terminatur linea quæ ducitur per montes, quorum fines ſunt, qui auſtralis ſuper oſtiis Trolhettę fluuij: qui verò borealis, exit per Wardhus caſtrum, & extenditur ad terram incognitam Laponum.

Præterea ſunt montes alij qui in Cherſonneſo magna fines habent 41 30. 65 15 extenduntur in gradus 40. 64 45 Et qui a Soknadal extenditur ad Solabo, & gradus habet 46 20. 63 20 Et 46 30. 64 45 vbi ſunt foſſiones ferri. Et qui à promont. Stad per continentem extendũtur, qui dicti ſunt. Et qui inter duos conuentus Halmgadal & Toten: quorũ fines 41. 60 45 Et 41. 61 20 Et extenduntur verſus orientẽ in gradib. 44. 60 45 Et 44. 61 25 Lacus in Norduegia inſignes ſunt.

Conuentus Iemptinæ, poſt quem verſus meridiem eſt deſertum, vſque ad Aardal conuentum.

Owik lacus cuius medium	47		67	30
Caſtrum regium ſuper ipſius auſtrali parte	47		67	
Emiſſio lacus	46	30	67	25
Eius oſtia dicta ſunt apud Skongen.				
Conuentus Aardal				
Lacus cuius medium	45	30	66	30
Eius oſtia apud Froſten:				
Lacus vaſtus, cuius medium	47	30	66	
Eius oſtia dicta ſunt poſt Styordal				
Conuentus Offreſtrind				
Ions Vathen lacus, cuius medium	46	20	65	
Eius oſtia ſunt ſupra Ladha				
Conuentus Hardal				

Lacus cuius medium	47	20	64	30
Effunditur in alium				
Lacuſq; eius medium	46		64	35
Eius oſtia apud Nidroſiam vrbem				
Lacus, cuius medium	47		63	30
Eius oſtia dicta ſunt ſub Byrſen.				
Oſterdal conuentus ab orientali parte lacus. Archiepiſcopatus Nidroſienſis poſt Hardal conuentum.				
Soknadal conuentus ab occidentali parte				
Lacus cuius medium	45	30	62	50
Deſertum à ſeptentrionali parte lacus				
Orkadal conuentus inter deſertum & lacum				
Midental conuentus contra occidentalem plagam conuentus Orkadal.				
Oſtia verò memorati lacus ſunt ſupra Swdal				
Lacus, cuius medium	46	45	61	15
Fontes	46	45	61	30
Emittitur in flumen circa gradus	45	30	60	30
Vermelandia ducatus circa ſontes lacus				
Soldier conuentus ad occidentalem partem lacus				
Parochia Nas in Soldier conuentu				
Lacus, cuius medium	42		62	
Qui effluit in lacum alium, cuius mediũ	43	30	61	40
Facit & is lacum alium, cuius medium	44		62	
Qui effluit in aliũ, qui dictus eſt habere gradus	44		61	15
Hedmarken conuentus.				
Hãmaria ciuitas epiſcopalis ſup emiſſione lacus	45		61	15
Mos lacus & in eius medio				
Hosfwen inſula	45	30	61	

In eo lacu apparet oſtentũ, ſerpens miræ magnitudinis, qui, vt cometæ orbi reliquo, ſic is portendit Norduegiæ mutationẽ rerum. Viſus eſt recentiſſimè anno ſalutis M D X X I I. altè eminens ſuper aquas, conuolutus in ſpiram. Exiſtimatus eſt coniectura collecta procul viſu, cubitorum quinquaginta. Et fuit ſequuta eiectio regis Chriſtierni. Eiuſmodi oſtenta pluribus locis per terrarum orbem euenire ab indigenis referuntur: niſiq; prouidentia miſerata mortales, credatur hæc ſubmittere (quomodo cometas, & concurrẽtes in aere acies, & iſtiuſmodi inſolita plura nota hiſtoriis, vt exterreat mortales, vtq; longè antea emendent per quæ in ſe trahunt imminẽtia mala) niſi, inquam, iſta ab hoc initio prodire credamus, quum præterea cauſæ ex naturalibus rebus quæſitæ nullæ reperiãtur: reliquum eſt vt ſpectra & humani ſenſus occupati ludibria cenſeantur. Hæc igitur accipiat quiſq; vt libitum eſt.

Edzwald caſtrum	45		60	45
Super emiſſione lacus Mos, & parte eius auſtrali				
Vlensaker	46	20	60	20
Sderhen caſtrum	46	50	60	15
Super emiſſione lacus Mos				
Oyer lacus ſciſſus ad prædictum	47		60	
Lacus alius ad hunc etiam ſciſſus, in quo ſontes				
Sarps fluuij	45	15	59	20
Lacus, cuius medium	47		59	15

Sunt alij conuentus præter eos qui in littorum & lacuum deſcriptione ſunt dicti.

Verſus autem oriẽtem montes aſperrimi, & qui nullum tranſitum admittant in Sueciam.

Deſertum medium inter duos Conuentus, & pertingens à palude vicina ad montes.

Deſertum medium inter Vbdal & Orkadal conuentus.

Deſer-

Deſertum medium inter Vbdal & Oſterdal conuentus.
Deſertum medium inrer Oſterdal & Soloyer conuentus, quod venit anguſto tractu à lacu Mos, & peruenit ad montes circa Vermelandiam.
Deſertum ad latus auſtrale paludis in conuentu Soloyer.

Orskagh conuentus poſt dictum deſertum & medium, gradus habet	47	30	60	20
Marker conuentus	48		59	50
Hadhaland conuentus	45		60	50
Hoffcaſtrum	45	30	60	30
Tellemarkia conuentus	43		60	35
Swndhadarlangh conuentus	42	30	60	15
In eo ſunt foſſiones cupri				
Innebakka conuentus	46		59	45
Viken conuentus, & in eo				
Olaffzburgum caſtrum	47		59	10
Inſulæ adiacent Norduegiæ				
Stappen, cuius medium	46	30	71	15
Hyelſoo	45		71	
Truunis	45	30	70	30
Rodesholm	44	30	70	5
Sanyam inſula, quæ ſic circumſcribitur				
Pars borealior				
Balſtad	45		69	45
Oyofiord	44		69	45
Littus ſequens	44		69	40
Littus ſequens	43	30	69	45
Medfiord	43		69	30
Sinus	43	30	69	35
Littus ſequens	43		69	20
Berg	43		69	15
Grillefiord	43		68	45
Hinc ſequitur latus orientale				
Littus ſequens	44		69	30
Inde iungitur capiti boreali, hoc latus alluitur mari dicto Sighoſlund quaſi anguſtiæ.				
Andanas inſula cuius medium	42		68	35
Trondanas inſula	42	30	68	20
Quedefior cuius medium	42	20	67	50
Londingia cuius medium	43		67	25
Mare inter inſulas & Norduegiam dicitur Tyalleſlund Euripus vel anguſtiæ				
Skaffwen inſula	42	30	67	15
Lofoth cuius medium	42		67	10
Langanas cuius medium	41		67	
Vaſtral cuius medium	41	30	67	30

Inter tres has inſulas mare appellatur *Muskoſtrom*, id eſt æſtus. Hic mare ſorbetur intra cauernas, accedente fluxu, & reflatur refluxu, quanto maximo impetu deferuntur torrentes. Nauigatur hoc mare, donec inferius eſt faucibus ſcopulorum: & qui iniquo tempore inciderint, feruntur præcipites in voraginem. Naufragiorum reliquiæ perraro redduntur: & ſi quãdo redduntur, reperiuntur robora attrita colliſione ſcopulorum, vt lanugine quaſi obducta videãtur. Hæc eſt potentia naturæ, fabuloſas Symplegadas, & formidatam Maleam, & Siculam Charybdim, & omnia miracula ſuperans: quæ naturam efficere reliquo mari compertum mortalibus eſt.

Varo inſula medium	40	15	66	30

Et quæ in ſinu magno Nidroſiæ.				
Heſcho, cuius medium	44		65	50
In ea Stenwikholm caſtrum	44	40	65	30
Yetreoo, cuius medium	42	30	65	15
Tureren, cuius medium	43	30	65	15
In ea Holm monaſterium.				
Extra ſinum magnum, & quæ in ipſis faucibus				
Foſen, cuius medium	42		64	
Krakowad medium	40	40	64	
Giska medium	39	30	64	
Alia item inſula	38	30	64	15
Item alia	38	30	63	45
Skorpena cuius medium	38		63	15
Kind medium	37	40	62	15
Alia cuius medium	38	25	62	
Askoo	38		61	30
Et in ea caſtrum.				
Et alia cuius medium	38	15	61	
Skwtonas littus eius borealius	38	40	60	30
Littus occidentalius	39		60	
Littus auſtralius	39	40	60	5
Pars orientalior & caſtrum	39	30	60	15
Mare inter hanc & Norduegiam dicitur				
Karmslund euripus				
Iomkwland medium	42	20	59	15
Iarſoo medium	43	15	59	25

Inſulæ circum Norduegiam lætiſſimi pabuli ſunt, & non prius menſe Nouembri reducunt pecus in ſtabula, in pleriſque etiam hybernant.

S V E C I A.

SVECIA regnum eſt diues argenti, æris, plumbi & ferri, frugum, pecoris, & prouentu immenſo piſcium ex fluminibus, lacubus & mari, venationibus quoq; ferarum. Terminatur ab occaſu mõtibus Norduegiæ, à Wardhus caſtro vſque in finem 51. 63 40. A meridie, linea ab hoc fine vſque in gradus 53 30. 61 & inde vſq; in gradus 61. 60 30. Super Suetico ſinu, à ſeptẽtrione fine auſtrali Laponiæ à Wardhus caſtro vſque in finem 62. 70. Ab oriente terminatur linea ab hoc fine vſque in gradus 63. 69. Deinde littore Suetici ſinus ſecundum deſcriptonem hanc. Poſt finem qui dictus eſt habere gradus 61. 60 30.

Rodenſis ducatus.				
Stokholm vrbs magna	64		61	

Hæc eſt regia & emporium Suecorum, munita natura & arte. Sita eſt in paludibus inſtar Venetiarum. Inde ſortita eſt nomen, quòd ſita in aquis fundamenta, ſint palis ſtabilata. Mare eam ingreditur duobus ramis, tam largis aquis, vt naues onerariæ extenſis velis & toto onere inuehantur. Hæc paſſa eſt his annis cladem, vſque ad ſingulare exemplum hoſtilis ſæuitiæ: quale non facilè reperitur editum in vrbem per fœdus & pactiones receptam.

Poſt Stokholm				
Littus primum	65		61	30
Littus ſequens	65		62	
Sequens littus	65	40	61	10
Sinus	66	20	61	30
Littus primum	66		61	20
Littus ſequens	66	40	61	30

Littus

Littus ſequens	66		61	55′
Quod ſequitur	67		61	50′
Quod item ſequitur	67	30′	62	40′
Quod deinde ſequitur	68		62	15′

Totum hoc littus eſt ſinuoſum & portuoſum.

Oregrundia portus	69		65	
Elkarlabij portus, & Dalekarlij fluuij oſtia	64		63	30′

Hîc ſunt inſignes piſcaturæ Salmonum.

Geſle portus	64	30′	64	20′
Tuna portus	63	30′	66	40′
Extremum littus	63		69	

Lacus ſunt in Suecia, in ducatu Iempthiæ, dubij iuris, quem & Norduegi ſibi aſſerunt.

Lagen lacus, cuius medium	54		66	20′

Circumhabitatur frequens, & accolæ ſuſcipiunt magna emolumenta ex piſcatione lacus.

Selen lacus	52	15′	65	30′

Vnde Dalekarlius fluuius emittitur.

Sylua inter lacum & Norduegiæ montes.

Lacus ſuper alueo Dalekarlij fluuij mediũ	56	30′	63	50′

Toto hoc tractu ſunt montes auri, argenti, æris & plumbi feraces.

Meler lacus	55	30′	62	30′
Emiſſio ad Selen lacum	58		62	30′
Pars lacus orientalior	62		61	20′

Vnde æſtus reciprocantur apud Stokholm vrbem.

Angermanniæ ducatus tenet ſeptentrionalia ad confinia Laponiæ: eius tractus eſt totus ſyluoſus. Et ibi in præcipuis feris venantur vros & biſontes, quos patria lingua dicunt *Elg*, id eſt aſinos ſyluestres: tantæ proceritatis, vt ſummo dorſo æquent menſuram hominis porrecti in brachia elata.

Midelpathia ducatus, eo auſtralior, poſt quem Helſingia ducatus.

Montes ſunt inter duos ducatus extenſi, inter montes Norduegiæ & Sueticum ſinum.

Ciuitates & villæ in hoc tractu

Ballanes	61		67	10′
Forſen	60	30′	66	50′
Liusdal	60	30′	66	50′
Alta	60	30′	65	50′

Geſtritia ducatus, prioribus auſtralior

Sylua inter hunc & Helſingiam, latitudinis ſchœnorum x. peruenit autem à Selene lacu ad ſinum Sueticum ſuper Tunam portum. In hoc tractatu ſunt foſſiones cupri & ferri.

Ciuitates autem & villæ in hoc tractu

Henemora	55	30′	63	35′

Fieringiæ ducatus ciuitates & villæ

Enecopia	63		62	
Vpſalia metropolis	62		62	30′

Hîc conditum eſt corpus Erici regis & martyris.

Coperdalia ducatus, id eſt cupri vallis, poſt Iempthiam ducatũ ad auſtrum. Sub hoc ſunt Dalekarli, gens potens armis.

Poſt hunc Veſtralia ducatus, priore auſtralior.

Oplandia ducatus, vmbilicus totius Schondiæ.

Ciuitates & villæ

Veſtrorors vrbs epiſcopalis	58	30′	62	56

Inſignis eſt magnitudine & arce munitiſſima.

Arboga ſuper fluuio, qui in Meler lacũ effunditur	54	35′	62	30′

Fontes fluuij 54 63

Concipiuntur in montibus qui ſunt ad Dalekarliam

Pircho 60 62

Super boreali littore Meler lacus. Fuit olim vrbs magna, & quæ armaret XIIII. millia hominum, nunc bellis redacta eſt in oppidi formam.

Totus tractus Oplandiæ habet foſſiones argenti, cupri & chalybis.

Sudermannia ducatus tenet auſtraliora lacus meler: & ciuitates & villæ in hoc tractu

Strengenes, epiſcopalis 57 61 26

Hic conditum eſt corpus Eſthilli epiſcopi & martyris

Nicopia 60 61

Eſt inſignis munitiſſima arce.

Sictuna 60 61 26

Super meridionali latere Meler

Telge 60 36 61 36

Super auſtrali parte lacus Meler. Hic conditum eſt corpus beatæ Ragnildis, reginæ Sueciæ.

Neritia ducatus, in eo ciuitates

Orebro caſtrum 53 36 62

Eius ducatus alumna & princeps fuit Beata Brigitta.

Inſulæ & ſcopuli adiacent Sueciæ, quorum medium gradus habet 67 36 61 36

Oonæ à veteribus dicuntur, manetque eius nominis ratio hoc etiam tempore. Eſt enim in his innumera copia auium: incolæq; proximi littoris adnauigant menſe Maio, dum aues incubant: & prædantur oua, condiuntq; ſale & ſeruant in multum tempus ad cibum.

BOTHNIA.

BOTHNIA ſic dicta eſt à precioſis pellibus omnis generis, quę inde ad exteriores terras exportātur: à quibus, & piſcatione, quæſtum non minimū capit. Salmones laudatiſſimi hoc littore capiuntur: ſuntq; apud hanc gentem maximæ opes. Eſt autem duplex Bothnia, hæc à ſeptentrione dicitur Nordbothnia, & terminatur fine auſtrali Laponum, vſque in finem. 78 36 69

Ab oriente terminatur hoc fine & vſq; in gradus 78 36 68 26

Ab occidente, linea terminante Sueciam verſus orientem.

A meridie reliquo ſinu Suetico, à fine qui gradus habet 63 69

Chymene emporium	65		69	26
Extenſio prima	67		69	
Extenſio ſecunda	73		68	56
Finis orientalis qui dictus eſt	78	36	68	26

OSTROBOTHNIA.

OSTROBOTHNIA ab oriente terminatur à prædicto fine littoris maximè orientalis. A meridie linea extenſa per montes, ab hoc fine vſque in gradus 71 66

A ſeptentrione & occidente, ſinus Suetici parte. Poſt littus quod dictum eſt habere gradus 71 66

Corsholm ciuitas & caſtrum	68		67	26
Littus ſequens	67		68	26
Littus ſequens	68		68	26
Extenſio	70		68	26
Finis vltimus	78	36	68	36

GO-

GOTHIA.

GOTHIA interpretatur bona: Dei quoque appellatio lingua Germana eſt *Goth*, id eſt bonus. Gothi quo tempore ſobolem emiſerint ad nouas quęrendas ſedes, & quando Mæotidis & Aſiæ littora occuparint, nulli veterum (quod ego compertum habeam) meminerunt. Fuerunt autem cogniti ex tempore, quo Romani imperium per Illyridem ad Danubium vſque promouerunt: atque adeò ab ætate Cæſaris Dictatoris & Octauiani Auguſti maximè inclaruerunt, bellis maximis geſtis ſuper Danubio, imperij limite. Tamen ſub hac etiam claritudine, quæ Gothia eſſet, & quo terrarum loco ſita, vndeq; Gothi oriundi eſſent, ignoratum ad hanc ferè ætatẽ eſt. Terminatur hæc à ſeptentrione fine auſtrali Sueciæ: ab occidente, reliquis Norduegiæ montibus, qui ſunt a Sueciæ limite ad Trolhetæ fluuij oſtia. A meridie & oriente terminatur mari, ſecundum deſcriptionem hanc.

Poſt Trolhetæ fluuij oſtia, quæ dicta ſunt habere gradus	46	30	58	30
Lodhuſia portus & emporium	46	45	58	10
Wardburgum	47	40	58	30
Eſt inſignis arce munitiſſima.				
Halmſtadt	47	10	58	10
Helſinburgum	47		57	45
Eſt inſignis arce.				
Landskrona	47	30	57	30
Malmogia portus & emporium	49		57	
Rothnabij	52	30	57	
Auſcher	56		57	20
Calmaria vrbs magna	57	30	58	
Eſt portus & emporium, habetq; arcem quæ operum magnificentia certat cum arce Mediolanenſi				
Cronabech	58		58	20
Weſteruich		59	58	30
Stegholm	59	30	59	
Oſtrogothiorum littus				
Sudercopia & emporium & portus	59		59	30
Nordcopia & Motalæ fluuij oſtia	60		60	
Promontorium	60	40	60	30

HINC iungitur littori Sueciæ. Hoc littus Gothiæ teneri ait Plinius gente Hilleuionum. Verba eius ſunt ex lib. 4. Quarum clariſſima Schondania eſt, incompertæ magnitudinis, portione tantùm eius (quod ſit notum) Hilleuionum gente quingentis incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Clariſſimum teſtimonium, ex tanta antiquitate, cùm frequentiæ tum magnitudinis Schondiæ. Licet hìc deprehēdere cauſam, quòd Gothia apud veteres ignorata fuit: quoniam terras eas diuerſo nomine Hilleuionum populorum recenſerent.

Lacus inſigniores				
Vener lacus, pars eius occidentalior	50		62	20
Finis eius verſus meridiem	49	30	61	20
Trolhetæ fluuij emiſſio	50	30	60	45
Lidecopia ciuitas ſuper lacu	51		60	10
Vnde lacus contra ſeptentrionem conuertitur latere orientali				
Littus ſequens	52		61	20
Pars borealior	53	30	62	15
Tingualla oppidum ſuper lacu	52	10	62	50
Hic ſunt foſſiones ferri optimi				
Littus ſequens	51	50	61	30
Quod ad boream	51	10	62	

Or fluuij oſtia	51		62	30
Fontes fluuij	51	30	63	30
Ab his fontibus perueniunt montes ad fines Norduegiæ, ſuper linea terminante boreale latus Gothiæ.				
Finis montium verſus orientem	54	30	61	50
Vether lacus, pars eius borealior	56		60	40
Qua latiſſimus eſt	53	30	60	50
Ianocopia clarum oppidum, ſuper auſtrali latere	54	30	60	15
Motalæ fluuij emiſſio	55	30	60	
Vaſtena oppidum ſuper lacu	55	30	60	20
Eſt inſigne monaſterio & cõditoriis beatarũ Brigittę viduę & filię Catharinę.				
Rogſen lacus medium	56		60	15
Hunc medium influit Motala fluuius.				
Bolem lacus cuius medium	50	30	58	15
Amplectitur inſulam cultam & diuitem.				
Somen lacus latus occidentalius	53	30	59	20
Echeſio oppidum	53	30	58	50
Huetlandia oppidum	54		58	40
Latus orientalius lacus	55		58	20
Latus borealius	54	30	59	10
Ciuitates aliæ mediterraneæ				
Dalia ducatus tenet occidentaliora				
Vermelandia ducatus, & eius				
Tingualla ciuitas	48	30	62	
Hîc ſunt fodinæ ferri, & hunc habent dubij iuris Norduegiani & Gothi.				
Veſtrogothia ducatus, & in eo ciuitates				
Scaris	49	30	60	
Varnen	49	40	60	
Hîc eſt inſigne monaſteriũ ordinis S. Benedicti, vbi ſunt ſepulturæ veterum regum.				
Falacopia	49	40	59	30
Habet nomen à nundinis equorum qui hîc venduntur.				
Kindia Comitatus	49		59	10
Oſtrogothia ducatus, & in eo ciuitates				
Schenningia	52	30	59	40
Hîc condita ſunt corpora beatarum virginum Ingridis & Mechtildis.				
Lincopia ciuitas epiſcopalis	55		60	
Auidh vicus	57		59	40
Hîc ſunt fodinæ ferri & æris				
Hallandia ducatus, & in eo ciuitates				
Væ	49	30	58	10
Aus	49	30	58	
Lundis metropolis	50		57	30
Smalandia ducatus ferè extenditur à lacu Bolem vſque ad Tuiſchiam ducatum in gradibus	57		58	30
Verendia ducatus auſtralior Smalandia, & in eo Vexio ciuitas epiſcopalis	52	30	58	
Blechingia ducatus, prædicto auſtralior				
Moringia ducatus, & ſub eo ciuitates				
Kronabech	56	20	58	35
Weſterwich	57	20	58	30
Inſulæ adiacent Gothiæ				
Duarum quæ borealior	62	30	60	
Quæ auſtralior	60	30	59	40
Elandiæ inſulæ ſitus				

Pars

Pars quæ occidentalior	57	30	57	30
Borgholm caſtrum	59		57	10
Pars orientalior	61		57	40
Latus medium boreale	59		58	
Gothlandiæ inſulæ ſitus				
Primum littus	61	30	58	5
Quod ſequitur	62		58	
Littus quod ſequitur	63		58	15
Littus ſequens	64		59	
Quæ vergit contra occid. latus	63		59	20
Viſbi ciuitas	61	30	54	15

Emporium fuit antiquum celeberrimum, inſtar eius apud Genuam Ligurum, Poſtea Danorum & Moſchorum piraticis excurſionibus afflictum, deſertum eſt. Extant hodie ruinæ teſtantes veterem claritatem. Fuerunt hoc loco prima ſtatiua Gothorum qui Mæotidem occuparunt. Eſt hodieq; fertilitate agri & arce & monaſteriis inſignis. In reliquis eſt cœnobiū ordinis Benedicti: apud quod eſt bibliotheca circiter duûm millium & auctorum & codicum veterum.

F I N L A N D I A.

FINLANDIA, dicta eſt pulchra terra, vel (vt ſignificātius dicam) fina terra: quo modo finum aurum & argentum vulgò dicunt. Plinius poſt eum locum adductū in Gothia, huius cōtinuè meminit, *Nec minor eſt opinione Eningia*: quod & ipſum eſt nomē idiomatis Gothici, & omnino germani, & cuius formæ plura alia ſunt in hoc cōmentario, Schoningia, Plechingia, Helſingia, Semingia, & alia per Germaniā Tillingia, Groningia, Lotharingia. Tamē non in a exeūt, pro analogia Romani ſermonis, ſed in ing, Tilling, Lotharing, atq; hęc noſtra *Eining*: quod ipſum nomē ſingularē notat, quòd terra ſit eximiæ fertilitatis. Idē Plinius viſus eſt eam appellaſſe Finnoniā. Verba eius ſunt ex eodē libro, loco paulò ſuperiore, Inſulæ quàm plures ſine nominibus eo ſitu traduntur: ex quibus antè Scythiā quę appellatur Pannonia. Certè enim ſinus Finnonicus hodie quoque à Finlandia appellatur. Ipſa etiam Scythię occurſat, & extra totum Tanaim (id eſt Europæ limitē) longę procurrit in Aſiæ fines. Quòd verò nomen videtur non reſpōdere, id fuerit quòd locus corruptus eſt, vt alij in hoc auctore nimis multi: & ex Finnonia (ſiue Phinnonia) lapſus in Pannoniam nimis eſt procliuus, quum hæ voces minimū differant ſcriptura & ſono. Vt ergo adulterina vox facilè pro germana poſita ſit, ab eo qui Pannoniā & nouerat & legerat, Phinnoniā autem nouā habebat & incompertā. Habuit Eningia antiquitus titulū regni (tanta eſt eius amplitudo) nunc titulum dynaſtiæ: tenetq; eam Sclauonum gens & lingua. Fuit ſuperiori ætate ritus Græci, donec dominū habuit Moſchum. Hoc verò tempore ſub rege Sueciæ exiſtit, & communionem occidentalis eccleſiæ tuetur. Vina Hiſpanica inferuntur multa copia, & quo ea gens ad plurimam liberalitatē & hilaritatem vtitur. Terminatur à ſeptētrione linea auſtrali Oſtrobothnię quæ dicta eſt, & per montes extenditur: ab occidente, mari Finnonico, ſecūdum deſcriptionem

hanc, à fine lateris borealis, & habet gradus	71		66	
Occidentalis lateris deſcriptio				
Littus	71		65	
Cuſta caſtrum	70	30	64	15
Abo ciuitas	71	30	63	35
Raſburgum	71	35	62	30
Hangoo promontorium	72		60	30
Aneoper fluuij oſtia	75	20	61	30
Viburgum	78		61	30
Nouum caſtrum	78	45	63	15
Tauaſtiæ domus	79	35	65	30

Lacus Peynthe				
Caput ipſius borealius	75	45	66	
Super occidentali latere	74	15	65	
Quod ſequitur	75		63	45
Ancoper fluuij emiſſio	76		63	15
Super latere orientali	76	30	63	45
Inde coniungitur priori capiti				
Ciuitates & villę mediterraneæ				
Statacundiæ ducatus				
Domus regia caſtrum	76	15	68	15
Achas	45	75	68	
Huitis	76		67	30
Pirchala	76		67	15
Saſtamala	76		67	5
Kiiri	76	15	67	
Tauaſtiæ ducatus				
Pelchene	76	30	66	15
Sexmeche	76	20	65	55
Hauo	76	35	65	45
Hactolo	76	45	65	30
Ianakala	76	30	65	
Vano	76	35	65	
Lampis	77	15	64	55
Holola	77	30	64	45
Itamal	77	15	64	30
Padas	77	15	64	20
Iochi	77	15	64	15
Iemſe	77	30	64	25
Siſmes	77	30	64	
Karelia ducatus				
Sagholax	77		63	
Lapaueſi	77		63	20
Ieskes	76	35	63	10
Egrepe	76	35	62	45
Semingia	76	35	62	35
Iochas	76	35	62	30
Kiuaneb	77	35	62	20
Nikirkia	77	5	62	10
Ideſt noua eccleſia.				
Vekelax	77	5	62	
Pittis	76	35	61	40
Occidentalius latus tenent qui magis ad boream.				
Nordfindlandia, id eſt borealis Finlandia, ducatus.				
Agreminne	72	45	65	30
Vermo	73		65	20
Agero	71	45	65	10
Nouſis	73	15	65	15
Moſcho	73	15	65	10
Tetola	71	35	65	
Reſſa	73	30	65	
Nikirkia	72		65	
Ioky	73		64	
Ragna	71	30	64	45
Poyte	74		64	55
Toueſala	72		64	35

S.Katharina	73	45	64	35
Vemo	72		64	30
S.Martinus	74		64	
Pikke	73	45	64	20
Suderfinlandia, id eſt auſtralis Findlandia, ducatus.				
Pargas	74		64	30
Kymitte	74		64	
Nadental, id eſt vallis gratiæ	72		63	50
Kymittele	74		63	50
Saiu	72	45	63	40
Nau	74	15	63	40
Pemara	73		63	35
Corpo	74	30	63	35
Halikko	73	15	63	30
Vichele	73	15	63	20
Bierno	73	30	63	15
Permo	75	15	63	15
Nilandia ducatus				
Tenala	72	35	62	55
Berga	75		62	55
Payo	73	15	62	45
Karis	73		62	15
Sybo	75		62	35
Victes	73	45	62	30
Loyo	72	45	62	20
Helſingia	75		62	20
Ingoa	73		62	15
Eſpoa	75	15	62	10
Kirkioſlech	74	35	62	
Inſulæ adiacent Findlandiæ				
Nerpia				
Caput	68	30	66	
Pars occidentalis	68		65	30
Pars auſtralis	69		65	15
Pars orientalis	69	20	65	30
Alandia inſula				
Caput borealius	70		64	30
Extenſio ad occid.	69		63	45
Quod ſequitur	69		63	
Littus ſequens	69	45	62	50
Conuerſio ad boream, per latus orientale	71		63	30
Vnde iungitur capiti				
Oxiliæ inſulæ ſitus				
Caput borealius	70		60	45
Quod ſequitur lateris occid.	69	30	60	45
Quod etiam ſequitur	68	30	60	
Quod maximè auſtrale	69		59	30
Deinde quod lateris orient.	72	30	59	45
Latus medium	71		60	15
Quod ſequitur	71	30	61	
Vnde iungitur capiti				

IACOBI ZIEGLERI SCHONDIÆ FINIS.

CHRISTIERNI SECVNDI, REGIS DANMARCHIÆ CRVDELITAS PERPETRATA IN PROCERES Sueciæ & populum Holmenſem.

PRÆFATIO.

VRBIVM & populorum clades ab hoſtili manu perpeſſas, & tyrannorum iniurias in ciues multas & memorabiles legimus per omnem hiſtoriam, tam magna miſeratione erga afflictos, quàm ſummo odio in illos qui ſuo ſcelere maleficia in obnoxios exercuerunt. Sed nulla atrocior à memoria hiſtoriæ accidit, quàm his annis Suecis, & Stokholmiæ, regiæ eius gentis vrbi. Aliis inter obſidendum induciæ profuerunt, mutui congreſſus liberi fuerunt ſine maleficio: ſi pacta inita, ſi icta fœdera, hæc ſanctè ſeruata ſunt: ſi vrbs autem expugnata, ſæuitum in fortunas iure victoris fuit, & in ætatem præcipuè quæ arma ferret, & nocere parata eſſet, neque quietura donec incolumis foret. Videlicet repenſum fuit, quod paſſuri erant victores fortuna inclinante. Quòd ſi incendio & cæde omnia miſcerentur, hîc aut proditio, aut defectio, aut graue aliud flagitium obſeſſorum præceſſerit, quod hoſtem irritaret & faceret penè iuſtum. Tyrannorum etiam violentia (de exemplis dico gentilis hiſtoriæ) in paucos ciues, qui inculpata vndiquaque vita eſſent, ita deliquit, vt ſine venia debeant criminari. Qui enim pœnis ſubiecti fuerunt, ſi in eadem ſtatione ipſi fuiſſent (quo erant ingenio) ſimilia aut funeſtiora edidiſſent in ciues. Repetamus à Tyberio ad Maxentium (quem Conſtantinus imperio depulit) hiſtoriam Romanam: quicunque in capitis diſcrimen adducti ſunt, iidem ferè ſub alio domino capita ciuium detulerunt, ſiue palatinos fumos vendiderunt, ſiue iudicia corruperunt: vel vbi ſcelere publicè carerent, tamen domi in ſeruitia ſupra barbarum morem ſæuierunt: ſeruitia diurna opera in agro attrita in ergaſtulis habuerunt, nuditate & fame afflixerunt, infirmos tecto protruderunt, in vias abiecerunt: alios ob leuem offenſam, barbaricis notis inuſſerunt, in arenam produxerunt, feris laniandos, totis theatris voluptatem domeſticorum ſanguine præbuerunt. Tales quid crudeliſs. tormenti exciperent à Tyberio, & Caligula, & Domitiano, quod non eſſent meriti, propter admiſſum aliâs ſcelus in humanum genus? Innocentes verò habiti ſunt eatenus, quòd præſentis accuſationis rei non eſſent: tyranniq; ſub hoc in inuidiam crudelitatis adducti ſunt, quia non ob conſcientiã nocentioris vitæ vindicandæ, ſed per ſcelus ipſi quoq; cædem facerent. In cætera, ei patellæ hoc operculum congruebat. Populus victor, frequens ſedit totis theatris, exhibuit ſibi ſub eodem ſpectaculorum die paria CCC. gladiatorum, feras, leones, vrſos, pantheras & indomitos boues, eodem numero, quos ſe mutuis vulneribus conficientes videret ad voluptatem. Captiuos quoque adductos ex deuictis prouinciis: domi honeſtè natos, ſuis fortunis præter cuiuſpiam iniuriam fruentes, iure autem gentium pro li-

Populo crudeli meritò dantur tyrãni, à quibus vexetur.

pro libertate patriæ, incolumitate fortunarum, saluteq́; parentum, vxorum & liberorum pugnantes: & triumphatos circumduxit in catena, attraxit in arenam, obiecit cruentis feris, aut coegit in mutuas cædes. Hic ille populus ſpectator, qui humanum ſenſum exuit, ſeq́; ad omnem immanitatem obfirmauit, neq; ſatis pœnarum ſumptum ſibi à victis credidit, per conſiderationem quòd miſeri patria carerent, fortunis exuti, exarmati & ad reliqua innocui eſſent, qui in graui catena conſtricti malè præterea cruciarentur, pro vxore & liberis diſtractis, pro pudicitia violata, pro ſalute omnium deſperata: quoniam & vitæ & necis ius ſitum penes alienum dominum noſſent. Idem qui nihil tantorum malorum recordatione ad miſerationem in reliquum moueretur, quin imperaret magis laniationem fœdum in morem: quid immeritum & ſua indignum virtute ſuſtineret ſub Caligulæ quamuis atroci voce? vel ſub Commodi milite prætoriano, qui in theatrum immiſſus, populum funeſtæ & iuxtà barbaræ arenæ ſpectatorem propulſauit, terrore & fuga tumultuantem inuoluit, vt plurimi obtererentur? Fatebitur, quicunq; mores pro æquo expendet, crudelitatẽ omnem tyrannorũ fuiſſe mitiorem obliuione tanta naturalis iuris, & carnificina (communi applauſu theatri) admiſſa in genus humanum. Iſta cõmemorarim non equidem pro voluptate inſectãdi, ſed neceſſario exemplo: vnde inter populos etiam eadem paſſos, interq́; tyrannos eadem agentes, diſcrimen fieret atrocitatis facti. Non enim conueniat ita factum referri, vt arbitrio legentis ſtet, qui immerentis caſum, ex nocentis exemplo ſpectatum æquè leuiter ferat. Ergo is intelligat, populum vnum Holmenſem purum ſceleris, nihil in vita admittentem in genus humanum, non in ipſum hoſtem Danum (vt quem ſe obſidentem pauit in dura fame) quocum fœdera icit, quem vltro in vrbem admiſit, regem propè conſtituit: eum populum ſub Dano ſacramenti & religionis deſertore, dextræ datæ & ſyngraphi conſcripti, iuris diuini & humani euerſore, pertuliſſe mala, qualia nullus præterea populus omnia ſimul, ſed alius aliud malũ, & idem aliud alio tempore paſſus ſit. Huius calamitatis ordinẽ narrare inſtitui: exiſtimans idem ſolatio futurũ populo Holmenſi, ſi is videat, Danum, qui hæc perpetrauit, ferre infamiæ ſuæ notam ad poſteritatem: vſui etiam plurimùm reliquis profuturũ, ſi qui ſimilia facere in obnoxios poſſunt, iidem vnius publica execratione deterreantur: quum viderint tyrannidis memoriam durare poſt funus, referreq́; acclamationem, vt humani generis hoſtes, Deo & homine approbante, æternùm damnentur.

REGES Danmarchiæ ſæpe alias regnum Sueciæ armis tentarunt, cupiditatem faciente ipſis vicina Norduegia, quam olim factione & armis oppreſſiſſent: pulcherrimũ fieri exiſtimantes, ſi totam continẽtem (quam Schondiam dicunt) ſub vnum imperium contraxiſſent. Inuitabant præterea eadem quæ cæteros mortales, domi opes minimè inſignes, Norduegia à ſe exhauſta, Suecia autem & Gothia integræ adhuc, plenæq́; argenti & æris. Ita aliena fœlicitas magnũ his ſtudium iniecerat quærẽdi opes ex alieno. Hoc domeſticum exemplũ ſecutus Chriſtiernus ſecundus, rex Danmarchiæ, Sueciam armis occupare annifus fuit. Verùm vbi Suecis, in eadem conſilia hoſtis propulſandi concordibus, videt bellum futurũ multò grauius ſuis viribus, ad artes conuerſus (quales illi vbiq; ſupererant) factionibus diſſociare Suecos laborauit: ergo ſolicitat quoſlibet ſeditioſos, qui genere, opibus & ingenio improbo valerent. In his ſe principem geſſit Goſtauus, titulo quidem archiepiſcopus Vpſalienſis, verùm neq; ætate neq; integritate vitę par ei profeſſioni. Is anno à nata ſalute Chriſtiana MDXVII. partes Dani curare aggreſſus apertè fuit, tanſique animis, vt opes domeſticas, gratiam apud ciues, pietatem in patriam, religionis ſtatum, ipſamque vitam ſuam proderet pro peregrino domino conſtituendo. In eum euentum munit arces, cogit occulta conſilia conſciorum, plures ad defectionem perducit.

Archiepiſcopus ad regis dolos & nequitiam accommodatus.

1517.

HVIVS conatus perſentiens illuſtris princeps Steno Sture, idemque præſes regni Sueciæ per interregnum, archiepiſcopum compellat, monet, & maiorũ malorum timore deterret, vt deſiſtat inceptis. Sed is neq; iuſtis poſtulationibus, neque reuerentia in patriam dimoueri à ſententia potuit. Quam hominis peruerſitatem Steno cognoſcens, mouet arma, & obſidet epiſcopum in arce Stecho. Danus quum per nuncios intellexiſſet quanto in periculo eſſet ſocius, legit domi militem: & nauigatione celeriter confecta, properabat impedire obſidionem. Quo loco pugnans cum Stenone ſuperatur: ita conciſis copijs, & deſerto Epiſcopo redijt in Daniam. Epiſcopus cernens res ſuas deſperatas, Stenonem in colloquium vocat, permittit ſe arbitrio ducis: ſe eccleſia Vpſalienſi, & publica functione ceſſurum, ſe priuatum poſthac futurum, & quaſlibet conditiones admiſſurum ſpondet, tantùm vt ſibi patria ignoſcat. Videbatur illud ex animo velle: & atrocitas proditionis ea fuerat, vt omni profligatæ conſcientiæ poſſe inducere pœnitentiam videretur. Sed erat (quod ſequens hiſtoria oſtẽdet) fictio ex præſentis periculi neceſſitate adornata. Ergo annuit princeps ſupplici, eatenus quòd omittit oppugnationem: verùm cauſam permittit integram cognitioni conuentus regni. Hic cognitum fuit, archiepiſcopum per leges patrias excidiſſe fortunis & vita: tamen per publicam indulgentiam vtrunque illi donatum. In cætera autem ita decretum fuit, eccleſia Vpſalienſi abſtineat, reliquamque ætatem apud agrum paternum priuatus viuat.

Steno patria liberator.

DANVS hoc ſecundum incommodũ accipiens, videlicet caput totius factionis ſuæ exarmatum, nec ſupereſſe alium qui vicarium bellum adminiſtraret rem gerere apertis viribus cœpit, conſcribit magnum exercitũ ex milite domeſtico & peregrino, & in Sueciam tranſportat, & obſidione cingit Holmiam regiam. Vrbs eſt inſignis magnitudine, ad ſinum Finnonicum (quem paulùm deflexa voce Vennedicum veteres dicunt) in circumfluentibus paludibus ſita. Mare etiam ei ſe multa parte infundit: ita vt ſitum aſſimilẽ habeat Venetiarum. Ergo hanc natura & munitionibus, ciueque & conducto ex agro milite muniti ſſimam expugnare, obſidionem quoque diu ſuſtinere poſſe deſperabat. A pabulatione enim prohibebatur per militem Suecum, etiam laborabat miles fame tam acerbè, vt ad cibos infames fuerit compulſus. Duo propè menſes tranſierant ab aduentu in Sueciam, quòd omnibus incõmodis conflictabatur: nec reditus in Daniam dabatur, aduerſantibus ventis. Ergo omnibus conſiliis excluſus, quæ manu & virtute impetraſſet, conuerſus ad dolos petit inducias bello. Steno, vt excelſo animo erat, cõcedit inducias: facit præterea exemplum clemẽtiæ & munificentię in hoſtem, propè ſingulare in omni hiſtoria:

Danus in obſidione ipſe aliam obſidionem patitur.

hiſtoria: mittit in caſtra multa iuga boum, vnde confectum fame hoſtem ſubleuaret. Danus ſanè exiſtimans, hominem, qui tam benigno affectu tamque indulgenti natura eſſet, eundem & eſſe ingenio ſimplici & minimè ſuſpicaci, ſimulat præcipuum fauorem in Stenonem & ſe oſtendit percupidum viſendi principis, & colloquendi: ad hocq; impetrandum mittit in vrbem obſides, atq; eo prætextu euocat in caſtra Stenonem ad colloquium. Is planè venit in ſententiam Dani colloquendi, haudquaquam ſatis exercitatus ad eiuſmodi fraudes deprehendendum: iamq; properabat ad manifeſtum exitium, niſi ſenatus Holmenſis interceſſiſſet. Danus vt vidit hac non ſucceſſiſſe dolos, aliam fraudem confingit. Se ait acceſſurũ in vrbem, modò impetret obſides ſalutis ſuæ. Hic verò Steno perſuaſus, deligit nobiliſſimos ex iuuentute: in quibus fuit illuſtris Goſtauus Eriſchon, quem hodie fœliciſſimum regem Suecia habet. Hi ſe permittentes fidei & ſyngraphis Dani, ad naues veniunt: quos is comprehenſos in vincula conijcit, atque mox in altum prouectus in Daniã cum præda enauigat. Illic Goſtauus vnus illuſtriſſimus obſidum, furcam ante hoſpitium paratam ſibi, & plures mortis imagines comperit, vitamq; habuit in omne momentum ſuſpenſam. Tamen clariſſimis hiſtoriæ exemplis (quibus maximi ſæpe reges per deſperatos caſus venerunt ad regna) iiſdem & Goſtauus ſeruatus à prouidentia venit ad regnum.

Obſides cõtra fidem & morem captiui abducuntur.

Post hanc fugam quieuit Danus annos quatuor, quibus opes & militem confirmauit. Quibus vbi curatum ſatis putauit, mittit exercitum in Sueciam. Steno celeriter occurrit paratis copijs ſuis, pugnaturus priuſquam hoſtis à iactatione maris confirmaretur. Fit pugna: in qua dum præſes primas in acie partes obiret, occiditur, corpuſq; refertur Holmiam. Fuit tanti principis cędes patriæ quàm ſuo maiore detrimento. Tunc enim factiones inter primates Sueciæ recruduerunt: & ſub diſcordia potentiſſimus Suecorũ exercitus diſſipatus eſt, & Danus ad interiora Suecię ex ſententia penetrauit. Tunc etiam Goſtauus epiſcopus, occiſo proditionis ſuæ vindice, prouolauit ex latebris in quas damnatus fuerat: eccleſiam Vpſalienſem repetit, huius opibus ſe cõfirmat contra patriam. Quos ſuorum ſucceſſus vt Danus accepit, venit etiam ipſe ad exercitũ: & contractis omnibus viribus pergit rurſus Holmiam obſidere, non quia capiẽdam armis ſperaret, ſed expectaret occaſionem vnde illam inſidiis circumueniret. Erat in vrbe Chriſtina, vidua ab interfecto marito Stenone: hæc principem locum adhuc retinebat. Hanc hoſtis ſolicitat ad honeſtas conditiones, nihil non ſuſcepturus, quodcunque pactorum proponeretur. Chriſtina & ſenatus Holmenſis reſpondẽt, populo Holmenſi non opus eſſe aliquibus cõditiotubus, qui liber ſit, & ſuo iure viuat, ſitque armis longè potentior: tamen ſe admittere conditiones æquas, quò pax in reliquum ſit. Deinde capita proponunt cõuentæ pacis, rex patrias leges ſibi inuiolabiles ſeruet, ciuium libertatem infractam velit, offenſas remittat omnium qui arma contrà ſuſceperunt. Danus vt fidem certiſſimam faceret, ſe hæc capita rata habiturum, addit longè etiam plura, plena moderationis & clementiæ in populum Holmenſem. Itaque conuenit: interponitur religio ſacramenti, ſyngrapha conſcribuntur, & adhibentur omnia inſtrumenta, quibus pacta & fœdera publicè ſuſcepta ad poſteritatem communiuntur.

Stenonis morte ſalus Suecia labefactata.

His artibus perſuaſi ciues hoſtem intra mœnia recipiunt, autoritatemque vrbis ſecuta eſt multa pars regni. Hactenus eſſe legitimus rex credebatur: & Danus in ſuſcepta diſſimulatione durauit, donec ſe & militem recrearet, & arcem cõmuniret. Nec diutius moratus, vocat ad conſilium Danos, aperit eis voluntatem cædis patrandæ in ciues: rationem quærit, quemadmodũ cædes facta putetur ſe ignaro & inuito. Fuerunt quibus placeret ſeditionem quaſi militarem excitari in vrbe: ſic poſſe cenſebant fortunas diripi, & necari ciues, vt integrum regi ſit diſſimulare imperatũ ſcelus. Non placuit ea ſentẽtia multis. Nam per ſeditionẽ excitatã, liberũ fieri aiebant etiam ciui reſumere arma: quod ſi fieret, Danos primos futuros in deſperatione ſalutis. Magis id placere, vt rex publicè cõuiuia inſtituat per omnes ordines: eos verò qui potẽtia & nobilitate pręirẽt, vocaret in arcẽ: ita ſpecie beneuolẽtię coactos, & hoſpitali iure ſecuros ſibi fieri, obiectos arbitrio regis. Probauit Danus cõſiliũ, etſi à diſſimulatione priori excludebatur ſceleris imperati. Inſtruit cõuiuiũ

Danus vrbem ingreſſus horrendam lanienam excogitat.

Epulum regiũ quo parricidium infandum paratur.

pro regio luxu, ipſe ſe effingit ad omnẽ ſpeciem comitatis & hilaritatis. Sueci idem & ex animo faciũt, ignari quòd impenſas forent hoſpiti ſanguine ſuo ſoluturi. Triduo toto excepit conuiuas eodem apparatu. Iamque aderat dies cædi deſtinatus, quum immittuntur ſatellites, & comprehendunt conuiuas, conijciuntque in carcerem in diem ſequentem. Portæ vrbis communiuntur, præſidiaque intus per regiones diſponuntur contra ciuilem vim: tubicines autem à prima aurora iuſſi edere terrificum clangorem per totam vrbem. Milites iuſſi adeſſe graues armis, & qui ſtudio ſe efferarent in truces vultus: deinde hoſtili fremitu, & armorum concuſſione, timorem omnibus incuterent perdendæ vrbis. Videre etiã erat tormenta ænea, diſpoſita tota via quæ ab arce ducit ad forum: quaſi priuata & publica continuè deiectura, mixturaque ruinas cum ciuibus.

Totius populi miſeranda cædes.

S P E C I E S erat plena rerum mortalis formidinis, & omnes pendebãt dubij ad imperium Dani: quum regia repente aperitur, & producuntur duo epiſcopi, Vincentius Scharenſis, & Matthias Strengenẽſis inter medios carnifices, non quidem quietè, vt poſſent meminiſſe (quod ait poeta) *Quæ ſit fiducia capto*: ſed vellũtur, truduntur & retruduntur. Hi verò, vt viros graues, & ſua dignos profeſſione decebat, nequaquam gerebant vultum abiectum, ſed modeſtum ad venerãdum oris habitum. Vbi ad ſupplicij locum ventum eſt (hæc area erat ante conſularem domum) epiſcopi orant fieri ſibi poteſtatem ſacerdotis, cui faciant exhomologeſin: qui his negatus eſt. Sed abijciuntur carnificum manibus in pauimentum, atque proſtrati truncantur capite, pleni ſancti deſiderij offerendi animas ſuas expiatas Deo. Poſt hos, proceres producuntur, quicunque pro patria aſſerenda ſe ſtrenuè geſſiſſent. Inde ab arce trahitur ſenatus Holmenſis, & totus trucidatur. Proponitur poſtea tabula proſcriptionum. Hîc ſatellites diſcurrunt per vrbem, & proſcriptos perquirũt: qui omnes protracti fuerunt: nam in vrbe clauſa remediũ fugæ nullum erat. Trucidatis omnibus qui deſignati erant, fit impetus per militem in promiſcuam plebem, quæ ad crudele ſpectaculum confluxerat: & paſſim cæditur. Inuadũtur quoque domus, & inermia corpora ad carnificinam attrahuntur.

Crucis ſupplicium denuo vſurpatur.

Q V V M verò ad hunc tumultum plurima pars ciuium ſeſe in obſcura loca abieciſſent, & ſentiret Danus plurimùm deeſſe crudelitati ſuæ, proponit edictum è domo conſulari: quo continebatur impunitas omnium. Ibi infœlices ciues (toties quamuis decepti) ſe credunt mendacibus edictis, & prodeunt in publicum. In quos priore exemplo immittit ſatellites: & fit cædes toto die & vſque in noctem: ſequentibus etiam diebus continuis reliquiæ cæduntur. Et ne nullus nouo mortis genere abſumeretur (hoc enim ſtatuerat animo ſuo Danus, vt perfidia & ſæuitia ſuperaret omnes & qui fuiſſent, & qui pòſt futuri eſſent) corripit quendam Ioannem Magnum: quem ſuffixit cruci, nudum membris omnibus. Is diu de cruce locutus, ſuam innocentiam Deo permiſit, multa etiam ad ciues queſtus de ſtatu rerum: quo Danum irritauit. Quare miſit ſatellites, qui virilia abſcinderent: quæ abſciſſa, proiecta ſunt in faciem pendentis. Latus poſtea eſt tranſuerberatum tam vaſto vulnere, vt manibus rimarentur cor: quod extractum, & ipſum abiectum eſt in faciem mortui. Nulla humani ingenij vena tam diues eſt, nullaque oratio appoſita ſatis reperiri poteſt, quæ hanc ſaltem ex omni reliqua crudelitate particulam dignè inſectetur. Tyrannus ſupplicium, quod conſenſu humani generis abolitum, ob Chriſti ſeruatoris reuerentiam (qui id tormentum conſpiratione impiorum pertuliſſet) quod ignoratum mille annis fuit, quod Turca (Chriſti quamuis implacabilis perſecutor) vix vno & altero exemplo in Chriſtianos hac ætate in imaginum exprobrationem expendit: idem ſupplicium tyrannus, qui dici hactenus Chriſtianus voluit, reuocet ad pœnam innocentum, nihil in religionem & leges delinquentes? pugnantes autem ſub imperio patriæ contra hoſtem alienam poſſeſſionem inuadentem? & quod ipſum is nunc ignouerat? quod ipſum & ciues nouo merito deditionis redemerãt? ſi quod benefactum, ſi quod ſyngraphum aut ſacramentũ, ſi qua dextra data, plus perfidia, ſęuitia & contemptu religionis apud tyrãnum valuiſſent. Is Ribingam familiam præcipuè eſt perſecutus: adeò vt quum deeſſet iam cędi firma ætas, ad impuberes ſit conuerſus: quos comprehendit: & coma conſtricta in

nodum

modum ſuſpēdit à cataſta: & immiſit ſpiculatores, qui ceruices puerorum præſcinderent, truncis corporibus decidentibus in terram.

Iucundum rabioſo regi ſpectaculum.

CORPORA omnia occiſorum comportari in forum iuſſit, ſubiecitq́; oculis, & ſatiauit ferum animum ſuo immani ſcelere. Triduo iacuerūt trunca corpora, voluta & fœdata cruore ſuo, horrendum in modum. Pôſt iuſſit per cloacarios eijci extra vrbem. Cadauer Stenonis (quem pugnantem pro ciuibus diximus occubuiſſe) extraxit ſepulchro. Quo cadauere ſub oculos reddito, tanta rabie tyrannus correptus eſt, vt illud morſu appetiuerit, canis ſepulchralis more. Poſthumum etiam Stenonis, eodem menſe natum ſepultumq́;, erui iuſſit. Omnia cadauera congeſta cremata fuerunt, & cineres diſſipati. Exhauſta ad hunc modum vrbe viris, ad rapinas conuerſus fuit: & viduas, & orbos parentibus liberos, omnibus fortunis ſpoliauit, nulli rei profanæ & ſacræ parſum fuit. Quanto tempore tyrannus iſta perpetrauit, portas vrbis tenuit clauſas, nequa fama cædis ad prouinciam perueniret, & bellum moueretur pro ſcelere vindicando. Incēdio etiam abſtinuit, credo ex illa cauſa, quia latere non potuiſſet. Secura enim omnia & quieta eſſe voluit ſibi nūc in fugam ſpectanti: quod vnum videbat præſidium ſupereſſe impunitati ſceleris perpetrati. In itinere in monaſterium diuertit: ei Nouæ valli nomen eſt. Monachi loci tyrannum benignè excipiunt, & omnia miniſtrant pro facultate: ſimulabat etiam tyrannus gratam ſibi eſſe eam promptitudinem. Die quinetiam feſto (is erat purificationis Virginis adiuerat templum, ſacrum more Chriſtiano ſpectauerat, nullum vbique indicium maleficij, quod tractabat, fecerat: quum vix digreſſos ab altaribus monachos iubet comprehendi, inijci vincula, & in profluentem abijci. Abbas fortè liberauerat manus, & enatabat: quum miniſtri ſceleris ad nauigantes, hominem vulneribus appetunt, donec is ſanguine & viribus defectis mergitur. Sic tyrannus cæde & præda opimus in Daniam venit. Præſidium quod is vrbi Holmenſi impoſuerat (quodq́ue ſolum fuit virilis ſexus in perdita vrbe) excurſionibus, rapinis, cædibus & omni genere maleficiorum afflixit Sueciam: ſatagens modis omnibus animo tyranni, & præſcriptæ formulæ ſæuitiæ, quam is reliquerat. Goſtauus quoq; pſeudoepiſcopus, parricida autem in patriam, militarem furorem æmulatus, poſſeſſiones eccleſiaſticas exturbabat.

Goſtauus obſes elapſus, bellum ad liberandam patriā ſuſcepit.

QVIBVS malis patriæ excitatus illuſtris adoleſcēs Goſtauus Erichſon (quem obſidem diximus, quiq́; ex cuſtodia nuper profugerat) rem ſupra ætatem, ſed magnitudini ſui animi reſpondentem auſus, vindicem ſe profitetur patriæ pereuntis. Et quarto demum anno poſt initum bellum, mutato habitu, & plebeij hominis veſte ſumpta, circuit Sueciam: & popularibus exponit in quantis malis verſentur: nihilque omnium omiſit rerum, quibus ciues ad arma capienda excitaret. Addebant orationi gratiam egregiæ corporis dotes, & index ſingularis animi vigor. Itaque eligitur in vindicem libertatis. Is militem legit ex Dalekarlis, bellicoſiſſima totius Sueciæ gente. Montes enim habitant, quà Suecia ad Nordueggiam collimat: apud quos & fodinę ſunt argenti & æris. Itaque ſub officinis metalli fodiendi conflandique exerciti, indurantur ad præcipuum robur: quod denique peperit ipſis nomen, vt Dalekarli vocentur. *Dale* enim vallem dicit, *Karli* autē viros, cum emphaſi, eos qui præſenti animi vigore præſtent. Addunt Dalekarlis præterea ingentes ſpiritus, opes quas plurimas habent: ſuntq́; ad iniuriam propulſandam ſupra omnes irritabiles. Hoc milite vſus Goſtauus aggreditur pręſidium Danorum, quod Aroſię ciuitat impoſitum erat, atque deturbat. Quo nouo caſu exterritus epiſcopus vehementer turbatur ad cladem Danorum. Ergo exercitum à pręſidiis deducit, cogitq́; oppreſſurus inter initia ſurgentē vindicem. Is volens à ſe auertere epiſcopū conſciētia potius rerū quàm armis, mittit nunciū ad hūc cum epiſtola, hortaturq́; hominē vt reſipiſcat: ſatis flagiuj hactenus admiſſum: parcat ſibi, & relinquat locū veniæ, & patriæ quàm tyranni fortunas potius cōſtituat. Addit præmia, ſi in ſententiā veniat, veniam admiſſi delicti, conſtructionē de publico arcis ditionis Vpſalienſis, quę initio belli (quòd firmiſſima erat, ne perditorū hominū receptaculū eſſet) diſiecta fuerat. Addit immunitates alias ſe permiſſurū eccleſię pro initę ſocietatis pręmio. Epiſcopus bene monētem ſuperbè adeò accepit, vt litteras abiecerit, & pede attriuerit.

Et certè non erat cauſa, vt ſi ab ea epiſcopus depelleretur, ferociret. Neque is erat Goſtauus, qui, non dicam ab homine noxio, ſed alio ſanctiſſimo contemneretur, vel ob præſens ſtudium in ciues, vel quòd illuſtris generis erat, & nepos eorum qui regnum Sueciæ habuiſſent, & ſuo iure patriam à vaſtatore repetebat.

Epiſcopi ſacrilegi in patriam perfidia.

IS ergo irritatior etiam cõtumelia factus, ducit Dalekarlum militem contra epiſcopum & præſidia, & ſuperat. Epiſcopus ex fuga prolapſus, Holmiam venit, ad reliquias Danorum. Videnſque Suecos in diem fieri confirmatiores, conſilium capit noui militis adducendi: hocque voto in Danmarchiam ad tyrannum nauigat. Multa hîc conueniunt, quæ obſtare molienti iſta debuerunt, Dei timor, conſcientia religionis, ſanctitas profeſſionis, miſeratio patriæ, ſui exiſtimatio integra: quæ omnia is per crimen nunquam deprecabile violauit. Sed hæc non attingam, qualia nemo ſecum non colligit: domeſtica illa recenſebo. Nouerat tyranni inſtitutum, priuſquam ſuſpicio belli aliqua haberetur. Is pirata erat, maria vexabat ſuo terrore: eo prohibuerat commoda Schondiæ exerceri. Nouerat genuinum odium Danorum in Suecos, & gentis hęreditariam crudelitatem. Norduegia in oculis illi erat, florentiſſima olim, nunc afflicta maleficio Danorum. Videbat ampliſſimas eius vrbes in vici formam per vexatos ciues, per vectigalium & publicorũ onerum acerbitatem redactas. Quo admoneri debuit quid patriæ mali conciliaret ſub imperio externo. Non etiam deerant domi principes rege digni. Quòd ſi cupiditati ſuæ eccleſiam vnam Vpſalienſem ſufficere non putabat, & ſub Dano ſe explere cupiebat: nulla commoda tanta à peregrino, à Dano, à pirata referre, quanta à domeſtico rege poterat. Ergo ei multò ſanctius conſilio & manu (quando & hoc decere epiſcopum, vt bellator eſſet arbitrabatur) adeſſet: quem faceret non Sueciæ & Gothiæ tantùm, ſed quoque Norduegiæ regem. Eſſetque hoc ſuum epiſcopi beneficium æternum apud Norduegianos, ſi reuocarentur ſub domeſticum & idem æquiſſimum imperium, ſub quo poſt longam oppreſſionem reſpirarent, ſeſeque inſtaurarent. Verùm ſiue hæc eum rerum optio per ætatem & inſolentiam fugiebat, ſiue ſimultates ad æquales vlciſci volebat, ſiue iratus patrię erat, & vltionem ſumere alienis armis quærebat: aderat ſocius tyranno. Proſcriptionem cum eodem ex arbitrio compoſuerat, ſpectatorque fuerat ſceleris Holmenſis: ſatis ſibi pœnarum dediſſe arbitraretur, quos in bellum ad ſpoliationem fortunarum & atrocem cędem attraxiſſet: deteſtaretur in reliquum, & deſereret crudeles partes. Verùm etiam malorum magis incentor eſt, tyräno ipſo implacabilior. Quo loco ſanè licet animaduertere quàm ſint deteſtabiles receſſus humanorum animorum, vbi malitia deplorati in præceps ruerint: nulla cæcitas æquè in abruptum abit, atque hi in ſcelus aguntur efferata crudelitate: neque ſe ab impetu reuocant ante exitum.

Epiſcopos bella gerere nunc decet, & ſic quidem loquuntur.

SED ad narrationem redimus. Epiſcopus vbi in Daniam venit, neque ſplendidè neque benignè exceptus eſt, neque poſtea in aliqua habitus autoritate apud tyrannum fuit: ita ingentes eius minæ intra ferociam reſederunt. Prænoſcens quoque domi paratam ſibi pœnã pro ſcelere admiſſo, & timens priuatus redire, deſperatione ſalutis exilium in Danmarchia ſibi dixit: vbi hodie inglorius degit. Sed qua ratione potuerit ſocius à tyranno in cõmuni re deſeri, cauſæ ſunt: vna, perfidia, qua in omnes erat æqualiter Danus: altera, domeſtica agitatio, qua rediens exceptus fuit: nam paulò pòſt regno excidit. Ferunt diſcedentem, ex arcibus corraſiſſe aulici inſtrumenti quælibet etiam vilia, tam auarè, vt ſi quis apex æneus inauratus ædiculæ eſſet, hunc conuulſerit, & ad ſarcinas coniecerit. Vxorem quam habet, aiunt omnem prædam in poteſtatẽ recepiſſe, aſſeruareque ſibi & filio. Tyrannus domeſtica etiam præda excluſus, vaguſque & inops fatigat hodie alienas aulas: & habet adhuc qui eum miſeratione dignanrur, hoſpitium indulgent, quàm bono exemplo apud præſentes & poſteros, quamque illuſtri domeſticæ conſciẽtiæ teſtimonio, neſcio. Exemplo: quia ſuperſunt patroni adhuc, qui obſtant quominus vindictam deuolui in ſe toto malorum cumulo experiãtur infamiæ illæ naturæ. Teſtimonio autem: quia tantorum ſcelerum ſenſum minus integrum habere videtur: verùm putant tantò intra modum illa adhuc ſtare, quãtò ſunt in artificem eorum indulgentiores. Tyrannus eſt ſtatura iuſta, corpore amplo, truci vultu: ſed quẽ in congreſſibus præ-

Tyrannus ignominioſe regno expellitur.

bus præcipua comitate contegat: adeò vt hæc pluris quàm indicium vultus valere ſemper ſit exiſtimata, vnde de moribus hominis iudicaretur. Qui etiam mentitus habitus Suecis toties impoſuit, donec eos ad extrema mala pertraxit. Filium ferunt referre indolem patris, & quamuis puerum, nunc eſſe minaci animo, & iactare atroces voces, ſeſe effecturum, vt qui nunc voluptatem ſibi capiunt, & exultant ſuper eiecto patre, defleant olim ſuam acerbam ſortem. Qualem profectò vocem non conueniat ordines & communem ſtatum regni Sueciæ ignorare, diſſimulare, & putare vanam: imò longè antè habere cõſilia parata, quibus præuertant vindictam agitatam. Neque infirmus putandus eſt, qui puer, qui exul ſit. Puer ſenes celerius habebit, qui conatus adiuuent, propinquitates potentiſſimas habet, qui regem quàm exulẽm videre potius velint. Nec expenditur hodie quá culpa exciderint poſſeſſione, quàm bonam de ſe ſpem præbeant, quàm integros in adminiſtratione futuros exiſtiment quos ſuſceperint tuendos: vna cauſa ſatis fuerit, Propinquus eſt, rex natus eſt, repetit natiuum titulum. Deniq; in poſtremis habetur, cui popularis ſtatus afflicti atque Reipub. funditus collabentis culpa imputetur.

Tyranni & filij eius deſcriptio.

TYRANNO eiecto, & maioris belli ſuſpicione ſublata, illuſtris princeps Goſtauus contrahit iuſtas copias ex Dalekarlis, ſed & Suecis & Gothis. Lubecenſes quoque veteres ſocios, in partem belli vocat. Qui adeò cupidè venerunt, vt non modò ex ſorte hominum vnde hoc tempore mercenarij milites ferè ſcribuntur, ſed viri graues & in dignitate conſtituti, quiq; prudentia rerum & opibus pollerent, venerint in belli ſocietatem. Quibus copiis reliquias Danorum quæ in Schondia reſederant, perſequitur. Holmiam etiam obſedit: intus nihil virorum erat præter præſidium Danicum. Hoc pro maleficio ſuo in Suecos, extrema omnia ſibi inſtare metuebat. Ergo deſperatione & munitione loci pariter obfirmatum, difficilem reddebat oppugnationem. Tamen ducis & ciuium virtute expugnatum, in poteſtatem venit, atque vrbs recepta fuit. Dux re bene geſta, confectoq; vbique bello, dat militibus & ſociis ampliſſimum donatiuum: adeoque liberalitas hæc inſignis fuit, vt ad calones & remiges poſtremos perueniret. Cum reliquis etiam Germaniæ ciuitatibus vetera fœdera renouat. Mare rurſus aperit, & ſecuritatem facit omnibus nauigandi. Ob quæ merita in omnes, patria concordibus omnium ordinum Sueciæ & Gothiæ ſuffragiis, inuictum principem Goſtauum ſibi regem legit. Pro cuius maieſtate, vt ea incolumis diu maneat, vota hodie ad Deum faciunt, vt regi domi perpetua rerum tranquillitas, foris pax & victoria, vtroque ſtatu ſaluus principatus ſit, etiam rex in omni vita ita virtutibus omnibus præſtet, vt maximorum principum exemplo & merito, fœliciſſimus optimuſque fauſta acclamatione æternùm ſalutetur.

INDEX
IN ALBERTI KRANTZII
DANIAM, SVECIAM, NORVEGIAM, BELLI ITEM DITHMARSICI HISTORIAM, SCHONDIAM & excidij Holmenſis narrationem. Duplici numero deſcriptus, vt prior paginam, poſterior lineam ſignificet.

ABEL *cum Erico VII. fratre rege de regno cōtendit 167.8, Reconciliatione facta eũ apud ſe capi & ſcelerate interfici iubet ibid. 32, 312.29, Regnũ adeptus opprimitur à ruſticis 168.12*

Ablabius Gothus, Gothicam hiſtoriam ſcripſit 205.1

Abſolon è Suenoniana ſtrage elapſus 123.45, Roſchildienſis pontifex creatur 126.50, Vir planè militaris 140.1 & 41

Abſolonis in rege monendo libertas 128.10 & 25, audacia & diligentia 131.43 & 52, 146.9, prudentia 134.27, 137.9

Abſolonis conſtantia in repudianda antipapæ ſocietate 135.50, intrepida libertas cũ Cæſare colloquẽtis 137.1, religio in vitando ſchiſmatico victore 137.47

Abſoloni pontifici Daniæ rex filium tradit in bellica diſciplina inſtituendum 139.2, 140.39, 145.35

Abſolon pontifex regionẽ bello & flamma deuaſtas, hoſteſq́; ſubſequẽtes retro cedere cogit 139.34, Prouinciam bello partã tueri, procul ab eccleſia, non dubitat 145.28

Abſolon pontificatum maximum delatum recuſat, protrahentes pugno ſubmonens 150.46, Ad papam prouocat ibid. 52, Ex eius præcepto ſubire compellitur 152.18

Abſolon propter exactionis acerbitatem populo inuiſus 154.36, Ad res placandas vt diſcedat monetur ibid. 50, Apud populum Scaniæ tumultuantem nihil proficit 157.8

Abſolon Daniam Imperio non ſubeſſe graui oratione contendit 158.11

Accinaticum vinum quale 271.50

Adalſtenus Anglus regnũ ſuum Noruagiæ regi offert, vt Danum excludat 378.30

Adeliſa Kanuti relicta, è Flãdria profecta, ſecundis nuptijs in Apulia Rogerio nubit 308.53, 309.1, 403.47, 404.53

Adolphus Holſatus Daniæ regem humaniſſimè excipit 136.14, Simultate ſublata ei miles fit 138.20, Cui militans in prælio cadit ibid. 44

Adolphus Holſatus Daniæ regẽ temere adortus, pacem redimit 160.23 & 49

Adolphus Holſatus rurſus bellum temere renouans, Hamburgum recipit 161.43. Vbi obſeſſus & deditione captus 162.6, in carcerem detruditur ibid. 16

Adolphus Holſatus tradita arce Lowenburg, quam eius milites antea recuſarant dedere 162.12. carcere liberatur 163.1

Adolphus Holſatiæ comes malo in Dithmarſos animo 440.46, Bello eos domare in animo habet 441.21, 442.38, Henrico Brunſwicenſi communicat ibid. 52

Adolphus clanculũ milites ad futurum bellum quomodo colligit 443.5, Conſilium ſuum Dano percontanti diſſimulat 445.3

Adolphus Holſatus bello Dithmarſico graui vulnere afficitur 463.5, A rege inuiſitur 465.7

Adolphus Sleſwicenſis Daniæ regnum oblatum recuſat 190.27

Adrianus Rom. Imperij limites quos ſtatuit 234.22

Adulterum regem maritus cum vxore deprehenſum confodit 56.55

Adultera repudiata, alia ducitur vxor 19.35

Adulterium apud Cimbros capitale 432.19

Adulterinus Olauus, iuſſu Margaretæ, cuius ſe filium mentiebatur, deprehẽſus, crematur 177.8, 419.38

Adultis baptizãdis ſuſceptores adhibebantur 82.39, 368.35. 379.5

AEgypti rex Gothos laceſſitos metuens retrocedit 207.25

AEſtas arcticarum regionũ calore par veri adulto Romano 475.50

AEſtus maris accedentis & decedentis cauſas ignorant phyſici 331.54

AEtius vir fortiſſimus, Galliã ab irruentibus barbaris defendit 256.44, Ab Honorio iniuria affectus hoſtes accerſit 257.6, Cuius rei poſtea ipſum dignitati reſtitutum pœnitet ibid. 3

AEtius cur Atilam victum noluerit vrgere 259.24

Affinitate per mortem ſoluta, amicitia quoque euaneſcit 164.54

Agreſtes Dithmarſi fortiter pugnantes, hoſtes penè in fugam agunt 462.33

Aiſtulphus papam, licet inuitus, in Franciam ire ſinit 67.7, Pacem quam Pipino procul monente reſpuerat ibid. 37 & 41, Obſeſſa demum Papia cupidè amplectitur ibid.55

Aiſtulphi ferocia 65.55, 66.21, 67.7, Simulatio ibid.15 & 55, Perfidia 68.19, Romæ contra pactā fidem obſidio ibid.11, Mors 68.41

Alachis regnum Iuniperto, tot beneficiorum immemor, adimit 61.25, Diaconum inuerecundè alloquitur ibid.31, Regno eorū opera qui eum promouerant, expellitur ib. 47

Alachis ſingulare cum Iuniperto certamen defugit 62.2

Alanus Brito rebellione facta 370.29, in exilium mittitur ibid. 47, Alſteni Angli interuentu reſtituitur 372.20

Alanus Britonum dux bis rebellione facta à Roberto domatur 392.14

Alani vnde prodierint 257.31, 37 & 46

Alani ad Attilam tranſire parati, quomodo prohibiti 258.42

Alaricus cum ſuis in Galliam Honorij permiſſu 235.12, veniens ibid.26, Romanos ſe aggreſſos cædit ibid. 36, Stilicone ab Imperatore necato Romam capit ibid.40

Alaricus Roma capta clementer pro gentis ingenio ſe gerit 254.2, Mortuus ignoto loco inaudita ratione ſepelitur ibid.20

Albienſes & Ruteni Francorum regno adduntur 267.20

Albertus Magnopolenſis pactis conuentis non ſtans 175.17, ab Erico Saxone ſuperatur ib. 22, Captus cum filio, ſeptem annis tenetur 177.3

Albertus Magnopol. Sleſwicenſi bello ſe immiſcet ſpe recuperandæ Sueciæ, ſed infœliciter 178.19

Albertus Alberti Magnopolenſis filius à proceribus Sueciæ rex creatur, deſtituto Magno 315.35 & 44

Albertus Sueciæ rex in bellum cum Margareta Daniæ regina incidit 316.37, Quo victus ſeptem annos tenetur captiuus 317.3

Alberto captiuo cognatus nequicquam opem ferre aggreditur 317.18, Id poſtea maiori conatu ſuſcipitur ibid.36

Alberto captiuo ciuitates vt opem ferant, multos propoſita prædandi licentia in militiam aſciſcunt, pernicioſo exemplo 317.50.

Albertus anno captiuitatis ſeptimo, vrbiū maritimarum interuentu, pactis cōditionibus dimittitur 318.40, Tandem Stockholm cedens, Sueciæ regno vltro abit 319.8 & 18

Albi fluminis aggeres prægrandes magno labore obyciuntur 427.23

Albuini Longobardorum regis filij virtus & audacia 46.21 & 28

Albuinus Papiam ingredi diuinitus prohibetur 48.46

Albuinus vxoris, quam inhumano verbo offenderat, opera interficitur 49.18

Alecum piſcatura ad Scaniam 3.10

Alecum piſcatura ad Rugiam, nunc ad Scaniam 145.24

Alecū piſcatura apud Scanios deſinit 181.22

Alentium à Normānia duce Wilhelmo II. capitur 394.40

Alexander Achillem quo nomine fœlicem dixerit 43.24

Alexander poſt diuturnum ſchiſma verus papa habetur 152.12

Alexander pontifex Normannos bello coercere ſtatuit 400.4

Alexius Nicephorum, à quo auctus fuerat 401.50, imperio deiectum, monachum fecit 402, 5, A Roberto Guiſcardo ter vincitur ibid.14, 403.8 & 26

Alſtenus Angliæ rex Rollonem in Walacra laborantem re frumentaria, ex pacto iuuat 364.28

Aluilda quia proco amanti non dabatur 30. 18. indignata piratis viris ornatu ſe immiſcet ibid 22, In amatorem pugnans incidit ibid.30, 229.43

Aluerus Sueciæ rex bellū Ruſſis infert 132.12

Amalaſuinta patre Theodorico mortuo regnū in Italia ſapiēter adminiſtrauit 269.9

Amalaſuinta filij corruptores interfici curat 269.38, A quorum cognatis poſtea perimitur 271.7, Eius virtutes narrantur ibid.12

Amalorum apud Oſtrogothos regia familia 224.47

Amalaricus Arrianus à Clodouei filijs, quorum ſororem in matrimonium ductā ignominia affecerat, victus certamine occiditur 273.50 &c.

Amāder rex Sueciæ, regno deturbatus, quòd idolum colere nollet 308.30, Reſtitutus, denuo eycitur 309.22

Amazonum origo à Gothis 207.53, 208.2, Occaſio earum regni ibid. 5, Earum mos in nuptijs contrahendis & partu tollendo ib. 16. Nominis ratio ibid.26, Opus, Dianæ Epheſiæ templum ibid. 49, Nomen extinctum 208.36

Amazonibus duæ reginæ præerant 209.38

Ambianum cum locis finitimis à Normannis incenſum 356.38

Ambletus inſaniam ſimulans, eum à quo obſeruabatur, conficit 13.40, Et patris ſui interfectorem concremat ibid. 53, A Wicleto, quem fugarat 14.12, opprimitur ib.24

Amici fidem etiam hoſtis collaudat, eiq; illius cauſa parcit 58.50

Amici in amicos propriæ ſalutis cauſa crudeles 107.32

Amicorũ vno mortuo, alter ſuperſtes in ſpecum cum illius cadauere deſcendit 340.37, Vnde extractus ſtupenda narrat ibid. 48

Anathema in paganos torquetur 358

Ancona à Totila obſidetur 292.45, Liberatur à Vitaliano 293.2

Angliæ nomen vnde Britannia accepit 4.6, 351.47

Angliæ Iutiæ pars appellatur 4.20

Angliæ Danicum iugum excutit 80.9

Angliæ olim multis dominationibus diuiſa 363.2

Angliæ regum ſeries à Wilhelmo II. Normanno ad Krantzij ætatem 396.22, 397.13

Angliæ reges Franciæ regnum quo iure ſibi tribuant 396.43

Anglia non ſemel penes Danos fuit 397.22

Angli damna ſibi à Danis illata, Wãdalicarum ciuitatũ mercatoribus accepta ferunt, quos vexant 197.42, Hanc litem duo duorum populorum reges componunt ibid.48

Angli in Normanniam impreſſione facta à Richardo II. profligantur 387.40

Animam immortalem eſſe Cimbri credebãt 432.12

Annibal in patriam ab Italia reuocatur 212.16

Annonæ caritas extincto Olauo in fertilitatem commutatur 98.34

Annonæ caritas in Italia Venetorũ ope ſubleuatur 271.53

Annonæ penuria Gothi compulſi, Romanos duces, qui ea abutebantur, per tumultum cædunt 251.41 & 54

Annus MDLIX. magnis rebus inſignis 426.1 & 10 & 20

Anſcharius Chriſtum Danis prædicauit 77.49, 303.1, Regem Ericum baptizauit 79.5 Legatus in regna Aquilonis ibid.43

Anxinum magna vi oppugnatur 280.45, Deditione tandem capitur 281.7

Apuliæ pars à Turcis occupata 56.13

Apulia & Calabria Normannis ſubeſt 399.52

Aquæ calidæ maximè ſalutares 237.38

Aquinus filios immolat 83.1

Aquinus Noruagiæ rex in Anglia educatus 378.37, Noruagiam repetens, Haraldũ certamine commiſſo vincit 379.3. Ictu prodigioſo occiditur ibid.9

Aquinus Ingone rege ſubmerſo 413.44, Noruagia occupata in prælio cadit 414.1

Aquinus Noruagiæ rex proprium filium interemit 417.10

Aquinus IIII. Noruagiæ rex à Sueco opprimitur 418.41

Aquinus V. malo conſilio, Dani filiam, repudiata Gerardi filia duxit 419.6

Aquileia triennio obſeſſa, à defenſoribus deſeritur, & Hunnis irruẽtibus patet 259.43

Aquileiam deſerturi quo pacto ſibi conſuluerint 259.52

Aquilonis tria regna Germaniæ tribuẽda 1.24

Aquilonis tria regna primus Siabdagerus tenuit 6.5, 211.32

Aquilonaribus regnis crebræ regum cædes 225.7, 308.41

Aquilonares præſtigijs & magicæ admodum dediti 16.50, 212.32, 226.20, 242.16

Aquitania à Wiſigothis poſſeſſa 300.5, ad Franciæ ſceptrum migrat 301.18

Arbitrorũ ſententia & iuris forma apud principes diſſidentes parum promouetur 181.29

Archonis deditio conditione Chriſtianiſmi ſuſcipiendi 108.48

Arcona vrbs munitiſſima in Wandalis capitur 142.50

Ariminum à Gothis obſidetur 279.46, Fame premitur 280.20, Strategemate liberatur ibid.24

Arithpertus occupatum regnum prælio victor tenet 62.40

Arithpertus Rotharim ſe pro rege gerentem necauit 62.53, eccleſiæ Romanæ multas opes contulit 63.15, Ticino merſus perit ibid.23

Armillam donatam dextera elata geſtans, ſiniſtram abſcondit, vt idem denuo munus accipiat 349.46

Arngrinus Suecus domitis Phinnis Dani gener efficitur 226.10

Arnulphus Flandriæ comes bello ſe Wilhelmo inferiorem vid[illegible]s, inducias, colloquium & pacem petit 376.12, Colloquio dimiſſo ſuos mittit qui proditoriè hominem interficiunt 377.2

Arnulphus Flan. comes Ludouico ſuggerit quo pacto Normanniam ad ſe pertrahat 383.6

Arnulphus Imperator Normannos adortus delet 362.34

Arrianus rex, tamẽ Io. Baptiſtæ curæ eſt 56.42

Arrianos epiſcopos Iuſtinus Imperator eiectos 268.16, minis Theodorici territus ibid. 21, ex conſilio Catholicorum reſtituit ibid. 32.

Arria-

Arriana hereſis Longobardos inficit 56.20, Quare bello vexantur ibid.24
Arriana hæreſis Oſtrogothos, Wiſigothos & Gepidas inuaſit 251.28, Itē Wādalos ib.31
Arrianum dogma Wiſigothi rege autore deſerunt 298.21
Arrigis dux Beneuentanus pacis inita obſeruantiſſimus 54.28
Aſprandus relictus regis tutor 62.30, Ab Arithperto pulſus 63.4, Poſtea redit, & rex fit ibid.21, Regnum tres menſes tenet ib.25
Aſſentatio regum peſtis 39.7 & 44
Atalaricus Theodorici ex filia nepos puer, regno præficitur 269.8, Diſciplina Romana erudiri non ſinitur per Gothorum proceres ibid.13, A matre alienatur ibid.31
Atalaricus licet Arrianus, papam tamen honore proſequitur 169.48
Athaulphus Alarici ſucceſſor 254.25, Italia egreſſus in Hiſpaniam venit 255.9, Honorio ob fœdus 254,46, violatum, redire dum cogitat 255.26, à ſuis trucidatur ibid.37
Atila Hunnorum rex quando cum ſuis migrauit 42.6
Atilæ regia, vicus ligneis mœnibus cinctus 242.54
Atila ex quibus gentibus conflatum habuerit exercitum 258.7, Remos oppidum capit ib.14, Aureliam obſidet ibid.22
Atila exta inſpicit ad victoriam explorādam 258.29
Atila acie victus ad impedimēta ſe recipit quo conſilio 259.12, Regreſſus in patriam, & copijs auctis in Italiam contendit 42.39, 259.34
Atila à Leone pontifice Romam cōtendere diſſuadetur 260.7, Nuptijs celebratis vino obrutus moritur 42.45, 260.13
Atiſlus Sueciæ rex, ab Vrſa, Daniæ relicta, quā vxorem duxit 214.25, theſauris ſpoliatur ibid.28 & 50, A priuigno opprimitur 215.7
Aurelia ab Atila obſeſſa 258.22, à Normānis, præter S. Crucis fanum, incenſa 357.6
Aureliani ſplendidus de Gothis triumphus 239.15
Aurum in propatulo relictum non ſurripitur 20.47, 226.36

B*Acco alter in regem ſuum Iudas 96.46*
Balderus pro deo habitus 215.50, Vulnere acc[...]to moritur 216.13
Balenarum vaſta magnitudo, damn[...]atio qua à nauibus arceantur [...]85.1
Baltia inſula quæ 1.46, Eius deſcrip[...] & diuiſio ibid.51, 205.23.
Baltorū apud Wiſigothos regia familia 224.47. Ab audacia nomen habet 252.55
Balduinus Flandriæ comes, à Balduino filio ditione expellitur 391.43, Roberti Normanni armis reſtituitur ibid.50
Barbari connubia ambientes, minas precibus miſcent 18.47
Barbaræ gentes per imperium effuſæ 255.9, ducum prudentia inter ſe committuntur 253.12 & 19
Bardi olim dicti, qui hodie Saxones 41.32 Quinam apud Gallos ibid. 43, apud Latinos hoc nomine dicti ſint ibid.47
Baſilica S. Io. Baptiſtæ dicata Modoetiæ 53.33
Baſilicæ apoſtolorum Roma capta aſylorum vſum præbent 254.21
Bauari vnde dicti 55.5, Longobardos delent ibidem 10.
Bella gerentes puellæ 30.33, 33.50
Bellum toto ſeptennio magis exercendæ iuuentutis quàm ſimultatis cauſa ſuſceptum 33.33, 244.52, 347.37
Bellum inter amiciſſimos, vnius garruli calumnioſa vanitate conflatur 33,37
Belli effecta ipſi victori luctuoſa 177.50
Bellum licentiam & contumaciam populi in principes inducit 186.30, 189.4
Bellum Danorum aduerſus Anglos grauiſſimum ſedatur 193.49
Bellum à patria in hoſtilem regionem transferre 212.10, 333.39
Bella vbi deſunt, regum nomina manent obſcura 212.46
Bellum Dithmarſis per literas denunciatur 450.27
Belliſarius in Siciliā ex improuiſo venit 274.52, Multos fama virtutis ad deditionem faciendam adducit 275.6
Belliſarius à Gothis Romam compellitur 277.13, Supplemēta ab Imperatore mitti poſtulat ibid.44, Accipit 278.11
Belliſarius eruptione facta Gothos adortus, ægrè ſe in vrbem recipit 278.23, Penè à tribuno interfectus 279.4
Belliſarius quinto anno Gothis Italiam liberauit 281.37
Belliſarius denuo ad Gothos debellandos mittitur 285.20, Gothis nuſquam ſe obijcit ibidem 43
Belliſarius, dum Roma capitur, febre in Portu laborat 288.29, Hanc deſertam Gothis egreſſus reparat 289.13
Belliſarium Romam veniētem Totilas prohibere contendit 286.48, Pontem à ſe factū, à Belliſario propè fractum, vix tuetur ibid.18
Belliſarius belli tædio, ſpecie Parthici metus

Italiam deſerit 290.15

Benedictus monachus Totilam latentem in media turba agnoſcit, cui ventura prædicit 291.33

Beneuentum ab Imperatore obſeſſum, captiui prudentia liberatur 59.19

Beneuentanus dux rebellis, dum fugere conatur, à ciuibus regi gratificantibus trucidatur 64.52

Bergenſe emporium à Vitalianis direptū 419.50, *Rurſus* 421.2, *Tertiò ab iiſdem, ſed prius naualem magnam victoriam conſecutis* ibid.20

Berobiſtas Getarum animos ad manſuetiorem diſciplinam traduxit 223.47, *Multas victorias conſecutus eſt* ibid.51

Bibliotheca inſtructiſſima in Gothia 495.16

Birgerius I. Sueciæ rex, inuidiæ metu regium nomen non vſurpat 312.21

Birgerius II. Sueciæ rex à fratribus immeritò in vincula conijcitur 313.20, *Vnde Dano fruſtra eum liberare aggreſſo* ibid.32, *vltro illi reconciliati relaxant* ibid.35

Birgerius iniuriæ memor, fratres conuiuio exceptos, necat 313.43, *Quare populo tumultuante, cum vxore aufugit, filio conſorte regni relicto, qui capite pœnas luit* ibid.50

Boemundus Rogerij frater multa in ſancta expeditione magna geſſit 404.25

Boethius & Symmachus à Theodorico Papiā relegati 268.9, *crudeliter necati* ibid. 41

Boni & fideles viri rebellionem aliquando ob principū tyrannidem facere coguntur 257.5 & 16

Bothnia vnde nomen habet 492.30

Brunsbuttelium defenſoribus nudatum facilè capitur 458.50

Bremenſis eccleſia Thietmarſos ſibi aduerſus Daniæ regem vendicat 198.4

Bremenſis archiepiſcopus Dithmarſiam aliquando tenuit 435.22 & 29, *Eius nomine ſe tuentur, ne cui pareant* 438.46, 451.16, 471.23

Britannia à quo Imperatore ſubacta 20.35, *A quibus Romanis occupata* 346.1

Britannia Galliarum Normannis, vt edomaretur, conceſſa 368.45, *A quorum iugo liberatur* 388.3

Brixellum Autharis deditione capit 51.36

Broderus ſuſpenſus non moritur 39.28

Brunduſij ſimulata proditione Normāni tum proceres tum milites intercepti miſerè pereunt 400.44

Bugiſlaus à Cæſare impulſus Rugiam inuadit 158.23, *Item quingentis nauibus, ſed magno ſuo malo* ibid.36

Bulgarorum origo non rectè traditur à Blōdo 60.45

Burdegalā Iudæi Normannis produnt 353.39

Burgundum Nuſſiam obſidentem Chriſtiernus Colonienſi eccleſiæ placare fruſtra conatur 196.6

Burgūdiæ ducatus coronæ Franciæ regni conſolidatur 389.55

Burgundiæ ducatus & comitatus 390.1 & 8

Buriſius non probat regi viuo conſortem accedere filium 140.15 & 25, *Beneficium a rege liberius petens, accipit tamen* ibid.30

Buriſius regni affectati inſimulatur, et oratione ſua ſuſpicionē auget 140.51, 141.7, *Cum Erlingo Noruagio ſocietatem init* 414.40, *A Waldemaro rogatus rem inficiatur, & manere tamen iuſſus indignè fert* ibid. 50

CAcodæmonis opus ſine tactus, loci infauſtum ab internecina Danorum clade nomen 440.8

Cæſaraugustæ in Hiſpania fides Catholica viget 274.22

Callidi homines plebis animos religionis ſpecie afficiunt, quo eis morigeris vtantur 222.44 & 48

Callinicus exarchus Parmam Lōgobardis admitit 53.28

Calumniatorum verbis fit vt inter principes ſuſpiciones exoriantur 448.50, 449.5 & 14

Campania Galliarum à Normannis vaſtatur 358.50

Candentis ferri miraculo cōmotus Daniæ populus Chriſtianam fidem ſuſcipit 85.29

Candentis ferri ſuperſtitioſa purgatio à Chriſtianis, & quidem pontificibus non redarguentibus, vſurpata 369.14

Canis & auis in herum amor 39.35

Canonum quos Apoſtolicos habent, quæ vetuſtas 110.10

Canon de non tangendis ſacerdotibus, quàm vetuſtus 110.50

Cantabri & Aſtures ſoli ex Hiſpaniæ populis, barbaris venientibus non ceſſere 256.13, 300.31

Captus quidam, iter faciens, nullo bello, tamen ſe redimere, rege licet aliter iubente, cogitur 193.8

Captio in verbis literarum de pacis conditionibus 200.20

Carn[illegible]us naues euerſæ, homo in mari amb[illegible] naufragia excitata, oculi virorum ad e[illegible]um fulgorem hebetati 337.23

Carnotenſis ager Normannis à Carolo Caluo conceſſus 356.27

Carno-

Carnotenſes Rollonem obſidentem, à Burgundione adiuti cedere cogunt 367.31

Carolomānus Pipini frater diſſuadens bellum in Longobardos 67.22, *à fratre carceri mancipatus moritur* ibid.36

Carolus poſtea Magnus, à papa aduerſus Deſiderium accerſitur 70.15, *Venit* ibid.40, *Qua pompa & veneratione Romam ac papam adierit* 71.45

Carolus Sueciæ rex creatus 190.38, 321.39 *Inuiſum ſe cernens clàm abit* 191.9, 321.50, 322.1, *Reuocatus redit, ſed priuatus viuit* 192.48

Carolus Martellus cur ſic dictus, & quo pacto innotuerit 300.20, *Sarracenos ingenti certamine delet* 301.7

Carolus Kanuti filius in æde ſacra interfectus 308.51

Carolus Simplex, Balbi filius, Francorum rex, cum Rollone Normannorum duce fœdus & affinitatem contrahit 368.50

Carolus Simplex & Ludouicus filius Francorū primores aduerſantes habuerūt 377.42

Carolus V. beneficium Dithmarſiæ à Frederico collatum 438.40, *confirmat* 441.44

Carolus V. Imperio depoſito, monaſterium in reliquam vitam ingreditur 426.15

Caſtor per ludibrium, Daniæ rex appellatur 178.14

Caſſinenſe monaſterium ſpoliatum & incenſum 53.17

Cauſa marchionis Romuli captiui Magno Sueco diiudicanda committitur 174.35

Cauſæ cur Normanni Galliarum littora infeſtarent 35.319

Catalanorum appellatio vnde manauerit 297.23

Catalaunici campi Atilæ pugna nobiles 258.37, *Cæſorum numerus* 259.18

Catapanus, magiſtratus nomen Conſtantinopoli miſſi 399.18

Centurio poculum aureum à rege datum, medio certamine, vt pollicitus fuerat 217.5, *cruore proprio plenum haurit* ibid.13

Chilpericus, antea Daniel, ex ſacerdote rex Francorum 300.40 & 50

Chriſtina Ioannis Daniæ regis vxor 196.20, *apud Suecos ab eo relinquitur* 198.26, *A quibus obſeſſa, capta, & in monaſterium detruſa, miſſo Roma nuncio liberatur* ibid.50. 201.18

Chriſtianorum illuſtris aduerſus Danos victoria 80.39, *Diuturna perſecutio* ibid.42

Chriſtiana non Chriſtiano nubit 80.52

Chriſtiana religio victis ſuſcipiēda imperatur 82.36

Chriſtianus in Chriſtianum Sarracenorum auxilia accerſit 301.2

Chriſtianos ab idololatris vexari diuinum eſt iudicium 377.55

Chriſtiani, alioqui pij, impiorum aduerſus hoſtes Chriſtianos, quum neceſſitas compellit, auxilio vtuntur 385.40, 386.1, 389.12

Chriſtianus in Chriſtianum, & quidem fratrem, impiorum auxilia aduocat 403.53

Chriſtianiſmus non niſi vi à plebe ſuſcipi poteſt 146.42

Chriſtianus I. ſiue Chriſtiernus, Daniæ rex eligitur 199.21, *Ex Dorothea Chriſtophori deceſſoris relicta liberos ſuſcipit* ib.46, *Sueciæ prouincias armis ſubigit* ib.50, *Ad Sueciæ regnum poſt Caroli profectionem creatus vocatur* 191.16, 322.5

Chriſtianus Romam peregrini habitu venit 195.37, *A clementia ſolita diſcedit* 196.45, *Creditores magna argenti ſumma fraudat* ibid.53

Chriſtianus à Suecis rebellantibus 322.28, *acie vincitur* ibid.32, *Conuentu Lubecæ habito non poteſt contentionem dirimere* ib.48, *Alia expeditione ſuſcepta nihil proficit* 323.5

Chriſtiani I. Daniæ regis poſteritatis ſtemma 434

Chriſtianus I. Dithmarſiæ ab Imperatore præficitur 195.40, 438.40, *Cui iudicio illi ſtare recuſant* 196.34, 438.46

Chriſtianus III. Daniæ & Noruagiæ rex, de morte octauo antè die per inſomnium monetur 425.30

Chriſtianus Daniæ rex Adolphi fratris de bello inferendo conſilium improbat, quippe morti proximus 441.29 & 41, 442.33

Chriſtianus Daniæ rex, factionibus Sueciæ proceres diſiungit 500.11, *Epiſcopo ſuo laboranti dum venit auxilio, fugatur* ibid.28, *Holmiam obſidens, rerum inopia preſſus, inducias petit* ibid.51

Chriſtiani perfidia in obſides datos 501.9, *ſimulata in pacis conditionibus accipiendis humanitas* ibid.49, *inaudita in Holmenſes, à quibus exceptus eſt, crudelitas* ibid.52, &c.

Chriſtianus poſt barbarū Holmiæ excidium, à Danis ipſis regno eijcitur 504.43

Chriſtiernus II. Suecos bello adoritur 325.40

Chriſtum prædicari vt ſinat Danus ab Imperatore cogitur 82.17

Chriſti regnum armis promouere parùm fœlix 94.30

Chriſti religio in Suecia valde amplificatur

308.25 & 38

Chriſtophorus regis filius, cum piratis pugnãs, periclitatur 143.49

Chriſtophorus I. ducatum Sleſwicenſem abolere ſtudens 168.34, à populo rebellante capitur ibid. 40, Moritur ibid. 55

Chriſtophorus II. fratri ſuccedit 171.4, Proceres, quòd fratrem regno præficere ſtuderẽt, ſuſpẽdio necat ib. 42, Regno pellitur 172.10

Chriſtophorus II. comitibus placatis 172.32, inuitis Danis in regnũ reducitur ibid. 41, Victus prælio fugit, & rurſus reducitur ib. 50, Senex moritur 173.6

Chriſtophorus III. Daniæ rex electus 188.34, Sleſwicenſi duci omnia ex æquo reſtituit ib. 51, Nuptias ſplẽdidiſſimas celebrat 189.38

Chriſtophorus III. pacificus regnat 190.1, Lubecenſibus bellum inferre cogitans, morbo correptus moritur ibid. 4 & 20

Chriſtophorus Erico ſponte abdicato in tribus regnis ſuccedit 321.8, Theſauros quos è Suecia in Daniam ſecum auferebat, naufragio amittit ibid. 26

Cimbria inſula 3.25

Cimbrica Cherſonneſus, hodie Iutia, deſcribitur 2.34

Cimbrica Cherſonneſus bifariam diuiditur 427.20

Cimbrorũ res geſtæ cõpendio narrantur 10.46

Cimbri à Gomero nepote Noæ 428.3, Ex Cimmeriјs dicti ibid. 13 & 18

Cimbrorum admirabilis migratio 429.10

Cimbricum bellum duodecennale 430.20

Cimbrorum ad Cæſarem Auguſtum munus amicitiæ cauſa 430.53

Cimbrorũ antiqua religio 432.8, Admirabilis migratio 429.10, Mos in iure dicũdo 432.20

Cimbri à Chriſti temporibus variè à varijs tractati 433.40

Claſſenſe oppidum à Smaragdo exarcho capitur 51.17, Captum à Luitprando ſubuertitur 65.24

Claſſenſe oppidum Rauennam reddit illuſtriorem 265.20

Clodoueus Imperatori amiciſſimus ob debellatos Wiſigothos 267.31

Cleri conſtantia in decimis exigendis 155.23

Clericatus, velut ſupplicium, coactò impoſitus 64.50

Codanus ſinus 1.40, quas habet inſulas 3.8

Collerus Horwendillum piratam, quem diu quæſierat 335.55, in ſylua repertum ſingulari adortus certamine cadit 336.10

Colonia Agrippina à Normannis direpta 357.3

Comeatus Romam in maxima penuria introducitur 279.2

Comitiua ſacrarum largitionum, quæ dignitas 270.4

Connubia regum an extera domeſticis vtiliora 18.29

Coniugij ſymbolum aptiſſimũ, licet apud gentem maximè barbaram 482.44

Coniuratione detecta moderatum conſilium 147.27, 149.20

Cõradus Imperator perfidiam deteſtatur, qua rex ſubditum fallere (vt licere vulgo putãt) cogitabat 119.10

Conſors regni filius patri primus apud Longobardos 60.35

Conſors regni apud Danos patri filius accedit 140.10

Conſtans Imperator cum Longobardis coactus pacem facit 57.19

Conſtantini donationem papa falsò prædicat 68.40, 72.1

Cõſtãtia vt rumores cõpeſceret, verè ſe grauidã fuiſſe, in propatulo pariens, oſtendit 417.40

Cornelij Taciti ætas & ſcripta de Germã. 1.28

Conel. Taciti & Plinij de rebus Germanorum ſcripta 233.18

Crantzius anno 1510. ſuperſtes, quum Sueciam ſcriberet 261.39

Cræſi optimum conſilium 219.30, Quo Thomiris filius cum ſuis perit 219.40

Crebræ Normãnorum in Gallias & alias terras incurſiones ſummatim recẽſentur 353.32

Cruci affigitur quidam ciuis Holmenſis 502.36

Cur quoſdam homines piloſos eſſe ſcriptores tradant 481.46

Cyrus cum exercitu à Thomiri regina deletus 219.55

Dacia à Danis nomen habuiſſe videtur 206.45 & 50, 224.11

Daciæ, quam Gothi tenuerunt, ſitus ac nomina 223. & 25. A Traiano poſt pulſos Gothos cultoribus frequentata 234.27

Dalekarli Suecorum fortiſſimi 503.38

Dan è ſuo nomine Daniam appellauit 4.21

Danus à Sueco victus, ſtatim de Wandalis victoriam obtinet 36.52

Danus põtificis Hamburgenſis anathema prouocatione eludit, & eius iuriſdictioni regnum eximendum curat 99.20

Dan⁹ qđ alteri fecit, id ab altero patitur 211.27

Danus Sueciam bello aggreſſus 311.1, à ruricolis iter facere prohibetur ibid. 8, Dilabentibus vltro militibus redire cogitur, & multos ſuorum amittit ibid. 24

Danus tribus nauium millib. in Noruagiam naui-

nauigat 341.11
Dani regem eligentes cur ſaxis inſiderẽt 4.29
Danorum de Wandalis victoria 12.48
Danorum longinquæ nauigationes 40.7
Dani Carolo Magno formidabiles 73.43, Saxoniam bello vexant, religionis Chriſtianæ odio 80.18
Dani in Anglia, quam tenebãt, vna nocte cæſi omnes 89.55, 388.14
Danis carcer morte grauior 95.44
Dani procul à patria Græco Imperatori militantes 100.30
Dani à Wandalis iniuſti belli occaſionem dantes opprimuntur 102.3
Dani à Wandalis fugati 129.47. Expeditione repetita magnã illis cladẽ inferunt 130.23
Dani, dũ pes tractãtur, cõtra fidẽ ad arma currẽtes, ab Adolpho parato opprimũtur 177.25
Dani arcẽ occupare cogitãtes, ab Holſatis imparatos ſe ſimulantibus deturbantur 179.46
Dani extrema fame vrgentur 212.26
Danorum regibus diuturna & varia cum Saxonibus bella 312.9
Dani & Noruagij poſt nauale certamen acerrimũ, amicitiã ſocietatemq; ineunt 343.37
Dani Britanniam ante Romanos ingreſſi 345.42, 346.4
Dani Friſiam & Angliam tenent 358.32
Dani Galliam ingreſſi cum Rollone, roganti aduentus cauſam et quem Franci miſerant, quid reſpondeant 365.41
Danicæ res vtrinque vehementer acciſæ 37.6
Danici populi in bello ſciſcendo libertas 99.9
Danici regni ſucceſſio à multis poſt Erici V. mortem expetitur 109.40
Danicæ eccleſiæ patrũm pura inſtitutio 110.9
Danicum regnum quando hæreditarium eſſe cœpit 140.31
Daniæ deſcriptio & partes 2.31
Dania regem ante Romuli ætatẽ habuit 3.52, 210.26, licet hoc nomine abſtineret 4.2
Dania ab extero rege ſubigitur 6.3, & tributum pendit ibid.40
Dania ab Haddingo necis paternæ vltore liberatur 6.50, 211.37
Daniæ bipertitum regnum terra & mari fratres annuis vicibus tenent 24.49, 25.13
Dania ad Chriſtum adducitur 79.10 & 53, Deinde grauis inducitur perſecutio 80.50
Daniæ regnum Imperio Rom. ſubijcitur 82.37
Daniæ regnum triumuiratu diuiſum 122.32
Daniæ rex regnum bello, quod conflarat, vexatum deſerit 176.2
Dania quãdiu regẽ non habuit hæredẽ 190.42
Daniæ archipræſul Eſchyllus Noruagiam ſibi ereptam ægrè ferens, à legato Romano legationis in Sueciam munere placatur 412.9
Daniæ rex in ſocietatem belli Dithmarſici pertrahitur 445.43, 446.17
Darium miſſo nuncio obſequium flagitantem Scythæ rident 220.46
Daxo Sueciæ regem, cõuiuio ab eo exceptus, trucidatis multis comitum, caput, & viuũ cremari iubet 304.45
Decem naues è Danica claſſe tempeſtate pereunt 185.21
Decibalus Gothorum rex cum Traiano bellum geſſit 234.10
Decimarum tributũ populo graue 94.45, 155.2, Non poteſt perſuaderi 95.11, De quo pontifices nihil volunt remittere ibid.55
Decimarũ vectigal cum minis interdicti imperatur 155.16, Harum cauſa interdictum Daniæ inuehit per nouem annos 169.22
Decima proceribus Franciæ, longo bello attritis, conceſſa 301.14
Decimarum ius ſerò à gentibus Borealibus admiſſum, & cur 329.46
Decius Imperator cum filio cum Gothis pugnãs cadit 237.12
Demetrius ab Imperatore miſſus, nauali prælio à Totila victus 284.42, Ducitur ad Neapolitanos terrendos ibid.51
Deſiderius papam promeretur, vt rex fiat 68.52, Pacem cum eo & Francis cum iureiurando facit 69.1
Deſiderius vt papæ vires extenuet, Imperatoris dignitati ſtudet 69.22, Anſas multas quærit, vt Francorum vires à papa tuendo auertat ibid.40. & 49, 70.18
Deſiderius Papiam ſe recipiẽs, à ſuis paſſim papæ ſe tradentib. deſeritur 71.9, Illic captus, Leodij, quò relegatus eſt, moritur 72.8
Deſiderij filius ad Imperatorem in Græciam ſe recipit 71.36, A quo adiutus fruſtra regnum recuperare conatur 72.19
Diaconus regis ornatum gerens in prælio cadit 62.12
Dialogi Gregoriani locus de Theodorici anima 269.1
Diocletianus abdicato Imperio priuatus conſenuit 188.24, Eius de vita priuata dictum 313.15
Dion Græcus Gothica ſcripſit 204.55
Diſciplinarum omne genus à Gothis cultum 223.6
Diſciplina militaris exactiſſima ſub Belliſario 282.2
Diſcrepantiæ inter veteres ſcriptores quædam nequeunt conciliari 418.46

Dithmarſi,id eſt, Tiethmarſi, Saxonibus primùm paruerunt 435.8, Plurimos ex ſuis dominis interfecerunt ibid.10, Ab alio ad aliũ ſubinde dominatum tranſierunt ibid. 20, Regem Waldemarũ cui tum parebãt, perfidioſè in pugna prodiderunt 435.35

Dithmarſorũ in victos hoſtes crudelitas 437. 48, Magna ob imperitiam in litibus dyudicandis arrogantia ibid.32

Dithmarſi rumore moniti ſe ad bellũ tolerandum parant 448.33, Principib. bellum denunciantibus per literas reſpõdent 451.11

Dithmarſi legatos de faciẽda deditione ad principes mittunt 466.3, ad capita quæ principes præſcripſerant, 467.6, reſpondent 468. 5, plenam deditionem faciunt 469.13

Dithmarſorum captiui, vnius oratione cædi præſenti eximuntur 459.30

Dithmarſorum & hoſtium bello Dithmarſico cæſorum numerus 465,10

Dithmarſiæ (quæ aliâs Tiethmarſia dicitur) deſcriptio 435.3

Dithmarſia adhuc capiẽda, inter principes diuiditur 446.30

Dithmarſiæ bello ſubactæ dominatio à Ferdinando Imperatore confirmatur 471.6

Doloris diſſimulatio conſtantiſſima 305.37

Donatio regum Longobardorum eccleſiæ Romanæ 63.15 & 35, 65.4

Dorothea ex Brandeburgenſi gente duob. Daniæ regibus nupſit 189.33, 190.32 & 41

Dorothea Adolphi ducis relicta, iniuriam grauem in Daniæ regis ditione accepit 193.11

Dorothea Daniæ regina, Dorotheam Adolphi relictam difficultatibus eximit 195.25

Ducis Romani, Romæ Imperatoris nomine magiſtratum gerentis, vmbra potius quàm autoritas 69.18

Duces XXX. Longobardi pro vno rege conſtituunt 50.11, Horum vnus ad exarchum tranſit 51.6

Duces XXX. deſtituuntur, vno ex eis rege creato 51.22

Duces qui ad Francos defecerant, rex Agilulfus bello perſequitur 52.36

Ducibus duello congreſſuris, duo exercitus quieſcunt 216.46

Duellum recuſare ignominioſum 28.4 & 24, 34.54, 211.15

Duellum inituri pater & filij, quantocunque ſint numero, pro vno habentur 229.7, 3c3.16

Duelli vſus ſublatus 94.10, Renouatur 117.7

Duo de regno apud Longobardos contendentes 62.40

Duorum exercituum primarij imminẽte prælio de pace colloquuntur 174.32

EBruinus maior domus, multis apud Francos excitatis turbis, interficitur 199.9 et 30

Eccleſia Orientalis in ritibus ab Occidentali diſſidens, bello inuaditur 322.24

Eccleſia bifariam diſpertita binos habens epiſcopos 56.21

Eccleſiæ præſidium & autoritatem ex humanis opibus accedere, poſt veterem inopiam, operæprecium fuit 71.28

Edictum Rotharis ſuas leges appellauit 56.32

Eduardus cum patre Adelredo Danorum vi ex Anglia in Normanniam profugus 388. 31, Angliam reuerſus Danos cõgreſſos vincit 393. 51, Poſtea ab Hadercanuto amicè euocatus, Angliæ partem, ac eo mortuo totam accipit 394.7

Eduardus Wilhelmũ II. Normanniæ ducem Anglici regni ſucceſſorem deſignat 395.28

Elg, aſini ſilueſtres, vbi reperiantur 491.26

Emundus bellum futuro ſocero ad promerendas nuptias infert 35.53

Emundus Sueciæ rex ob ſuam in epiſcopos contumeliam 3c8.8, diuina caſtigatione monitus reſipiſcit ibid.18

Engelbertus rebellionis Suecorum caput, patriã Danico iugo liberare aggreditur 186. 49, Totum regnum ab Erico auertit 320.8 & 32, Opprimitur ab æmulo quodam ib.35

Eningia Græcæ eccleſiæ olim adhæſit 495.40

Epiſcopi buſtum transferre, exitiale conantibus 94.50, 95.6

Epiſcopus armis pugnans, contra inſtitutum facit 160.35

Epiſcopus Waldemarus, Daniæ regnum affectans, negociũ Kanuto faceſſit 160.4, Rem verbis tractare cogitans, contra fidem in vincula conijcitur ibid.15

Epiſcopus Daniæ regnum affectans, carcere liberatur, ea lege, ne propinqua Daniæ loca incolat 136.18, Romam mittitur ibid.29, Bremenſis epiſcopus eligitur ib.31, Sed non ſtatim à papa confirmatur ibid. 44, Mora impatiens quum diſceſſiſſet, excommunicatur 164.1, Bremenſem epiſcopatum aduerſus Daniæ regis vires bello defendit 164.10 & 24, Moritur ibid.45

Epiſcopi inueſtiturã à regibus accipiunt (aliâs id nefas eſſe docentes) quũ aduerſus competitorem gratiam & opes quærunt 164.26

Epiſcoporum de epiſcopatu poſſidendo bellum 164.31

Epiſcopus Bergenſis, quum militi populum placare ſtudet, cum eo unà trucidatur 422.24

Epiſcopi

Epiſcopi Vpſalienſis dictum de ſacerdotum auaritia 482.36
Epiſcopus Vpſalienſis impiè, aduerſus patriam, tyranni crudelitati obſequitur 500.15
Epiſcopus Vpſalienſis à Stenone victus, reſipiſcentia ſimulata veniam obtinet 500.36, Quo mortuo rurſus pro tyranno aduerſus patriam ſæuit 501,25
Epiſcopus Vpſalienſis in Goſtauum patriæ liberatorem, ad ſana conſilia vocantem proteruus 503.55, Eiectus, apud ſuum etiam tyrannum inglorius hæret 504.6 & 37
Epiſcopus Lubecenſis cõſiliorum Adolphi conſcius 444.49, Lubecẽſis & reliquis rogantibus, hæc clam rege fieri reſpondet 445.16
Epheſiæ Dianæ templum à Gothis incenditur 237.31
Equi è Dania primùm traducti 108.40
Equum quidam mercari ſe velle ſimulãs, tanquam exploraturus eum abducit 138.31
Equeſtre iter diurno & nocturno tẽpore continuatum, idq́; caniculari æſtu 464.2
Equeſtris dignitatis honor apud Cimbros maximus 431.38
Ericus Suecia exutus, hoſtis patriam bello infeſtans, loco amiſsi regni occupat 27.22, Tandem victus feris obijcitur ibid.47
Ericus in Dania Chriſtum inſectatur 79.1, Poſtea amplectitur ibid.4
Erici IIII. Daniæ regis virtutes, forma dignitas, & vitia 98.37
Ericus IIII. cum vxore & magno comitatu Hieroſolyma religionis ergô proficiſcitur 100.4, Conſtantinopoli ob metum non ſtatim accipitur 100.28, 309.29, poſtea amicè exceptus, etiã pictura ob magnitudinem exprimitur 100.48, Reliquias dono accipit ibid.52. In Cypro moritur 101.6
Ericus Kanuti fratris cædẽ vlciſci ſtatuit 105.23, A Magno Noruagiæ rege, penè proditus, ex eius cuſtodia prudenter elabitur 410.50, Rex Daniæ, Nicolao abdicato, creatur ibid. 54, 411.9, A quo pacis prætextu, pontificis opera penè opprimitur 106.5, Varia fortuna pugnat ibid. 27, 107.10 & 17. Tandem victor ibid. 25, Haraldi fratris filios necat 108.5
Ericus VI. Daniæ rex Olauo Erici V. ex fratre nepoti ſua repetẽti qua ratione deneget 110.16, Bello eum ſæpius fundit & fugat ibid. 55, bello in Wandalos malè adminiſtrato 111.38, monachus moriturus efficitur ibid. 51
Ericus VII. Waldemaro II. patri ſuccedit 167.8, Indigna cæde fratris iuſſu perimitur ibid.37
Ericus VIII. Chriſtophoro patri ſuccedit 169.1, A ſuis confoditur ibid.27
Ericus IX. patri Erico VIII. ſuccedens, Waldemaro Sleſwicenſi, qui regnũ eo adoleſcente adminiſtrarat 169.34, bellum infert ibid.53, Reconciliantur 170.2
Ericus IX. Birgerio Sueco à fratribus victo opem ferre fruſtra conatur 170.22, Coniuratos, literis prolatis deprehenſos, ſeuerè punit ibid.38
Erici X. iniquitas multos aduerſarijs conciliat 178.3, Arbitrium non vult ſubire ibid.48.
Ericus X. anathema & interdictum deprecatur, quum tamen parere nequaquam cogitet 179.41
Ericus X. tandem Sleſwicenſi ducatu, quẽ cauſa ſuperior obtinuerat 180.48, cedit 187.24, Motus proſpiciens, regno egreſſus Gdanũ ſe recipit ib.40, Reuocatus nõ redit ib.48
Ericus X. Hieroſolymitanã peregrinationẽ inſtituẽs 180.53, effigie proditus, quũ ornatum mutaſſet, magna pecunia ſe redimit 181.8
Ericus X. ciuitatib. Wandalicis pacis capita proponit 184.42, A quibus decedere non vult 185.3, Alteri conuentui intereſſe non dignatur 186.21, Præter bellum illud, in Suecia aliud exoriri audit ibid.42, Quò nauigans, metu clanculum diſcedere cogitur 187.4
Ericus X. quietis cupidus, nepotẽ ſuũ regno vult præficere 187.52, 188.2, Quum non obtineret, Pomeraniam petens, priuatam vitam colit ibid.15
Ericus X. à Suecis rebellantib. quos ſubactũ venerat, in fugam conijcitur 192.33, 194.39.
Ericus regni moleſtia affectus priuatã vitam in ſua Pomerania amplectitur 321.3, Gotlandiam ſolam retinens ibid.18
Ericus adoptione trium regnorum Aquilonarium rex 177.20, 319.30, 420.44, Suecos rebellantes ob tributorum grauitatem experitur ibid.50, 320.8, In quos expeditione infœliciter ſuſcepta ibid.25, ciuitatum maritimarum opera conciliari pacem cõditionibus certis impetrat ibid.46
Ericorum duorum de Suecia contendentiũ bello, Suetica nobilitas ferè extincta 308.44
Ericus Noruagius Frotoni Dano acceptiſsimus, ſororem eius ducit vxorem 338.2
Ericus ad quærendam Frotoni vxorem 338.10, Gothari filiam miſſus, eam accipit, modo ſua vxore, quam ſecum duxerat, cedat ibid.16, Aſtutè tamen hominem ludificatus, aula ſpoliata vtramque abducit ibidem & ſequentib.

Erlingus à Buriſio aduerſus regem coniurante in Daniam euocatus, 415.2, Cauſis aduentus confictis rem vanam videns abit. ibid. 13. & 23

Erlingus Aquino interfecto Noruagiæ regnũ occupat 413.5, Waldemarum Danum eò venientem, ſecedens ludificatur ibid. 19

Erlingus diem auſpicatiſſimum obſeruat, quo legatos de pace ad Waldemarum mittit 416.6, quam obtinet ibid. 15

Esbernus Abſolonis frater Chriſtophorum periculo eximit 143.49, Ipſe ſolus cum piratis fortiſſimè pugnat 144.1, Ipſos tandem internecione delet ibid. 17

Esbernus Ab. fr. ſumma virtute cum Wãdalis pugnat 144.36, Penè deletus, aſtu elabitur ibid. 43

Eſchyllus pontifex regẽ, à quo diſſidebat, ditione expellit 109.21

Eſchyllus pontifex prudenter ab Abſolone increpatur 134.8

Eſchyllus pontifex non fert regem ſuauius ridentem 133.48, Cui minatur ſe armis moleſtum fore 134.6 & 15, Sãguinarius ib. 36

Eſchylli pontif. minas vt rex compreſſit 134.35, Eum bello vexat ib. 42, Pontifex nepotis ſalutem non vult debito in regẽ obſequio redimere ibid. 47, Tandem cedit 135.6

Eſchyllus põtifex ſeceſſum ab eccleſiæ cura quærit 146.26

Eſchyllus quibus literis, cauſis & ceremonijs ſe pontificatu abdicauerit 149.39, 150.9, Regem omni ſuſpicione liberat ib. 14, Abſolonem ſibi ſucceſſorem renũtiat ib. 39. Quem reluctantem multis rationibus fruſtra adducere conatur 151.5, Claram vallem monachus futurus ſe confert ibid. 20

Eſtones eam quæ nunc Liuonia dicitur, tenuere 242.2

Euangelium plebi nondum domitæ intempeſtiuè prædicatur 146.41

Euchariſtiæ miraculo nobilitatur oppidum antea obſcurum 192.11

Eugenius à Theodoſio deletus eſt 252.43

Exarchi duo ſe reges Italiæ conſtituunt 55.36

Exarchatus quando cœpit 48.27

Exarchatũ Rauennatem Imperatori non reddendum, ſed papæ dandum, qua ratione Pipinus adductus cenſeat 68.19

Exarchatus quamdiu Rauennæ ſtetit 69.14

Execatur virilitas monacho futuro 109.10

Exemplum acerbiſſimi ſarcaſmi 48.54

Exemplum æmulationis de adminiſtratione regni 62.32

Exemplum animi aduerſo nuntio mœſti 78,11

Exemplum animi in ipſo periculo intrepidi 77.21

Exemplum animi iniuriæ acceptæ memoris 313.43

Exemplum animi intrepidi & audacis 304.40

Exemplum animi in victoria & iuſto dolore moderati 77.25

Exemplum animi priuatas iniurias Reip. condonantis, & contrarij 74.28

Exemplum aſtutiæ in ſcelere celando 25.27

Exemplum atrociſſimi in hoſtes patriæ ſupplicij 99.17

Exemplum audaciæ ſingularis 215.29

Exemplum celeritatis in bello inferẽdo 130.20

Exemplum conuiuij ad cædem faciendam comparati 313.43, 501.52

Exemplum crudelitatis 38.40 & 50, 39.13 & 51, 49.45, 55.27, 59.50

Exemplum crudelitatis neceſſariæ 107.32

Exemplum dicti imprudenter emiſſi 61.37

Exemplum dicti liberius emiſſi 127.9

Exemplum diffidentiæ principũ inter ſe 52.20

Exemplum doli & aſtutiæ 85.40

Exemplum egregiæ in milite fidei 325.30

Exemplum ſingularis fidei & amoris in milite erga regem 411.36

Exemplum eloquentiæ efficaciſſimæ 144.8

Exemplum fidei & amicitiæ ſingularis 62.12

Exemplum fidei inter mortales parum firmæ, dum ſibi quiſque ſtudet 145.14

Exemplum fidei in vxore poſt viri mortem 211.55

Exemplum fraternæ concordiæ 101.23

Exemplum fraternæ iniuriæ & cædis 4.32, 10.14, 13.27, 25.25, 167.32, 313.20

Exemplum futilis & inconſideratæ loquacitatis 147.2

Exemplũ hominis ex obſcuro loco ad ſummum faſtigium elati 314.9

Exemplum hominis nimia apud regem gratia abutentis 19.7

Exemplum iniuriæ acceptæ obliuiſcendæ 302.27

Exemplum impudicitiæ indigno contemptu vindicatæ 55.21

Exemplum inconſtantiæ rerum humanarum 143.2

Exemplum infandi ſacrificij 83.1

Exemplum ingratitudinis 61.24

Exemplum iræ in regibus moderandæ 39.33

Exemplum lepidi dicti commodo tempore prolati 107.14

Exemplum militum malè Imperatori parentium 460.35, 463.14

Exemplum morbi, diuinitus ad auertendum ſcelus

ſcelus meditatum immiſſi 127.21
Exemplum mortis voluntariæ 7.51, 11.22, 23.38
Exemplum nimiæ in dicendo libertatis 46.36, *Impunitæ* 83.33
Exemplum obedientiæ in ipſo legiſlatore 88.15
Exemplum perfidiæ fœmineæ 14.20
Exemplum pontificiæ libertatis in arguendo regis ſcelere, & regis demiſſionis 92.33
Exemplum perfidiæ regiæ 118.44
Exemplum perfidioſæ proditionis 57.36, 96.46
Exemplum prætextus periurio doloſè petiti 104.33
Exemplum præſtigiarũ & ſuperſtitionum 43.51, &c.
Exemplum proditionis debito præmio cõpenſatæ 172.18
Exemplum prudentiæ in denegando potentiori quod petit 171.53
Exemplum regiæ perfidiæ in epulo 123.27, *Deinde mendacij ad tegendum ſcelus confićti* 124.2
Exempla ſtrategematum 6.29, 8.4, 9.19. 22. & 31, 9.28.44. & 56.17.54, 18.4, 25.41, 27.17, 30.41, 37, 44, 58.31, 83.17, 84.29, 102.12, 107.4, 132.8, 144.42, 182.4, 185.26, 210.55, 215.15, 259.52, 280.25, 367.4, 368.4, 382.53
Exemplum inſignis ſtultitiæ & incogitantiæ 147.37
Exemplum ſupplicij ſæuiſſimi 305.54
Exemplum talionis 23.43 & 24.38, 39.46
Exemplum turpis & pudendæ vindićtæ 11.1, *audacis & periculoſæ* 26.16, 49.2
Exemplum vindićtæ in proditorem 57.47
Exemplum vxoris zelotypiæ vacuæ 98.50
Exercitus duce licet cæſo vićtor 228.14
Exercitus ſemel in fugam coniećtus, vix reſtitui poteſt 348.22
Exercitus quem principes in Dithmarſos ducebant, numerus 452.10
Exercitu trifariam diſtributo, ignari Dithmarſi Meldorpam minori præſidio firmant 455.13, 458.20
Exile Imperij auxilium ad Liuoniam aduerſus Moſchum defendendam 426.31
Expeditiones Occidentalium in terram ſanćtam, Imperatoribus Orientalibus parum gratæ 406.37
Extremus ad Septentriones Oceanus à quibuſdam periculoſè tentatus 331.25
Eydora fluuius, Iutiæ & Holſatiæ limes 10.45

FAcile eſt homines è Chriſtianiſmo ad gentilem impietatem relabi 479.40
Falſtrenſes falso delati regis ſæuitiã, febre eum corripiente, euadunt 127.21
Fames Romæ maxima 278.5 & 35
Farina calce mixta, Chriſtianis pro commeatu data 406.38
Ferdinandus Imperator in locũ Caroli V. fratris adhuc viui elećtus 426.13
Feræ nobilibus ſeſe ſubmittunt 5.10
Ferri hebetandi peritia 23.13, 26.41
Ferri hebetandi peritia ex magia apud Boreales 343.19
Ferri hebetandi vis, alia arte retunditur 132.38
Ferro inuulnerabilis, auro necatur 210.52
Ferro inuulnerabilis, clauæ ićtibus contunditur 228.10
Feudorum ius apud Cimbros olim nullum 433, 22
Fidem datam Cimbri religioſè ſeruarunt 432.48
Filius à patre, quia ab Arriana hæreſi deſciuerat, necatur 297.46
Filios dijs immolandi mos apud Aquilonares 379.27
Fimbria, Cimbriæ vetuſti vocabuli veſtigium 428.1
Finnonia vnde appellata 495.21
Flauius, cognomen additum Longobardorum regibus 51.39
Flensburg oppidum à ciuitatum & ducum Sleſwicenſium exercitu obſidetur 182.26, *Henrico vno ex ducibus interfećto ibidem* 47, *Lubecenſes primùm, deinde alij abeunt* 183.2
Flensburg dolo & arte occupatur 185.26, *Arx à Danis defenſa ibidem* 37, *Fame tandem deditur* 186.5
Fluxus & refluxus marini vorago 489.46
Fœmina fratri armis regnum extorquere conatur 344.44
Fœmina maga nullius reſignara pag. 25.52
Fœminæ Dithmarſorum armatæ pugnarunt 457.2
Fœminæ illati ſtupri dedecus armis ſumptis vindicant 350.20
Fœminæ in aciem prodeunt, illatum ſtuprum vlturæ 75.6
Fœminæ in exercitu armatæ 245.9
Forum Iulium Italiæ propugnaculum, occupat Albuinus 48.16, *A Cacanno Hunno pror-*

ſuis deletur 55.29
Fortes victi, vitæ beneficium ab hoſte non accipiunt 228.42
Fures ſeueriſſimè coerciti 20.9
Furti autores deprehendendi callida ratio 7.10
Francia Imperatori ſubijcitur, vt eam à Normannorum vi defendat 361.18
Franciæ regnum competitorum ſtudijs laborabat, quo tempore Rollo cum ſuis eò venit 367.5
Franciæ rex Richardo Wiſigotho ſororem nuptum dat 52.1
Franciæ rex Bauariam ſubigit 52.10
Franciæ rex Normannos muneribus à Lutetia oppugnanda auertit 362.18, Redeuntes à regni ingreſſu eos prohibet ibid.50
Franci aduerſus Longobardos Romanorum præſides iuuant 50.36, Cæduntur ibid.25
Franci Wiſigothos Toloſa & reliqua dominatione expellentes, à Theodorico cæduntur 266.48
Franci Arrianam hæreſim in Oſtrogothis inſectantur 267.3 & 28
Franci ſcriptores, Normannorum impreſſiones & prædas narrant, de eorum origine nihil tradunt 352.25
Franci Carolo Caluo rege pacem à Normannis magno redimunt 357.11, Item 360,11
Francorum & Burgundionum reges Romanis fœderati & ſocij 258.3
Franciſcus I. Franciæ rex, equeſtris dignitatis inſignia voluit è manu ducis Batardi ſumere 431.46
Fratres XII. piratæ in excelſa rupe à Fridleuo delentur 34.15
Fratrum de regno contendentium cauſa populo commiſſa 93.35
Fraternam amicitiam vxorum rixa euertit 25.20
Fraternæ concordiæ rarum exemplum 243.53
Fridericus I. Imperator contentionem inter Suenonem III. & Kanutum fruſtra componere ſtudet 116.24
Fridericus Cæſar Kanuto V. Daniæ regi per literas & nuncios minatur Daniam ſe alteri daturum 157.54, 158.2, Bugiſlaum illi hoſtem ſuſcitat ibid.22
Fridericus C. Kanutum V. de ſorore filio vxore mittenda per oratores commonefacit, belli cauſam quærens 159.4, Tandem cauſam reperit ibid.43
Fridericus II. ex vetula monacha natus, papæ infeſtiſſimus 417.31 & 45
Fridleuus ab Haldano monitus, Daniæ regnũ ab extero occupatum, ſibi vendicat, & Haldano Sueciam pacatam præſtat 226.52, 227.5
Fridleuus à cõiugio abhorrens cœlibatum vult colere 22.10
Fridleuus duello mauult congredi, quàm tot hominum iacturam in prælio facere 17.47
Friſiæ incommodus ſitus 73.25
Friſiæ ſitus humilis & inundationi obnoxius 115.47
Friſiam Danorum reges ſibi vendicant 78.43
Friſij à Danis, in quos temere irruperunt, delentur 116.6
Friſij Normannorum decem millia hortatu epiſcopi cædunt 358.24
Fro Sueciæ rex libidine infamis, Noruagiam oppreſſo rege inuadit 302.1, A Regnero Dano, quem proceres accerſierunt, interimitur ibid.7
Frogerus inani deorum munere fretus, à Frotone in duello opprimitur 16.45, 336.31
Frogerus inuincibilem ſe deorũ quodam munere credit 336.30, Quod Froto Danus intelligens, circumuenit & occidit ibidem 40
Froto dolorum & ſtrategematum artifex 8.4, &c. A ſororibus multis moleſtijs afficitur ibid.38, Friſium in fugam conijcit 5.8
Froto Britanniam bello inuadit 9.14, Britannos ſub ſarcinis aggreſſus delet ibidem 44, Londinum regni caput dolo occupat ibid. 55, Moritur 10.7
Froto Danus Britanniam ingreſſus, prædam ſubſequentibus ſe hoſtibus colligendam abiecit, vt eos facilius profligaret 345 46
Froto fratris necati 25.25, etiam filios ad necem quærit, ibid.37, Qui mira arte à tutoribus ſeruantur ib.41, Tandem ab eis miſerè opprimitur 26.16
Frotonis adhuc impuberis de Saxonibus victoria 22.38, Eius liberalitas cæteræq; virtutes ibidem 41, Dolo cum ædibus concrematur 23.42
Frowini filij, patris necem vlturi, ad Atiſlum, à quo peremptus fuerat, 216.47, tanquam perfugæ proficiſcuntur 217.23, Quem ſolum nacti ibidem 37, Conſtituto duello cum altero ibidem 46, ambo irruentes eum interficiunt 218.1
GAlerio ob infœlicem pugnam quæ ignominia impoſita 239.41
Galienus Imperator contẽptus habetur 237.27

Galla Placidia Theodoſij filia à Wiſigothis captiua detinetur 254.10
Galla Placidia Athaulpho Alarici ſucceſſori nubit 254.25, Quem ab euertenda Roma conſilio auertit ibid.38
Gallia barbaris gentibus, à quibus tenebatur, metu Wiſigothorum euacuatur 251.10 & 15
Gallia & Hiſpania Romano Imperio ademptæ, nec vnquam poſtea reſtitutæ 261.33.
Gallicia quo olim nomine dicta fuerit 300 33
Gallorum Laurētiana ad Sanquintinum clades 426.2
Gentes innocuæ commercijs inuehendis vitia ab alijs accipiunt 330.31
Gentes nomina ſua quibus ex cauſis mutent 241.1
Gentium & regnorum quæ ex Aquilonari angulo prodierunt, breuis enumeratio 2.3
Gepidæ vnde hoc nomen habuerint 236.12, *A Longobardis ſubacti* 46.7 & 52,47.6, *In Gothorum regionem, Gothi ipſi, impreſſionem faciunt* 236.22, *Vincuntur* ibid. 34
Gerardus Iutiæ ducatum pro pulſo Chriſtophoro II. accipit 172. 17, *Quem reuerſum acie vincit* ibid. 50, *Eius filium Ottonem capit* 173,10, *In Iutia caſtra habens, in ſtrato ſuo occiditur* ibid.18
Gerardus Chriſtiani regis frater de pecunia debita conqueſtus, fideiuſſoribus datis cōquieſcit 193.3, *Nimium ſibi in Holſatia ſumens, honeſto prætextu in libera cuſtodia tenetur* 193,38
Gerardus Chriſtiani frater accuſatur quòd Dorothea Adolphi relicta, ſpoliata fuerat 194. 48, *Holſatiam ſibi ſummo iure vendicare ſtudens, armis à rege fugatur* 195.4, *Lubecenſibus grauis imminet* ibid.17
Gerhardus Holſatus victos Dithmarſos 436. 10, *poſtea obſeſſos ad deſperationem adegit, vt eruptione facta ab eis caderetur* ibidem 16
Gerhardus & Adolphus fratres, Dithmarſos de Gerhardo conquerentes 436.34, & *deprecantes* ibidem 50, *bello laceſſunt, & multis damnis afficiunt* 437.3, *Tandem miſerabilem cladem loco paluſtri accipiunt* ibid.28
Germanus in Italiam aduerſus Gothos ab Imperatore miſſus 292.10, *in Illyrico moritur* ibid.22
Germanica dieta ad tempus terendum 186. 29
Getæ in Thracia ſunt, qui reliquam Gothorum multitudinem ſequi non potuere 220.36
Getæ ſerui nomen crebrum apud Athenienſes 224.12
Giſla Rollonis vxor ob nimiam mariti ſeueritatem ægritudine animi moritur 369.40
Glambeck arx obiectamatoris exercitus ſpecie deditur 182.10
Goſtauus Erichſon, obſes ab Holmenſibus datus, à Chriſtiano Dano contra fidem captiuus abducitur 501.10
Goſtauus Erichſon captiuitate elapſus, patriā è Dani tyrannide liberat 503.31
Gotfridus Danus tributa Saxonibus & Friſijs imperat 352.33, *Carolo Magno cum claſſe occurrere conſtituit* ibid.36
Gotfridus Normannorū rex baptizatus, poſtea Lutetiam Pariſiorum obſidens, & alia oppida capiens, à Carolo fugatur 359.1 & 50
Gotarus Dano, cuius filiam petebat coniugem 149.46, *Bellum propter violatum legatum infert* 250.1, *Quo puellam raptam abducit* ibid.5, *A Iarmerico Dani filio deletur* ibid.12
Gotarus Noruagius Daniam, ipſe aggredi cogitat 337.5, *Sed Ericum diſſuadentem audit* ibid.10
Gotarus Noruagiæ rex iniuriam ab Ericeo acceptam vlturus, comparata claſſe ignominioſè redit 339.40, *Rurſus idem tentans, poſt lōgam expoſtulationem commiſſo prælio cadit* ibid.50,340.14
Gothlandia equitibus Teutonicis vendita 319.23
Gothica ſed Arriano dogmate infecta Bibliorum interpretatio 251.30
Gothicarum rerum ſumma 204.37
Gothia vnde dicta 493.3, *Eſt in Suecia, & ei accenſetur* 205. 29,301.47, *Tamen à reliqua Suecia diſiungitur* 309.40, *Regem ſeparatim electum, Sueciæ etiam vi præficit.* ibid. 47
Gothiæ regina à Snione Danò rapitur 250. 50, *Quæ marito armis repetenti non redditur* ibidem 54
Gothiæ præfectus & ſeptē fratres ſingulis certaminibus à Dano ſuperantur 211.17
Gothi è Suecia, ad cuius regnum pertinēt 204. 32, *egreſſi Aſiam diu tenuerunt* ibid.29
Gothi & Oſtrogothi 203.48, *Gothi ſunt Getæ* 204.53,205.6
Gothorum originem Romani ſcriptores non veram produnt 204.44
Gothorum è patria migratio vetuſtiſſima 205.

36, In Pomeraniam, Poloniam, &c. ibid. 55, Ad Mæotidem paludem profectio 206. 10

Gothorum uxores viris abſentibus domum defendunt 207.48

Gothos ab Aſia uxores domum reuocãt 207. 30

Gothos fuiſſe affirmatur, quibus Tomiris imperabat 218.23

Gothi Aſia egreſſi Græciam deuaſtant 221.52

Gothi Macedones ad vrbem obſidendam venientes, pompa ſacra egreſſi redire compellunt 221.44

Gothorum patria egreſſorũ tres ſedes 224.28

Gothi ſub Auguſto à Romanis cæſi 233.28, Sub Domitiano victores ibidem 45, A Traiano pulſi 234.6

Gothi Romanorum fœderati, ab Imperatoribus donatiuum accipiebant 235.43, Quod quum intermitteretur, rebellionem faciũt ibidem 46

Gothorum qui in Italiam cum Rhadagaſo venerunt, miſerabilis clades 253.24, 254, 51

Gothus Roma capta ſacrilegio abſtinet 254. 12

Gothi Francis opem pollicentibus non fidunt, Belliſario pacem pollicenti magis auſcultãt 281.16

Gothi à Belliſario domiti, rebellant, & Ildonadum regem conſtituunt 282.4

Gothi à Græcis nauali prælio victi 292.52, animos deſpondere & infœlicius agere incipiũt 293.5, Eorum nonnulli ad Imperatorem tranſeunt ibid.12

Gothorum claſſis bis naufraga, dum mare traijcere cogitant 254.16, 255.53

Gothorum ingens multitudo à Claud. Imper. cæſa 237.47, 238.4 & 18, Quæ ex re maxima Romanorum lætitia 237.51, 238. 35

Gothorum ingens multitudo à Cõſtantino cæſa 240.7, Qui reliquis pace facta, ſocijs uti voluit ibid.11 & 37

Gothorum migratio, tempus & regiones peragratæ breuiſſima ſumma comprehenduntur 300.18

Gothricus Danus cæteros reges liberalitate ſuperat 349.37

Gradus inſula perfugium ob Longobardorum metum 48.20

Gram Danorum regis virtutes 5.32, Quem pater regni conſortem aſciuit ibid, 44

Gram Danus Simbli filiam ſibi deſponſatam 332.24, quum alij nuberet, mutato ornatu superueniens rapit, cæde multa facta ib. 32

Gregorius pontifex Rom. ob pacem cum Longobardis factam apud Imperatorem malè audit 54.3

Gregorij dialogorum opus 53.1

Grimoaldus rege Gundiperto per dolum necato, regnum occupat 57.43, Nimia ſanguinis è vena ſecta profuſione moritur 60.19

Gro Sueciæ regis filia ab amante Dano ſe rapi patitur 210.44

Gronlandia paſcuis lætiſſimis abundat 479. 34

Guardia quid dicatur 198.13

Gunnarus Suecus crudelis, filium habet crudeliorem 344.5 & 24, A Borcaro interimitur, qui eius uxorem ſimul capit ibid.33

Gyritha Daniæ regis filia cœlibatum vouet 31.18, Haldanum procum renuit ibidem 39, Cui poſtea nubit 32.35

Haddingus Daniam oppreſſo Suibdagero liberat 6.50, 7.1, 211.37, Cuius filium Haſmundum & huius item filium Ericum occidit ibidem 45

Haddingus alium Haſmundi filium Vffonem opprimit 212.40, At huius filio Hundingo tamen amiciſſimus fuit ibidem 42, Cui Sueciam tenendam beneficaria cõditione concedit 7.23, Toſſonem duello ſternit ibidem 33, Seipſum audita Hundingi morte ſuſpendio perimit ibid.51, 213.6

Haddingus Suibdagerũ patris interfectorem conficit, & regnum Daniæ recipit 333.8 & 15

Haddingus tria Aquilonis regna tenet 333. 33, Tandem ab Vffone victus in Halſingiam inſulam aufugit ibidem 50

Haddingus mutato habitu Aquini filiam die nuptiarum marito adimit, quam poſtea ſibi habet 334.3, Ad inferos viuus ducente vetula deſcendit ibidem 35

Haddingus ex Noruagia cum claſſe Galliam ingreſſus prædas vbique & cædes facit 355. 3, In Italiam contendens, Lunam, quam putauit eſſe Romam, peruenit ibidem 13 & 21

Haddingus ſimulata religione, Lunam, vt baptizaretur, ingreſſus, 355.35, Poſtea ſimulata morte, vt ſepeliatur, illatus, vrbem diripit 356.6

Hagbartus Synes Dani filiæ amore correptus 230.18, Muliebri ornatu admiſſus eam vitiat ibid. 27, Deprehenſus ſuſpenditur, illa (vt pollicita fuerat) ſe vnà cũ puellis ſtrangulante, & domo ardente 231.14, 343. 44

Haldanus piraticam laborioſam regno quieto anteponit 26.26, Ericum, à quo ſuperatus fuerat, ſaxis è monte deturbatis vincit, & Sueciam ei adimit 27.1, 228.24, Eundem captum feris obijcit ibid.40 & 47

Haldanus duello patrem cum ſeptem filijs ſternit 229.11, Ebbonem ſponſum filiæ Gothorum regis, veſperi ipſo die nuptiarum, ſingulari certamine prouocatum & tergiuerſantem vincit 28.3, 229.23, Sponſa abducta patrem teſtamento regem relinquit 28.12 & 42, 229.33

Haldanus Daniæ rex Grimmonem riualem vincit, & amicam victor vxorem habet, & aduerſarij vitæ parcit 343.13 & 26

Haldanus III. ab ipſa adoleſcentia viribus potens 31.25, Fratrem vterinum ignarus ſingulari certamine conficit ibidem 52, 232.20, Saxone, ipſo nuptiarum die interfecto, ſponſam abducit 32.24, 232, 47, In acie cadit 32.42

Haldanus Haldani filius Haſmũdo in regnum reſtituto, nullam mercedẽ præter gloriam petit 344.47, 345.1

Hallandia à Dania, cui ſuberat, ſeiungitur 17.38

Hamburgenſis eccleſia inſtituitur 351.4

Hamburgenſis pontificis in Danicas eccleſias dominatio tollitur 100.20

Hamburgenſes iuſiurandum in homagio præſtando dicere non debent 191.43

Haraldus Angliæ regnum trucidatis Danis occupat 90.1, A Noruagijs & Normannis appetitus, illos ſuperat, his cedit 91.21

Haraldus Danus primus Chriſti religionem amplectitur, vt à Chriſtianis auxilium accipiat 77.48, 302.54, 353.1

Haraldus Danus in Noruagiam ad debellandum muliebrem exercitum nauigat 345.11

Haraldus Danus, primus ad Galliæ littora nauigauit 345.28 & 37, 346.6

Haraldus Daniæ rex Angliæ regnum ſibi teſtamento relictum 378.22, dum alibi bella gerit, amittit ibid.45

Haraldus Danus armis coactus fit Chriſtianus 379.44, A filio pulſus, bello ſuperatus, vulnereq; accepto moritur 380.6

Haraldus Wilhelmo II. fidem dat ſe regnum Anglicum ei ſeruaturum 359.35, Quòd quum poſtea recuſaret, pugnans cadit ibid. 51

Haraldus Daniam cupiens occupare, triduano prælio Suenoni cõgreſſus, ancipiti exitu diſcedit 409.24 & 36, In Angliam ducta claſſe vincitur ibidem 48

Haraldus Angliæ rex à Wilhelmo Normanno victus, occiditur 409.49

Haraldus diui Olaui frater, metu Kanuti Conſtantinopolim fuga petit 408.10, Vbi ob cædem draconi obycitur, quem cõficit 409.9, Dimiſſus Noruagiam occupat ibidem 23

Haraldus Erici IIII. ex pellice filius 98.54, patre Hieroſolymam profecto Daniam adminiſtrat 100.11, Non placet 101.21, 102.47, 105.55

Haraldus Erici ex pellice filius, Kanuti fratris cædem vlciſci cœpit 105.23, Deinde ad ipſius ſceleris autorem, deſerto fratre Erico, tranſit 106.32 & 53, Regnum ambiens 107.46, A fratre necatur pag. 108.28

Haraldus Noruagiæ rex à Dano, cui rebellauerat 379.15, bello appetitus, dæmonibus filios ad excitandam tempeſtatem immolat ibidem 27

Haraldus quidam ſe rege patre mentiens natum, Noruagiæ regi Magno II. negotium faceſſit 411.17, Fugatus, repetito bello victum eum, exectum & excæcatum monachum efficit ibid.34, Per inſidias cum pellice interficitur 412.34

Haraldus rex in Scania à factionis principibus creatur 157.15, Lundiam obſidens, eruptione hoſtium in fugam conycitur, ibidem 29, Populi ſuffragijs regno abdicatur ibid. 36

Haſmundus patris Suibdageri necem vlturus, amiſſo in pugna filio, in hoſtem cæco impetu illatus, ipſe cadit 333.18

Haſmundus Noruagiæ rex Fridleno petenti filiam denegat 341.33, Repetẽti legatos necat ibid. 46, Vnde commiſſa pugna ſuperatur 342.2

Haſtæ oblongæ opportuniſſimus in bello vſus 462.8

Heida oppidum Dithmarſiæ celeberrimum 461.33, Vi à principum exercitu capitur 464.12

Helgo ambiens puellam, conditionem duelli aduerſus nouem fratres accipit 342.13, A puella monitus, Starcuteri opem implorat ibidem 23

Helgo tyrannus & libidinoſus 10.35, Filiam ſtupro ſuſceptam, Vrſam appellat ibid. 37, ex qua poſtea Rolſonem ignarus genuit 11.4 & 10, 214.36

Hella Gallorum rex Daniam occupat 77.34, Regnerum captum crudeli morte afficit

ibidem 55, A cuius filijs poſtea pari crudelitate occiditur 78.6 & 17

Helleſpontum Saxo alium à vero comminiſcitur 40.11,304.21

Helleſponticum bellum à Danis geſtum eſſe parum veriſimile 250.20

Henricus poſt Robertum patrem, Franciæ regem, nouercæ nequitia de regno periclitatus, Roberti Normanni ope regnum tenet 391.55,392.7

Henricus Franciæ rex quædam Normanniæ loca diſſidentibus proceribus occupat 393.17, Magna clade accepta redit ibidem 43

Henricus Franciæ rex Wilhelmum II. Normannum aduerſus ſeditioſos armis iuuat 394. 20, Eidem ab Andegauenſi comite inductus bellum inferens bis cæditur 395. 8 & 20

Henricus Gerardi patris necem ſtrenuè vlciſcitur 173.23

Henricus Leo Suenoni in Daniam reſtituendo operam ſuam nauat 120.25, Audito hoſtium apparatu, magna celeritate copias reducit 121.8

Henricus Leo cum Dano aduerſus Wandalos ſocietatem init 131.18

Henrici Leonis cum Waldemaro Dano familiaritas imminuitur 135.26, & ſimultas oritur 141.14

Henrici Leonis cum Waldemaro reconciliatio ad miſeros Wandalos vexandos 142. 15 & 24, Eius filia regis filio deſpondetur ibidem

Hēricus Leo à Daniæ rege arma aduerſus Imperatorem petens nihil obtinet 153.17, Bonæ epiſcopis, à quibus abſtulit, reddere recuſat ibidem 27, Suis ditionibus ab Imperatore pellitur 156.5

Henricus RanZouius, regis vicarius, Adolphi conſilia de bello inchoando deprehendit, & regi per literas ſignificat, item patri Ioanni 443. 48

Henricus Saxonum primus Germaniæ rex 81. 30

Herluinus ab Arnulpho Flandro oppreſſus, Wilhelmi opem implorat 375.22, A quo ditioni ſuæ reſtitutus gratias agit ibidem 54, Ob Wilhelmi necem, licet inſons, occiditur 385.3

Hermunduri ſuerunt, qui hodie ſunt Moraui 241.12

Heruli qui, & vnde prodierint 241.32, A Gothis victi ibid.38

Heruli Odoacre duce Italiam occupant 261. 20, A Theodorico ſeruantur 264.5, Inde pulſi 45.26, A Longobardis poſtremò victi ibidem 58

Herculis de Amazonibus victoria 209.10, Item Athenienſium ibid.28

Hethæ puellæ fortiſſima in prælio opera 245. 17, Et victoria parta, Dania gubernanda traditur ibid.44. Sed diu tenere non permittitur 34.26

Hæretici bello armiſq; vrgendi & delendi 267. 30

Hildebrandus, qui poſtea papa fuit, aliquā à Normannis bello recipit 400.53

Hierni regnum epitaphio conſcripto promeretur 21.22, Sed ad hæredis aduentum regno abire iuſſus ibid.47, Sponte ſua quum nollet cedere, pugna & duello vincitur ibidem 53

Hildericus & Clotarius Francorum reges bello inteſtino diſſident 296.50

Hildericus cum Leuigildo Wiſigotho pugnat 298.2, Mauricio Imperatori promiſſum aduerſus Longobardos auxilium non ſuppeditat ibidem 7, Regnum Francorum adeptus 299.10, interficitur ibid.20

Hilleuionum gens apud Plinium 474.6, 493. 38

Hiſpani Alexandrum Babylonem adierunt 225.3

Hiſpania à varijs quondam barbaris occupata 256.10

Hiſtoriæ texendæ ſtudium apud Danos neglectum 16.15

Hiſtoricus alia pro alijs in ſcribendo obtrudens . 223.40

Hocco epiſcopus per eccleſiaſticum ſchiſma creatur 133.54,135.15

Holſatia ab omni vetuſtate Saxoniæ tribuitur 15.53

Holſatia quæ olim Cimbrica Cherſonneſus, deſcribitur 427.31 & 42 & 52

Holſatiæ comitatus poſt longam cōtentionem 191. 26, Daniæ regi defertur ibidem 37

Holſati à Danis Abſolone duce violantur 145. 39, Quæ cauſa Henrico Leoni fuit, cur Daniæ regi minus eſſet amicus 146.1, Tamen reconciliantur ibid.5 & 46

Holſati obſeſſi Danos in Dania internecione delent 173.45, Danos ab inſula Alzen arcent 185.18

Homicidium pecunia mulctabatur apud Cimbros 432.34

Homi-

Hominis curſum equi vincentis, etiam ſcipione vicentis, exemplum 411.26

Homines contendentes, de ſe mutuò queruntur 146.50

Homines ſenſim ad extremas quaſque & frigidiſſimas regiones habitandas quomodo venerunt 477.42

Honores & magiſtratus exteris mandari indigenæ grauiter ferunt 154. 22 & 42, 192.34

Hoſpitij ius ſanctè ſeruatum 46.40

Hoſpitium latrocinijs & cædibus infame 249.46

Hoſpitalitas maximè colitur apud Suecos 203.42, *Apud Noruagios quoque* 347.6

Hotbrodus Sueciæ rex Daniam inuadens, regem occidit 214.7, *A cuius fratre nauali pugna deletur* ibid.14

Hotherus Sueciæ rex legationem non dedignatur obire, ad cōciliandas amico nuptias 12.17, 335.28, *Pugnam ſubiturus, vbi moriendum ſibi nouerat, filiū proceribus commendat* ibid.28, 216, 27

Hotherus vxorem victoria nauali ſuperior accipit 215.52, *Daniæ regnum occupatum non diu tenuit* 216.2

Hogbarti necem, licet iuſtam, Haco frater luctuoſo prælio vindicat 231.40, 232.3 & 10

Hugo Cabilonenſis Raynaldum bello captum, armis Richardi II. Normanni victus dimittit 390.10

Hugo, Magni Hugonis Pariſiorum comitis filius, Franciæ rex, quum filium Lotharius non haberet, creatur 386.30, *Cum Arnulpho Flandro, cui bellum intulerat, Richardi opera reconciliatur* ibid.34

Hundingus dum amico Haddingo, quem falsò credebat periiſſe, parētatur; in dolium ceruiſiæ lapſus ſuffocatur 7.47, 212.53

Hunni vnde prodierint, & quales fuerint 42.24, 242.13 & 14

Hunnus ex Noæ filijs, Beroſo 242.43

Hunni cur ſe Auares dici voluerint 55.5

Hunnorum regis filiam Danus vxorem ducit 19.1

Hunnorum regis filia repudiata, belli inter ſocerum & generum cauſa 19.48

Hunni à Danis ante memorabilem illam ſub Attila cladem cæſi 20.4, 225.33

Hunni Oſtrogothos acie vicerunt 243.15. *Rebellantes & bis victores, tandem ad tributa coegerunt* ibid.35

I*Aphetus filiorum Noæ maximus natu, cuius poſteritas latiſſimè ſparſa* 428.3

Iarmericus Dani filius bello captus 37.5

Iarmericus captiuus ſenſim ad honoratiora obſequia promouetur 37.24, *Se mira ſolertia captiuitate eripuit* ibid.44, *Regem à quo captiuus detentus fuerat, in tabernaculo cremat* 38.5

Iarmericus reuerſus Sueciam occupat 38.30, *Wandalos, apud quos captiuus fuerat, malè multat* ibid.36 & 50, *Propter nimiam in vxorem ſæuitiam* 39.13, *Obſeſſus interficitur* ibid.23

Idem rex & pontifex quidam apud Gothos 223.21

Idololatræ etiamnum hodie ſunt Lapones 452.41

Ildonadus rex à Gothis poſt Belliſarij victoriam rebellantibus creatur 282.4, *Multas vrbes recipit, & Iuſtiniani ducem prælio ſuperat* ibidem 20, *Vraia Gotho occiſo ibidem* 30, *ipſe interficitur* ibid.37

Imperator Deus eſt terrenus 252.34

Imperator Gothorum animos humanitatis officijs ſibi conciliat 252.36

Imperator pacem Gothis offert, quam Belliſarius reſpuit 281.29

Imperatoris exercitus à Longobardis cæſus 59.22

Imperatores cum papa de religione diſſident 56.50

Imperatorum ignauia quo tempore Wiſigothi in Italia erant 254.48

Imperatricis Theodoræ ſuperbia Imperio damnoſa 282.17

Imperij vtriuſque & pontificatus Romani miſera tempora 377.35

Incendium vrbi obſeſſæ ab hirundinibus illatum 6.29, 17.54

Imolæ quod olim nomen 49.51

Incredibilis militum in Perſico exercitu numerus 220.13, 221.31

Indorum vxores quàm effluctim maritos ament 212.5

Induciæ inter Lōgobardos & exarchum 51.41

Induciæ trimeſtres Gothis cum Romanis obſeſſis 279.5, *Quas ſtatim à Romanis violatas eſſe queruntur* ibidem 9

In duello ineundo, pater cum filijs, quantocunque ſint numero, vnius viri loco habetur 76.25

Indulgentiarius quæſtor partem prædæ regi concedit 191.55, *Reliqua prædà à latronibus intercipitur* 192.5, *Ipſe quæſtor foro vti nouit* 193.33

Inermis dux magia fretus pugnare non dubitat 344.44 & 53

Ingellus molliter educatus 23.50, Patris interfectores ſummo apud ſe loco habet 24.4 Starcutero increpante tandem illos conficit ibidem 38

Ingellus ſapientiori quàm fratres vſus cõſilio, cum Dano pacem affinitate contracta colit 244.34

Ingo Sueciæ rex, cum fratre à Dano in acie occiditur 244.10

Inimicitiæ Cæſaris & Daniæ regis, multos vtrinque ad arma protrahunt 159.46, 160.4

Inſidiæ inſidijs contrarijs exceptæ 20.19

Inſula deſerta aureis vaſis abundans 331.2

Interdictũ in Dania diuturnũ ſoluitur 169.52

Inuerna apud Melã inſula, quæ ſit hodie 2.49

Inueſtituræ rationem inſolitam fieri poſtulat Danorum rex 178.1

Inueſtitura legitima 188.49

Ioannes viuo patre, Daniæ rex eligitur & conſecratur 196.19

Ioannes Chriſtierni filius 190.47, patri ſuccedit 197.7

Ioannes Chriſtierni filius Sueciam ſubigere incipit 197.50

Ioannes Suecorum maiorem conſpirationem animaduertẽs, ſatis habet ſi ſibi caueat 199.14, Quendam ex primarijs perimi non videtur dolere, quòd conſpirationis caput eſſet ibidem 22

Ioannes à Suecis aduerſus Ruſſos vocatus, ſubeſſe dolum deprehendit 198.33, Ex eorum manibus ſe ſubducit ibid.44

Ioannes Chriſtiani I. filius Sueciæ regnum quibus offerebatur conditionibus reſpuit 323.30, Gotlandiam deditam à gubernatore accipiens 324.3, Militibus conductis, quot Guardianos dixere, Sueciam ſubegit ib.27

Ioannes Chriſtiani I. filius à Suecia ſubacta, vt videbatur, orta ſeditione excedere cogitur, regina ibi relicta 325.7

Ioannes Chriſtiani I. filius tribus regnis præeſt 422.32, Lubecenſibus duas naues leui prætextu adimit ibid.37

Ioannes Chriſtiani I. filius in Dithmarſiã exercitum ducit 439.10, Quem internecione fœdiſſima illi interceptũ delent ib.33 & 44

Ioannes quidam Gallus tria ſecula vixit 36.38

Ioannes Ranzouius Adolpho ad bellum Dithmarſicũ negat ſe opẽ laturũ 444.5 & 22, Imperator exercitus conſtituitur 446.44

Iordanes, ipſe Gothus, de rebus Gothorum ſcripſit 204.53

Iſlandia eſt Tyle 480.31, Quod non videtur Krantzio 331.1

Iſlandi vbi res geſtas deſcribant 480.36

Iſleph primus ex Iſlandia Chriſtum didicit apud Hamburgum, quem poſtea ſuos docuit 330.48

Italia multis exteris ingredientib. patuit 397.36 & 50

Italia pedeſtri itinere ab vna parte intrari poteſt 48.15

Italiæ vrbes ob diuturnos motus parum habitatæ 265.3

Itali liberati, Gothorum imperium deſiderat 281.49

Itali ſua pallia & prælaturas craſſis Aquilonaribus, tanquã in rebus magni æſtimandis gratificarentur, concedunt 117.25

Iudæi qua ratione ad Chriſtum cõuerſi 298.43

Iulinum improborum apud Wandalos aſylum deditur 99.8

Iulini oppidi capti miſerandũ excidiũ 145.52

Iumpertus patri Alachin rebellem ſemper reconciliat 60.37, 61.7, Quo tandem valde ingrato vſus eſt 61.24

Iuriſiurandi probatio teſtimonijs antepoſita, ſed malè 94.10

Iuſtinianus Eutychianus ab Agapito Rom. pontifice ab errore ſuo reuocatur 271.35

Iuſtinianus Aphricam Beliſarij opera recipit 272.49, Idem in Italia facere cogitat, vt eam Gothis extorqueat ibid.45. 273.11

Iutiæ populus in regem rebellãs cæditur, & ad obſequium reducitur 189.4

Iutiam Dano Wandali adimunt 37.1

Iuuene rege improbi ſibi nimiùm ſumunt 19.4

KAnutus leges, deinde cultũ diuinum amplificat 94.35

Kanutus à populo in æde ſacra trucidatus miraculis claret 97.4, 16 & 23, Quũ interim iure cæſus eſſe dicatur ibid.42

Kanutus Erici IIII. filius, ab auaritia alienus 102.30, Fratres diſſidentes reconciliat ibid.45, Fidem hoſti datam ſeruandam eſſe autor eſt 103.7, Magno Nicolai filio præter æquum odioſus ibid.12

Kanutus regni affectati inſimulatus 103.33, ſe purgat ibid. 50, A Magno nefaria proditione trucidatur 105.12, In diuorum numerum relatus 143.25

Kanutus à patre Waldemaro in expeditiones mittitur 152.34

Kanutus V. cum Ottone marchione infœliciter pugnat 160.27, Affinitates multas † cum Germanis contrahit 162.20, Moritur ibidem 40

Kanutus Magnus, Daniæ rex, Olauũ, qui poſtea ſanctus eſt dictus, pugna congreſſum fugat 381.49, Eundẽ cum Vlfone & Emundo in

do in fugam compellit 382.1, Multis regnis imperans, filios præficit 408.13, & affinitates contrahit ibid. 20

Kanutus Magnus Angliã cum Eduardo partitur, totam eo mortuo habiturus 86.43, 381.20 & 32, *Cuius interfectores ſuſpendi iuſſit* 86.53, *Quinq; regnorum dominium tenet* 87.38

Kanutus Magnus legẽ pati, quam tulit, non recuſat 88.15, *In Richardum Normannum ob repudiatã ſororem expeditionem ſuſcipit* 408.15, *In Rotomagi obſidione ægrotans, cadauer ad certamen efferri iubet, & pacto in vrbe obſeſſa ſepeliri* 88.38, 408.28

Kanutus V. Scania pacata ſupplicio atrociore abſtinuit 157.4 & 47, *Cæſaris in ſe odium concitat, quòd nollet accerſitus ad eum venire* ibid. 51, *Sororem filio Imperatoris repoſcentis ſponſam mittit* 159.19, *Poſtea remittitur* ibid. 43

Kanutus V. Waldemari ducis fratris opera Adolphum Holſatũ acie vincit 161.18, *Hamburgum multaq; alia oppida capit* 21, & *Lubecam ipſam* ibid. 36

Kanutus Suenonis filius Angliæ regnum à patre partum vendicat, & cum Danico coniungit 388.40 & 50

Kanuti relicta, marito cæſo & locatis filiabus 308.53, 309.1, *Rogerio in Italia nupſit* ibid. 403.47, 404.53

Kanutus Waldemari filius, patre viuo rex cõſecratur 144.25

Kilo oppidum traditur Lubecẽſibus ob damna mari accepta 194.23

Knuto lethali vulnere accepto ſuis autor eſt, vt obſeſſam vrbem capiant 81.21

L *Acedæmonij furtũ laudi ducebant* 354.36

Landgertha virgo ob virtutẽ militarem à Regnero vxor ducitur 75.14, 350.24, *Repudiata & alteri nupta* 75.24, 350.34, *illum tamen poſtea bello opportunè iuuit* 75.29, 350.40, *Secundum maritum ignauum perimit, & ſola dominatur* ibid. 48

Landricus Burgundiæ ducatum regi Francorum ſubijci non vult 390. *Armis Richardi II. Normanni victus cedit* ibid. 5

Lapones in extrema Noruagia adhuc pagani 330.2, 482.41

Laponiæ & Laponum appellatio vnde 481.34, *Eorum agilitas & ſagittandi peritia* ibid. *Artificia* 482.3

Laponia diu libera, hodie Sueco tributum pendit 482.14

Latrocinia innumerabilia belli ſpecie 177.41

Laurentij martyris vigilia ieiunio celebratur ex voto 102.17

Leander põtifex regem ab Arriana hæreſi abducit 297.40, *Arrianam hæreſim in ſynodo euertit* 298.19

Leem *beſtiola noxia apud Noruagios, quæ vnà cum imbre decidit* 487.21

Legatus non ſtatim abſoluendus dimittendúſve eſt 131.15

Lege naturali viuentes, non multùm à noſtratium virtutibus diſcrepantes 330.47

Leno mendici habitu reginam nuptam ad adulterium ſollicitat 250.35

Licinius Conſtantini conſors, Chriſtianorum hoſtis, interficitur 240.21

Liguriam Longobardi, nonageſimo poſtquam venerant anno, in poteſtatẽ accipiũt 56.30

Literæ in rupe apud Gothos exciſæ legi nõ poſſunt 210.8

Liuoniæ miſerabilis per Moſcum deuaſtatio 426.40

Longobardi è Dania migrarunt 2.13

Longobardi quando & cur è Scania egreſſi 40.22, 41.4, *Cur ſic appellati* 41.26

Longobardi Rugiam primum inſederunt 41.55, 42.37. *Deinde Bauariam* 43.10, 45.1, *Pannoniam* 46.13, 72.43

Longobardorum primus rex Agelmũdus 42.2, 44.37, *Succeſſores* 44.45

Longobardorum in Italia regnum quamdiu ſtetit 72.33

Longobardorum nomen, regno euerſo, hodieq; in Italia manet 72.21

Longobardi quãdiu à prima migratione durarunt ad illorũ regni in Italia excidiũ 44.17

Longobardorũ cum Herulis belli cauſa 45.25

Longobardorum & Francorũ ſocietas 46.49

Longobardi à Narſete aduerſus Gothos accerſuntur 47.18, 293.17, *Gothos certamine cõgreſſos delent* 47.34, 293.46

Longobardi Gothis prælio oppreſſis domũ redeunt 293.54, *Italiam occupaturi denuo veniunt* 48.12

Longobardi regem nolunt fieri eum qui à regina impulſus herum peremerat 49.21

Longobardorum dominatus breui dilatatur 50.2 & 16 & 24

Longobardorum rex adhuc idololatra 52.3

Longobardi à natiua virtute & animi robore degenerant 57.27

Longobardi ad Chriſtum ſemel adducti, eccleſiæ fuerunt addictiſſimi 63.11

Lothario Franciam bello domeſtico turbante, Normanni facilè oras infeſtarunt 354.49

Lotherus regno fratri adempto 4.32, *ciuium conſpiratione perimitur* ibidem 47

Lubeca Daniæ regi cum pacto libertatis ſe dedit 161.36, Floret 417.1
Lubeca Friderici II. autoritate Imperialis efficitur 166.4, Daniæ regis obſidionem perfert ibid.40
Lubecæ ciues claſſe in Daniam miſſa Abſolonis præſidium deyciunt 167.19, Ioanni comiti Holſatiæ acceptã iniuriã rependunt 168.50
Lubecæ ciues Ericum IX. pacis præcipuum autorem 170.11, defenſorem eligunt ibid.18
Lubecæ celeberrimus principum cõuentus habetur 175.2
Lubecenſes Senatum ſuum ab Erico X. Daniæ rege recipere coguntur 177.32
Lubecenſes claſſis ſuæ præfectum ob rem malè geſtam capite plectunt 183.3, Alium carceri diuturno mandant ibid.31
Lubecenſes æquitatis obſeruantiſsimi 186.36
Lubecenſes regem ſpecie honoris magnificè excipiunt, re autem vera ſibi cauent 192.13
Lubecenſium de rapta naui querimonia 194.5
Lubecenſes Suecis rebellibus opem ferentes, in Ioannis regis offenſionem incurrunt 199.35, Qui Danorum in ſuo portu naues iniectâ manu retinet ibidem 45, & belli cauſam quærere videtur ibid.51
Ludouicus Caroli Simplicis filius, Wilhelmi Normãni autoritate regnũ paternũ Franciæ ſuſcipit 372.21, Eiuſdem gratia & opera cum Imperatore fœdus init ib.26 & 29, 373.20 & 40, Quorum memor filium natum rogat ab eo baptizandum offerri ib.51
Ludouicus poſt Wilhelmi mortẽ Normanniæ inſidiatur 382.30, Richardum puerum ducem ſecum abducit ibid.37, Hugonem oblato Normanniæ ducatu ineſcatum 383.17, inde eum poſtea expellit 35
Ludouicus à Normannis, cum Danorum auxilio, ſuperatus capitur, & Richardo ditionẽ reddit 384.7, &c. Richardi cum Hugone affinitatem reformidans, Ottonem I. Imp. ad inuadendam Normanniam ſollicitat: quod ille fruſtra ſuſcipit 384.27
Ludouicus Germaniæ rex, Normannorũ vim à ſua ditione fœderib. factis auertit 353.23
Ludouici marchionis filio regis Daniæ filia deſpondetur 171.50
Luitprandus Rom. pontifici aduerſus Imperatorem adeſt 63.49
Luna à Normannis baptiſmi & ſepulturæ ſpecie diripitur 355.53, 356.6
Lupus rebellione in regem facta pugnans cadit 59.38, Idem eius filio cladem vindicare ſtudenti accidit 60.1
Lutetia à Normãnis capta, & ingens excurſio toto Sequana flumine facta 358.50
Lutetia denuo à Normãnis obſidetur 360.44, Capitur 361.3
Lyſimachus à Scythis captus, graui oratione caſtigatus dimittitur 222.10
Magia apud Boreales gentes creberrima 329.44
Magiæ maxima vis & ſtudium apud Lapones 482.52
Magicæ artes frequentiores, quò magis ad polares regiones venitur 479.55
Magiſtratus ab exteris geri indigenæ grauiter ferunt 192.34
Magnete vtendi nauigantibus quæ ſit cauſa 420.22
Magnopolenſis dux ſororem Sueciæ regis vxorem ducit 314.24
Magnus Nicolai Daniæ regis filius in Kanutum præ inuidia 309.54, conſpirat 104.29, Quo nefariè interempto 105.12, 310.11. 410.20, à patre ob populi tumultum coacto in exilium pellitur 105.44, 410.25, Pugnãs moritur 107.27
Magnus Erici VI. filius, cum Waldemaro victore in gratiã redit 125.55, In eum poſtea conſpirat 147.1, Conſpirationem patefactam audiens, Henricum Leonem adit, eo deprecatore vti cogitans ibid. 55, Apud quem accuſatus tergiuerſatur 148.11, Tandem Waldemarum adit ibidem 41
Magnus literis prolatis manifeſtè deprehenſus 148.49, Crimen agnoſcit, & veniam conſequitur 149.24
Magnus aliam cõſpirationem machinari deprehenſus 151.27, In vincula perpetua conycitur ibid.42
Magni ſocij in coniuratione capiuntur 153.11
Magnus I. Noruagiæ rex Sueciæ regis filiam ſibi vxorem dari ferè vi compellit 410.11
Magnus II. iuſtam perfidiæ mercedem accipit, exectus, excæcatus, & monachus factus 411.34, Vnde poſtea à Sywardo in regnum reſtituitur 412.36, Victus & captus interficitur 413.17
Magnus II. Noruagiæ rex cum Erico aduerſus Nicolaum & filium Magnum affinitate contracta ſocietatem init 410.37, Quem poſtea corruptus miſsis à Nicolao pecunys necare conatus eſt ibid.46
Magnus V. Noruagiæ rex, filio Aquino nequicquã auxiliante, regno propè exuitur 419.17
Magnus Olaus martyris filius, Noruagiæ præficitur 408.37, poſtea Daniam ex pacto accipit ibid.40, &c. 89.25 & 43, Suenonem perſequens, equo lapſus moritur 90.35

Magnus Sueciæ rex Aquino filio non dat vxorem quam deſponderat 314.47, Proinde irritatus Holſatiæ comes, ſponſæ frater, ex pactis ibid. 49, 315.14, egit vt Magnus regno deſtitueretur ibid. 22

Magnus Sueciam recipere fruſtra conatus, ea decedens, Gothiam ſibi dari petit 316.2

Mahumetis ſacrilegi impoſtoris tempora 55.50

Maior domus, potiſſima apud Francos poteſtatis nomen 299.7

Maleficijs tẽpeſtates in aere excitantur 76.45

Marchionis quidam nomen & opes ſuppoſitus occupat, & principibus multis imponit 174.15 & 47, Miſer reliquum vitæ tempus traducit ibid. 52

Marcomanni qui & vbi 235.32, 241.13 & 18

Mare congelatum ab Iſlandia inſula incipit 330.24

Mare vbi & cur gelu concreſcere poſſit 480.5

Margareta Dani filia, Aquino Noruagiæ regi nubit, quum et alteram pater deſpondiſſet 314.37 & 54, Mortuis patre, marito & filio Olauo, regna Daniæ & Noruagiæ tenet 176.20 & 40, 316.33, 419.21 & 27

Margareta Albertum Sueciæ regem bello captum, cum filio ſeptem annos captiuum tenet 177.3, 317.3, Sueciam occupat vna arce excepta, & tria regna coniungit ibid. 7, 419.31, Quæ prudentiſſimè adminiſtrat 319.26, Quendam qui ſe Olauum eius filium dicebat, deprehenſum cremari iubet 77.8, 419.38

Margareta piratas tametſi bello captos gladio feriri iubet 420.41, Ericũ Pomeranum adoptatum tribus regnis præficit 319.30

Maritimas regiones qui incolunt, à piratica reuocari vix poſſunt 152.3

C. Marius aduerſus Cimbros dux eligitur 429.52, Ambrones maximo numero interficit 430.5, Cimbros delet ibid. 18, Superſunt tamen quædam reliquiæ ibid. 43

Martianopolis à Traiano condita, à Gothis obſidetur 236.8

Martianus Imperator Atilæ mortem in ſomnis vidit 42.47

Martinus auxilium ſuum poſt mortem magno vendit 297.7

Martinus papa crudeliter ab Imperatore vexatus 56.51

Maſſagetæ olim, Samogitæ hodie 218.40

Matrimonia antiquitus bello ferè illato conciliabantur 36.50, Et raptu 210.32, 211.29

Matrimonia apud Boreales ferè funeſta, dum generi raptis coniugibus, ſoceros ſubinde perimunt 341.30, 348.12 & 28

Mauricius Francos Longobardis bellum inferre pecunia miſſa impellit 52.11

Maxentius à militibus Imperator appellatus à Conſtantio opprimitur 57.24

Maximinus Imperator Romanus, Gothus fuit 234.37, Cuius vita, robur, edacitas & bibacitas deſcribitur ibid. 46. &c

Mediolanenſes eijcere Gothos ſtatuunt 279.17, Perficiunt 280.7

Mediolanenſes in Gothorum poteſtatem redeunt 280.29

Meldis à Normannis capta & incenſa, ciues contra fœderis icti rationem trucidantur 362.4

Meldorpam in Dithmarſia primã omnium inuadendam eſſe decernitur 453.47, 454.52, Capitur irruptione 456.52

Meldorpam captam Dithmarſi cogitant incendio excitato recipere 459.50

Mercatores regem Noruagiæ bello cogunt ad reddenda quæ ademerat priuilegia pag. 418.8

Mercatores militem quendam à quo damna grauiſſima acceperant, Bergæ occidũt 422.13

Mercatoribus militares in mari moleſti ſunt 197.27

Metallorum fodinæ in Borealibus regionibus 477.30

Michael Diocliſi Conſtantinopoli pulſus, cum Roberto Guiſcardo ſocietatem init 401.17

Migrare è patria hominum multitudinem quid coegerit 41.4

Miles dominam impudicitiæ accuſatam duello defendit 57.6

Miles virtutis merito reginam vxorem ducit, & regnum pro priuignis adminiſtrat 418.43

Militis verbum inconſideratè dictum principi exitium attulit 182.44

Militis vnius virtute acies reſtituitur 86.36

Milites ipſo expeditionis ingreſſu, vtrùm ad munitum an ad infirmum locum ducendi 453.2

Milites victoria parta, à regione ſubacta ægrè ſe abduci patiuntur 469.50

Militum mos in ſacramento apud principes dicendo 215.28

Milleſimus vrbis Romæ annus celebratur 235.40

Minungus in ſyluis Satyrus 335.17

Modoetiæ palatium à Theodorico ædificatum 53.32, 265.4

Monachalium ordinum varietas tanta cur & quorſum 374.23
Monachatus non voti ſed ſupplicij ſpecies 299.12 & 19
Monetam Daniæ rex mutare inſtituēs, multos offendit 181.14
Morituri ſolent futurum aliquid prænunciare 167.46, 168.14
Morum reformandorum cura, regium munus 19.40
Moſcoviæ princeps ſchiſmaticus, Daniæ regis ſocietatem quærit ad Sueciam ſubigendam 323.39
Mulier arte magica bonis ſpeciem gerens, regem cornu interficit 21.1, 226.42
Mulieres Cimbrorum, augurijs operam dantes 432.55
Mulieres ſtupri illati dedecus armis vindicant 302.8
Mundus in Gothos miſſus, Solonam illis adimit 273.28, *Poſtea filio in prælio aduerſus Gothos cæſo, ipſe etiam interficitur, Gothis omnia recuperaturis linquens* 275.32
Munera ridicula Scytharum ad Cyrum, quæ variam habent interpretationem 221.7
Murices inſectos cauendi ratio 23.4, 248.30
Muſicæ vis mira in hominum mentibus variè mouendis 99.35
N*Arſes eunuchus in Italiam cum exercitu venit* 47.14, 292.32, 293.14, *Cum Siſwaldo ſocietatem aduerſus Gothos init* 294.13
Narſes immeritò accuſatus 47.40. *ad Imperatricis conuicium acerbius reſpōdet, & Longobardos in Italiam acceſſit* ibid. 54
Narſetis exercitus 293.17, *Statim initio proſperè agit* ibid. 42
Narſetis & Teiæ ſocij vtrinque colluſione præuaricantur 295.31
Naturæ prouidentia in extremis cōtrarijs vicinia rerū interiectarū temperādis 477.19
Naues exuſtæ ad militū animos inflammandos 83.17
Neapolitani quum propter obſides deditionem facere non poſſent 276.12, *vt capti, prædam moderatam furi impetrant* ibid. 25
Neapolis à Totila obſidetur 284.18 & 29, *Deditur* 285.9
Nepotes matre præterita ad regni ſucceſſionem vocati 81.12
Nicaſius epiſcopus Rhemēſis ab Hunnis trucidatur 258.18
Nicephorus Binamet Cōſtantinop. Imperium per vim occupat 401.17, *A papa excommunicatus* ibidem 30, *Venetis adiuuantibus Normannos nauali certamine vincit* ibidem 39
Nicephorus Binamet ab Alexio callidè Imperio ſpoliatus 401.50, *Fit monachus* 402.5
Nicolaus Suenonis filius, fratre maiore concedente, regnum accipit 101.23, *Quod moderatione ſumma adminiſtrat* ibid. 29. *Henricum ex ſorore nepotem, cuius bona detinebat, hoſtem acerrimum habet* ibid. 42
Nicolaus Danus ob Magni filij parricidium populo exoſus, vxorem ab adultero Sueco abductam non poteſt repetere, 310.25 & 33. *Filium in exilium pellere cogitur* 105.40, *Quo reuocato, ipſe à populo abdicatur* ibid. 48, *Tandem Sleſwici, quò confugerat, trucidatur* 107.47, 310.35
Nidroſia apud Noruagios, olim Trondenia 330.7
Nidroſiēſis archipræſulatus in Noruagia conſtituitur 412.1
Nihil ratum eſt, quod à pontificibus quauis occaſione datur 135.8
Noctes æſtiuæ in Gothia quàm Romæ calidiores 475.10
Noctes & dies arcticis longiſſimæ, non ſunt tamen rebus gerendis ineptæ 476.5 &c.
Noctes trimeſtres, breuiſſimæ, crepuſculorum inſtar, interiecta luce 483.4
Normanni, omnes Aquilonares vulgò à Gallis dicuntur 74.21, 79.36, 351.54, 354.33
Normannorum patria eſt Noruagia 2.16, 329.36
Normannorum è mari Britannico in Cōſtantinopolim nauigatio 6.24
Normannorum deprædationes paucis comprehenſæ 351.1 &c
Normanni direpto monaſterio excæcati 351.39
Normanni multa aggrediuntur, dum Imperatoris Ludouici Pij filij inter ſe diſſident 351.50, 352.10
Normanni Chriſtianam religionem bello inſectantur 353.19, 358.24 & 41, *Quam nonnulli ampleξuntur* 357.43
Normannos ab Andegauenſi vrbe diſcedere Carolus Caluus compellit 357.39
Normanni tandem poſt multas deuaſtationes à Gallis cæduntur 358.34
Normanni rurſus ingentes in Gallia vaſtationes edunt 359.11
Normannis in Gallia tandem conceditur regio quæ tum Neuſtria erat, hodie eorum nomen habet 361.40
Normannis ea Galliarū regio quæ tum Neuſtria dicebatur, cur data fuerit 368.42

Normanni in colle à Francis concluſi, arte elabuntur 367.48
Normanni quando in Italiam venerint 398. 10 & 20
Normannica gens non ſolùm comites, duces & reges, ſed etiam Imperatorem protulit 417.28
Normannia vnde dicta 79.35
Normannia ſub Wilhelmo II. puero, procerum diſcordia, latrocinijs & diſſidijs ciuilibus ſcatet 393.6
Noruagijs deuictis, per contumeliam rex canis datur 344.11
Noruagij & Sueci in Britanniam à Richardo II. accerſiti nauigant 389.12
Noruagij pietatem ſuam præ cæteris populis extollunt 422.4
Noruagiorum magna claſſis à paucis Vitalianis profligatur 421.23 & 40
Noruagij Danorum auaritiæ & prædæ obnoxij 483.37, Commercia nulla niſi illis annuentibus exercere poſſunt ibid.48
Noruagia indignante Danica eccleſia archiepiſcopum accipit 117.20
Noruagiæ etymon & deſcriptio 329.21
Noruagiæ regnum ſæpius lacerum, vt nemini vni pareret 340.18, 348. 9 & 40, 353. 13
Noruagiæ regnum ſuis regibus moleſtiæ magis quàm voluptatis aut vtilitatis cauſa 415.46
Noruagia Daniæ ex pacto ſubijcitur 416.22
Noruagia exoticis frugibus alitur 418. 5 & 10 & 40
Nuptiarum hilaritas in rixam & certamen commutatur 11.34
OCeani abyſſus, ex quo æſtus accedens & decedens ſcaturiginem habet 331.32
Octauianus antipapa Daniæ pontifices nequicquam ad ſe pellicit 135.48
Octau. antip. Victorem æmulum ſuum in conuentu damnat 137.26
Octoginta bellatorum millia pro leui iactura rex Darius ducit 220.17, 221.27
Odoacer Italiam tenet 261.20, Ab Oſtrogothis Rauennæ occiditur 264.5
Odoacris in Italiam aduentus 42. 50, Reditus in patriam ad profligandos occupatores Rugios 43.3
Odo Franciæ rex à Francis præterito herede creatur 361. 48, Inſignem de Normannis victoriam conſequitur ibid.55
Odo Meldunenſem comitatum proditione captum, armis Richardi coactus reddit 389. 46
Olauus dum iniuriam à Kanuto acceptam 86. 45, vlciſci ſtudet, regno ab eo expellitur 87. 11, Reſtituitur, & proditoriè interfectus inter cælites annumeratur ibid.17
Olauus Noruagiæ rex, qui in ſanctorum numerum relatus eſt, Kanuto ob geminam iniuriam infenſus 381.35, Bello illato, ab eo regno exuitur, tandem tamen reſtituitur ibidem 47, Kanuti metu ex Sialandia in naues fugâ ſe recipit 382.2
Olauus regis fratris expectationem cunctatione fallit 95.32, Ideo vinctus in Flandriam mittitur ibid.47
Olauus Kanuto fratre mortuo, qui eum in Flandriam miſerat, ad regnum ineundum reuocatur 97.30, Continua eo regnante ſterilitas ſcelus ſatis arguit ibid.47, Quod ille agnoſcens, ſe tanquam piaculum mori precatus eſt 98.11
Olauus Noruagiæ rex in Galliam à Richardo aduerſus Odonem vocatus 389.14, Chriſtianus fit, deinde in patria martyr ibid.32
Olauus Noruagiæ rex, Sueciæ reginam vxorem ambiens, aſtu Suenottonis, contumelia illata eam alienat 380.38, Cum eo congreſſus, aduerſum videns prælium, ſeipſum ſubmergit 381.5
Olauus Noruagius à Suenone vana ſpe deluſus, Syritham indigna contumelia afficit 85.40
Olauus, ſolus, cæſo patre Haraldo Erici V. fratre, elapſus ſua repetens, bellum mouet 110. 15, Ter ſuperatur ibid.55, &c.
Oldenburgicus in caſtris, dum cæteri pugnarent, manere non vult 460.29
Olo Danis tyrannide liberatis, ipſe ſua tyrannide grauis, à Starcutero perimitur 347.53
Olo duodecim aduerſarios oculorũ fulgore perterritos certamine iniuſto vincit 346.49
Olonis Noruagiæ regis adoleſcentis fortiſſimum in latrones factum 346.10, Mirus in oculis ſplendor ibid.31 & 45
Olonem Scaniæ Dani rogant vt ſe fœmineo eximant dominatu 244.7
Olonem Scaniæ præfectum rogant vt ſe fœmineo dominatu liberet 244.7, Poſtea inſolentius regnantem interficiendum curant ibidem 55
Olo Thoronem, cum familia, diſſimulato ornatu illuc ingreſſus, trucidat 347. 2, Cui violatã hoſpitij religionem ſimile exitum allaturam eſſe prædicitur ibid.17
Olo viſus acie omnes perterrebat 34. 36, 35. 7 & 38, 246. 4, Latrones ſolus mira audacia in ipſa ſpelunca adortus conficit 34. 7

49, Pugilibus ſuperatis virginē regiam victoriæ mercedem obtinet 35.15, Tyrannicè regnans trucidatur ibid.26,246.7
Omen de capienda vrbe obſeſſa 359.46
Omundus Danus pugilem certamine victum præfectura ornat 349.7
Orchades inſulæ & Electrides 330.14
Oſtrogotha Gothorum rex 234.30,235.26
Oſtrogothi qui & cur dicti 224.33
Oſtrogothorum & Wiſigothorum appellationis cauſa 300.7
Oſtrogothi & Wiſigothi hodieq́ in Gothia Sueciæ ſunt 234.32
Oſtrogothi Chriſtiani fiunt, ſed Arriani 251.25
Oſtrogothi in Atilæ caſtris, aduerſus Wiſigothos, qui Aetio militabant 258.9
Oſtrogothi Hunnis deletis 262.3, à Leone Conſtantinop. Imper. ſedes inducijs factis accipiunt ibid.11, & amicitiam Leonis conſequuntur ibid.19
Oſtrogothi vltimo prælio biduano à Narſete victi 296.7, nomen gentis præferre deſierunt ibid.12 & 40
Othinus apud Septentrionales pro deo habitus 32.51, Haraldo per ſomnum rationem aciei inſtruendæ oſtendit 33.5,244.18
Ottonis ſinus & Ottonianæ inſulæ nomen vnde 82.28
Ouis auium quidam diu veſcuntur 492.23
PActum inter decertantes in nemore, vt victor victum ſepeliat 336.4
Pallium à curia Romana datum conferre, autoritas non vulgaris 412.15
Pannonia pro Finnonia apud Plinium 495.33
Panormus Beliſario deditione permittitur 275.16
Papa rebellem fouet aduerſus regem 16.20, Deſtituit vbi ablata ſe recepturum ſperat ibidem 46
Papa Longobardo amicus aduerſus Imperatorem 64.2, Imperatori aduerſus Longobardum 66.6, Cuius minarum metu ſupplicatione facta ibid.23, Pipini Franci opem per literas implorat ibid.40
Papa Longobardum exarcho placat 65.29
Papa reges inſtituendi autoritatem habet 69.6
Papa aduerſus Deſiderij vim defenſionem parat 70.23
Papa à Normannis, quibus bellum intulerat, captus, honorificè dimittitur 399.43
Papa Robertum, cuius auxilio egebat, excommunicatione ſolutum, vaſallum ſibi facit 400.7
Papa à Roberto liberatus, nō audet Romæ conſiſtere 402.43
Papæ aduerſus Rogerium infælix expeditio 405.21
Papa Rogerium obſident, ab eius filio Wilhelmo captus, humaniter dimittitur 405.46, Auctus Imperatoris viribus, eum Italia expellit 406.20
Papa anathemate pugnat, quum alia deſunt arma 406.55, Qua ratione magnas deficientium copias colligit 407.7
Papæ equitanti reges anteambulonis famulatum præbere decet 67.13
Papia poſt triennalem obſidionem à Lōgobardis capitur 48.44
Pariſij caput regni Francici cōſtituitur 255.13
Partharis Grimoaldum à quo frater interfectus fuerat 57.43, fugiens ibid.52, in gratiam redit 58.7, Denuo ſuſpicione orta necis periculum miro modo effugit ibid.19
Partharis in Britanniam è Gallia nauigare parans, voce diuinitus in Italiam reuocatus, regnum recipit 60.24
Parthicum regnum autores habet Gothos 207.38
Patauium incendio deformatur 53.38
Pater filio in acie interfecto vitæ pertæſus duellum inconſideratius ſubit 225.41
Patricij purgatorium antrum 44.3
Patris idololatræ mortē quomodo filius Chriſtianus ferat 131.31
Patris mors alia atque alia ratione à filijs accepta 305.37
Patronatus ius quid ſit 123.41, Illud in pontifice creando rex meritò remittit ibidem
Paulus equitum præfectus Roma capta fortiter cum Gothis pugnans, in molem Adriani cum paucis cōfugit 290.46, Vnde erumpere tentans à Totila humaniter dimittitur 291.17
Pax inter Longobardos & Francos 52.32
Pacem Longobardi cum Francis, papa & Imperatore faciunt 54.48
Pax Longobardis cum papa ſibi ab Imperatore metuente 64.2
Pax Longobardis cum papa à Romanis violari incipit 64.26 & 32
Pax Longobardis cum papa in decenniū 65.8, Cum eodem & exarcho in XX. annos ib.38
Pax toto orbe, quum Chriſtus naſceretur 226.34
Pax inter Walliam Wiſigothum & Honorium Imperat. 256.3, Ex cuius pacto reliquos in Hiſpania barbaros debellat ibid.15
Pacem tantùm non factam vnus homo perturbat 185.23

Pedem

Pedem regis quiſpiam oſculari ſimulans, mordicus corripit 368.50
Pelagius diaconus Totilam pro liberanda Roma orans non exorat 286.22, *Pro capta exorat* 287.52
Pelles & metalla magna ſunt apud Sueeos copia 203.41
Pelles Phinnorum opes ſunt 226.25
Peluis demerſa, miraculo emergit 236.4
Penthesilaa Amazonum regina 209.31
Peruſia cum multis alijs à Belliſario recipitur 276.54
Petrus Petri Leonis filius antipapa 405.50, *Largitionibus populum ſibi conciliat* 406.1, *Rogerium Siciliæ regem appellat, vt ſimiles habeant labra lactucas* ibidem 6
Philippopolis à Gothis expugnata & direpta 236.47
Philippus Macedo cum deuictis Gothis affinitatem init 221.37
Philippus primus Imperator Chriſtianus 235.40
Philippa Daniæ regina copias aliquas inſtruit, quæ ad Sundenſem vrbē caduntur 184.21
Phinnorum enthuſiaſmi & vaticinia 43.46
Phocas Mauricium Imperatorem opprimit; Imperium inuadens 54.33
Phriſij Dithmarſos ſuam regionem ingreſſos malè accipiunt 438.11, *A quibus poſtea imperiosè & crudeliter vexantur* ibid.20
Pignoratitia actio ab emptione quid differat 194.23
Pipinus Caroli Martelli pater, maior domus in Francia 299.45
Pipinus papam, quem ab ipſo monitus accerſierat, in Franciam venientem excipit 67.10
Pipinus Longobardum prius monet, vt papæ ablata reſtituat 67.37 & 41, *Idem exercitu ad Papiam adducto* ibid.50, *facere contentus, redit in Galliam* 68.3
Pipinus denuo in Italiam veniēs, Aiſtulphum reddere cogit quæ papa abſtulerat 68.33
Piratæ mari egreſſi, ſubinde deliteſcentes 143.34, *Danos ſe inſequentes cædunt* ibid.42, *Delentur* 144.17
Piratarum capita præciſa Abſolon pontifex palis ante ſuum præſidium affigi iubet 146.16
Piratis mare à Suenone III. purgatur 115.36
Piratica olim vitio non dabatur 10.31, 24.51, 335.41
Piratica Saxones olim dediti 25.5
Piraticam qui non putant vetitā, ijdem latrocinia in terris exercere nō dubitant 354.38
Piratici belli prætextu pirata ad prædandum abutitur 420.30
Piſcatus & pecuariæ rei magnus in Noruagia prouentus 418.3 & 39
Piſcium areſactorum, quibus alitur Germania, copiam mittit Noruagia 329.28
Piſcium copia ex Boreali oceano 477.5
Plinij de Schondia teſtimonium 474.5
Poetices ſtudium apud Danos 43.33, *apud Suecos* 210.22
Poculi aurei iactura regem cum epiſcopo committit 133.35
Pompeius Iſauricos piratica aſſuetos in mediterranea loca transferre coactus eſt 152.4
Pontifex contra fidem datam & obſidū cautionem ſibi agere permittit 110.30, *Rurſus malè pugnat* ibid.42
Pontifex precibus ad regis cadauer fuſis animam efflat 93.18
Pontificem, licet rebellioni affinem, violare ſacrilegium eſt 119.54
Pontifices à regibus hoſtibus vtrinque necantur 110.49, 111.16
Pontifices bellum gerere, nec belli legibus teneri volunt 110.51
Pontificū anathema quàm regibus etiam hoſtibus formidabile 112.43
Pontificum autoritas quomodo aſſerēda 94.38
Pontificum nimia autoritate populus grauatur 154.32
Pontificum certamen populum in regem armat 110.8
Populi tumultus ex mulcta ſeuerius irrogata 96.10.32
Portus mercatorum fruſtra à ciuitatum exercitu oppugnatur 184.1
Poteſtas omnis à Deo
Prælium tribus continuis diebus repetitum 29.44, 230.4, *duobus* 31.8
Præſtigiæ in Septentrionalibus gentibus plurimæ 43.45, 44.7
Primus Imperator Electorum ſuffragijs delectus quis 307.40
Principes beluarum nominibus agnominari ſolent 87.26
Principe i nulli apud Cimbros, niſi qui bello ingruente creabantur 431.27
Principes Dithmarſiam iunctis viribus inuaſuri ſimul colloquuntur 446.30
Principes etiam in ſocietate ineunda ſuſpicione inter ſe laborant 443.44, 449.34
Priſlaus Wādalus Chriſtianus ad Danos trāſit 131.31, *Waldemari regis ſororem ducit vxorē* ib.49, *Prudenter ſuos è periculo abducit* 132.9, *A fratre cōuicijs inceſſitur* ib.32
Puella infans in cunis impuberi puero deſpon-

detur 138.26

Puella liberius patrem coarguit, qui ſe proco ambienti denegabat 341.38, Quem bello victorem maritum accipit 342.5

Puellæ ſe à patre proco denegari ægrè fert 22.17, Cui patre oppreſſo nubit ibid.22

Puellæ imperio Dani ſubijciuntur, quo ſe Olonis virtute liberant 347.49

Puellæ in Boemia ſeptem annos regnum tenuerunt 208.52

Pugilum par æquis viribus 22.28

Prouinciæ nomen cur certæ regionis proprium ſit 297.5

Prunarum ardentium examen fallax 411.15

Q*Vadi Marcomannis bello ſocij* 235.38

Quadrageſimalis ieiunij religio bellum inchoatum abrumpit 121.8

Quandiu Oſtrogothorum nomen in Italia ſteterit 296.10

Quandiu Wiſigothorum nomen in Hiſpania ſtetit 300.6

Quæ gentes magnas opes in eccleſiam Romanam profuderint 71.23

Quæ ſemel rapta ſunt, in varias manus diſtracta, reſtitui non poſſunt 194.1

Quæſtori Indulgentiario prædæ pars aufertur 322.20

Qui regem interfecit, eum regno potiri lex iubet 38.19

Quis primus tria Aquilonis regna tenuit 332.53

Quo tempore Longobardi leges ſcriptas habere cœperint 56.33

Quonam apud Danos regnante Chriſtus natus ſit 20.45,25.4,345.55

Quibus conditionibus Sueci vectigal regi alienigenæ pendunt 320.52

Quibus de cauſis duella olim ſuſcipiebantur 5.26,28.1

Quid interſit inter poſtulationem & electionem pontificis 163.45

Quot annos Oſtrogothorum dominatui paruit Italia 273.30

Quotannis expeditio è Dania in Wandaliam ſuſcipitur 146.32

R*Achiſius rex electus 65.36, regno omiſſo monachus efficitur* ibidem 46

Rachiſius è monaſterio rurſus ad regnum redire cogitans, 68.49, A papa monetur conatu deſiſtere 69.6

Rami armato exercitui ad fallendum prælati 30.41,231.52

Rauenna quàm ſit vetuſta, & quo pacto aucta 265.15

Rauenna à Longobardis ſæpe obſeſſa, ab Aiſtulpho demum capitur 66.18

Rauenna obſidenda videtur 281.10, Commeatum illuc Gothi inuehere non poſſunt ib.13, Horrea conflagrant ib.ib.22, Deditur oppidum ibidem 36

Radagaſius cum ſuo Gothorum exercitu Italiam petit 253.15, Obſeſſus à Rom. & ex fuga retractus occiditur ibid.22

Rebellio populi regionis vaſtitate vindicatur 78.29

Reen *fera miræ pernicitatis, qua equorum inſtar Lapones inuehuntur* 482.19

Regina Longobardorum viro mortuo, quem maritum deligit, eum regem facit 52.23

Regna cædibus parari, non magis barbarorum quàm Romanorum mos 4.48

Regna quibus artibus quærantur & ſeruentur 303.34

Regnaldus Noruagiæ rex filiam in ſpecum recõdit, ne à proco Gunnaro reperiatur 344.5, Quam ille inuentam, vxorem ducit ibidem 19

Regneri adoleſcentis prudens conſilium 74.45

Regnerus virginem virtutis ergò vxorem ducit 75.14, Quam poſtea locupletiorem ducturus repudiat ibid.24,302.25

Regnerus Britanniam, Scotiam, vicinas inſulas & Noruagiam ſubigit 75.40, Hyberniam 77.37

Regnerus cuius Imperatoris ætate vixerit, Krantzij cum Saxone diſputatio 75.55

Regnerus in hoſtem victum, à quo inſignẽ acceperat iniuriam, moderatus 77.25, Crudeli morte perimitur 78.1,305.35 & 33

Regnerus Danus duello (licet impari numero) & tota acie victor 303.18

Regnerus muliebrem ornatum ſumit, vt puella amata potiatur 76.32,303.38, Cuius patrem iuſto dolore bellum inferentem prælio fudit 304.8

Regnerus victor Sueciæ filium regem cõſtituit 303.32

Regnerus Daxonem, à quo filium crudeliter necatum vlciſcebatur, captum vita tamen donat 77.25, 304.49, In ipſum Helleſpontum nauigatione peruenit 305.7, Captiuus crudeli cruciatu moritur 78.1,305.35 & 53

Regnerus multa regna filijs diſtribuit 306.18

Regnerus regem Sueciæ Fro ob auis cædem & vaga ſtupra bello adoritur 350.16

Regneri Daniæ & Noruagiæ regis ætate Normanni è patria egreſſi ſunt 354.31

Regnerus poſt Hundingi patris mortem, à nouerca pulſus 213. 16, filiæ Daniæ regis hortatu ibidem 23, Nouerca oppreſſa regnum recuperat ibidem 41, Illam uxorem ducit ibidem 43

Rex ſuorum cladem nuntiari vetans, quo pacto eam intelligit 45.44

Rex à populo iniuriarũ amneſtiam iurare cogitur 84.47

Rex muſicis numeris in furorem agitur 99. 50

Regis munus magis in iure dicẽdo quàm in ritibus, quantũlibet ſacris, vſurpandis 94.13

Regi non filij, ſed fratres in regnum ſuccedunt 309.12

Regem fieri monachum non expedit 374.35

Regem gibbo deformem Noruagij nõ ferentes, 413. 24, *bello adorti cum magna nobilitatis parte conficiunt* ibid. 40

Regum electio, ſucceſſione hæreditaria poſthabita, etiam ſua habet incommoda 483.33

Regem literatum non eſſe papa miratur 195. 53

Regum & Imperatorum vita parum iucunda 313.10

Regum filij, ditione bifariam diuiſa, alter terra, alter mari piraticam exercens, imperat 352.8, 354.37

Regum manibus medica vis ineſſe creditur 136.47

Rex regno ob tyrannidem à ſuis pulſus 425. 50

Regia ſoboles mutuis bellis extincta 78.47

Rerum geſtarũ gloria Kanuto obſtiuit, ne rex crearetur 93.54

Rerum à Danis geſtarum breuis epitome 407. 47

Rheni tractus Normannorum vaſtationibus patet 358.13

Richardus Wilhelmi Normanni filius 371. 53, *A patre ægroto & monachatum inire cogitante proceribus commendatur* 374. 50, *A quibus obedientiæ ſacramentum præſtatur* 375.14

Richardus Wilhelmi filius à Ludonico rege amicitiæ ſimulatione in aulam Gallicam abducitur 382.37, *Vnde cuiuſdam è miniſtris prudentia educitur* ibidem 47

Richardus apud Syluanectenſem comitem educatur 383.42, *Capto à Normannis (qui Danorum auxilium euocauerant) Ludonico rege Rotomagum redit* 384. 23, *Hugonis Magni filiam in vxorem ducit* 384. 26

Richardus Brunoni occurrere volens, de inſidijs monitus recedit 385.7, *Alias inſidias à Lothario rege ſtructas deuitat* ibid. 22, *conflato bello, Carnotenſem Theobaldi hoſtis comitatum vaſtat, & auxilium è Dania accerſit* ibid. 32 & 40

Richardi pietas, virtutes & mors 386.38

Richardus II. patri Richardo ſuccedens, ruſticorum motum repriмit 387. 6, *Wilhelmum fratrem rebellem poſt quinquennalem carcerem* ibidem 25, *elapſum & veniam orantem recepit* ibidem 33, *Sub mortem filijs ditionem diuidit* 390.21

Richardus III. patri Richardo II. ſuccedit 390. 31, *Bello fratrem rebellantem domat, paulò poſt non ſine veneni ſuſpicione moritur* ibid. 40 & 50

Roberti nomen Rolloni ad Chriſtum conuerſo inditum 368.35

Robertus frati Richardo III. in Normannia ſuccedit 390.55, *Patruum archiepiſcopum Rotomagenſem oppido abire compellit* 391. 5, *Poſtea culpam agnoſcens reuocat* ibid. 10

Robertus Wilhelmum rebellem imperata facere cogit 391.23, *Sanctum Domini ſepulchrum inuiſit,* 392.47, *Rediens moritur* 393.1

Robertus Guiſcardus Apuliam & Calabriam nepoti ablatam 399. 51, *A papa, velut eius vaſallus, pace facta, beneficij nomine tenet* 400.7

Robertus Guiſcardus multa Italiæ oppida capit 400.20, 401.8 & 19

Robertus in Siciliam nauigat, & Panormum obſidet 400.36, *Quod à Godfredo fratre ibi relicto capitur* ibid. 49

Robertus Guiſcardus Dyrrhachiũ obſidet 401. 38, *Capit* 401. 16, *Denuo ſe papæ vaſallum profitetur, & Petri apoſtoli vexillum accipit* 401.28

Robertus Romam contendens, ad papam tuendum, aduentus ſui fama Henricum Imperatorem fugat 402.20, *Romanos parũ dicto audientes, incendijs territos domat* ib. 38

Robertus Imperium Conſtantinopol. Alexio auferre conſtituit 402.53, *Quod dum aggreditur, nauali prælio bis victor* 403. 6 & 25, *moritur* 28

Robertus aduerſus Boemundum fratrem magnis copijs coactis, ſanctæ expeditionis cauſa ei reconciliatur 403.51, 404.12

Rogerius Siciliæ comes ſpreto papæ dominio Calabriam inuadit 405.16, *Regium nomen ſibi ſumit* ibidem 28, *Antipapæ adhæret* 406.6, *A papa & Imperatore Italia pulſus* ibid. 23, *poſtea redit* 29

Rogerius Roberti patris ditiones poſt eius mortem tenet 403. 30, *Cum fratrẽ*

Boemundo prælio cōmiſſo, Apuliæ partem ei relinquit ibidem 41, Papæ homagij iuramentum præſtat ibid.44
Rogerius multa in Græcia Conſtantinopolitano ademit 406.41, Moritur ibid.51
Rolfo igni accenſo mira patientia proximus aſtat 214.4
Rolfo ab Hiartuaro ſpecie tributorum adducendorum cum ſuis trucidatur 215.15, Sed & ipſe à Rolfonis milite confoditur ibid.29
Rollerus Noruagiam à Frotone vnà cum repudiata ab eo vxore accipit 340.16, In rebelles Noruagios ibid.28, Frotonis viribus adiuuatur ibid.44,341.4
Rollo patria propter regis odium profugus, magna Normannorum & Danorum claſſe in Angliam nauigat 362.44, Magna coacta præda, quid facturus ſit deliberat 362.14
Rollo in Anglia ſomnio monetur in Galliam nauigare, vt quidem ab interprete didicit 363.18, Pacem cum Alſteno Anglo profecturus facit ibidem 32
Rollonis cum Alſteno Anglorum rege amicum colloquium 363.55, Societas & fœdus 364.11
Rollo à Galliæ curſu tempeſtate in Walacram delatus, eam vi ingreſſus ſubigit 364. 8 & 39, Friſios ad tributa pendenda adegit ibidem 41
Rollo Reynerum hoſtem bello captum, ſumma humanitate moderato accepto pretio remittit 364.52,365.7
Rollo Galliam ingreſſus, ad Rotomagum ſubſiſtit 365. 24, Cum Francis commiſſa pugna victis expoſtulat 366.12, Pariſios annua obſidione premit ibid.21
Rollo ex Gallia ab Alſteno in Angliam ad ſubigendos rebelles accerſitus, regni motu ſedato reuertitur 366.37
Rollo Francos, qui ſtatim poſt trimeſtres inducias arma ſumpſerant, profligat 367.12 & 18, Carnotum obſidens, à ſuperueniente auxiliari exercitu cedere cogitur ibid.32
Rollo ad Chriſtianiſmum adducitur, oblata regionis quam tenebat pacata poſſeſſione, & regis ſorore in matrimonium 368.14, Anno DCCCXCVII. 370.9
Rollo Chriſtianus factus eccleſias inſtaurauit, furta ſeueriſſimè punijt 369.1 & 4, Regis animum ſeueriori duorum Francorum nece offendit ibid.28, Moritur 370.16
Romam frumentum Imperator è remotiſſimis locis mittebat 48.41
Romæ præſes ab exarcho conſtituebatur 51. 44
Roma à Longobardis toto anno fruſtra obſidetur 54.30
Roma Senatui gubernanda à Theoderico permittitur 264.19
Roma à Witige obſidetur, Belliſario defendente 277.28
Roma obſidione annua liberatur 279.40
Roma miſerè inopia laborat 287.37, Proditione capitur ibidem 47, Vaſtata incolis vacuatur 288.51
Roma à Belliſario reparata, aduerſus ingruentes Gothos defenditur 289.20
Roma à Narſete vi recipitur 294.31, Gothis pactione abeuntibus ibidem 36
Romani cum Longobardis, potentiam eorum veriti, pacem faciunt 50.33
Romanus pontifex ab exarcho in legationem mittebatur 51.45
Romani ſcriptores quum hoſtium virtutē extollunt, ſuorum laudibus ſeruiunt 133.10
Romani Imperatores ſe poſt mortem deos haberi volebant 216.19
Romani milites cum Gothis ſe cōiungunt 235. 53
Romani Gothorum inſidijs intercepti caduntur 237.4
Romanum Imperium in Occidente annos amplius CCC. vacat 261.15
Romani Belliſarium venientem non ſolùm intromittunt, ſed accerſunt 276.44, Cuius rei ipſos poſtea pœnitet 277.42, 278.44
Romanorum leuitas 276.44, 277.42, 278. 44, 294.35
Romani à Cimbris victi 429.25, Iterum magna clade ibid.40
Roſmūda adulterio mariti cæſorem quærit 49. 12, Quem poſtea (alterius amore ibid.32.) & ſeipſam veneno tollit ibidem 34
Roſtock à Danis capitur diripiturq́ 132.27
Roſtock oppidi dominium penes duces Magnopolenſes 171.35
Roſtockcēſes tumultuantur proconſulibus eiectis 183, Wiſmarienſes eadem diſcordia laborant 183.42
Roſtockcenſes à reliquis ciuitatibus deſciſcunt 184.49, Item Sundenſes 185.4
Rotomagenſes aduenienti Rolloni ſe imperata facturos pollicentur, religionis negotio excepto 365.18
Rugia inſula profecti olim Odoacris milites 3. 30
Rugia primùm Longobardi inſederunt 41. 55, 42.37
Rugia diu Danico imperio ſubiecta, nunc Pomerano paret 143.15

Rugiam domino ſpoliatam multi ſibi vendicant 172.7

Rugij à Longobardis pulſi, alios ſedibus pellunt 42.54, *Sed ab Odoacre Italia reuerſo eijciuntur* 43.4

Rugiani aduerſus reliquos ſuæ gentis ſubſidia Daniæ regi ex pacto ſubminiſtrant 138.27 & 39

Rugiani Saxonibus quàm Danis ſubeſſe malunt 139.4, *His tamen ſe dedunt, illorū auxilijs non acceptis* 140.5

Rugiani oratione cuiuſdam Gotſcalci adducti 141.42, *Daniæ regis auxilio freti, Saxonū apud ſe præſidia deijciunt* 142.6, *Sed Saxone & Dano reconciliatis, prædæ ambobus patent* ibid.23

Rumpoldus Sleſiæ dux pacem in Sleſwicenſi contentione facere cupiens, moritur 180.32

Ruſila virgo Noruagica prælians interficitur 336.52

Ruſla virgo Noruagiæ parti imperans bello finitimos vexans à Danis fugatur 348.39 & 47, *Fratrem in fugam compellit* ib. 50, *Ab Omundo Dano opprimitur* 349.1

Ruſſi cōtinenter cū Suecis bellū gerunt 203.34

Ruſſi Suecos trucidant, recepta arce ab eis capta 314.42

SAbellæ, pelles pretioſiſſimæ, à Borealibus oris veniunt 477.54,

Salmoxis dæmon apud Getas habitus 222. 23 *Et quis fuerit* ib.33, *Qua ceremonia nuncium ad eum mittant* ibid.26

Sacerdos & rex idem nemo eſſe poteſt 160.14

Sacerdotes Gothorū Pij cognominātur 221.44

Sacerdotum vectigalia, quæ inferre vbique conantur, Chriſtianæ religionis propagationem valde remorantur 482.31

Sacrificus quidam genus ementitus, regnum affectans, Noruagiam turbat 416.27

Sacrificij apud Suecos, quum idola colerent, ritus 204.13

Sagitta malum è capite filij quidam iuſſus decutere, regis necē, ſi aberraret, parat 83. 27

Sagittarij inermes exercitum armatum fugant 76.50

Sagittandi peritia mira documenta 22.24, 83.26

Saiones à Theodorico inſtituti 264.50

Sargapiſes Thomiris reginæ filius captus præ pudore ſeipſum interficit 219.50

Sarraceni Rom. Imperio graues 54.54, 56.10

Sarracenorum in varias regiones profectio 300.1

Saulus Iudæus Chriſtiani exercitus dux 253. 27

Saxa creſcere 210.20

Saxonia regnum Dano paruit 16.5

Saxoniæ rex Dano per ætatem cæco inſultat 14.47

Saxonia à Normannis deuaſtatur 357.53

Saxonica lingua Cimbrorum fuit 431.25

Saxo excuſatur, quòd incompoſitam hiſtoriam ſcripſerit 352.17

Saxo Sialandicus Danicarū antiquitatū ſcriptor 3.47, *Gothorum antiquitates perſcrutatus eſt* 204.50

Saxonis dictio, pro tempore & regione, erudita 416.43

Saxones Danis, quos bello laceſſiuerant, tributarij fiunt 17.24

Saxonum XX M. cum Longobardis in Italiam veniunt 48.6, *Qui poſtea illis relictis domum redeunt* 50.45

Saxones Dano centum niueos equos quando pendere cogebantur 72.51

Saxones à Carolo non Magno, ſed Martello, domiti 73.8

Saxonibus obrebellionem, tributum augetur 23.32

Scania, olim Scandia & Scandania 1.42 & 51, *deſcribitur* 3.8, *Eſt Schondia* 473.12

Scania Daniæ adempta, Sueciæ accedit 34. 25

Scaniæ populus ob tributi magnitudinem tumultuatus 153.35, *Abſolonis oratione non placatur* ibid. 44, 154.7, *Cæditur* 155.36

Scanienſes regem Sueciæ Caroli filium faſtidientes, alium opponentes, à reliquis Suecis opprimuntur 311.47

Schondiæ etymon 473.9

Scythæ apud Herodotum, qui à Maſſagetis pulſi Cimmerios ipſi expulerūt Gothi ſunt 206. 30, *Nam Scytharum nomine Gothi etiam intelliguntur* ibid.35, 207.53, 208.27

Scythæ conſpecto lepore, pugnam, quam inituri erant, omittunt, neglecto hoſte 221.2

Scythia à Gothis patria egreſſis occupata eſt 206.23

Scipionis Africani ſolertia in liberanda ab Annibale Italia 27.20

Skioldus vix pubertatē egreſſus corporis magnitudine & robore inſignis 5.12, *Rex leges optimas tulit* 5.22

Sclauoni ſunt Wandali 53.8

Scriten Finnorum victus & veſtitus 203.54

Seditio in pontifice creando 123.33

Selandia, aliâs Sialandia, inſula deſcriptio 2. 54, 3.20

Senatus & conſules quando planè deſierunt Romæ 48.29

Senatores Roma capta à Totila obſides capiuntur 288.51, Remittuntur 289.33
Senonenſis ciuitas à Normannis obſeſſa, data pecunia redimitur 361.11
Sepulchra antiquitus ſecundum publicas vias 74.3
Serpens quidam apud Noruagios, quoties apparet, oſtentum habet 488.29
Seueriſſima furti animaduerſio 369.8
Sichtrugus Sueciæ rex in Danum ob raptam puellam mouet 210.47
Sichtrugus à Dano clam perimitur 211.4
Sicilia dominos mutauit 2.20
Sicilia à Gothis poſt Romam captam inuaditur 291.55
Sicambri qui 257.25, *Vnde dicti* 428.51, 429.3
Singularia certamina olim apud Cimbros 432.42
Siſwaldus Narſeti ſocietate iunctus 294.13, *multis Gothos damnis afficit ibidem* 49, *Ob perfidiam ſuſpenditur* 296.37
Siwardus bella foris gerens, ſuo penè regno extruditur 350.12
Siwardus Danici regni inclinationem pertæſus, bellum, in quo interijt, non neceſſarium mouit 37.14
Siwardus quum morte damnatus, in mare præcipitandus eſſet, nautas prudenti aſtutia fefellit 412.5
Siwardus nauali pugna victus, vrinando armatus enatare contendens 412.50, *tandem captus ſumma conſtantia cruciatus perfert* 413.12
Sleſwicum Danis ademptum fit marchionatus 81.34, *A Danis deÿcitur* 82.25
Sleſwicũ à Daniæ rege obſeſſum capitur 178.21
Sleſwicenſis ducatus eſt Iutiæ 172.17
Sleſwicẽſis ducatus ratio in poſterum ſeruanda conſtituitur 176.4
Sleſwicenſis ducatus controuerſia, belli cauſa 177.18 & 53, *Quod Germaniæ principes cum Daniæ rege committũt* 178.30, *Multas inuehit calamitates ibidem* 34. 179.5, *Ne papæ quidem autoritate, & cõpromiſſo facto, res poteſt componi ibidem* 21, *Tandem Imperatore arbitro Daniæ rex ſuperior eſt* 180.48
Sleſwicẽſis ducatus ducibus à Daniæ rege redditur 187.24
Sleſwicenſem ducatum duces, licet ſententia damnati, ſibi vendicare pergunt 181.29, *Ciuitatũ orientaliũ auxilia accipiunt ib.*48
Sleſwicenſis ducatus, mortuo abſque liberis Adolpho, corona Danicæ conſolidatur 191.24
Sleſwicenſis & Holſatenſis ducatus ſemina futurorum bellorum, iniqua partitione accipiunt 197.17
Snio Daniæ rex, quam uxorem habere non potuit, nuptã rapuit 40.40, 250.50, *Eo regnante Lõgobardi Scania egreſſi ſunt* 251.3
Spectra & defunctorũ animæ crebrò in Iſlandia viſuntur 43.54, 480.4
Spretam religionẽ ac epiſcopos quæ mala conſecuta ſunt in Suecia 308.8
Starcuterus gigas immẽſi roboris 22.48, 226.14, *Hamam pugilem ſternit* 23.26, 226.14, *Semel tamen fugere viſus* 29.51, 230.8
Starcuterus etiam rerum ſcriptor fuit 33.48, *Regiæ puellæ adulterum in ipſo eius gremio confodit* 24.1
Starcuterus Helzonis nomine & rogatu cum nouem fratribus congreditur, quos ſternit 227.42, 342.35, 343.1
Starcuterus Ingelli mollitiem exoſus, ad Haldanum ſe recipit 227.37, *Certamen ſolus aduerſus nouem ſubit ibidem* 42, *Poſtea reuerſus magna eum libertate reprehendit* 24.10 & 32
Starcuterus Olonem, cui militauit 347.24, *accepto precio per dolum interfecit* 35.43, 246.2, 347.55
Starcuterus Hatherum ridentem indignatus alloquitur 246.20, *Eum rogat ut ſe in paternæ necis vltionem interimat* 249.9
Starcuterus ſenex cæcus, ſceleris pœnitentia quærit à quo perimatur 36.29, 246.11 *Hatherus rogatus, in paternæ necis vindictam eum interemit* 246.20, 249.9
Steno, Sueciæ propugnator, Vpſalienſem epiſcopum tyranni fautorem obſidet 500.23, *Danum opem ei ferentem, prælio commiſſo fundit ibid.* 28, *Epiſcopum reſipiſcentiam ſimulantem iudicio populi ſubÿcit ibidem* 36
Steno Danum patriam obſidentem, ad maximam rerum inopiam redigit, & benignè commeatum inducÿs factis ſuppeditat 500.51, *Pugnans aduerſus tyrannum in acie cadit* 501.20
Stetinum deditione in Waldemari poteſtatem venit 145.21
Stilico cuius ſumma fuerat apud Imperatoriam aulam autoritas 240.51, *cum filio inuidia oppreſſus interficitur* 253.38
Stipendia Romæ literarum profeſſoribus conſtituta 269.54
Stockfiſch *Germanici nominis etymon* 483.51
Stockholm vrbis ſitus qualis Venetiarum 490.53, *Sue-*

43, Sueciæ emporium, geminam è cælo & mari grauiſſimam calamitatem experitur 311. 11, Horrendum eius excidium 490. 46
Stoxholmenſium egregia in Albertum regem captiuum fides 317. 24 & 41, Quibus fame laborantibus, comeatus mira induſtria Danis cæſis importatur 318. 20, Gratiæ illis à rege aguntur 319.10
Stralesſundēſes Ericum obſidionem parantem capiunt 171.24, Et potentiſſimum Daniæ regis exercitū ib.16, fortiter ſuſtinent ib.29
Succeſſio filiorum in Imperio infauſta 255.3
Succinum vbi reperiunt 3.39
Sueciæ deſcriptio & ſitus 203.23
Suecia Daniæ ſubijcitur 214. 20, 215.7, Vice verſa 215.38, Rurſus à Dano tenetur 250. 14
Suecia Alarico interempto; rege caret 225.52
Sueciam rege carentem Chriſtiernus fruſtra inuadit 195.22 & 30
Suecia primùm Chriſti religionem publicè accipit 307.18
Sueciæ regnum è tribus Aquilonaribus opulentiſſimum 319.51
Sueciæ theſauri ex ipſa regione ægrè exportantur 189.52
Sueciā ducali tantùm titulo Hiartuarus Rolfonis permiſſu tenet 215.9
Sueciæ rex adulterio & rapta matre natus 310.7, Cuius frater libidine ſua Danorum bellum aduerſus Sueciam excitat ibidem 40
Sueciæ procerum & regis Chriſtierni controuerſia 194.32
Sueciæ rex Hieroſolymam peregrinatus reditu in regnum à fratre arcetur 169.16
Sueciæ regina captiua à Suecis autoritate papæ commotis dimittitur 326.20
Sueci quot nominibus appellentur 1.34
Sueci Danorum apud ſe præfectorum inſolentiam oderunt 186.42
Sueci hominis cæſi parua habetur ratio 214.16 Vnde perpetuū inter eos & Danos odiū ib.
Sueci à fœdere diſcedentes, proprium ſibi regem præficiunt 190.23 & 38, 216.37
Sueci in regem alienigenam conſpirant 228. 48
Sueci Danos arte ſuperant, à quibus vi vincebantur 308.1
Sueci vehementes in vtranque partem prouehendi & deſerendi regis 317.29
Sueci regem ſibi habere volunt, quē Carolum quendā infimæ ſortis militem creāt 321.36
Sueci in coniungenda duobus regnis Suecia aliter atque aliter ſentiunt 321. 10 & 36, 322. 11, 323. 10 & 53, Diu rege carent ibidem 14
Sueci cum Ioanne bellum gerunt 324.28, Acie fuſi in eius veniunt poteſtatem ib.44, Rurſum rebellant 325.2
Suecis Chriſtophori regis conſpectus iucundiſſimus 189.45
Sueno factus Chriſtianus, de Imperatoris nomine Suenotto appellatus 82.40, 379.45, Religionem abijcit, vt patrem regno procerū ope expellat ib.52, Quē acie vincit 83.39
Sueno patre mortuo regnum occupatum tenet 84.7, Bis à Iulinenſibus, quos bello laceſſiuerat, captus, bis redemptus ib.11, Tertio miraſolertia è naui abductus ibid.35, à matronis redimitur ibid.43
Sueno ab Erico profligatus 306.50, poſt diuturnum exilium ad ſanitatem reuerſus 85.10, Poſt ſeptennium regno reſtitutus, non audet tamen palàm Chriſtum profiteri ib.17, 307.1, 380.26, 381.12
Sueno Noruago nuptias, quas ambibat, miro aſtu interuertit 85.40, Noruagiam & Angliam ſubigit 86.9
Sueno Angliæ regnū conſobrino Knutoni ſummā fide ſeruat 89.17, Quo mortuo ibidem 38, dum ſibi habere cogitat, ab Haraldo eijcitur 50
Sueno Danus, gētis ſuæ cædem vlturus in Angliā nauigat, quam rege in Normanniam fuga elapſo ſubigit 388.19
Sueno Daniæ regnum affectare pacti religione prohibitus 89.25, 44 & 51, rem aggreſſus, victus fugit 90.9 & 30, Tandem æmuli morte conſequitur ibidem 35
Suenonis virtutes vna libidine obſcurātur 91. 41, Nuptiæ inceſtæ poſt varias cōcubinas, deinde diuortium & pœnitentia poſt diuturnam contumaciam 92.1, Mors 93.6
Sueno III. cum Kanuto Magni parricidæ filio, de regno contendit 112.6
Sueno III. oratorem Kanuti oculis priuat 113. 19, Magno prælio fit victor ibid. 33, Suos in perniciem præcipitat ibid.47
Sueno III. Kanutū magno prælio ſuperat 114. 23, Clemētia pontificis hortatu vtens, multis ingratis vtitur ibid.40 & 52, Rurſus inſignem victoriam conſecutus, rex habetur 115.30
Sueno III. Plogū patris ſui interfectorē deditione captū, ex pacti fide abire ſinit 116.17, Inſolētia ſuorum in ſe odia prouocat 116.54
Sueno III. bellum nequicquam Sueciæ infert 117.42, Plebis ob tributorū magnitudinem

Z

tumultum ſedare aggreſſus, lapidibus petitur ibid.50

Sueno III. vtile conſilium aſpernatus 119.35, Multis à ſe deficientibus aciē relinquit 120.3, In Germaniam ſe recipit ibid. 24, Vbi omnia aduerſa experitur ibid.32

Suenonis III. cum Waldemaro expoſtulatio, & illius reſponſio 121.36, Eiuſdem ſimulatum de pace facienda promiſſum 122.11, Inſidiæ ibid.22.& 43

Sueno perfidioſè Kanutum & Waldemarū à ſuis armatis necandos curat 123.15, E prælio fugiens, captus perimitur 125.36

Sueno ducit vxorem, quam ab Olauo, qui eam ambiebat, ignominia afficiendam callidè curauit 307.26

Suenonis Daniæ regis filij quinque, concubinis progeniti 410.30, omnes ſibi inuicem ſucceſſerunt ibid.3

Suenones quàm graui tributo multati ſunt, ob Dani ducem à ſe occiſum • 73.3

Suertingus Saxo ſe vnà cum hoſte perdit, vt patriam liberet 23.43

Suerco Sueciæ rex Dano vxorē adimit 310.22

Sueticæ rebellionis cauſa 192.33

Sueui Wlyßipponem tenent 256.11, Plura occupare conantes à Theodorico Wiſigothorū rege reprimūtur 260.35, Victi regem ex ſuo numero præficere ſinuntur, vt tamē ſuperiores Gothos agnoſcere debeant 260.54

Suibdagerus Noruagiorum rex Dani ſororem & filiam conſtuprauit 332.13, Quem illatam iniuriam vleiſci conantem ib.20, bello opprimit ib.43, & Daniæ imperat ib. 46

Suibdagerus Dania ſubacta Gutorinum, regis quem interfecerat, filium, præficit 332.50

Superiore Dithmarſia ſub poteſtatem redacta, ſupereſt difficilior paluſtris 465.45

Superſtitionibus Dania abundat 110.40

Supponit ſe quidam pro marchione 174.15, Alius pro Olauo Margaretæ filio 177.7

Symmachus ac Laurentius de pontificatu decertant 266.24

Syracuſæ à Totila obſeſſæ 292.5, ſubſidiū è Græcia accipiunt ibid.30

Syritha puella ei nuptura edicitur, qui eam ad ſe intuendum adducere poſſet 28.51, Otarus hoc ſæpe fruſtra conatur ibidem 54.29.21, Tandem vbi deſijt pellicere, ſponte illa facit ibidem 33, Patrem iratum placat ibidem 39

TAbula proſcriptorum apud Holmenſes 502.23

Taciturnitas & celeritas in bello adminiſtrādo 443.18, 448.41

Tarenti præfectus Gothus ad Imperatorem tranſit 293.12, Perfidè poſtea proditionem molitur 294.37

Tanauſis Gothorum rex Aſiam domitam Medorum regi tradit 207.34

Tartaria quæ eſt hodie, antea fuit Sarmatia 241.8

Tedelinda Longobardorum regina populum Chriſto lucrifaciendum curat 53.3

Tedelinda cum filio decennale regnum pacatum 55.43

Teias à Totila Veronam mittitur 293.31, Poſt eius mortem rex creatus, cum Francis, Burgundionibus, &c. ſocietatem init pag. 294.1

Teias multis afficitur difficultatibus ad Italiam tuendam 294.53

Teias cum Narſete dimicās cadit 295.55, Cum eo nomen Oſtrogothorum deletum 296.12

Telephus Herculis filius, Gothorum rex fuit 209.42

Templum artificio & pretio maximum apud Noruagios 485.37

Teutonicus ritus Dani in patriam induci ægrè ferunt 116.55, 117.14

Theobaldus Carnotēſis comes Richardo Normanno infeſtus, armis ab eo reprimitur 384.51, Inſidias illi tendi curat 386.1 & 14

Theobertus Metenſium rex ampliſſimā habet ditionem 270.9, 273.18, Fœdus cum Atalarico, Iuſtiniani Imper. metu facit 270.15

Theobertus Metenſiū rex, nunc Romanis 280.8, nunc Gothis auxilium fert ib.30, Francis & Burgundionibus accerſitis vtroſque ſigillatim delet ibid.35

Theodatus à regina pecunijs multatus 269.34, poſtea ab ea in regni cōſortium vocatus eſt 270.26, Auarus, ſed doctus ibid. 30, &c. Eius munera & largitiones ibid.47

Theodatus ad res gerēdas ineptus, Imper. epiſtolis ad ſtyli ornatum compoſitis placare conatur 271.25, 272.52, 273.9, Pontificem per vim obtrudit ibid.40

Theodatus aduentu Beliſarij territus demum de pacis conditionibus cogitat 275.17

Theodatus victoria ſuorum ad Solonam elatus, pacis conſilia abijcit 275.55, Obgnatiam à ſuis dedicatur & necatur 276.27

Theodoricus Wiſigothorum rex 257.51, cum Aetio copias coniungit 258.23, Moritur 259.8

Theo-

Theodoricus Oſtrogothorũ regis Theodemiris filius, de Verona cognominatus 43.12, 349.21, obſes Cõſtantinopolim miſſus 262.13, liberaliter habitus remittitur, & amiciſſimus fuit Imperio ibid.20 & 54

Theodoricus à Zenone Imperatore ornatus 262.34, Italiam & Romam ſibi commendari poſtulat, & omnium conſenſu obtinet ibidem 45, 263.1, Romanis lætantibus 264.6

Theodoricus Italiam ingreſſus, Odoacrem bis prælio vincit 263.12 & 21, Rauennæ per triẽnium obſeſſum, vrbe in deditionem accepta interfici iubet 263.55

Theodoricus Rauennæ ſedem habuit, Romam & totam Italiam in priſtinum ſplendorem reſtituere cœpit &c. 264.8, Italis armorum vſu interdicit 264.48

Theodoricus cum optimis Imperatoribus conferendus 265.11

Theodoricus licet eccleſias cõſtrueret, &c. 265.5. tamen Arrianus fuit 268.4

Theodoricus cum multis regibus affinitates contraxit 265.35, multas prouincias regno ſuo adiungit 266.3, Clodouco ſocero infenſus, miſſo exercitu Francorum XXX. millia cædit 267.41

Theodoricus ad extremũ crudelis euaſit 268.36, Moritur ibid.45

Theodoſius à Gratiano accerſitus, Gothos delet 252.20

Theodoricus ex monaſterio in quod detruſus fuerat 299.13, eductus, rex Francorum ibidem 22

Theſaurus apud fratres mendicantes tutò ſeruatur 191.50

Theſaurus apud monachos mendicantes depoſitus, vix Chriſtierno regi reſtituitur 322.12

Thietmarſi à Daniæ rege apud Imperatorem accuſantur 195.40

Thietmarſi moniti vt Imperatoris iuſſu Daniæ regem dominum agnoſcant, parere recuſant 196.34, 198.9

Thietmarſi ſecundo prælio aduerſus Daniæ regem Suecis exemplum ad rebellãdum præbent 198.23

Thira Chriſtiana Gormoni impio nubit 80.52, Maritum Chriſto lucrifacere nõ potuit 81.50, Filios, accedente Ottonis victoria potuit 82.41

Thomiris conditiones de aggrediendo aut defendendo, ad Cyrum 419.13

Thomiris verba ad mortuum Cyrum 220.2

Thracia & Myſia à Gothis occupantur 206.43

Tilebrugga paucis propugnatoribus defenſa, facile capitur 461.6

Toriſmundus Wiſigothorum poſt patrẽ rex, domũ poſt Attilæ cædẽ ab Aetio remittitur 259.20 & 30, Fratrũ dolo moritur 260.24

Totilas à Gothis rex creatur 282.47

Totilas illuſtrem victoriã de Imperatoris ducibus reportat 283.36, Multas vrbes recipit & ſecundis rebus augetur 284.1, 15 & 22

Totilæ clementia in fœminas 284.20, in Neapolitanos Cononem & reliquos, 285.1, &c. Duplex naualis victoria ibid.42 & 50

Totilas agreſtibus noceri nõ vult 286. Romam obſidet, & interceptis commeatibus fame vrget 286.8 & 20

Totilas Roma capta à Pelagio rogatus cæde & ſtupris interdicit 288.1, Ex rei conſpectu ſuos ad Dei timorem cohortatur ibidem 4, De pace miſſis ad Imperatorem legatis ib. 19, vbi nihil æqui reſponderi videt, vrbem deuaſtat, & ciues ſparſim exterminat ibid. 25 & 42

Totilas Romanos erga benemeritos Gothos ingratos arguit 286.26, Idem facit Roma capta 288.10

Totilas Romã reparatam iterum obſidet 290.21, Proditione rurſum capit ib.33, Captam reparare pergit 291.24, Cur nõ deleuerit ib.

Totilas cum Longobardis pugnãs interficitur 293.51

Totilæ theſaurus Narſeti indicatur 295.24

Traſemundus regi rebellans ducatu exuitur 64.16, Romani contra pacis rationem eum aduerſus regem tuentur ibid. 20, & in ducatum reſtituunt ibid.31

Traſemundus à pontifice regi placato deſtitutus, regi fit ſupplex 64.49

Trecentorum annorum res geſtæ nullis hiſtorijs celebratæ 349.20 & 29

Tributi imponendi inuſitata ratio 73.26

Tria apud Dithmarſos munitiſſima loca 452.40

Tria nauium millia in expeditione Wilhelmi Normanni in Angliam 395.42

Tria regna vni ſubeſſe, procerum omnium decreto ſtatuitur 321.10, A quo Sueci poſtea recedunt ibid.36, Redeunt 322.11

Troiam in Apulia Græci condiderunt 399.7 & 23, Henricus Imp. expugnauit ib.11. et 25

Tunetenſe regnum Rogerio tributarium 406.33

Turcia hodie, olim Aſia propriè dicebatur pag. 241.7

Turingiæ principis ſordes pro hoſpitalitate 138.16

Turingiæ Lantgrauius vxore repudiata, Kanuti V. matrem ducit 159.29, *Quam paulo poſt repudiat* ibid.50
Tutor regis ſorte deligitur 79.19
Tyrannorum non cæſorum rara exempla 107,226.45
Tylen non eſſe quæ hodie dicitur Iſlandia pag. 331.1
Tyrãni populis crudelibus diuinitus imponuntur 498.48

V*Alens Imperator petentibus Oſtrogothis doctores, Arrianos dedit* 251.25
Valens Gothos rebellantes adorſus, ab eis profligatur, & in caſam quam cõfugerat, concrematur 252.3 & 10
Valentinianus à milite Aetij, quem interfici iuſſerat, perimitur 261.12
Valentinianus III. Conſtantini filius, quem ex Galla Placidia, poſt Athaulphi mortem Honorio fratri reddita, ſuſcepit 256.6
Vallum à mari ad mare porrectum in Dania, Thiræ opus 83.7,120.27,306.29, *A quo conſtructum* 427.47
Vallum & foſſa Suenoni redeunti cuſtode pecunia corrupto patet 120.27
Valpurga, comitis vxor, à Dithmarſis fœdè mutilata 435.17
Vaſa ſacra ad captiuos redimendos rectè impenduntur 358.18
Vaſconia Wiſigothis poßidenda permittitur 256.26
Vaſconia quo tempore Francorum regi ſubeſſe cœpit 298.54
Vbbo Daniam, cuius procurationem creditam habebat, inuadit 8.51
Vbbo Danus quot vulnera aduerſo pectore acceperit 34.17
Vbbo Friſius quum Iutiam vexans Dano moleſtus eſſet, captus ab illo amatur, eiuſq; ſororem vxorem ducit 345.20
Vbi nox perpetua brumali tempore, ſolſtitiali dies perpetuus 330.22,331.10
Vffo Daniæ regis filius, ingenio tardus 14.33, *Satim virtutem præter omnium opinionem, miram in duello exerit* 15.2, &c.
Vffo Sueciæ rex, dum hoſtem inſidijs opprimere contendit, poſtea ipſe cadit 112.35
Venetias condendi cauſa & initium 42.41, 260.2
Venetiarum conditores 49.45
Venetiarum deſcriptio ex epiſtola Theodati 272.7
Venetos Wandalos eſſe 241.40
Veni, vidi, vici 470.49
Verona ab Imperatorijs proditione capta 283.9, *ignauia & auaritia ſtatim amittitur* ibidem 20
Veteres de regionibus ad Zonas extremas ſitis, malè ratiocinati ſunt, quum experientia aliud doceat 474.18
Victores inter ſe de præda oppidi capti contendunt 457.32, *Iterum* 460.11
Vigilius quod impiè ante pontificatum promiſerat, papa factus negat ſe præſtare poſſe 288.34
Villicos & colonos Cimbri nullos olim habebant 433.11
Virgo poſt monaſticum continentiæ votum, papa permittente nubit 417.31
Virginum vndecim millia ad Coloniam trucidata 42.13
Visbi celeberrimum olim emporium 495.11
Vitaliani, ſiue gregarij, qui 183.55,318.4, *A quibus producti* 419.46
Vitaliani nauim regiam opulentißimam capiunt 184.31, *Ignotas gẽtes nauigando adeunt* 420.10
Vitigis dedita Rauenna Cõſtantinopolim mittitur 281.36
Vitus Chriſti martyr, immodico cultu in idolum vertitur 108.49
Vngaria hodie, olim Pannonia fuit 241.6
Vnius cordati hominis opera vitijs aula repurgatur 19.24
Votum commutat papa: quod literis ſacris non permittitur 195.55
Vpſola idoli in Suecia ſedes, nunc in religione metropolis 308.26
Vpſola Sueciæ metropolis, olim tres deos à gente cultos habuit 204.1
Vri & Biſontes vbi reperiuntur 491.26
Vtrum præſtet in patria an in hoſtico pugnare 219.23
Vulgus de principum cõſilijs in malam partem loqui audet 189.22 & 28
Vxorem amico tradere, ad aliam ducendam, honoris teſtimonium 5.40
Vxorem repudiatam alteri dare, olim apud Noruagios honorificum 338.6, 340.25
Vxores aliquo inſigni facinore quærendæ 302.31,342.8,348.12
Vxores maritis ademptæ alijs traduntur 8.52, 19.32
Walacra Selandiæ pars 364.22
Walbrunna, id eſt, ſtragis puteus, vnde nomen habuerit 30.46
Waldemarus diui Kanuti filius, aduerſus Kanutum

uutum Magni parricidæ filium, pro Suenone III. pugnat 113.36

Waldemarus diui Kanuti filius, deſpondendo rogatus viam ad Kanuti partes tranſeundi ſibi ſternit 116.40 & 51

Waldemarus diui Kanuti filius ad Kanutum tranſit, eius ſorore in matrimonium ducta 118.11, Qua de cauſa indignatum Suenonem durius alloquitur ibid.23, A quo inſidijs appetitus, ab amicis monetur ibid.54

Waldemarus diui Kanuti filius in perfidum regem cum Kanuto rebellat 119.21

Waldemarus d. K. F. delato arbitrio regnum Daniæ diuidit 122.30

Waldemarus d. K. F. ſaucius è cæde Suenonis fraude comparata aufugit 123.49, Tempeſtate iactatus 124.16, In Iutia de Suenonis dolo queritur, exercitum cõparat ibid. 24, 125.3, Pugna hoſte victo ibid.35, regnum ſolus conſecutus, in parricidij adminiſtros animaduertit ibid.51

Waldemarus diui Kanuti filius à maiori claſſis parte deſeritur 129.9, Ab hoſtibus Wandalis vrgetur & fugatur ibid.38

Waldemarus diui Kanuti filius expeditionẽ in Wandalos ſuſcipit 127.40. Quæ commeatu deficiente penè fit inutilis ibid.53, 128.9, Reſtituitur ibid.32

Waldemarus in antipapam Octauianum videtur nimium propendere 135.44

Waldemarus d. K. F. conuentum Imperialem adit 136.5, non admodum tuto itinere ibidem 24

Waldemarus d. K. F. Metim peruenit 136.45, Se promiſſis pellectum & circumuentum agnoſcit 137.7, Daniam ſuam Imperio ſubijcere cogitur ibid.17

Wald. d. K. F. Meti reuerſus, Wandalos aggreditur 138.23

Waldemarus fixo propoſito Wandalos Chriſto armis lucrifaciẽdi 144.45, expeditionẽ parùm proſperam ſuſcipit ibid.53, 145.9

Waldemarus d. K. F. grauem in ſe conſpirationẽ inſperata ratione intelligit 147.2, Cum Magno de ea expoſtulat 148.41, Veniam ſitienti dat 149.24

Waldemarus d. K. F. in Wandalos ob nauis damnũ ab eis acceptum 151.49, claſſem expedit 152.26, Pacem petentibus dat 153.6

Waldemarus Henrico Leoni auxilium aduerſus Imperatorem denegat 153.17, Moritur 156.28

Waldemarus II. Kanuto V. fratri in regno ſuccedit 162.44, Lowenburg antea tentatam ib.33, ad deditionem compellit ibid.49

Waldemarus II. ab Henrico Zwerini comite dormiens in nauem elatus abducitur 165.23, Ex qua ſe captiuitate argẽto redimit ib.51, Nordalbingia, quam totã ceperat 161.41, excidit 165.55, Quam quum recuperare contenderet, acie victus aufugit 166.7

Waldemarus II. Lubecam obſidet 166.40, Moritur 167.4

Waldemarus Chriſtop. II. eiecto, Daniæ regno præficitur 172.15, Pulſus Chriſtophori filio cedit, ſuis contentus 173.34, Ab Holſatis capitur ibid.50

Waldemarus III. Chriſtop. II. filius patri ſuccedit 173.8, Pulſus exulat ibid.28, Reſtituitur ibid.34, Dominicum ſepulchrum inuiſit 174.7

Waldemarus III. Chriſtop. II. F. cum ciuitatibus Wandalicis bellũ gerit 175.25, Lubecenſium aliquot naues abducit ib.30, Nicolaum Holſatiæ comitem prælio fugat ib.34, Multos deinde è ſuis aduerſo prælio amittit ib. 40, Auenionem ad papam contendit ib.52, Reuerſus, ob magnas vaſtitates regno cedit 176.3, Tandem regreſſus moritur ib.16

Waldem. III. Chriſtop. II. F. Reuerſus Lalandiam introducto exercitu, ex Sueci arbitrio accipit 174.11, Adulterinum marchionem oppugnat ibid.19 & 50

Waldemarus Marchio bellum cum Daniæ rege parans moritur 170.52

Waldemarus Sueciæ rex Romam & terram ſanctam adit 312.37, Reuerſus fratrem reperit regnũ occupaſſe ibid.46, Fruſtra redire conatus acceptam prouinciæ præfecturam boni conſulit 313.2

Waldemarus Daniæ rex ſpõſam Aquini Sueciæ regis filij ad ſe tempeſtate delatam, repudiandam curat, cui Margaretam filiam tradit 314.53

Waldemarus Daniæ rex Noruagia populi voluntate occupata 414.17, rem parum firmam videns, domum redit ib.28 & 33, Aliam expeditionem fruſtra ſuſcipit 415.29

Waldemarus patrem in cœlis, & filium in terris regnantem colit iubet 416.6

Walogaſtum à Wandalis deſertum oppidum Daniæ rex communit 138.54, Quod poſtea trifariam diuiditur 139.17

Wandalus duello victor, cum alio, quem ſecundo prouocat, ſimul cadit 13.7 & 20

Wandali ferocientes à Danis in ordinem coguntur 99.4

Wandali ſedes in Pannonia à Conſtantino accipiunt 240.48

Wandali Gothorũ iugũ victi accipiũt 241.54

Wandali ex Hiſpania in Aphricam migrant 257.19

Wādalorum orator de pace miſſus, infirmiores Danos ratus, moroſiorem ſe præbet 130.45 & 54, *Quam verborum arrogantiam alia legatione vix mitigat* 133.4

Wandalorum ceremonia qualis in feriendis pactis 130.53

Wandalis per multas preces petentibus pax data 133.8

Wandalicæ ciuitates Daniam populatæ 176.1, *cum proceribus regni, abſente Waldemaro, de damnis acceptis paciſcuntur* ib.10

Wandalicæ ciuitates belli tædio pacem cū Daniæ rege quærunt 184.39, *Idem faciūt tres à duabus deſertæ* 185.10 & 14, *Rurſus, ſed fruſtra* 187.17

Wandalicarum ciuitatū claßis 182.20, *Dum diuiſa pugnat, duobus prælijs à Danis capitur* 183.13

Wandalicarum ciuitatum alia claßis 183.51

Wandalicarū ciuitatum & ducū Sleſwicenſium cū Daniæ rege pax cōſtituitur 187.24

Wandalicas ciuitates Daniæ rex à ſe inuicem diſiungit 183.36

Wandalicarum ciuitatum ad Chriſtiernum regem poſtulata & reſponſa 192.21

Wichſertus à Daxone dolo captus, vita donari non vult 304.40

Widitis vltimus Oſtrogothorum gentis euaneſcentis præfuit 296.29

Wigo ſcurra, vir interim fortißimus 11.48

Wilhelmus Rollonis ex Papa filius, quam in Batocenſi præda vxorem duxit 366.30

Wilhelmus Rollonis filius monachalis vitæ cupidus, patri tamen in ducatu ſuccedit 370.14 & 24, 374.20 & 30, *Britones rebellione facta libertatem affectantes, duabus expeditionibus ſubigit* ibid.27 &c.

Wilhelmus ſuis propter Francorū amicitiam ſuſpectus & inuiſus eſt 371.1, *Quorum rebellionem factam placare conatus* ibid.12, *prælium inire veritus* ibid.27, *procerū contumelioſa exprobratione in arma ruit, & rebelles delet* ibid.30

Wilhelmus Francorum proceribus charus, vxore ab his accepta, & ſorore tradita, affinitate cum illis iungitur 371.50, 372.1 &c.

Wilhelmi apud Ludouicum Francum autoritas 327.32, *Optima voluntas* 374.4, *Cum Imperatore familiaritas* ib.39, *Domi ſplendor* 373.5, *Apud ſuos milites imperium* ib.35, *Apud exteros exiſtimatio* ibidem 24 & 47

Wilhelmus ab Imperatore colloquium ſuper fœdere cum Francorum rege petit 372.38, *Re impetrata eum abſque obſide adit* ibid.41, &c. 373.12

Wilhelmus Herluinū ditioni, quam Arnulphus Flandriæ comes abſtulerat, reſtituit 375.40, *Arnulphū pacem petentem in colloquium admittit* 376.32, *Cuius perfidia & dolo necatur* 377.2

Wilhelmus II. Normanniæ dux puer ſuccedit patri 394.4, *Rerum adminiſtratione ſuſcepta grauem rebellionem Hērici Franciæ regis auxilio opprimit* 394.15, *Andegauorum comitem bello laceßitus ſuperat* ibidem 36

Wilhelmus Angliæ regnum ab Eduardo relictum, quod Haraldus contra fidem datam occupabat, claſſe inuadit 395.40, *& victor obtinet* 396.1

Wilhelmus cognomēto Ferrabach Normannus in Italia primus 397.41, 398.10 & 46, *Inito cum tribus alijs fœdere Sarracenos in Sicilia cædit* ibidem 48, *Græcis prælio fuſis Apuliæ partem occupat* 399.5 & 14

Wilhelmus Rogerij filius, papæ vaſallum ſe agnoſcit 404.38

Wilhelmus Rogerij filius bellum papæ infert 406.52

Wilhelmus Rogerij filius Græcorum metu papæ reconciliari ſtudet, homagium offerens 407.18, *Primò cardinalibus diſſuadentibus repudiatur* ibid.30, *Poſtea magno virium collectarum illato terrore, illis inuitis, à papa admittitur* ibid.40

Wisbu in Suecia olim mercatoribus ſtatio & priuilegiorum cuſtodia 190.54

Wiſigothi qui & cur dicti 224.33

Wiſigothorum & Oſtrogothorum appellationis cauſa 300.7

Wiſigothi à reliquis popularibus, Hunnorum dominationem exoſi diſcedunt 243.22 & 49, 244.1, 251.13

Wiſigothos à capta Italia nulla vis expulit 254.44, 255.50

Wiſigothi in Aquitaniam ſe effundunt 261.28, 262.41

Witigis in Theodati locum rex creatus 271.30, *Roma diſceſſurus obſides ſecum Rauennam ducit* ibidem 40, *Interfici eos iubet* 278.6

INDICIS IN DANIAM, NORVAGIAM ET SVECIAM FINIS.

ERRA-

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 3. linea 41. orientem. 12. 5. tueretur. 16. 36. cætera. 29. 53. Starcuterus. 3c. 25. quem. 32. 26. quadam. 36. 17. videret. 42. 17. Catalaunicis. Ibid. 22. diximus. 61. 46. aggrediuntur. 71. 42. epiſcopos. 265. 34. non. 329. 38. aliquando. 355. 21. graſſabundis. 365. Ille. 367. 15. inducias. 328. Richardus. 385. 18. munerandum. Ibid. 48. inuehuntur. 390. 55. fratri. 398. 11. nouam. 4c1. 55. querentes. 403. 54. parari.

FRANCOFVRTI AD MOENVM
APVD HÆREDES ANDREÆ WECHELI,
ANNO SALVTIS M D L XXXIII.

